

UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00123997 9





OPERA OMNIA

SANCTI BONAVENTURÆ

BESANÇON. — IMPRIMERIE D'OUTHENIN CHALANDRE FILS.

S. R. E. CARDINALIS

S. BONAVENTURÆ

EX ORDINE MINORUM

EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS SERAPHICI ECCLESIÆ

OPERA OMNIA

SIXTI V, PONTIFICIS MAXIMI JUSSU DILIGENTISSIME EMENDATA

ACCEDUNT

SELECTA MULTA TUM EX POSTREMA VENETA EDITIONE, TUM EX PRODROMO ERUDITISSIMO
FR. BENEDICTI A CAVALESIO ORDINIS MINORUM REFORMATI

EDITIO ACCURATE RECOGNITA


AD PURAM ET VERIOREM TESTIMONIORUM BIBLICORUM EMENDATIONEM DENUO REDUCTA

CURA ET STUDIO

A. C. PELTIER

CANONICI ECCLESIÆ REMENSIS

TOMUS SEPTIMUS





PARISIIS

LUDOVICUS VIVÈS, BIBLIOPOLA EDITOR

VIA DELAMBRE, 9

M DCCC LXVI


LIBRARY
AUG 26 1966
UNIVERSITY OF TORONTO

PRÆFATIONIS LOCO

Ex Prodromo ad opera omnia S. Bonaventuræ excerpta quædam.

§ I. — Pharetra (*Prodrom.*, col. 505.).

Pharetra, seu *Loci communes*, tum morales, tum theologici, congesti ex sanctorum Patrum, aliorumque monumentis. Hujusmodi Pharetræ primum inter Bonaventuræ opera sibi vindicat locum, cum ipsam fuerit aggressus *in conversionis suæ primordio.* Certum ejusdem opus testantur... nomenclatores, quos inter Anonymus Stronconiensis, et Franciscus Samson, editiones ab anno 1486 conjunctim, separatimque factæ, necnon codices manuscripti numero plures, etiam vetusti, ex quibus Neapolitanus quidam singulari est mentione dignus, utpote scriptus *a tempore Alexandri quarti Papæ*, nomenque *Bonaventuræ* expressum habens hoc modo : « Explicit liber *Pharetræ*, editus a Bonaventura, » etc.

Quanti æstimanda sit, ex eo patet, quod Ludovicus Carbo, citans scriptores pro variis meritis legendos, inter scriptores locorum communium in primis commemorat divum Bonaventuram, tomo I, opusculo xii (Edit. Ven. 1564), qui libros quatuor locorum communium ex sanctis Patribus collegit [1]. Idipsum ob oculos ponet catalogus scriptorum in eadem *Pharetra* laudatorum [2]...

Porro, ne omnem prorsus fidem superare videatur adeo ampla codicum manuscriptorum lectio, ac eruditio tanta, in juvene Bonaventura, qui Octaviano de Martinis auctore, non amplius, quam annum suæ ætatis circiter 22, et juxta P. Joannem Hyacinthum Sbaraleam 27 numerabat, maxime *in conversionis suæ primordio;* animadvertendum est, ipsum minime fuisse mediocris ingenii, sed felicissimi, probeque vel in sæculo exculti, atque ad omnes litteras mirifice comparati, verbo nihil dissimilis angelico ingenio S. Thomæ Aquinatis, qui « 25 annos natus, Magister est appellatus, publiceque philosophos ac theologos summa cum laude est interpretatus [3]. » Sciendum quoque Bonaventuram adhuc juvenem tam potuisse hujusmodi opus moliri, quam aliud aggressus fuit non minus difficile adhuc adolescentulus Bruno Astensis, postea ex abbate Cassinensi episcopus Signiensis, qui obiit anno Domini 1125. Ait namque in initio *Expositionis* suæ *in Psalterium :* « Cum adhuc adolescentulus essem, exposui Psalterium, » etc. His adde etiam Joannem Picum Mirandulum adhuc « puerum, et quidem tenellum, ex Epistolis summorum Pontificum, quas Decretales vocant, Epitomen quamdam, seu Breviarium compilasse, quo omnes, concisius quam fieri potuit, sanctionum illorum sententias conclusit, consum-

[1] *Introd. in Theol.*, c. xliii.— [2] Catalogum hunc in ipsius operis limine videre est infra, pag. 3-4.— [3] *Breviar. Rom.*, vii, Mart., Lect. v.

matis professoribus opus non tenue, » prout testatur Franciscus Picus Mirandulus in ejus Vita...

Ad id, quod inquiunt novissimi Editores[1] : « Quis penitus probet Bonaventuram unius anni circulo tot Patrum volumina evolvisse, quot in Pharetra complectuntur? » quodve addunt : « Incredibile omnino Bonaventuram, probationis anno, tot sub manu habuisse chirographa, quot jam laudavimus, » nempe « centum numero, eoque amplius; » pari facilitate respondeo, tam hæc probare nihil, quam probant nimis : quandoquidem hinc posset inferri, neminem alium quemcumque ipso *probationis anno* ad id valuisse, ac esse *omnino incredibile*, ut omnis alter novitius et tiro totuplicibus originalibus ab se evolutis, tam difficilem spartam ornarit. Et si alius potuit, eo magis Bonaventura, qui fatentibus ipsis Editoribus[2], « theologicæ Facultati vel ab adolescentulo summopere deditus erat. » Aut ergo Bonaventura *Pharetræ* hujusmodi auctor habendus, aut mortalium nemo intra *probationis annum* absolvit, adeoque nullus ejusdem auctor potest adduci. Ne autem postremum hoc admittamus, fateamur necessum est, cum P. Sbaralea, per *conversionis primordium* intelligendos *primos conversionis annos*, intra quos vel ipse Bonaventura facile potuit opus illud perficere. Quo quidem sensu accipienda sunt etiam illa verba *Legendæ S. Francisci* ab eodem Bonaventura scriptæ : « Circa conversionis suæ primordia tempore hyemali in foveam plenam glacie seipsum mergebat, » etc. Quod autem dictam *Pharetram* non compleverit intra probationis annum, sed duntaxat inceperit, satis indicare mihi videntur illa verba Prologi, quibus dicitur : « Quæ quidem postmodum, ut scivi, ordinavi, » nimirum in quatuor libros, et horum singulos in quinquaginta capitula, ob jubilæi figuram in hoc numero[3]. Itaque *Pharetra* hujusmodi non nisi subsecuto tempore habuit ordinem et complementum, atque intra probationis annum non fuit nisi ad summum exigua, et indigesta quædam moles, ac sylva quædam parva auctoritatum *postmodum* ordinanda, locupletanda et perficienda...

Si etiam aliquis urserit, pelagianum videri auctorem *Pharetræ*, dum illam laudat sententiam : « Debet voluntas præcedere, et sic sequitur gratia; » in promptu est responsum, illam quidem laudasse, non in sensu pelagiano, quod a Bonaventura absit, sed catholico, quatenus voluntas debet intelligi prius esse, quam operari cum gratia. Unde continuo subdit : « Nam nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia potest. Nam et terra non germinat nisi pluviam susceperit, nec pluvia fructificat sine terra. » Hanc sententiam tribuit divo Joanni Chrysostomo. Quod autem Auctor admiserit gratiam, quam nec Pelagiani, nec Semipelagiani concessere, demonstrant ab eodem ex Isidoro et Augustino desumpta[4].

Id quod de B. Mariæ Virginis nondum natæ sanctificatione post conceptum adseverat ex Bernardo hisce verbis : « Si ante conceptum suum sanctificari minime potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso conceptu propter peccatum, quod inerat, restat, quod post conceptum in utero existens sanctificationem accepisse credatur[5]; plane convenit tempori, quo Doctor noster scribere cœperat; nondum enim audiverat contrarium doceri, cum fassus

[1] Vid. tom. I, hujus nostræ editionis, pag. LX. — [2] Ibid., p. XIV. — [3] Auctor *Diætæ Salutis* inter opuscula Bonaventuriana inquit (tit. X, *de Gloria Paradisi,* : « Quinquagenarius numerus in sacra Scriptura remissionem peccatorum significat. Quinquagesimo anno, qui dicitur Jubilæus, fiebat secundum legem remissio delictorum. » — [4] *Pharetræ* lib. II, c. VI. — [5] Ibid., lib. I, c. V.

fuerit : « Nullus invenitur dixisse de his, quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a peccato originali fuisse immunem [1]. » Audivisse tamen postea, et sententiam mutasse, dixi libro primo [2].

Quæ cum ita sint, nulla est ratio, cur *Pharetram* genuinum Bonaventuræ adhuc juvenis opus inficiemur, subsistuntque secus rationes a me supra indicatæ, quæ verum ejusdem fœtum in sensu (antea [3] exposito) ipsum ostendunt.

§ II. — Declaratio terminorum theologiæ (*Prodrom.*, col. 539 et seq.).

Hoc opusculum methodicum et clarum, quod ordine congruo fere omnium theologicarum vocum definitiones descriptionesque complectitur, sanctus Bonaventura scripsisse videtur in gratiam cujusdam Fratris, qui super iis breviter informari cupiebat. Id colligitur ex illa ipsiusmet opusculi clausula : « Hæc sunt, carissime Frater, paucula, quæ pro usu et exercitio tibi relinquo : postquam, Deo dante, te iterato videro, latius tibi exponam. » Ea profecto Seraphicus Doctor in Breviloquio fusius edisserit, adeo ut hujusmodi *Declaratio* non sit nisi totius theologiæ compendium, Breviloquio præfato longe contractius ac brevius.

Neque hujus Declarationis stylus a Bonaventuriano abludit : etsi enim opponant Editores novissimi [4] se illam legentes offendisse minus latinas voculas, nempe *productionem substantificam, essentiam divinam nullo modo divisibilem, componibilem*, idque genus similia, quæ *a Bonaventuriano dicendi genere longissime abesse* putant; in hoc tamen vehementer hallucinationem passi sunt, quia, ut alibi animadvertimus, et in Commentariis Sententiarum, et in Breviloquio adhibentur. Vocula etiam *vindicationis*, quam addit, et in qua non minus quam in voce *domationis* vim facit Oudinus [5], in Centiloquio usurpatur. Profecto nimis hospitem et peregrinum se præbuit in Bonaventurianis operibus ac opusculis idem Oudinus, dum censuit prædictas barbaras voculas *Theologis Scriptoribus medii sæculi* XIV, *longe rectius convenientes, quam* XIII [6]. Quasi vero his necdum ita placuerint, ut in eorum scholas ingredi mererentur. Si legisset quoque indubios Sermones præstantissimi Doctoris Parisiensis Fratris Guiberti de Tornaco sæculi XIII, quem Alexander quartus Pontifex maximus *bis suis litteris excitavit ad scribendum* [7], plures certe offendisset voces ex iis, quas barbaras, et *scriptoribus* medii sæculi XIV, *longe rectius convenientes* appellavit, puta *carnis edomationem* in Sermone ad mulieres de ordine Humiliatarum *: vivificare, et guerram* in Sermone ad Sorores Pœnitentes, seu Filias Dei : necnon alibi *vilificationem, grossa peccata, parificare, appodiare, statum mundialem, idoneitatem, finaliter, de facili*, etc. In opusculis etiam Fratris Hugonis de Dina ejusdem sæculi XIII, deprehendere potuisset vocabula sequentia : *animalitatem, domificare, maneriem, rectificare, rectificationem, trufam, finaliter, aliqualiter, servificare, castificare*, etc.

Ex adeo frivola præfatorum criticorum censura quis fidem detrahat suam Mariano Florentino, et Anonymo Pistoriensi, qui memoratam *Declarationem* ceu vere Bonaventurianam testantur, adstipulantibus antiquis editionibus, atque etiam codice ms. Mantuæ? Fidem sane

[1] In librum III, *Sent.*, dist. III, part. I, art. I, q. II, in concl.: vid. supra, hujus nostræ edit. tom. IV, p. 64. — [2] Hujus nostræ edit. tom. IV, pag. XIII. — [3] Ibid., pag. IX. — [4] Vid., tom. I, huj. edit. p. LI, edit. Ven. Diatribæ, p. 89. — [5] Tom. III, col. 402. — [6] Ibid. — [7] Wadding., ad an. 1257, n. 8.

suam adjungit vir emunctæ naris P. M. Sbaralea inquiens : « *Declaratio terminorum theologiæ* verum est Seraphici Doctoris opus, et ab anno 1495 in editione Argentoratensi semper illi contributum invenitur, frustraque tentat Oudinus inania quædam objicere, ut id vel ipsi eripiat, vel saltem in dubium vertat. Nam vocem *componibilis* adhibuit ejus magister Alexander Halensis, part. 2, qu. 12, membr. 2, dum quæsivit *utrum ratio componibilis conveniat omni rei*. Itidem *domatio*, et *vindicatio* voces latinæ sunt ex Thesauro linguæ latinæ, quarum altera usus est S. Thomas. »

Quod si quis opposuerit vocem *Cotus*, ubi ait : « *Cotus* est observatio opportuni temporis ad vindictam, » contendens prorsus esse inusitatam et inauditam ; ipsum ablegaverim ad Amaltheam Onomasticam Josephi Laurentii Lucensis, sacræ theologiæ doctoris, ubi ait : « Cotos, ira vetus, vindictæ occasionem quærens. » Illud quoque subdiderim, ad agnoscendum verum alicujus scriptoris opusculum, majorem habendam esse rationem consonantis doctrinæ, quam vocum; faterique de præsenti opusculo ipsos novissimos Editores : « Tanta in hoc opusculo cognatio doctrinæ cernitur, quanta certe in legitimis Bonaventuræ operibus esse videtur [1]. » Non ergo rejiciendum ad incerta, sed inter legitima servandum est.

§ III. — Breviloquium (*Prodrom.*, col. 525 et seq.).

Subit animum admiratio, quod Casimirus Oudinus illud habeat velut *genuinum omnino* [2], quanquam velut spuria rejecerit plura opuscula ob quasdam *voces barbaras*, quas ipse putat *non legi in legitimis divi Bonaventuræ operibus* [3], et ob *affectationem superlativarum vocum*, ac *similiter cadentium* [4]. Hujusmodi autem voces sunt : *Ramificare*, *mundialiter*, *sapientialis*, *rectificare*, *habilitare*, *uniformis*, *multiformis*, *triformis*, *distinguibilitas*, *virtuositas*, *æternalis*, *de facili*, etc. Etenim si *Breviloquium* ipsum vel perfunctorie legisset Oudinus, in eo passim offendisset barbaras voces, puta : *triformitatis*, *multiformitatis*, *radiositatis*, *deiformitatis*, *mititatis*, *primitatis*, *innascibilitatis*, *defectibilitatis*, *virtuositatis*, *artificiositatis*, *ductibilitatis*, *prohibitivi*, *prædictivi*, *promissivi*, *narrativi*, *reparativi*, *contentivi*, *amativi*, *detestativi*, *beatificativi*, *distinctivi*, *sequestrativi*, *diversificandi*, *subtiliandi*, *principiandi*, *originandi*, *ramificandi*, *rectificandi*, *habilitandi*, *ordinabilis*, *deordinabilis*, *incircumscriptibilis*, *distinguibilis*, *prædispositionis*, *ramificationis*, *præmiationis*, *culpæ commissivæ et offensivæ*, *damnificativæ et deformativæ*, *virtutis habilitativæ*, *vis operativæ*, *circumscriptibiliter*, *præsentialiter*, *æternaliter*, *sempiternaliter*, *mundialis*, *sapientialis*, *sempiternalis*, *potentialis*, *scientialis*, *condilecti*, *superabundantiæ*, *supercœlestis*, *supermaximæ*, *emanationum substantivarum*, *psalmistatus* : aliasque id genus voces a Latio exulantes, ac vel ipsam phrasim *de facili* pro adverbio *facile* in *Proœmio* ejusdem *Breviloquii*.

Offendisset quoque eam, quam ipse vocat, *affectationem superlativarum vocum*, ac *similiter cadentium*. Quippe inibi legere est : « Quadrupliciter potest quis moveri ad bonum, et removeri a malo, scilicet per præcepta potentissimæ majestatis, vel per documenta sapientissimæ veritatis, vel per exempla et beneficia innocentissimæ bonitatis [5], » etc. Item : « Creatorem... spiritum omnipotentissimum, justissimum, speciosissimum,

[1] Diatribæ, p. 89, huj. edit. tom. I, p. LI. — [2] Tom. III, col. 401. — [3] Ibid., col. 401. — [4] Ibid., col. 407. — [5] In Proœmio, de latit. Sacr. Script.

optimum, beatissimumque fateamur[1]. » Dein : « Unitas prima et summa... est omnipotentissima, sic et veritas sapientissima, et bonitas benevolentissima[2]. » Insuper: « Quoniam excellentia recuperari non poterat nisi per reparatorem excellentissimum, nec amicitia reformari poterat nisi per mediatorem amicabilissimum, nec innocentia reacquiri poterat nisi per satisfactorem sufficientissimum ; excellentissimus autem reparator non est, nisi sit Deus ; amicabilissimus mediator non est, nisi sit homo; sufficientissimus satisfactor non est, nisi sit Deus pariter et homo : congruentissima fuit nostræ reparationi incarnatio Verbi, ut sicut genus humanum in esse exierat per Verbum increatum, et in culpam inciderat per verbum inspiratum, sic a culpa resurgeret per Verbum incarnatum[3]. » Præterea : « De modo autem patiendi hoc tenendum est, quod Christus passus est passione generalissima, passione acerbissima, passione ignominiosissima[4]. »

Rursum quod spectat *similiter cadentia* absque usu *superlativarum vocum*, in eodem *Breviloquio* dicitur : « Quia baptismus est ingredientium, confirmatio pugnantium, eucharistia vires resumentium, pœnitentia resurgentium, extrema unctio exeuntium, ordo novos milites introducentium, matrimonium novos milites præparantium, patet ex his sufficientia et ordo medicamentorum sacramentalium, et armorum[5]. » Quoad utrumque autem usum, et *superlativarum vocum*, et *similiter cadentium*, habetur : « Quia primum principium, eo ipso quod primum et summum, est universalissimum, et sufficientissimum, ac per hoc principium est naturarum, gratiarum et præmiorum : principium etiam potentissimum, clementissimum, et justissimum. Et licet secundum quamdam appropriationem sit potentissimum in constitutione naturarum, et clementissimum in collatione gratiarum, et justissimum in retributione stipendiorum; tamen sigillatim singula sunt in singulis[6]. » Quod si totuplices *voces barbaræ*, *superlativæ*, *similiter cadentes* hactenus relatæ, nihil obsint, quominus *Breviloquium* sit *genuinum omnino*, quid, quæso, oberunt aliis opusculis?

Sed Oudinianis gerris valere jussis, nos quoque prædictis omnibus minime obstantibus censemus idem *Breviloquium genuinum omnino*. Quippe solidissimam doctrinam complectitur, nixam auctoritate Patrum, erroribusque cum philosophorum, tum hæreticorum adversam : philosophorum, inquam, sive *ponentium æternitatem circa principium materiale*, sive *ponentium Deum produxisse inferiores creaturas per ministerium intelligentiarum*, necnon *Manichæorum ponentium pluralitatem principiorum, ac summum malum malorum omnium principium primum*[7] : quem quidem Manichæorum errorem alibi quoque refutat, ac *pessimum* nuncupat; quandoquidem ait : « Manichæi ponunt aliud esse principium spiritualium, et incorporalium, sive invisibilium ; aliud corruptibilium, et corporalium, sive visibilium : et primum vocant Deum lucis; secundum vocant Deum tenebrarum[8]. » Et quamvis Beausobrius contendat Dei nomen nunquam principio malo tributum a Manichæis, et mendacii incuset Ecclesiæ Patres contrarium docentes; vide tamen validissime rejectum, ac scitissime vindicatos e contrario eosdem Patres, in insigni opere *Alphabeti Tibetani* Cl. viri Augustini Antonii Georgii Eremitæ Augustiniani[9].

[1] Part. I, c. II.— [2] Ibid., c. VI — [3] Part. IV, c. I.— [4] Ibid., c. IX.— [5] *Breviloq.*, part. VI, c. III.— [6] Part. VII, c. V.— [7] Part. II, c. I; part. III, c. I.— [8] Lib. II, dist. I, part. I, art. 2, q. I, necnon dist. XXXIV, art. 2, q. I, ubi ait : « Usque hodie viget hic error pessimus, quamvis sit irrationabilissimus. » — [9] Pag. 25 ejusd. *Alphab.*, in quo Beausobrii calumniæ in S. Augustinum, aliosque Ecclesiæ Patres refutantur. Romæ, 1762, typis S. Congreg. de Propag. Fide, in-fol.

In hoc sane, uti quoque in cæteris pluribus noster Bonaventura præeuntem secutus est magnum Augustinum. Tametsi enim in eodem *Breviloquio* proferantur testimonia Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, Isidori, Anselmi, Bernardi, Hugonis de S. Victore, etc., potissimum tamen Augustiniana doctrina refertum est : cui adeo addictum sese præbet Doctor noster Seraphicus, ut Augustinum dixerit modo *præcipuum*[1], modo *eximium Doctorem*[2].

Quamvis etiam Doctori nostro minus arriserit Augustini sententia circa ea, quæ in primis mundi primordiis simul facta idem Augustinus putavit, ratus omnes septem dies ad considerationem angelicam referendos, eo quod, eodem Bonaventura auctore, contrarius dicendi modus sit *magis Scripturæ consonus, et auctoritatibus sanctorum et qui præcesserunt, et qui secuti sunt beatum Augustinum*[3]; pro summo tamen suo in Augustinum respectu et observantia, in hoc ipso illum cum cæteris sanctis conciliandum censuit, inquiens : « Ex prædictis apparet sufficientia et veritas Scripturæ in diversis opinionibus sanctorum, scilicet Augustini et aliorum, qui sibi non contradicunt, cum veræ sint, si recte intelligantur[4]. »

Accedit ad *Breviloquii* commendationem non modicum, quod ubi S. Bonaventura in libro quarto *Sententiarum* non semel scrupulos quosdam nobis injecit circa institutionem septem sacramentorum a Christo factam, ipsos nobis prorsus ademit in hoc *Breviloquio*, diserte pronuntians : « De institutione autem sacramentorum hoc tenendum est, quod septem sacramenta legis gratiæ Christus instituit, tanquam novi testamenti Mediator, et præcipuus Lator legis[5]. » Quod autem spectat Ecclesiæ potestatem circa sacramenta, loquitur in hæc verba : « Ecclesiæ etsi omnia sacramenta sint commissa, potissime conjugii sacramentum commissum est regulandum propter varietates, quæ circa hoc sacramentum incidere possunt, et propter morbum annexum qui est maxime infectivus, et minime tenens modum : et ideo ipsius Ecclesiæ est gradus cognationum limitare, sicut pro tempore expedire videt, et personas legitimas, vel illegitimas judicare, et divortia facere : sed nunquam debet, nec potest matrimonium, quod legitime introductum est, annullare, quia quos Deus conjunxit, non potest homo, quantumcumque sit magnæ potentiæ, separare[6]. »

§ IV. — Centiloquium (*Prodrom.*, col. 529 et seq.)

Centiloquium dicitur quoque *Compendium theologiæ*, in quo rudem theologiæ candidatum circa generalia theologiæ principia ejus auctor instituit. Quia vero centum sectiones complectitur, ideo *Centiloquium* vocatur. Hinc ad finem præloquii legitur : « Collegi autem hoc ex dictis proborum, quæ hinc inde decerpens, in unius opusculi angustiam coarctavi : quod cum et centum recipiat sectiones, *Centiloquium* poterit appellari : cujus continentia ut facilius pateat requirenti, præmittuntur centum tituli sectionum, quæ ex quatuor partibus distinguuntur. In universo enim agitur de quatuor in præsenti opusculo, primo scilicet de malo sub ratione culpæ, secundo de malo sub ratione pœnæ, tertio de bono sub ratione gratiæ, quarto de bono sub ratione gloriæ. »

Quod hujus opusculi auctor sit Bonaventura (quidquid sit de præloquio ac forte aliis quibusdam additamentis), testantur S. Bernardinus Senensis, Joannes Franciscus Pavinus,

[1] *Breviloq.*, part. III, c. VIII. — [2] Part. VII, c. II. — [3] Part. I, c. IX. — [4] *Breviloq.*, part. II, c. V. — [5] Part. VI, c. IV. — [6] In fine part. VI, c. XIII.

Marianus Florentinus, Ludovicus Prutenus, Trithemius, Forestus, Marcus Ulyssiponensis, Gulielmus Eysengrenius, Petrus Rodulphius, et Anonymus Maurinus..., editiones vel ab ipsis artis typographicæ incunabulis factæ..., codices mss. in bibliotheca collegii Lovaniensis, Mantuæ et Murbaci. Ex cognatione insuper et similitudine doctrinæ ac styli, elici potest *Centiloquium* æque ac *Breviloquium* nostro Bonaventuræ adserendum, ut non immerito dixerint Romani editores : « Adeo conformis est doctrina utriusque tractatus, ut eumdem et sibi maxime constantem demonstret auctorem. » Quid quod parte IV, sect. L, de Missæ cæremoniis, quoad multiplices crucum, sive crucium signationes, auctor ipsissimis verbis loquitur ac Bonaventura in IV *Sent.*, dist. XII, part. 1, dub. 5? Disserens parte 1, sect. XXV, de timore gratuito, qui multiplicatur in servilem, initialem, et filialem, ac subdens : « De quibus alibi dicetur, scilicet in libro *de Donis*, » remittit sese non ad opusculum *de Septem Donis* impressum, sed ad ineditum, de quo suo in loco dicam. *Centiloquium* allegatur capite tertio opusculi *de Tribus Ternariis peccatorum* his verbis : « Vide in *Centiloquio* de peccato veniali latius; » id quod legere est in editionibus completioribus, etiam in novissima Veneta, nec facile putaverim additamentum, vel cujusdam interpolatoris laciniam.

Sed præstat Oudini confessionem audire : « *Centiloquium* theologicum, certum, nempe ejusdem ingenii et styli, quo anterius opusculum *Breviloquii,* quamvis voces barbaras habeat, paucas tamen, quas auctor properans admittere potuit. Appellat hoc opus idem S. Bonaventura sub initium opusculi *de Ecclesiastica Hierarchia,* ubi lectorem mittit ad ea quæ scripsit de angelis in opere præcedenti his verbis [1] : « De spirituali substantia actu et potentia a materia separata est agendum, cujus proprietates et differentias, in præcedenti opusculo traditas, poteris diligentius intueri. » Hæc autem habentur parte III *Centiloquii*, sect. XIII, XIV, XV, XVI, XVII et XVII. Unde sequitur *Centiloquium* a divo Bonaventura ante opusculum *Hierarchiæ Ecclesiasticæ* compositum [2]. »

Quoad hæc nihil in Oudino reprehensione dignum offendimus, nisi hoc, quod postquam ipse fassus est *Centiloquium theologicum certum, nempe ejusdem ingenii et styli, quo anterius opusculum Breviloquii,* illud ipsum, parum sibi constans, in dubium quodammodo revocaverit, inquiens de *Breviloquio* et *Compendio theologicæ veritatis:* « Non omnino certum est, an allegata opuscula ad S. Bonaventuram spectent, quemadmodum de Commentario illius in 4 libros *Sententiarum* constat, cui Angelus Rocca attendere debuit [3]. » Sed ipse potius attendere debuisset, antea agnovisse *Breviloquium* tanquam *genuinum omnino,* ac *Centiloquium* velut *certum :* neque duo hæc opuscula ab ipso confundenda erant cum *Compendio theologicæ veritatis*, quod vel ipso judice divi Bonaventuræ certe non est. Si autem *Breviloquium* totuplicibus scatet vocibus barbaris, quanto plures *Centiloquium,* cum Oudinus nullas in illo, in hoc autem saltem paucas notaverit? Heic minime vacat ipsas referre; sed earum loco nomina auctorum, quos Bonaventura in eodem *Centiloquio* allegat, percensere.

Laudat ergo sæpenumero de more Augustinum, necnon Ambrosium, Anselmum, Athanasium, Basilium, Bedam, Bernardum, Boetium, Cassiodorum, Chrysostomum, Damascenum, Dionysium, Hieronymum, Hilarium, Hugonem, Isidorum, Josephum historiographum,

[1] Vid. huj. tomi pag. 438, col. 1. — [2] Tom. III, col. 401. — [3] Tom. III, col. 441.

Magistrum Sententiarum, Magistros, item Origenem, Orosium, Prosperum, Rabanum, Remigium, Richardum, etc. In hisce omnibus nihil est, quod Bonaventuræ nostro repugnet; quinimo quidquid traditur in prædicto *Centiloquio* apprime cohæret traditis in *Breviloquio*. Totum divinæ gratiæ mysterium illis expedit verbis a divo Bernardo mutuatis : « Deus operatur in nobis cogitare, velle et perficere : primum sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos [1]. »

Verum diffiteri haud possumus, quod licet in reliquis doctrina Centiloquii sit conformis traditæ in libris *Sententiarum;* illud tamen, quod de sacramentorum institutione habetur in eodem *Centiloquio* [2], discordat ab iis, quæ leguntur libro quarto *Sententiarum* [3]. Fatemur etiam, quod doctrina ejusdem libri quarti [4] circa peccatum veniale, quod in conjugali coitu caussa fornicationis vitandæ admittitur, et illa, quæ in *Centiloquio* [5] de eodem coitu licito ex prædicta caussa, inter se cohærere non videantur. Sed alibi jam diximus Bonaventuram circa hujusmodi quæstiones potuisse priorem mutare, sive temperare sententiam. Heic autem subdimus, citato loco libri quarti Doctorem nostrum in præfato coitu, ex memorata caussa exercito, agnovisse peccatum veniale ex eo, quod qui ita coit cum sua uxore *non vult procreare prolem*, quando scilicet spes est prolis. Quædam namque inordinatio est secundum finem præponere fini primario, qui est prolis generatio, dum obtineri potest. Licitum vero dixisse prædictum coitum caussa vitandæ fornicationis, loc. cit. *Centiloquii,* quando abest spes prolis. Conciliari etiam potest, quod in uno loco pronunciatur illicitus, et in altero licitus talis coitus, respondendo, in diverso sensu, auctore Bonaventura, et illicitum, et licitum esse : illicitum quidem, cum sub prætextu incontinentiæ præcavendæ voluptas carnalis tanquam finis actus attenditur; licitum e contrario, quando non voluptas, sed sola periculi peccandi amotio præ oculis habetur. Cæterum cum *Centiloquii* doctrina circa hoc punctum concordant S. Antoninus [6] et Catechismus Romanus [7].

Multo magis concedimus, a Bonaventuriano scribendi genere procul videri, quod in ejusdem *Centiloquii* prologo legitur, scilicet : « In adminiculum itaque parvulorum rudis rogatus a rudibus, rudem tractatum rudibus compilavi, in quo rudium ruditas circa generalia Theologiæ saltem ruditer poterit erudiri, et ex lacte infantiæ ad cibum solidum, prævia Dei gratia, cum sensus industria præparari. » Quæ proin verba expendentes novissimi Editores haud immerito inquiunt : « Ab hoc certe rudi scribendi genere prorsus abhorruit Bonaventura [8]. » Hinc etiam animadvertentes apud Trithemium prætermitti prologum illum, et Centiloquium mox ab illis verbis exordiri : « Malum considerare occurrit, » plurimum moventur ut credant, hunc *Centiloquii prologum alienigenæ potius, quam Bonaventurianæ manus opus esse.* Sed opus fuisset ut etiam animadverterent, eumdem videri auctorem *Prologi* ac *Centiloquii* ex illis verbis : « Collegi autem hoc ex dictis proborum, quæ hinc inde decerpens, in unius opusculi angustiam coarctavi. » Oportuisset quoque ipsos nosse, in quodam ms. codice Romano exstare idem *Centiloquium* sub nomine *Fratris Marchesini de Regio Lectoris sacræ Theologiæ,* cum prædicto Prologo.

Itaque ad hæc cum præmissis concilianda, verisimilius censeo, hujusmodi Centiloquium

[1] *Centil.*, part. III, sect. XXXV. — [2] Part. III, sect. XLVII. — [3] Dist. XXIII, art. 1, q. II. — [4] Dist. XXXI, art. 3, q. II. — [5] Part. I, sect. XXXII. — [6] Part. III, tit. 1, c. XX, § 5. — [7] Part. II, *de Matrim.*. n. 13. — [8] *Diatrib.*, pag. 70. Vid. tom. I, hujus nostræ edit., pag. XXXVIII.

incipiens sicuti apud Trithemium, primo editum fuisse a Bonaventura, tum a F. Marchesino auctum Prologo, atque adnexa Tabula (quæ habetur in editis antiquioribus), et forte aliis etiam additamentis; ac ideo in prædito codice Romano inscribi Fratri Marchesino, ut quoad cætera sit Bonaventuræ. Profecto si memoratus Centiloquii prologus conferatur cum prologo *Mammotrepti*, sive *Mamotrecti* laudati F. Marchesini, facile patere poterit legenti, alterum cum altero non levem affinitatem habere. In utroque enim auctor profitetur, ab se in gratiam rudium, ac velut infantium materno lacte indigentium, necnon ad promovendum prædicationis officium, hujusmodi opuscula compilata fuisse, ac sicut *Mamotrectum* collegisse dicit *ex laboribus aliorum;* ita quoque fatetur *Tractatum,* de quo in præsentia loquimur, *compilasse,* atque *collegisse ex dictis proborum, quæ hinc inde decerpens in unius opusculi angustiam coarctavit.* In eodem superaddendo prologo videtur quidem induisse Bonaventuræ personam, ut dicere potuerit: *Collegi autem hoc ex dictis proborum,* sed nequaquam plene assequi potuisse Bonaventurianum stylum, quin sese alienigenam proderet, ac personatum. Ex qua multa styli differentia Prologum inter et Centiloquium doctus quisque facile colligit diversitatem auctorum.

Nec mirum videatur, in prædicto codice Romano hujusmodi Centiloquium inscribi Fratri Marchesino propter dictum Prologum, ac Tabulam, atque id genus superadjecta: nam etiam *Biblia pauperum* propter similem Prologum, ac Tabulam, sive ordinem alphabeticum, inscribitur F. Petro Utinensi Minoritæ apud Waddingum[1], et *Serena Conscientia in Regulam Minorum,* quæ certe composita fuit a F. Alexandro Ariosto, tribuitur Fratri Jacobo de Gremello Brixiensi ab eodem Waddingo[2], propterea quod ipsam cum aliis diversorum opusculis, et sua præfatione, imprimendam curaverit. Similiter ob quasdam additiones tribuitur Hartmanno Schedelio Chronicon Norimbergense, tametsi ejusdem auctor sit F. Matthias Doringus. Quocirca non ausim a communissima recedendo sententia, quæ Centiloquium pro Bonaventuriano certo habet, illud aut ad dubia, aut ad supposititia relegare.

§ V. — De Ecclesiastica hierarchia (*Prodrom.*, p. 533 et seq.).

Intererat ordinis heic posuisse hujusmodi *Hierarchiam,* eo quod ex hac argui posse videatur, ipsam fuisse præcedens opusculum proxime subsecutam. Sane talis est prædictotum opusculorum nexus, ut primo Doctor noster Seraphicus *Breviloquium,* dein *Centiloquium,* ac postremo *Hierarchiam Ecclesiasticam* lucubraverit. Ad verba, quæ statim ab exordio ejusdem Hierarchiæ leguntur, videlicet: « Præsens opusculum, etsi laboriosum, mihi tamen et aliis parvulis in Christo lac petentibus, ut spero, non infructuosum, offero ad ædificationem domus Domini: » ad hæc, inquam fortasse allusit Fr. Marchesinus Regiensis in Prologo præcedentis *Centiloquii* sermonem habens *de lacte infantiæ ad cibum solidum præparato.*

Ut ut de hoc fuerit, dicit quidem auctor *Hierarchiæ* se acturum *de proprietatibus rerum naturalium;* sed e vestigio subdit: « Quas secundum parvitatem meam nunc tropologice, nunc allegorice, necnon quandoque anagogice rebus spiritualibus comparavi, junioribus relinquens materiam exercitii, sensibilia insensibilibus, et carnalia spiritualibus coaptandi: et cum rerum naturalium proprietates ipsarum sequantur substantias, secundum ipsarum

[1] *De Script.,* pag. 291, col. 1. — [2] Ibid., pag. 183, col. 1.

distinctionem substantiarum et ordinem, erit distinctio et ordo proprietatum, quas in alio opusculo per se positas, et distinctas poteris per ordinem reperire. » Sed quale est hoc *opusculum?* Numquid, ut Romani Editores suspicantur, *vel injuria temporum Tractatus non exstans, vel Breviloquium?* Minime, sed, ut dictum supra (pag. VII), præcedens *Centiloquium,* quod indicat idem Auctor continuo subjungens : « Primo igitur de spirituali substantia actu et potentia a materia separata est agendum, cujus proprietates et differentias in *præcedenti opusculo traditas poteris* diligentius intueri. » Porro egerat Auctor *Centiloquii,* part. III, sect. XIII, *de quatuor attributis angelorum a primordio conditionis suæ;* sect. XIV, *de prævaricatione spirituum malignorum;* sect. XV, *de confirmatione spirituum bonorum;* sect. XVI, *de diffinitionibus Angeli, Ordinis* et *Hierarchiæ;* sect. XVII, *de triplici divisione Hierarchiæ;* et sect. XVIII, *de custodia hominum per angelos.* Ex eo etiam, quod Auctor in ipso prologo doceat *ad invisibilium, et intellectualium contemplationem ascendere per visibilium, et sensibilium considerationem*, spondeatque se acturum *de proprietatibus rerum, nunc tropologice, nunc allegorice, necnon quandoque anagogice,* satis se manifestat eumdem ac Auctorem *Itinerarii mentis in Deum*, opusculi *de Reductione artium ad Theologiam,* ubi similiter per inferiora ad superiora et mystica docet assurgere.

Præterea hoc opusculum testatum faciunt duo manuscripti codices (Bibliot. Bodleian. in Oxonia, et Salemii in Suevia); editiones etiam numero plures, quarum prima est Argentinensis anni 1495 : neque admittendum silere de ipso ad unum omnes scriptores, cum Marianus Florentinus minime reticuerit, ipsumque laudaverint Bartholomæus de Martyribus, necnon Januarius de Mata [1], atque Oudinus ipse certitudinem ejus agnoverit, scripseritque : « Opusculum certum ejusdem (Bonaventuræ), cum sub operis initium alleget alia a se olim scripta, quæ reperiuntur in opusculis *Breviloquii* et *Centiloquii,* absque dubio ad S. Bonaventuram spectantibus. Præterea hoc opusculum ex lectione grave simul et eruditum est, nihil habens, quod divo Bonaventuræ subtrahi debeat.... Unde sancto Doctori, sub cujus nomine ab annis circiter ducentis impressum est, accensendum. »

Porro cum ejus confessionem jam teneamus circa hujusmodi opusulum tanquam *certum ac grave simul, et eruditum, nihil habens, quod divo Bonaventuræ subtrahi debeat*, reliquum est, ut videamus, quci evadere potuerit ipsius Oudini censuram, tametsi iis non paucis, quæ in aliis ceu supposititiis ab eodem notantur, minime careat : quandoquidem sæpesæpius in eo offenduntur *similiter cadentia*, et in ipso quoque videre est *illatinas et barbaras voces* haud paucas, exempli gratia, *limpiditatem, diaphaneitatem, virtuositatem, dominabilitatem, flexibilitatem, superadventum, supercælestem, superessentialem, superprincipem, superprincipalem, potentificam, causalem potentiam, virtutem potestativam, tenebram, emendam, grossitudinem, luciformem, unificam, supportationem, fœcundationem, fixionem, sensificationem, unitionem, influitionem, unibilem, subjicibilem, stelleum, crystallinum, prætaxatum, ordinativum, discretivum, contentivum, dimensivum, repressivum, exemplificativum, fugativum, inclinativum, informativum, vivificativum, reductivum, penetrativum, deiformiter, figurative, proportionaliter, deividos, ad præessendum,* etc. Quid

[1] In *Exposit. Morali,* in Psal. CIII, n. 4, § 2, edit. 1665.

quod nequidem vox *judicialis*[1] deest, de qua æque ac de *gehennali*, *empyreali* et *æternali* Oudinus ait : « Videant an hæ voces latinæ, et congruæ sint? An dignæ vero gravi et sancto Doctore Seraphico[2]? » Quæ congessisse juverit non ad extenuandum valorem hujus opusculi, quod ego quoque magni facio; sed ad infirmandam Oudini censuram ex *illatinis* et *barbaris vocibus* petitam, quam identidem contra alia plura opuscula intorquet.

Ratum tamen habeo ejusdem Oudini judicium in eo, quod censet præsens opusculum *grave simul, et eruditum, nihil habeat, quod divo Bonaventuræ subtrahi debeat;* namque totuplicibus divinæ Scripturæ textibus a capite ad calcem refertum est, ut ipsam Doctor noster nedum quam diligentissime perlegisse, sed et memoriæ commisisse videatur. Neque ambigendum est, ipsum ad unguem illud implevisse, quod ejusdem Scripturæ expositorem docuit, videlicet, quod « in expositione Scripturarum nunquam poterit esse potens, nisi per assuefactionem lectionis, textum et litteram Bibliæ commendet memoriæ[3]. » Ostendit quoque se diurna nocturnaque manu evolvisse Dionysium, quem præ reliquis citat, ac laudat in ipso opusculi exordio. Allegat quoque Basilium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Isidorum, Bernardum; item Aristotelem, philosophos, poetam anonymum. Insuper ita agit de variis philosophorum systematibus, ut ea ad sensum mysticum reducere studeat. Tractat ergo de spiritu vitæ, qui est principium motus et operationis in corde[4]. Enumerat secundum nonnullos septem cœlos[5], disserit de cœlo mobili et inquieto, cujus motus est revolubilis super medium, id est super axem, deque virtute motiva cœli, rapiente firmementum ab Oriente in Occidentem, et iterum reducente de Occidente ad Orientem[6], etc. Viderint igitur novissimi Editores, an « a philosophorum systematibus indagandis explicandisque semper alienus fuerit Bonaventura, » an sane « nihil sollicitus fuerit, num Sol rotet circa Terram, num e contrario Tellus circa Solem[7], anve « abhorruerit a statuenda anima in corde[8], » etc. Verum quidem est, maluisse Bonaventuram *versari in Scripturis, inque Patribus volutandis,* quam *in philosophorum scholis tempus operamque perdere;* minime tamen censuit *tempus operamque perdere* laudando placita Aristotelis, aliorumque philosophorum, atque in rem suam ipsa trahendo[9].

Inquies, in hoc opusculo *Claustrales* ac *Theologos* acerrime reprehendi, nec verisimile esse Bonaventuram virum modestisimum, eumque claustralem ac theologum, illos tantopere objurgasse. At aio ego, non increpasse claustrales, nisi illos, ex quibus *scandala plurima sæpius oriuntur,* adeo ut *ipsi Religiosi, qui per famam velut cœli relucere deberent, famæ suæ jacturam per talium insolentiam patiantur*[10]; necnon illos *theologos* duntaxat, *qui rore cœli pluuntur, semper tamen remanent sine fructu*[11].

Dum opusculum scriberet, nondum suam sententiam mutaverat circa gloriosissimam Virginem Mariam *per sanctificationis gratiam in utero materno ab omni originalis culpæ fœditate depuratam*[12].

[1] Exstat hæc vox apud Cic., *pro Cluent.;* item I *de Inventione,* necnon II *de Divin.* Invenitur quoque apud ipsum Bonav. in *Centil.*, part. III, sect. XXXIV, et apud Papiam. — [2] Tom. III, col. 411. — [3] In Procem. *Brevil.*, de modo exponendi sacr. Script , huj. tom. pag. 246. — [4] Part. I, c. II. — [5] Part. IV, c. I. — [6] Ibid., c. III. — [7] *Diatrib.*, edit. Ven., pag. 107; hujus nostræ edit., tom. I, pag. LXIV. — [8] Ibid., pag. 166, vol. LXIII. — [9] *Eccles. Hier.*, part. IV, c. IX. — [10] Ibid. — [11] Ibid. — [12] Ibid., c. VII, ubi tamen summam suam in ipsam devotionem demonstrat, quam et in aliis excitare conatur.

§ VI. — De reductione artium ad theologiam (*Prodrom.*, col. 536.).

Opusculum hoc verum testantur nedum editiones numero plures ac pervetustæ, sed etiam, præter Ludovicum Prutenum, Ludovicum Carbonem, et Petrum Capullium, Marianus Florentinus, Trithemius, Forestus, Anonymus Pistoriensis, necnon codices mss. Cortonæ, Mantuæ, Mugelli, atque Regii, ubi codex recensetur anni 1331. Accedit, quod tradita in hoc opusculo conformia sunt iis, quæ alibi certo certius docuit sanctus Bonaventura. Nam præterquam heic ipsissimis verbis ac in Procemio libri secundi Sententiarum definit *Rectum*, quod sit illud *cujus medium non exit ab extremis*, libro quarto Sententiarum de scientiis inferioribus in ordine ad theologiam inquit[1] : « Omnia ad ipsam, sicut ad originem, possent reduci, si quis haberet peritiam juris canonici et divini. » In eodem opusculo agitur de *sex illuminationibus*, quæ *sunt in vita ista*, quæve ideo « habent vesperam, quia omnis hæc scientia destruetur : et possunt reduci ad senarium numerum formationum, sive illuminationum, in quibus factus est mundus; et succedit eis septima dies requietionis, quæ vesperam non habet, scilicet illuminationis gloriæ. » His autem similia occurrunt cum in singulari *Illuminationum*, sive *Luminarium Ecclesiæ* opere, quod certo Bonaventurianum suo loco probabimus : tum in *Itinerario mentis in Deum* itidem certissimo ejusdem Seraphici Doctoris opusculo, in quo de *senario illuminationum numero* sic habetur[2] : « Necesse est... ascendere ad senarium, ut sicut Deus sex diebus perfecit universum mundum, et in septimo requievit; sic minor mundus sex gradibus illuminationum sibi succedentium ad quietem contemplationis ordinatissime perducatur.

Affine quoque vel in aliis est hoc opusculum præfato Itinerario. Conferatur præsertim cum iis, quæ legere est de philosophia triplici ad finem capitis tertii ejusdem Itinerarii. Itidem haud dissimile illis, quæ præmittuntur *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* supra laudatæ : sicut enim in hac docemur *invisibilia Dei* contemplari *per visibilium et sensibilium considerationem :* in ipsis *rerum naturalium proprietatibus* pervestigare *tropologice, allegorice et ananogice res spirituales;* atque ita mentem evehere, ut *theologiæ* inserviant ipsa *poetica*, et per *rerum visibilium similitudines* transferamur ad *mystica ;* non secus in opusculo isto sic traditur modus *reducendi artes ad theologiam, ut omnes cognitiones famulentur theologiæ,* ac *in omni re quæ sentitur, sive quæ cognoscitur, interius lateat ipse Deus,* et præsertim *in lumine, quod illuminat ad veritatem salutarem,* quæratur *triplex sensus mysticus et spiritualis*, nimirum *allegoricus, moralis et anagogicus.* Denique in hoc etiam convenit cum aliis verissimis divi Bonaventuræ scriptis præsens opusculum, quod in eo laudantur Dionysius, Augustinus, Gregorius, Anselmus, Bernardus, Hugo et Richardus Victorini, et etiam Horatius.

Lectionem ejus ceu studio rerum divinarum accommodatam suadet eruditissimus Ludovicus Carbo[3]. *Non indignum sancto Bonaventura* opusculum censet Oudinus[4]. Improbant vero et ad incerta relegant novissimi Editores[5] *ob simplicem inconditumque sermonem*, et quia ejus auctor « studio partium velut abreptus, melioris notæ Patres posthabet, ut Hugonis perinde, ac Richardi a S. Victore vestigiis insistat : » ex qua *affectata propensione*

[1] Dist. xxv, art. 2, q. iv. Vid. tom. VI, huj. edit., p. 206. — [2] Cap. i. — [3] *Introd. ad Theolog.*, c. iv. — [4] Tom. III, col. 401. — [5] *Diatrib.*, p. 408; huj. edit. tom. I, p. l-li.

in Hugonem a S. Victore, post Oudinum suspicantur, fuisse « Victorinum aliquem canonicum regularem, qui hoc opus ad Hugonis lucernam composuerit. » Ili tamen ignorasse videntur, quod in minime dubio apud eosdem opusculo, inscripto *Incendium amoris*, sic dicitur[1] : « Lectio hujus triplicis viæ totam continet sacram Scripturam, imo omnem fere sanam doctrinam, *sicut ostensum est supra in tractatu de Reductione artium* ad *Theologiam.* » Quid clarius (saltem in hypothesi adversariorum, qui recitata verba in sua editione adoptarunt, nihilque in iisdem addititii sunt suspicati), quid clarius, inquam, ut palam fiat, ipsissimum esse utriusque opusculi auctorem? Deinde tam procul est ab eo quod in opusculo, de quo nunc loquimur, ulla sit *affectata propensio in Hugonem a S. Victore*, ut nonnisi semel in eo citetur, sæpius autem Augustinus in libris *de Genesi ad litteram, de Trinitate*, etc. Neque derivari potest ea *propensio affectata* ex eo, quia ibi dicitur de Hugone, quod ipse *omnes sequitur*, videlicet Augustinum, Gregorium atque Dionysium. Nam *sequi* perinde est, ac imitari. Dicere autem Hugonem prædictorum Patrum sequacem, tam non est ipsos Hugoni posthabere, ut sit potius eosdem Hugoni præferre. Flocci ergo nihilique habenda est indicata censura.

§ VII. — De quatuor virtutibus cardinalibus (*Prodrom.*, col. 537 et seq.).

Cum hoc opusculum ex una parte in Mariani Florentini, et Anonymi Pistoriensis Catalogis memoretur, contineaturque in pluribus editionibus, quarum prima mihi nota est Argentinensis an. 1495, ex altera vero eam perstringat doctrinam, quam in *Sententiarum* libro tertio[2], in *Breviloquio*[3], in *Centiloquio*[4], necnon in *Luminaribus Ecclesiæ*[5], Seraphicus Doctor tradidit, nulla est ratio cur ipsum una cum novissimis Editoribus tanquam dubium ac incertum habeamus : præsertim quia Oudinus ipse *divo Bonaventura non indignum* arbitratur[6].

Quamvis autem præfati Editores objectent[7] in eodem *plura commixta vocabula,* quæ toto Latio a Bonaventuriano stylo abludunt, ego tamen idem legens opusculum, nihil deprehendi, quod *toto Latio a Bonaventuriano stylo abludat.* Aut enim id esset propter vocabula quædam a Latio aliena, aut propter universam lectionem minus latinam, neque Bonaventura dignam. Non propter primum, quia exempli causa verbum *rectificat,* quo inibi Bonaventura utitur, in aliis quoque certissimis suis operibus adhibet. Idem dixerim de phrasi *purgati animi*, et *virtutum exemplarium.* Non propter secundum, quia omnem fere dictionem hujusmodi mutuatus est ex Macrobio, Seneca, Gregorio, Augustino atque Boetio : ex Seneca præcipue, seu potius ex auctore tractatus *de Quatuor Virtutibus Cardinalibus,* olim Senecæ adscripti[8], sed postea Martino episcopo Dumiensi (qui, Trithemio teste, claruit anno 540) ceu germano suo auctori ope mss. codicum restituti, ex quo bonam hujusce opellæ partem desumpsit, ut scite in illius argumento Romani Editores animadverterunt. Quid quod vel ante Romanos Editores Ludovicus Carbo, qui novit *libellum de Virtutibus* tributum Senecæ, ab aliis adjudicatum *Martino Dumiensi episcopo*, nihilo tamen minus, ceu vere *divi Bonaventuræ,* laudavit libellum *de Quatuor Virtutibus Cardinalibus*[9]?

[1] Cap. I. — [2] Dist. XXXIII. Vid. huj. edit. tom. V, pag. 42 et seq. — [3] Part. V, c. IV. — [4] Sect. XXXVI et XLI. — [5] Serm. V et VI. — [6] Tom. III, col. 403. — [7] *Diatrib.*, p. 89, huj. edit. tom. I, p. LI. — [8] In monumento anni 1331 refertur tanquam diu antea scriptus *Liber Senecæ de moribus, sive Summa de quatuor virtutibus.* — [9] *Introduc. in Theolog.*, lib. VI, c. XVI.

Unde facilis est responsio ad id, quod nonnemo contendit, hoc opusculum fuisse fere desumptum ex quinque capitulis libri quinti *Compendii Theologiæ*, a capite nimirum XXXIII, usque ad XXXVII, necnon ad id quod novissimi Editores subdunt: « Vix præterea dici credique potest, quam multa ad nauseam replicata sint ibi, quæ jam alias dicta fuerant. Quis porro credat Bonaventuram multis, hisque gravissimis curis distentum, tam frequenter sua in unum contraxisse Opera? » Etenim in præsenti Commentariolo non sua perstrinxit *opera, multa alias dicta ad nauseam replicando*, sed bonam partem ex laudato Seneca, sive potius Martino Dumiensi episcopo, in eamdem opellam derivando; quæ cum brevissima sit, facile potuit ab eo, dum junior esset, ac nondum *gravissimis curis distentus*, citra ullam lectorum *nauseam*, et absque recocta sæpius crambe, compilari. Neque id supervacaneum, aut insolens dixeris : nam pariter junior certe fuit *Pharetræ*, ut jam diximus, compilator; et quanquam heic non dixerit nova, dixit nove, consuevitque Bonaventura vel ab se latius alibi pertractata, in compendium postea redigere, ut brevitatis studiosioribus quoquo modo consuleret.

Quod si hactenus dicta parum esse videantur, ut hocce opusculum Doctori nostro pro certo adseratur, satis tamen esse reor, ne suo moveatur loco, donec ex adverso certiora innotuerint: maxime cum *eamdem* (fatentibus ipsis novissimis Editoribus) *complectatur doctrinam, quam vere docuit Bonaventura*, nec proin iidem ausi fuerint ad suppositilitiorum sentinam rejicere. Profecto nihil magis consonat Bonaventurianæ doctrinæ, quam quod inibi dicitur de virtutibus purgati animi, et exemplaribus : « Purgati animi dicuntur, quando devictis vitiis possessor virtutum quiescit, raro insurgentibus motibus pravis primis. Exemplares dicuntur, quæ in mente divina consistunt. Nam ideæ in Deo sunt, et omnium rerum exemplar est[1]. »

Modo etiam loquendi Bonaventuræ familiari per gradus, per textus insertos perque voces similiter desinentes, ille apprime similis est, quo auctor scribit[2] : « Prudentia in sex dividitur : in cognitionem præsentium, unde in *Proverbiis* dicitur, etc. »

§ VIII. — De tribus ternariis peccatorum infamibus (*Prodrom.*, col. 541 et seq.)

Certum reddunt editiones ab anno saltem 1484, et inter nomenclatores Marianus Florentinus, Trithemius, Forestus, atque Anonymus Pistoriensis, tum præsertim *Centiloquium*, de quo supra[3] jam satis diximus. Quippe caput tertium opusculi, de quo in præsentia sermo est, ita concluditur : « Vide in *Centiloquio* de peccato veniali latius. » Ergo perinde certum est ac *Centiloquium*.

Neque hujus duntaxat Centiloquii doctrinæ parti primæ per totum apprime cohæret, sed et doctrinæ libri secundi Sententiarum[4], Breviloquii[5] et Pharetræ[6]. Speciatim quod in præsenti opusculo traditur de singulari B. M. V. immunitate ab omni peccato veniali, non vero ab originali[7], concordat cum doctrina libri tertii *Sententiarum*[8]. Quod etiam inibi[9] explicetur peccatum per privationem speciei, modi et ordinis, nedum conforme est Augus-

[1] Vid. huj. tom. pag. 507, col. 1. — [2] Ibid. pag. 508, col. 1.— [3] Vid. sup., p. VII. — [4] Dist. XXXV et XXXVI. — [5] Part. III, per totum.— [6] Lib. II, c. V. — [7] Cap. II.— [8] Dist. III, part. 1, art. 1, q. I et II, necnon art. 2, q. I. — [9] Cap. VIII.

tino[1], sed et ipsi Bonaventuræ in libro secundo Sententiarum[2], et in Expositione manuscripta Parabolarum Evangelicarum.

Hinc non solum laudatur a Ludovico Carbone[3], sed etiam ab Oudino censetur[4] *divo Bonaventura non indignum.* Aiunt quidem *indignum* Editores novissimi[5]; sed quibus permoti rationibus? Nullis: quod enim *vel ex ipso opusculi titulo non levem suspicandi ansam acceperint, negandique lucubratiunculam hanc a Bonaventura elaboratam fuisse, ita non leve* ipsis est, ut mihi *levissimum* videatur; nam vocabulum *ternarii* indignum non est Bonaventura, utpote alibi[6] ab ipso adhibitum et explicatum. Quid quod nequidem Bonaventuram dedeceat vox *dyscrasiæ,* inibi accepta pro *infirmitate?* Si enim græca vox Crasis (Κρᾶσις) significat temperamentum, sive proportionem quamdam primarum qualitatum exsistentium in elementis, ex quibus corpus conflatum est, in qua proportione sanitas consistit; satis intelligitur infirmitas per dyscrasiam[7], quæ illius est temperamenti sive proportionis destructio, eaque vox per metaphoram ad infirmitatem animæ potest transferri.

Quod prædicti Editores in eodem opusculo carpant quasdam *similitudines, tanquam leves,* ac *Bonaventuræ gravitate indignas,* ad explicationem peccatorum adhibitas, jam alibi[8] contrarium evicimus, videlicet nedum Bonaventura, sed et Augustino Patre omnium gravissimo dignas. A popularibus quibusdam similitudinibus nequidem abhorruisse gravitatem S. Joannis Chrysostomi, nemo unus, qui eum legerit, ignorat.

His adde, alios in hoc opusculo non citari, quam qui in aliis legitimis D. Bonaventuræ opusculis laudantur, nempe Dionysium, et Ambrosium, sæpiusque Augustinum, tum etiam Gregorium, et Bernardum, item Glossam, necnon Aristotelem ac Tullium.

§ IX. — Speculum animæ (*Prodrom.*, col. 542 et seq.)

Testatur P. Mag. Sbaralea, quod « sub eodem titulo *Speculi Animæ*, sancto Bonaventuræ contributum, prodierit primum in antiqua parvorum opusculorum ejusdem S. Doctoris editione, quam suspicatur Venetam anni 1487. » Nos alias[9] indicavimus editiones, quarum antiquior Brixiensis anni 1495. Exstat inter mss. codices monasteriorum S. Magni et Schyrensis in Bavaria, necnon Bibliothecæ Paulinæ Lipsiæ. In Præfationis initio, ac serie hujuscemodi Opusculi, potius quam *Speculum*, vocitatur *Arbor mala*, cujus proin folia, fructus, rami, truncus, et radix graphice describuntur.

[1] Lib. *de Nat. Boni.* — [2] Dist. XXXIV, art. 1, q. II. — [3] *Introd. in Theolog.*, lib. VI, c. XVI. — [4] Tom. III, col. 404. — [5] *Diatrib.*, p. 102, huj. edit. tom. I, p. LX. — [6] In IV *Sent.*, dist. VI, part. I, art. 1, q. III, huj. edit. tom. V, p. 377, col. 2; necnon in Exposit. Regul. FF. Min., c. III. Vid. quoque Columellam, lib. XI, c. II, *de Scrobibus.*

[7] Ibi non videtur Prodromi auctor animadvertisse vocem *dyscrasiam* (δυσκρασίαν) perinde græcam esse ac κρᾶσιν, e qua etymologiam habet.

[8] « Has similitudines non indignas censeo Bonaventura, cum ipsemet fassus fuerit[1] : Augustinus ostendens periculum, quod est in multitudine venialium, comparat arenæ, comparat bestiis minutis, comparat guttis multiplicatis, comparat scabiei, » etc. Quod etiam Augustino indignæ non sint, hoc accipe ex ipso Augustino de iisdem peccatis venialibus ita loquente[2] : « Minuta sunt, non sunt magna : non est bestia quasi leo, ut uno morsu guttur frangat; sed et plerumque bestiæ minutæ multæ necant. Si projiciatur quisquam in locum pulicibus plenum, numquid non moritur ibi?... Sic et modica peccata : attenditis quia modica sunt; cavete, quia plura sunt. » *Prodrom.*, col. 171. — [9] *Prodrom.*, lib. VI.

[1] In IV *Sent.*, dist. XVI, part. II, art. 3, q. 2. — [2] Aug., serm. IX, n. 17, edit. Benedictin., tom. V, p. 60.

Recte tamen inscribi quoque potest *Speculum*, quia, ut Romani Editores in Argumento aiunt, « sicut in speculo objectarum rerum imagines apparent, et quisque in eo effigiem suam intuetur; ita in hoc tractatu capitalia vitia, eorumque propagines adeo perspicue cernuntur, ut eo sibi ante oculos mentis proposito, non mediocriter juvetur is, qui conscientiam suam examinare, et patrata scelera inquirere, eademque in memoriam revocare studet, ad integram eorum confessionem. » Hinc etiam in editione R. P. Zamoræ de eodem *Speculo* dicitur : « Hic tractatus ad confessionem sacramentalem debite faciendam dirigitur. »

Videtur prætermissorum in præcedenti opusculo *De tribus ternariis peccatorum* quodammodo supplementum, cum in hoc *Speculo*, sive *Arbore mala*, agatur *de superbia*, *de concupiscentia divitiarum*, *de concupiscentia carnis*. Huic adtexitur *Epilogus prædictorum, ubi arbor describitur*, ad cujus calcem, dum tanguntur sex species peccati in Spiritum Sanctum, dicitur : « Si quis autem plenius de singulis velit habere notitiam, ad tractatum superiorem recurrat. » Porro de singulis plenius egerat idem auctor capite tertio dictæ *Arboris*, consone ad ea, quæ S. Bonaventura tradiderat in secundo *Sententiarum*[1], in *Breviloquio*[2], in *Centiloquio*[3], in opusculo *de Puritate Conscientiæ*[4], etc. Quod insuper ait in Præfatione de *radice malæ arboris, quæ secundum Apostolum est cupiditas*, ipsissimum est ac illud, quod idem sanctus docet in *Apologia pauperum*[5]. Persimilia itidem sunt, quæ habentur de observatione diei dominici capite secundo laudati *Speculi*, et libro tertio *Sententiarum*[6], necnon in opusculo *de Decem Præceptis*[7]. Demum quoad usuram optime concordat *Speculum* cum citato libro tertio[8]. Fusius ab se scripta in compendium redigere idem Bonaventura consuevit.

Nihil autem convenientius, quam ut, sicut arborem vitæ[9], ita quoque arborem criminis, sive mortis per crimen invectæ, Bonaventura noster describeret, atque ob oculos poneret. In hoc opusculo nihil citatum offenditur, quod a legitimis Doctoris Seraphici opusculis absit; in eo siquidem allegantur Ambrosius, Hieronymus, sæpesæpius Augustinus, Gregorius, Isidorus, Beda, Damascenus, Bernardus, Glossa, Aristoteles, Seneca, Boetius, et Chalcedonense Concilium. Severior morum disciplina, Scriptoris summa modestia, et gravitas in eodem spectantur; nec in ipso notari potest ea vocabulorum barbaries, qua major non sit in certissimis sancti Doctoris operibus.

Ex his facilis est responsio ad Oudini objecta. Quod enim ait inscribendum *rectius* hoc opusculum *Arbor cupiditatis, sive iniquitatis*, ab auctore ipso vocitatum hoc nomine audivimus, non ita tamen quin etiam inscribi jure potuerit *Speculum animæ*, ut a Romanis Editoribus intelleximus. Quod e vestigio subdit : « Nihil aliud continere quam definitiones et divisiones peccatorum tam principalium, quam aliorum ex illis nascentium, » falsum est; præterea enim saluberrimam morum doctrinam complectitur. Falsum itidem, quod adtexit idem Oudinus : « Non videtur spectare ad sanctum Bonaventuram, cujus sæculo hæc opuscula, quæ casuistas spectant, cognita minus erant. » Quippe Bonaventuræ sæculo probe innotuere *Summa de Casibus* Raymundi de Pennaforti, *Speculum Morale* Vincentii Bellovacensis, *Speculum Virtutum Moralium* Engelberti abbatis, *Summa de*

[1] Dist. XLIII, art. 3, q. I. — [2] Part. III, c. XI. — [3] Part. I, sect. XXVII. — [4] Cap. XIX. — [5] Respons. III, c. I, post initium. — [6] Dist. XXXVII, dub. 3, huj. edit. tom. V, p. 153. — [7] Serm. IV. — [8] Cit. dist. XXXVII, dub. VII, huj. edit. tom. V, p. 156-157. — [9] In libro cui titulus *Lignum Vitæ*, quem suo loco edendum nobis quoque proponimus.

Virtutibus et Vitiis Guillelmi Perardi, *Summa Casuum Conscientiæ* Brochardi Argentinensis, et similia, quæ utique ad casuistas spectabant.

Opponit insuper Oudinus, in Præfatione adsumi phrasim *de facili* pro adverbio *facile*, atque in fine Præfationis ejusdem haberi : « Et de hoc ultimo primo est dicendum tanquam de grossiori ; » censetque hujusmodi *barbaras expressiones olere finem sæculi* XIV, *vel initium sæculi* XV. Sed jam monuimus adhuc majorem barbariem spirantia ab ipsomet Bonaventura certo non semel fuisse adhibita, quodve prædictæ expressiones fuerint usurpatæ multo ante initium sæculi XV, ac etiam ante finem sæculi XIV, discimus ex Cangiano Glossario. Sane Bonaventuram, *de magnis et grossis eleemosynis* locutum fuisse in opusculo *de Paupertate Christi*, phrasim *de facili* usurpasse in *Apologia pauperum*, infra patebit; sed et phrasim eamdem adhibuisse quoque in *Breviloquio* jam notavimus. Urget vocem *officiare* pro *fungi divinis in altari*, quam dicit « absque dubio non adhibitam a Bonaventura, utpote ejus tempore non consuetam, vel nondum ortam; » sed errat vehementer, nam ejus usum apud ipsum Bonaventuram legere licet in *Libello apologetico in eos, qui Ordini Fratrum Minorum adversentur* [1]; necnon in alio opusculo : *Quare Fratres Minores prædicent, et confessiones audiant* [2]. Videsis etiam laudatum Glossarium, verbo *Officiare*, *Officiari* [3].

Stylus hujus operis ita humilis et abjectus est eidem Oudino, *ut*, ipso judice, « gravem et doctum hominem, qualis Bonaventura fuit, præ se non referat. » Sed qua id facilitate ab ipso affirmatur, eadem a nobis rotunde negatur; nec tantum a nobis, verum etiam a P. Sbaralea, qui adseverat in eo « nihil esse quod a Seraphici Doctoris sapientia ipsum abjudicare queat. Ut ut enim repugnet Oudinus, qui in hoc tractatu vocem *de facili* uti barbaram reprehendit, aberrat; nam et Columella, argentei sæculi scriptor, lib. VI, c. I, dicit *ex facili* pro *facile*. Item cum carpit verbum *officiare*, non advertit dictum etiam fuisse *Beneficiare* a Leone III, epist. XI, ad Carolum Magnum, ab Hugone de Miromari Carthusiano, et a Stephano Borbone Dominicano circa tempora Divi Bonaventuræ scribentibus. Tandem vocabulum *grossiorem* illorum erat sæculorum, quo usus est Joannes XXII, in Bulla canonizationis sancti Ludovici episcopi, quem *chordam grossam* detulisse scribit. » Imo *vestem grossiorem* adhibuit quoque Severus Sulpicius [4]; *grossas vestes* sanctus Bernardus [5] : et Guibertus de Tornaco, XIII sæculi scriptor, in sermone de Dedicatione Ecclesiæ, dixit : « Hæc sunt grossa peccata. » Fortius objectat Oudinus [6], quod ejusdem operis scriptor « excuset duellum, vel excusare videatur, quod absque dubio Doctor Seraphicus nunquam fecisset, cujus ut institutum severius, ita severiorem fuisse doctrinam moralem, dubitandum non est. » Hanc Oudinianam objectionem tanti faciunt novissimi Editores, ut disserentes do eodem *Speculo* minime dubitent illud ablegare ad *quisquilias*, ac prorsus *stramineum* vocare, quasi vero *a recta morum regula* ejus scriptor recesserit, a qua tamen Seraphicum Doctorem nunquam recessisse constat. « Nam, aiunt [7], capite primo illos a culpa eximere videtur, qui duellum crudele et exitiosum suscipiunt. Duellum, inquit, secundum jura est prohibitum : et secundum rationem, habet rationem mortalis... Dicunt

[1] Ad Quæst. I, Resp. — [2] Versus finem. — [3] Vid. Du Cange, *Glossar.* — [4] *Dialog.*,, c. XIV. — [5] Versus finem vol. I, col. 1576, edit. Maur. Paris, 1719, ubi exhibetur nomenclatura vocum exoticarum in S. Bernardo. — [6] Tom. III, col. 418. — [7] *Diatrib.*, p. 103 et seq., huj. edit. tom. I, pag. LXI.

tamen quidam, quod consuetudo excusat in hoc facto : in quam malam consuetudinem minime invehitur benignus Casuista, qui ut scripto suo auctoritatem adjungeret, illud invito Bonaventuræ adscripsit. » Ast nosse aveo ab iisdem Editoribus, num suo silentio probaverit hujusmodi consuetudinem præfati Speculi scriptor, ut *benignus Casuista dici queat?* Quinimo disertissime improbavit, continuo subjungens : « Cujus contrarium tenetur communiter a theologis et jurisperitis. » Quei ergo ipsius auctorem crediderim *benignum Casuistam*, propterea quod de duello sermonem habens, inquit : « Dicunt quidam quod consuetudo excusat in hoc facto : » tametsi e vestigio illud addiderit : « Cujus contrarium tenetur communiter a theologis et jurisperitis? »

Ex modo quidem ita loquendi Oudinus elicit [1], « Hujus opusculi scriptorem esse ultimorum temporum, non sæculi XIII, in quo theologi scholastici non ita loquebantur, nec loqui poterant : » sed fallitur vehementer. Si enim Bonaventura *secutus est, se testante, doctrinam communem et solidam, quæ Parisiis vigebat maxime suo tempore*, ut Joannes Gerso [2] scite monet; quid ei magis consentaneum, quam in præfato casu dixisse : « Cujus contrarium tenetur communiter a theologis et jurisperitis? » Nonne pariter alio in casu allegasse [3] constat « ad confirmationem doctrinæ suæ Parisienses articulos, quos per G. Parisiensem de consilio et assensu magistrorum omnium dicit fuisse damnatos et excommunicatos? » Cæterum dubitari neutiquam potest, sæculo XIII, Doctorem Seraphicum adhibere consuevisse illas loquendi formulas : « Hoc communis opinio tenet [4]; Probabilius alii dicunt, et Magister videtur hoc sentire [5], » etc. Quidni dicere quoque potuerit : « Cujus contrarium tenetur communiter a theologis et jurisperitis? » Num alienum a Bonaventura allegare placita jurisperitorum? At hoc adeo alienum a Bonaventura non fuit, ut ipse de quadam *inter jurisperitos controversia* disseruerit [6].

An saltem a Bonaventura alienum id quod præmittitur, nempe : « Dicunt quidam quod consuetudo excusat in hoc facto : » quasi vero aut prava hujusmodi *consuetudo* non invaluerit, aut ipse non consueverit referre quod dicunt quidam? Nullo modo, cum certum sit, multo ante Gregorii XIII Bullam contra duellum, plura in Gallia, Italia, etc., duella principum auctoritate fuisse permissa, uti legere est apud Capitularia regum Franciæ, reginarum, etc. Videatur quoque apud Odoricum Raynaldum epistola Innocentii IV [7], anno 1252 data, et incipiens : *Consuetudo quædam*. Constat etiam, quod Bonaventura loquens *de ignorantia invincibili per culpam, ut in eo qui per culpam efficitur furiosus*, e contrario quidem, sed pari loquendi formula dixerit [8] : « Secundum quosdam non excusat a toto. » An insolens Bonaventuræ, opinionibus quorumdam relictis, communiori ac probabiliori adhærere? Minime gentium, cum de præfata ignorantia invincibili adhuc enucleatius scripserit [9] : « Si ignorantia est introducta per præambulam culpam, sicut in ebrio et furioso, quorum uterque præcipitavit se in hoc per culpam suam, sic non excusat a toto : sed ut dicit Philosophus, ebrius habet duplices maledictiones, unam pro culpa præ-

[1] Cit. tom., col. 418. — [2] In epist. Lugdunum missa ad quemdam Fratrem minorem. Idque adeo verum, ut ipse Bonaventura in *Luminaribus Ecclesiæ*, serm. XIX, loquens de *Summis Magistrorum*, dixerat : « In his autem homo debet cavere, ut semper adhæreat viæ magis communi. » — [3] Idem Gerso in cit. epist. — [4] In IV *Sent.*, dist. XXIII, art. 1, q. I, in corp., huj. edit. tom. VI, p. 134. — [5] Quæst. II, ibid., p. 136. — [6] Ibid., dist. XXXVII, art. I, q. I, in corp., p. 227. — [7] In Continuat. Annal. Ecclesiast., ad an. 1252, n. 31, edit. Colon. 1692. — [8] *Centil.*, part. I, sect. VII, huj. tom. p. 352, col. 2. — [9] Ibid., sect. XXV, p. 367, col. 2.

cedenti, aliam pro culpa sequenti. Non tamen proprie loquendo est dicendum, quod ebrius aliquid perpetrans, novam culpam committat, sed ex consequenti culpa aggravatur prima, *ut videtur magis peritis, quamvis aliqui dixerunt, quod præter culpam primam in ebrietate commissam,* secundo committat novam. » Igitur prædicti Speculi doctrina nequaquam carpenda mihi videtur.

Si quis etiam institerit, et opposuerit, inter opera Joannis Pechami, Ordinis Minorum, archiepiscopi Cantuariensis, et S. Bonaventuræ discipuli, circumferri *Speculum animæ*, adeoque jure ac merito desiderari inter Bonaventuriana opuscula *Speculum animæ* in editionibus Argentinensi an. 1495, ac Veneta 1504, nullo negotio refutatur, quia multo diversum est *Speculum animæ* Bonaventurianum a *Speculo animæ* laudati Pechami, quod incipit : *Audi*, *Domine*, *et vide.*

Ex his autem omnibus judicet æquus lector, jure an injuria de hoc opusculo scripserint novissimi Editores : « Iniquus sit censor, qui morale hoc Speculum ad quisquilias non ableget. » Secus censet doctissimus Ludovicus Habertus, doctor Sorbonensis, in sua *Theologia dogmatica et morali*, ubi illud semel iterumque laudat [1].

§ X. — De modo confitendi et de puritate conscientiæ (*Prodrom.*, col. 549 et seq.)

Circa hoc opusculum, cujus in *Indiculo* Gersonis, libro V, mentionem factam intelleximus, novissimos Editores audiamus [2] : « Aquinatis, inquiunt, nomen diu multumque præ se tulit; sed mendacissime : nam, ut perbene advertit P. Eccardus, veterum nemo fuit, qui illud Aquinati adscripserit. Typographi autem Argentoratenses per summam inscitiam in editionem opusculorum S. Bonaventuræ projecerunt : a quo tamen errore sibi caverunt Romani Editores, qui cum illud majestati Bonaventuræ repugnare vidissent, ad operum appendicem amandarunt. » Hæc omnia a veri specie omnino aliena mihi videntur. Primo enim, cum, teste laudato Gersone, hoc opusculum adscripserint aliqui S. Thomæ, non video quei admitti possit : *Veterum nemo fuit, qui illud Aquinati adscripserit.* Concesserim tamen veteres operum Doctoris Angelici enumeratores, eosque diligentissimos, illud non commemorasse, videlicet Ptolomæum Lucensem, Nicolaum Trivettum, Bernardum Guidonis, ac nequidem S. Antoninum : necnon fateri Petrum Pellicanum legenti satis patere, ex phrasi et stylo non esse divi Thomæ. Secundo, cum idem opusculum, laudato Gersone judice, « magis appareat ex stylo et materia, quod sit Bonaventuræ, » non ergo *Argentoratenses per summam inscitiam in editionem opusculorum S. Bonaventuræ projecerunt.* Tertio falsum est *illum a Romanis Editoribus ad operum appendicem amandatum fuisse*, propterea quod *majestati Bonaventuræ repugnare viderint;* cum e contrario illud Gersonianum judicium ratum habuerint : « Magis apparet ex stylo et materia, quod sit Bonaventuræ; » ac insuper dixerint : « Cujuslibet opus sit, legitimæ confessionis conditiones continet docte et breviter expressas. » Igitur non propter prædictam caussam *illud ad operum appendicem amandarunt*, utpote de qua ipsi ne verbum quidem fecerunt; sed quia, ut diserte suam expresserunt mentem, « in opusculis S. Thomæ recensetur in editione Romana sub Pio V pontifice, et Joannes Trithemius S. Thomam Aquinatem ejus auctorem agnoscit. » Atqui ex concessis *mendacissime* adscribitur divo Thomæ : ergo non *per summam insci-*

[1] Part. III, *de Contractib.*, c. XIX, § 2. — [2] *Diatrib.*, p. 117, huj. edit. tom. I, p. LXX.

tiam, sed multo verisimilius, illud Argentoratenses aliique editores S. Bonaventuræ adjudicarunt, ac inter ejus opuscula retulerunt.

Sane Romani Editores opusculum hoc non exploserunt, sed de eo tantummodo dubitarunt, sicut ad instar eorum dubius hæsit circa illud Waddingus inquiens[1] : « Nihil ausim definire, utrinque video adstipulari vetustas editiones et testes. » Porro ex confessione Echardi cessante jam omni dubio circa divum Thomam, consequens est, ut opinio favens divo Bonaventuræ probabilior evaserit, vel ipso gravissimo Gersonis testimonio satis firmata : cui quidem magis magisque roborandæ accedunt nedum Marianus Florentinus, Anonymus Pistoriensis, Marcus Ulyssiponensis, et Anonymus Maurinus, necnon plures editiones, quarum una in typographiæ incunabulis, absque loco, anno ac nomine typographi seorsim facta indicatur a novissimis Editoribus; sed etiam manuscripti codices bibliothecarum monast. S. Magni et Pollingani in Bavaria, et in Fonte-Columbæ, atque, sermone etrusco, in biblioth. Richardiana Florentiæ.

Oudinus autem, qui opinatur hoc opusculum nec ad Thomam, nec ad Bonaventuram spectare, *sed*[2] *ad casuistam aliquem, qui sub initium sæculi* XVI, *vel finem sæculi* XV, *floruisse videtur,* potius ridendus, quam confutandus apparet. Quis enim non rideat, opusculum, cujus Gerso adeo diserte mentionem facit, referri sub initium sæculi XVI, vel finem sæculi XV, quasi vero ejusdem Gersonis vita fuerit eo usque protracta? Digna quoque risu mihi videtur ab Oudino lata censura illorum verborum, quæ leguntur in eodem opusculo : « Gravius esse peccatum Bertam osculari, quam ipsam in eodem loco cum pede tangere, » utpote nixa falso supposito, quod per tactum pedis potius *iræ* quam *luxuriæ* peccatum significatur. Quid enim ridiculum magis, quam auctorem palam loqui de pedis impudico tactu, Oudinum autem putare, eum de iracundo pedis tactu loqui?

Plane auctor noster ne verbum quidem habet de tactu Bertæ cum pede ex motu *iræ*, sed ex solo motu *luxuriæ*, censetque majorem libidinis ardorem plerumque excitari in osculo Bertæ, quam in tactu ejus cum pede. Profecto verba illa : *Iste modus tangendi est magis impudicus* (loquendo nimirum de tactu Bertæ per osculum comparate ad ejus tactum per pedem) solam libidinem significare majorem in osculo, quam in tactu Bertæ cum pede, non autem ullum iræ motum innuere, cæcus sit, qui non videat. Idque in propatulo fit etiam per ea, quæ continuo ab eodem Auctore subduntur : « Unde non sufficit dicere : Tetigi Bertam impudice, sed oportet dicere locum corporis, quem tetigisti, scilicet manum, vel pectus, supra pannos, vel ad nudum; et dicas modum, scilicet cum ore, manu, pede, etc. » Numquid in his vel umbra apparet *de muliere per iram pede calcanda, vel ferienda?*

Cæterum opusculum hoc ideo huc spectare credidi, quia egregie versat confessionis materiam, quæ in Theologia morali pertractari consuevit. In eo nihil deprehenditur, quod novitium scriptorem prodat, soli enim antiquiores in ipso laudantur, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Bernardus, etc. Nihil quod Bonaventuram dedeceat, sive stylum, sive materiam spectes. *Stylum Bonaventuram redolere*, *multumque utile esse,* post Gersonem censet P. Sharalea. Merentur in ipso lectitari quæ scripta sunt ad improbandam nimiam, et incautam cum feminis conversationem, quæve transcribenda duxit

[1] *Script. Ord. min.,* pag. 80. — [2] Tom. III, col. 347.

P. Franciscus Longus a Coriolano Capuccinus in suo tractatu de Casibus Reservatis [1]. Laudatur etiam sub Bonaventuræ nomine a P. Francisco Pothronio, cardinali J. Bona, etc.

§ XI. — De septem donis Spiritus sancti (*Prodrom.*, col. 693 et seq.).

Hoc opusculum nostro Bonaventuræ attribuunt Marianus Florentinus, mss. codex Mantuanus, ac editiones ab anno 1495, inter quas etiam novissima : quibus forte suffragantur Trithemius, Forestus, Anonymus Pistoriensis, et Gulielmus Eysengrenius, qui memoriæ prodiderunt eumdem Bonaventuram scripsisse *de Septem Donis Spiritus sancti*. Nos tamen supposititium habemus, non propter Oudinam censuram, quam alibi jam refutavimus, quamque solide retudit, vel ante novissimos Editores, P. Casimirus Liborius Tempestius Florentinus, Minorita Conventualis; sed quia unus idemque est auctor ejus, ac postea commemorandi opusculi *de Septem Itineribus æternitatis*, videlicet Rodolphus de Bibraco Minorita, et quia certius nobis constat de alio Bonaventuræ opusculo *circa Septem Dona Spiritus sancti*, hactenus, ut putamus, inedito. His adde, quod auctor impressi non conveniat cum Bonaventuræ doctrina libro tertio Sententiarum tradita. Ille enim loquens de timore servili, ait [2] : « Nec iste timor est donum Spiritus sancti ; » Bonaventura vero pronuntiat [3] : « Absque dubio timor servilis est donum Spiritus sancti. » Quid quod in edito allegationes quædam auctori familiares offenduntur, quæ in sinceris Bonaventuræ opusculis ita familiares non occurrunt ?

Hinc capere minime possumus, quei novissimi Editores, ut ut asseruerint [4] : « Mos nunquam Scriptorum fuit sæculi XIII, ut vel in suis firmandis, aut in alienis dogmatibus evertendis ad illos confugerent, quibuscum una vixissent, » nixi tamen auctoritate Catalogi Trithemiani vindicaverint contra Oudinum, tanquam verum atque legitimum, Bonaventuræ opusculum istud, de quo loquimur, quamvis in eo producatur [5] testimonium Alani de Insulis, libro *de Planctu naturali;* quem Alanum scriptorem ævi XIII ipsimet pronuntiant [6], quemve Trithemius [7] claruisse putat post Bonaventuram, sub Alberto imperatore, an. 1300. Item [8] testimonium nedum Abbatis Vercellensis, sed et Linconensis, qui fuit Bonaventuræ coævus, obiitque anno 1253. Cumque sæpius in eodem opusculo [9] laudetur etiam Aristoteles, quei præfati editores nihil suppositionis in eo suboluerunt, quum ea potissimum ratione exploserint *Summam Expositionis in Psalterium*, quia [10] sæpenumero « Aristotelem laudat auctor, ac multa ex ejus penu depromit? » Si eisdem Editoribus conjectura suppositionis fuit in opusculis, quæ Bonaventuræ nomine circumferuntur, citatio *Sallustii, Senecæ, Julii Cæsaris*, *Catonis* [11], cur in hoc opusculo nil supposititii conjectarunt, quum tamen, præter Aristotelem, in eodem citentur *Solinus*, *Tullius*, *Plato*, *Macrobius*, *Avicennas*, *Seneca* [12] *?* Si, ut ipsi persuaserunt sibi [13], alienus fuit Bonaventura

[1] Part. III, sect. I, art. 14, a pag. 33 ad 37, edit. Venit. 1622. — [2] Cap. I, de Dono timoris. — [3] In III *Sent.*, dist. XXXIV, part. II, art. 1, q. I, huj. edit. tom. V, p. 93.— [4] *Diatrib.*, pag. 103, huj. edit. tom. I, pag. LX. — [5] Part. I, c. IV, necnon part. II, sect. VII, c. IV, huj. tom. pag. 591, col. 2, et 638, col. 1. — [6] Pag. 115. — [7] *De Script. Eccles.*, cap. 527.— [8] Fabricius, in notis ad Trithemium, p. mihi 99.— [9] *De septem Donis in genere*, c. II ac III; item part. II, sect., I, c. IV; sect. IV, c. I; sect. V, c. I; sect. VI, c. I et II; sect. VII, c. VII, huj. tom. pag. 586, 587, 600, 614, 618, 627, 628, 644. — [10] *Diatrib.*, pag. 106, huj. edit. tom. I, pag. LXIII. — [11] Ibid., pag. 91, sive LIII.— [12] Part. II, sect. II, c. I, pag. 602; sect. IV, c. I, II et III, pag. 614, 615 et 616; sect. VII, c. IV, VIII et XI, pag. 639, 644 et 652. — [13] *Diatrib.*, pag. 107, huj. edit. tom. I, pag. 64. Locus ad quem alludit auctor Prodromi, non omnino, ut mihi videtur, ejusmodi sensum habet. Consulat Lector, et conferat cum pagina præcedenti, scilicet LXIII.

a philosophorum scholis, » qua veri specie adscribitur ei opusculum, cujus auctor adseverat [1] : « Habet philosophia admirabiles delectationes, ut dicitur X *Ethicorum?* »

Infrequens etiam est in veris scriptis Bonaventurianis ab adversariis concessis allegatio similis illi, qua hujus opusculi auctor ad comprobandum « credibile, quod angeli visitent animas in purgatorio sibi commissas, et consolentur eas, docentes eis terminum purgationis suæ, et alia eis consolatoria, » sequentes adfert conglobatos [2] « sanctos doctores in libris suis, ut Gregorium, in libro IV *Dialogorum*, et Augustinum, in libro *de Civitate Dei*, et Bedam, *in Historia Anglorum*, et Isidorum, et cæteros doctores de hoc loquentes. » Missos facio Gilbertum Porretanum, heic inter egregios ecclesiasticos scriptores *super Cantica* laudatum [3], quem Bonaventura libro primo Sententiarum improbat [4], necnon Alexandrum Necban [5], itidem *super Cantica*, quem non memini in vere Bonaventurianis editis allegatum : imo neutrius mentionem deprehendo in certa Bonaventuræ postilla manuscripta *super Canticum Canticorum*, tametsi opportunior in ea locus fuisset ipsos laudandi. Præterea quoque *Cantuariensem super Cantica* [6], quum per eum P. Sbaralea intelligendum existimet Joannem Pechamum, archiepiscopum Cantuariensem, ac D. Bonaventuræ discipulum, inter cujus multa opera post Joannem Pitseum Waddingus refert [7] *Postillam in Cantica Canticorum* incipientem : « Dissolveris, filia vaga. »

§ XII. — De resurrectione a peccato ad gratiam (*Prodrom.*, col. 695-696.).

Novissimi Editores hoc quoque opusculum contra Oudinum inter vera et legitima S. Bonaventuræ scripta recensent [8] : (quorum rationes) si satis fuerint, ne hujusmodi opusculum a Bonaventuræ doctrina et stylo alienum credamus, non tamen ut a Bonaventura conscriptum arbitremur. Unde nobis fas fuerit aliquas observationes adjicere.

Et primo quidem addimus editiones Parisienses an. 1499 apud Petrum Le Dru, et an. 1502 typis Joannis Gerliel, necnon Lugdunensem apud Joannem de Platea an. 1505, utpote memoratis (ab Editoribus Venetis) antiquiores ; sed in hac Lugdunensi tractatus ille vocatur *ex dictis S. Bonaventuræ excerptus*. Quinimo in alia Veneta an. 1497, diserte adfirmatur *ex scriptis D. Bonaventuræ extractus*. Secundo, si pondus auctoritatis habeant in rem hanc editiones hujusmodi, non video qua veri specie iidem Editores scripserint [9] : « Vera ratio cur in stabiliendis Bonaventuræ operibus audire recusemus antiqua exemplaria, vel maxime petitur ex eo, quod absque delectu, et solo typographorum judicio Bonaventuræ adscripta sint. » Tertio, si præsenti opusculo, quominus in sententia prædictorum Editorum certum ac legitimum sit, nihil obsit, et quod *in nullo nomenclatorum catalogo ponatur*, et quod *illatinis locutionibus inquinatus sit*, et quod eamdem verset doctrinam, quæ actitatur *in Commentariis, in Centiloquio et in Breviloquio* (addunt Editores Romani etiam *in Pharetra*), ergo hæc nequidem aliis similibus opusculis, quominus certa et legitima sint, officere queunt. Quarto, si Oudinus *nullum affert documentum, sed rem proprio cerebro constituit*, ergo peccavit in illam regulam criticam ab ipso statu-

[1] Sect. VII, c. 1, p. 636. — [2] Ibid., c. VIII, p. 645. — [3] Sect. I, c. I et II, p. 597 et 598. — [4] Dist. XXVII, part. I, art. 1, q. IV, necnon dist. XXXIII, art. 1, q. I, huj. edit. tom. I, pag. 440 et 530. — [5] Sect. III, c. II, atque sect. VII, c. V, pag. 610 et 641. — [6] Part. II, sect. VII, c. V, pag. 641. — [7] *De Script. Ord. Min.*, pag. 217, col. 2. — [8] *Diatrib.*, pag. 71 et seq., huj. edit. tom. I, pag. XL. — [9] Ibid., pag. 51, sive XXV-XXVI.

tam [1], de non auferendis scriptis ulli, cui antiquitus tributa sunt, *ex proprio cerebro, absque rationibus idoneis et demonstrativis* : peccaruntque pariter in eamdem regulam præfati Editores, qui *ex proprio cerebro, absque rationibus idoneis et demonstrativis* plura Doctori Seraphico abstulerunt, atque ea partim ad dubia, partim ad supposititia rejecerunt.

[1] Tom. III, col. 301.

SERIES

OPUSCULORUM QUÆ HOC SEPTIMO TOMO CONTINENTUR

I. Pharetra 1
II. Declaratio terminorum theologiæ. 232
III. Breviloquium. 240
IV. Centiloquium. 344
V. De ecclesiastica hierarchia 436
VI. De reductione artium ad theologiam. 498
VII. De quatuor virtutibus cardinalibus. 506
VIII. De tribus ternariis peccatorum infamibus. 510
IX. Speculum animæ. 523
X. De modo confitendi. 559
XI. De septem donis spiritus sancti 583
XII. De resurrectione a peccato ad gratiam 653

S. R. E. CARDINALIS
SANCTI BONAVENTURÆ
EPISCOPI ALBANENSIS, DOCTORIS SERAPHICI ECCLESIÆ

PHARETRA[1]

OPUSCULI SEQUENTIS ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Auctor in Prooemio satis breviter et dilucide explicat : in eo enim utilitatem libri, divisionem, et rationem nominis, cur scilicet *Pharetra* inscribitur, facile comperies. Et quoniam in hac Pharetra auctoritates Doctorum variæ reconduntur, quibus velut sagittis utentes antiquum hostem dejicere possimus; sedula diligentia adhibita est iisdem conquirendis, et margini [2] adjungendis pro commoditate legentium. Illud vero animadvertendum est, aliquos Doctorum libros in Pharetra citatos, vel hoc tempore non extare, vel alio titulo in exemplaribus impressis inscribi; et olim uni auctori adscriptos, jam hac ætate in alterius operibus recenseri. Nam, ut de singulis proferatur exemplum, libro sancti Ambrosii, quem sanctus Bonaventura *Pastorale* appellat, titulus est in editione romana *de Dignitate Sacerdotali.* Sancti Augustini *in Canonicam Jacobi expositio*, quam Auctor citat, modo non extat. Liber *de Singularitate Clericorum,* quem Augustino tribuit, in operibus Cypriani connumeratur in editione Pameliana. Quare eo recurrendum erit, ubi in margine [2] citatur auctoritas, quo facilius in evulgatis libris inveniatur. Nonnullæ vero auctoritates, quæ vel propter rationes jam dictas, vel quia diligentiam superarunt, reperiri nequaquam potuerunt, asterisco notatæ sunt.

[1] *Cf.* Edit. Vatic., tom. VI, pag. 103; Edit. Argent., pars I, 12; Edit. Ven. an. 1611, tom. I, 12; Edit. Ven. an. 1753, tom. VII, pag. 234. — [2] Quantum ad hanc nostram editionem, in ima parte paginarum.

PRÆFATIO

In conversionis meæ primordio, cum ob mentis recreationem auctoritates Sanctorum legerem, et legens varias corruptiones perciperem; placuit mihi, ut ad ipsum fontem originalium recurrerem, et ob majorem certitudimem, ipsemet aliqua perciperem, quæ postmodum, ut scivi, ordinavi : ut quæ ad meditationem, prædicationem, disputationem ibidem essent utilia, levius reperirentur. Hoc autem sciat lector, quod reperi aliquando diversos doctores unum dixisse, aliquando eumdem doctorem idem in diversis libris. Distinxi autem Opusculum istud per quatuor libros, ut dicatur liber primus de personarum varietate; secundus, de principalium vitiorum et virtutum multiplicitate; tertius, de periculosis; quartus, de gratiosis. In unoquoque libro posui quinquaginta capitula, quia talis numerus jubilæi est figurativus. Opusculum autem istud *Pharetram* appellavi, quia sicut in pharetra jacula reponuntur, quibus hostis hostem ferit, vulnerat et dejicit, sic et hæ variæ auctoritates fide dignorum : quas si manu operationis tenemus, hostem antiquum dejiciemus. Sciendum quoque quod, cum dico *idem*, non apponendo ubi intelligendum est, in priori libro antea posito fore. Originalia ista subscripta ipse excepi :

DE SANCTO GREGORIO.

Moralia,
Homilia super Ezechielem,
Registrum, id est Epistolas,
Homilias super Evangelia,
Pastorale,
Dialogum,
Cantica.

DE SANCTO AMBROSIO.

De Virginitate,
De Viduitate,
De Officiis,
De Patriarchis,
De Excessu Satyri,
De Fide resurrectionis,
De Hexaemeron,
De figura sæculi,
De obitu Theodosii,
Apologiam de David,
Pastorale,
Sermones,
Epistolas,
Super Lucam,
Super *Beati immaculati*.

[1] Id est, homiliarum xc, *Super Matthæum*, duplex interpretatio, una quidem Georgii Trapezuntini, altera vero Aniani Pelagiani.

DE SANCTO JOANNE CHRYSOSTOMO.

Super Matthæum bis [1].
Super Joannem,
De compunctione,
De militia spirituali,
De militia christiana,
De eo quod non læditur homo nisi a seipso,
Sermones,
Epistolam.

DE SANCTO ISIDORO.

Etymologias,
Synonyma,
De summo bono,
De ortu et obitu antiquorum,
De Novo Testamento.

DE SANCTO CYPRIANO.

De duodecim abusibus.

DE SANCTO AUGUSTINO.

De civitate Dei,
De Trinitate,
De Doctrina christiana,
De Vita christiana,
De Disciplina christiana,

De Agone christiano,
De confessionibus,
De gratia Novi Testamenti,
De Moribus Ecclesiæ,
De Vera religione,
De Consensu quatuor Evangelistarum,
De Incarnatione Verbi,
De essentia Divinitatis,
De Magistro,
De ordine disciplinæ,
De opere Monachorum,
De singularitate Clericorum,
De octoginta tribus quæstionibus,
De sex quæstionibus contra paganos,
De quæstionibus Novi et Veteris Testamenti,
De quinque Responsionibus,
De Ecclesiasticis Dogmatibus,
De decem Chordis,
De Pastoribus,
De Ovibus,
De catechizandis rudibus,
De mirabilibus sacræ Scripturæ,
De moribus Manichæorum,
De Divinatione dæmonum,
De Soliloquiis,
De Meditationibus.
De Virginitate,
De Viduitate,
De bono conjugali,
De conjugiis adulterinis,
De quantitate animæ,
De duabus animabus,
De natura boni,
De natura et gratia,
De correctione et gratia,
De gratia et libero arbitrio,
De libero arbitrio,
De spiritu et littera,
De vita bona,
De perfectione justitiæ,
De prædestinatione divina,
De fide ad Petrum,
Ad Orosium,
Ad Bonifacium,
De pœnitentia,
De patientia,
De perseverantia,
Regulam,
Enchiridion,
De cura pro mortuis,
De symbolo,
De jejunio sabbati,
De utilitate credendi,
De laude charitatis,
De unico baptismo,
De baptismo parvulorum,
De sermone Domini in monte,
De sententia Jacobi, ad Hieronymum,
De conflictu vitiorum,
Super Genesim ad litteram,
Super Genesim contra Manichæos,
Epistolas,
Sermones,
De mendacio,
Contra mendacium,
Contra Julianum,
Contra Adamantium,
Contra quinque hæreses.
Contra Donatistas,
Contra Epistolam fundamenti,
Contra adversarios Legis et Prophetarum.

DE SANCTO HIERONYMO.

Super Isaiam,
Super duodecim prophetas.
Epistolas,
Homilias.

DE SANCTO BERNARDO.

Super Cantica,
Super *Missus est*,
Super *Qui habitat*,
Super *Ecce nos*,
De Consideratione,
De præceptorum dispensatione,
De libero arbitrio,
De diligendo Deum,
De amore Dei,
De duodecim gradibus,
Epistolas,
Apologiam,
Meditationes,
Sermones,
Flores.

DE SANCTO ANSELMO.

De similitudinibus,
Meditationes.

DE CASSIODORO.

De anima.

DE SENECA.

Epistolas,
De copia verborum,
De clementia,
De liberalitate,
De spiritu et anima :
Et aliqua de aliis libris et glossis.

PHARETRA

LIBER PRIMUS

IN QUO

DE PERSONARUM VARIETATE TRACTATUR

CAPUT PRIMUM.

De Deo.

Gregorius in *Moralibus*[1]: «Deus ipse manet intra omnia, ipse est extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia : et superior est per potentiam, et inferior est per sustentationem, et exterior per magnitudinem, et interior per subtilitatem.» Idem[2]: «Deus hoc est, quod habet : æternitatem quippe habet, etipse est æternitas; lucem habet, et lux sua ipse est.» Idem[3]: « Omnipotens Deus, etsi plerumque mutat sententiam, consilium nunquam.» Idem[4]: «Omnipotens Deus, quid nobis profuturum esse valeat, sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, ut augeat utilitatem, ut vita per pœnam purgetur, et quietis tranquillitas, quæ hic inveniri non valet, alibi quæratur.» Idem[5]: «Omnia humana quæ justa, quæ pulchra sunt, Dei justitiæ et pulchritudini comparata, nec justa, nec pulchra sunt, nec omnino sunt.» Idem[6]: « Conditor noster mira dispensatione consilii, et culpas nostras respicit, et vivendi tempora impendit : ut longiora vitæ temporalis spatia aut converso fiant adjutorium muneris, aut non converso augmentum damnationis.» Idem, in *Homiliis*[7]: « Ubique nobis occurrit superna medicina, quia Deus et dedit homini præcepta ne peccet; et tamen peccanti dedit remedia, ne desperet.» Idem, *super Ezechielem*[8]: « Omnipotens Deus, qui sibimetipsi dissimilis non est, ea virtute videt omnia, qua audit omnia; et ea virtute judicat omnia, qua creavit omnia.» Augustinus in epistola[9]: « Deus ubique præsens est, et ubique totus præsens, nec tamen ubique habitans, sed in templo suo. Capitur autem habitans ab aliis plus, ab aliis minus.» Idem[10]: « Deus totus oculus est, totus manus, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt; totus est manus, quia omnia operatur; totus pes, quia ubique est.» Idem[11]: « Non tantummodo in hoc nos adjuvat Deus, ut sciamus quid agendum sit, verum etiam ut amando agamus, quod discendo jam scimus.» Idem dicit[12] Hieronymum dixisse : « Videre Deum sicut est in natura sua, oculus hominis non potest. Nec solum homo, sed nec Angeli, nec Throni, nec Potestates, nec Dominationes, sed nec omne, quod nominatur.» Idem, *de Confessionibus*[13]: «Pœnitet te, Deus, et non doles;

[1] Greg., *Moral.*, lib. II, c. VIII. — [2] Ibid., lib. XVI, c. XX. — [3] Ibid., c. IV. — [4] Ibid., lib. XIV, c. XIV. — [5] Ibid., lib. XXXV, c. II, non longe a princ. — [6] Ibid., lib. XVII, c. III.— [7] Idem, *in Evang.*, hom. XXV, circa fin., et *Moral.*, lib. XXXIII, c. X, post med.— [8] Id., *in Ezech.*, hom., XXVII, circa med. — [9] Aug., *ad Dardan.*, epist. LVII, al. CLXXXVIII, c. V, n. 16, 17, quoad sensum. — [10] Id., *ad Fortunat*, epist. CXI, al. CXLVII, c. IV, n. 14; et Hieron. *in Psal.* XCIII. — [11] Id., *ad Fidiam*, epist. CXLII.— [12] Id., *ad Fortunat.*, epist. CXI, al. CXLVIII, c. II, n. 7. — [13] Id., *Confess.*, lib. I, c. IV.

irasceris, et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium. » Idem [1] : « O quam excelsus es, Domine! Sed humiles corde sunt domus tuæ : tu enim erigis elisos, et non cadunt, quorum celsitudo tu es. » Idem [2] : « Voluntas et potentia Dei, Deus ipse est. » Idem, *super Genesim contra Manichæos* [3] : « Deum dicimus tantæ bonitatis esse, tantæ justitiæ, tantæque incorruptionis, ut neque peccet, neque alicui noceat, qui peccare noluerit, nec ipsi aliquis, qui peccare voluerit. » Idem in *Soliloquiis* [4] : « Constanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes. Noli velle esse quasi proprius et in tua potestate; sed ejus clementissimi et utilissimi Domini te servum esse profitere : ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. » Idem, *de Conjugiis adulterinis* [5] : « Absit ut catholicus quisquam dixerit, quando suadet Spiritus sanctus, non Deum suadere : cum ipse Deus sit, et inseparabilia sint opera Trinitatis. » Idem, *de Civitate Dei* [6] : « Patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. » Ambrosius, *super Lucam* [7] : « Nihil præsumptum, nihil circumscriptum, nihil emensum, nihil dimensum Trinitas habet : non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non æstimatione concluditur, non ætate variatur. » Isidorus, *de Summo bono* [8] : « Ille qui nos malos tolerat, non dubium est quin conversis clementer ignoscat. » Idem [9] : « Cum de Deo nec secundum quantitatem, nec secundum qualitatem, nec secundum situm, nec secundum habitum, aut motum, aliquid digne dicatur; inest tamen ei et quodam modo latitudo charitatis, qua nos et ab errore colligit, et continet in veritate. Inest ei et longitudo qua longanimiter nos malos portat, donec emendatos patriæ futuræ restituat. Inest ei et altitudo, per quam omnem sensum, suæ scientiæ immensitate exuperat. Inest ei et profundum, quo damnandos, inferius juxta æquitatem disponens, præordinat. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [10] : « Deus invitus compellitur, et cum magno dolore, peccatores damnare. Non enim sic dolet, quia et ipse ab eis offenditur; sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem, qui omnes cupit salvare. » Idem [11] : « Deus gaudet non de suo lucro, sed de salute nostra; tristatur non de sua injuria, sed de nostra perditione. » Bernardus, in libro *de Consideratione* [12] : « Deus amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas. » Idem [13] : « Deus non partibus constat, ut corpus; non affectibus distat, ut anima; non formis substat, ut materia; non mutatur, ut omne quod factum est. » Idem, super *Qui habitat* [14] : « Vigilat super nos indefessus, et pervigil ille singularis clementiæ oculus non dormit neque dormitat, qui custodit Israel. Et id quidem necesse est, quia etiam non dormit, neque dormitat, qui impugnat Israel. » Idem, in *Sermonibus* [15] : « Quatuor filiæ magnæ misericordiæ Dei sunt : immissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi, et sanitas affectus. » Auctor *de Spiritu et Anima* [16] : « Nemo de Dei pietate diffidat, quoniam major est ejus misericordia, quam nostra miseria; et quisquis ad eum toto corde clamaverit, exaudiet illum, quia misericors est. Tardius siquidem ei videtur esse peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori veniam accipere. Sic enim festinat Deus absolvere tormenta compassionis suæ, quasi plus cruciet eum compassio miseri, quam ipsum

[1] Aug., *Confess.*, lib. XI, c. XXXI. — [2] Ibid., lib. VII, c. IV. — [3] Id., *de Gen. cont. Manich*, lib. II, c. XXIX. — [4] Id., *Solil.*, lib II, c. XV. — [5] Id., *de Conjug. Adult.*, lib. I, c. XVIII. — [6] Id., *de Civit. Dei*, lib. I, c. VIII, n. 1. — [7] Ambros, *in Luc.*, lib. II, c. I, n. 13. — [8] Ibid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XV, sent. 8. — [9] Ibid., c. II, sent. 6. — [10] Chrysost., *in Matth.*, Oper. imperf., hom. XLVI. — [11] Ibid. — [12] Bern., *de Consid.*, lib. V. — [13] Ibid. — [14] Id., in Psal. *Qui habit.*, serm. XI. — [15] Id., *de Tripl. miseria et qua. miserat.* serm. — [16] *De Spir. et Anim.*, c. VI, inter oper. S. Aug, tom. VI, Append.

miserum passio sui. » Glossa : « Deus natura misericors paratus est ut salvet per clementiam, quos salvare non potest per justitiam. »

CAPUT I.

De Christo.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : « Nuntiante Angelo, et adveniente Spiritu sancto, mox Verbum in utero, et mox intra uterum Verbum caro : et manente incommutabili essentia Verbi, quæ ei est et cum Patre, et cum Spiritu sancto coæterna, assumpsit intra virginea viscera matris, ut impassibilis pati, et immortalis mori, et æternus ante sæcula, temporalis possit esse in fine sæculorum : ut per ineffabile sacramentum conceptu sancto, et partu inviolabili, secundum veritatem utriusque naturæ, eadem virgo et ancilla Domini esset, et mater. » Idem [2] : « Ad hoc Dominus apparuit in carne, ut humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet. » Idem [3] : « In altitudine sua divinitas a nobis, utpote parvulis, apprehendi non potuit ; sed stravit se hominibus per humanitatem, et quasi in jacentem ascendimus ; surrexit, et levati sumus. » Idem [4] : « Qui nos existere fecit ex nihilo, etiam sine sua morte revocare nos potuit a diabolica passione. Sed ut quanta esset virtus compassionis ostenderet, fieri pro nobis dignatus est, quod nos esse voluit ; ut in semetipso temporaliter mortem susciperet, quam a nobis in perpetuum fugaret. » Idem [5] : « Mos medicinæ est, ut aliquando similia similibus, aliquando contraria contrariis curet. Nam sæpe calida calidis, et frigida frigidis ; sæpe etiam calida frigidis, et frigida calidis sanare consuevit. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, et tantis nos inveniens languoribus oppressos, quiddam nobis simile, et quiddam nobis contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores justus. » Idem [6] : « Is, qui propter nos minor angelis sibi extitit, æquales nos angelis virtute suæ minorationis fecit. Unde et moriendo, docuit mortem non metui ; resurgendo, docuit de vita confidi ; ascendendo, de cœlestis patriæ hereditate gloriari. » Idem, *super Ezechiele* [7] : « Ut humanum genus a suo languore sanaret, tunc magna apparuit potentia medici, cum languor crevit ægroti. » Idem, in *Moralibus* [8] : « Ad hoc unigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit ; ad hoc invisibilis non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit ; ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionum tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. » Idem, in *Registro* [9]: Descendens ad inferos Christus solos illos per suam gratiam liberavit, qui eum et venturum esse crediderant (*a*), et præcepta ejus vivendo tenuerant (*b*). » Idem, in Homilia [10] : « Deus, qui in utero virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. » Joannes Chrysostomus in sermonibus [11] : « Christus viator factus est, ut te sine labore faceret ; ex muliere natus est, ut prævaricationem Evæ deleret ; homo appellatus est, ut te deum vocaret ; filius hominis dictus est, ut te in filium adoptaret Dei. » Idem [12] : « O misericordia Christi, o Judæ dementia ! Ille eum triginta denariis paciscebatur, ut venderet ; et Christus ei sanguinem, quem vendidit, offerebat. » Idem [13] : « Non sub tecto, sed sub cœlo Christus immolabatur, ut universus aer in excelso immolatæ ovis odore a tetro mundaretur. Sed et terra simile beneficium sentiebat, decursi de latere sanguinis stillatione

[1] Greg., *Moral*, lib. XVIII, c. XXVII. — [2] Ibid., lib. XXI, c. V. — [3] Ibid., lib. XVI, c. XIV. — [4] Ibid., lib. XX, c. XXVI. — [5] Ibid., lib. XXIV, c. II. — [6] Ibid., lib. XXVII, c. VIII. — [7] Id., *in Ezech.*, hom. II. — [8] Id., *Moral.*, lib. XXXIV, c. XVIII. — [9] Id., *Epist.*, lib. VI, epist. XV, *ad Georg. et Theod.* — [10] Id., *in Evang.*, hom. XVI. — [11] Chrysost., *de Cruce Domin.* — [12] Id., *de prodit. Judæ.* — [13] Id., *de Cruce et Latr.*, hom. 1.

(*a*) *Cæt. edit.* crediderunt. — (*b*) *Item* tenuerunt.

mundata. » Ambrosius, *de Virginitate* [1] : « Omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est. *Gustate* igitur [2], *et videte, quoniam Dominus suavis est.* » Idem, *super Lucam* [3] : « Me illius infantiæ Christi vagientis abluunt fletus : illæ lacrymæ mea delicta laverunt. Plus igitur, Domine Jesu, debeo injuriis tuis, quibus redemptus sum, quam operibus tuis, quibus creatus sum. Non prodesset nasci, nisi redimi profuissset. » Idem [4] : « Non solum fidem firmat, sed et devotionem acuit, quod Christus vulnera suscepta pro nobis cœlo inferre voluit, abolere noluit, ut Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. » Augustinus, in *Meditationibus* [5]: « Quid est Jesus, nisi Salvator? Ergo propter temetipsum esto mihi Jesus. Noli, Domine, noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. O bone Domine, si ego commisi unde damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. » Idem, *de Vera Religione* [6] : « Nullum peccatum committi potest, nisi cum appetuntur ea quæ Christus comtempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. » Idem, *contra Julianum* [7] : « Caro Christi mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit, quia mortale corpus ejus invenit; contagium vero peccati originalis non contraxit, quia concumbentis concupiscentiam non invenit. » Idem [8] : « Christus in carne quidem, et de carne; non tamen carnaliter, sed spiritualiter natus est. Natus est enim de Spiritu sancto ex virgine Maria : de Spiritu sancto, ut non esset in illo caro peccati; ex virgine autem Maria, ut esset in eo similitudo carnis peccati. » Idem, *Contra quinque hæreses* [9] : « Fusus est sanguis medici, et factum est medicamentum frenetici. » Idem, in libro *de Pastoribus* [10] : « Ab omnibus tentationibus te eruet Dominus, si ab illo non recesserit cor tuum. Nam ad confortandum cor tuum, venit ille pati, venit ille mori, venit sputis illini, venit spinis coronari, venit opprobria sufferre, venit postremo ligno configi. Omnia hæc ille pro te; tu nihil pro illo, sed pro te. » Idem, *de Catechizandis rudibus* [11] : « Omnia bona terrena contempsit homo factus Dominus Jesus, ut contemnenda monstraret; et omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcepit, ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. » Idem, *de Prædestinatione divina* [12] : « Venit Filius Dei quærere, quod perierat; sanare, quod ægrotabat; erigere, quod jacebat : potestatem habens dimittere peccata, quod non debebat, donare; quod ei debebatur, ignoscere. Idem, *de Ordine disciplinæ* : « Quod hoc nostri generis corpus tantus propter nos Deus assumere, atque agere dignatus est, quanto videtur vilius, tanto est clementia plenius, et a quadam ingeniosorum superbia longe lateque remotius. » Idem in *Epistola* [13] : « Ipsa virtus per inviolata matris virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per ostia clausa membra juvenis introduxit. » Idem, *de verbis Domini* : « Multos filios Dei unicus filius Dei emit sibi fratres sanguine suo, probavit reprobatus, redemit venditus, honorificavit injuriatus, vivificavit occisus. Dubitas quod dabit tibi bona sua, qui non dedignatus est suscipere mala tua? » Idem, in sermone [14] : « Expalmatur, qui est vera palma victoriæ; spinis coronatur, qui spinas peccatorum venit confringere; ligatur, qui solvit compeditos; ligno suspenditur, qui erigit elisos; aceto

[1] Ambr., *de Virginit. ad Marcell. soror.*, lib. III.— [2] *Psal.* XXXIII, 9. — [3] Ambr., *in Luc.*, lib. II, n. 41. — [4] Ibid., lib. X, n. 170. — [5] Aug., *Medit.*, c. XXXIX. — [6] Id., *de vera Relig.*, c. XVI. — [7] Id., *cont. Julian.*, lib. V, c. IX. — [8] Ibid., lib. VI, c. VIII. — [9] Id., *de Quinque Hæres.*, c. VII. — [10] Id., *de Pastorib.*, c. V. — [11] Id., *de Catechiz. rud.*, c. XXII.— [12] Id., *de Prædestin. et Grat.*, c. XIII. — [13] Id., *ad Volusian.*, epist. III, al. CXXXVII, n. 8. — [14] Id., *de qual. Virtut.*

potatur fons vitæ; disciplina cæditur magister aliorum; salus vulneratur; vita moritur; occidit ad tempus vitam mors, ut in perpetua vita occideretur mors. » Isidorus, *de Summo Bono* [1] : « Christus, sicut peccatum, quod pœna dignum est, non admisit, ita pœnam peccati nostri suscepit : ut per indebitam pœnam suam, debitam aboleret culpam nostram, ut per hoc amitteret diabolus quos reos tenebat, dum unum interfecerat, qui nihil peccati admiserat. » Rabanus, in libro *de Laude Crucis* [2] : « Passio Christi cœlum sustentat, mundum regit, tartarum perfodit. In ea confirmantur angeli, redimuntur populi, conteruntur inimici, stabiliuntur subsistentia, animantur viventia, conservantur sentientia, illustrantur intelligentia. Inde timor ductus a pœna fideles liberat; tristitia salubris pœnitentes a peccatis mundat; concupiscentia boni virtutum fructus germinat; gaudium vitæ spe confidentes lætificat. » Bernardus, *super Cantica* [3] : « In carne Christus et per carnem potenter ac patenter operatus est mira, locutus salubria, passus indigna. Per quæ evidenter ostendit, quia ipse sit, qui potenter sed invisibiliter omnia condidisset, sapienter regeret, benigne protegeret. » Idem [4] : « Frustra hujus sæculi sapientes de quatuor virtutibus cardinalibus tam multa disputaverunt, quas tamen apprehendere omnino nequiverunt, cum illum nescierunt, qui factus a Deo est nobis sapientia, docens prudentiam; et justitia, delicta donans; et sanctificatio, in exemplum temperantiæ, continenter vivens; et redemptio, in exemplum patientiæ fortiter moriens. » Idem [5] : « Utrumque mihi es, Domine Jesu, et speculum patiendi, et præmium patientis : utrumque fortiter provocat ac vehementer accendit. » Idem [6] : « *An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit* [7] ? Ad hoc siquidem diu suspendit sententiam ultionis a contemnente, ut quandoque exhibeat remissionis gratiam in pœnitente. » Idem [8] : « Christus in carnis assumptione condescendit mihi; in culpæ vitatione consuluit sibi; in mortis susceptione satisfecit Patri. Amicus dulcis, consiliarius prudens, adjutor fortis. Huic securus me credo, qui salvare me velit, noverit, atque possit. » Idem [9] : « Jesus mel est in ore, melos in aure, jubilus in corde. » Idem [10] : « Est inter oleum et nomen *Jesus* similitudo, in quibusdam qualitatibus olei, quod lucet, quod pascit, quod ungit : fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem : lux, cibus, medicina. Vide idem de hoc nomine *Jesu* : lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit et ungit invocatum. » Idem [11] : « Ego omnino fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini; quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus ejus et pedes, latusque lancea perforaverunt, et per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. » Idem [12] : « Ego, fratres, ab ineunte mea conversione pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, mihi fasciculum hunc colligare, et inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei : primum scilicet infantilium illatarum necessitatum; deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo; postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium. » Idem [13] : « *Petra refugium herinaciis* [14], et revera refugium. Ubi enim est tuta firmaque requies infirmis, nisi in vulneribus Christi Salvatoris ? Tanto illic securior habito,

[1] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. I, c. XVI, sent. 12. — [2] Raban., *de Laud. Crucis*, in declar. fig. 2. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. IX. — [4] Ibid., serm. XXII. — [5] Ibid., serm. XLVII. — [6] Ibid., serm. IX. — [7] *Rom.*, II, 4. — [8] Bern., *in Cant.*, serm. XX. — [9] Ibid., serm. XV. — [10] Ibid. — [11] Ibid., serm. LXI. — [12] Ibid., serm. XLIII. — [13] Ibid. — [14] *Psal.* CIII, 18.

quanto ille potentior ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, insidiatur diabolus: non cado; fundatus enim sum supra firmam petram. » Idem [1] : « *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio* [2] *:* prorsus copiosa, quia non gutta sanguinis, sed unda largiter per quinque partes corporis emanavit. *Quid tibi debuit facere, et non fecit* [3] *?* illuminavit cæcum, solvit mutum, reduxit erroneum, reconciliavit reum. » Idem [4] : « Omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. » Idem [5] : « Vult benignus dux devoti militis vultum et oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, et exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem : enimvero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. » Idem in *Floribus* : « *Sitio,* inquit Dominus. Domine, quid sitis? ergone te plus cruciat sitis, quam crux ? De cruce siles, et de siti clamas : *Sitio.* Quid ? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium : plus animarum vestrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet. » Idem : « Quid tibi respondeam, Domine ? quid loquar, aut quid retribuam ? Fecisti mihi de corpore tuo speculum animæ meæ. » Idem, in sermonibus [6] : « Exinanivit Christus semetipsum, formam servi accipiens. Filius erat, et factus est tanquam servus. Nec solam formam servi accepit, ut subesset; sed etiam mali servi, ut vapularet; et servi peccati, ut pœnam solveret, cum culpam non haberet. » Idem [7] : « In passione Domini tria specialiter convenit intueri : opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia ; in modo humilitas ; in causa charitas commendatur. » Idem [8] : « Quam dulciter, Domine Jesu Christe, cum hominibus conversatus es ! quam abundanter multa et magna bona hominibus largiri dignatus es ! quam fortiter tam indigna, quam aspera, pro hominibus passus es : ita ut liceat sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo : duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad horrenda crucis supplicia ! » Idem [9] : « Vide nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, flagellis cæsus, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus; omnium tamen dolorum immemor, ait [10]: *Pater, ignosce* (*a*) *illis.* » Idem [11] : « Videns Deus homines omnino carnales effectos, tantum eis dulcedinis in carne exhibuit, ut durissimi cordis sit quisquis eum toto affectu non diligit. » Idem [12] : « An trepidas ad Christum accedere ? Frater tuus est, caro tua, per omnia tentatus absque peccato, ut misericors fieret. » Idem : « Quis cogitare suffecerit qualiter Dominus prævenerit (*b*) nos, venerit ad nos, subvenerit nobis? Singularis illa majestas voluit mori, ut viveremus; servire, ut regnaremus; exulare, ut repatriaremur (*c*); et usque ad servilissima opera inclinata est, ut constitueret nos super omnia opera sua. » Anselmus, in libro *Cur Deus homo* [13] *:* « Quatuor modis potest Deus facere hominem : aut de viro et femina, sicut assiduus demonstrat usus; aut nec de viro nec de femina, sicut creavit Adam; aut de viro sine femina, sicut fecit Evam; aut de femina sine viro, quod nondum fecit. Ut igitur hunc quoque modum probet suæ subjacere potestati, et hoc ad ipsum opus dilatum esse nihil convenientius, quam ut de femina sine viro assumeret humanitatem. Utrum autem de virgine, aut de non virgine dignius hoc fiat, non est opus disputare; sed sine omni dubitatione asserendum est, quia de virgine nasci Deum oportebat. » Bernardus, *in Adventu Domini* [14] : « Si personam advenientis intueor, non

[1] Bern., *in Cant.* serm. XXII. — [2] *Psal.* CXXIX, 7. — [3] *Isa.*, V, 4. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. XXII. — [5] Ibid., serm. LXI. — [6] Id., *de pass. Dom.*, serm. IV, hebdom. pœnos. — [7] Ibid. — [8] Id., *in die Pentec.*, serm. II. — [9] Id., *de pass. Dom.* — [10] *Luc.*, XXIII, 34. — [11] Bern., *de dilig. Deo.* — [12] Id., *de Nativ. B. Mar.*, serm. — [13] Ansel., *Cur Deus hom.*, lib. II, c. VIII. — [14] Bern., *de adv. Dom.*, serm. — (*a*) Vulg. *dimitte.* — (*b*) *Cæl. edit.* prævenit. — (*c*) repatriaremus.

capio excellentiam majestatis. Si attendam ad quos venerit, dignitatem magnitudinis expavesco. » Et sequitur [1] : « Venit universitatis Creator et Dominus ad homines; venit medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita; venit non perdere, sed salvare; solvere, non ligare. » Idem [2] : « Priusquam appareret Dei humanitas, latebat ejus benignitas. Apparuit enim ejus potentia in rerum creatione; apparebat autem sapientia in earum gubernatione : sed benignitas misericordiæ maxime apparuit in humanitate. Apparuit gratia Dei Salvatoris. Nota : Quantumcumque te dejeceris, humilior Christo non eris. Esto quod pedibus incedas, fusca tunica vestiaris, pauperibus æqueris, cellam pauperum dignanter introeas : sis cæcorum oculus, pes claudorum, manus debilium, aquam ipse comportes, ligna conscindas, focum extrahas : ubi vinculum ? ubi sputum ? ubi alapæ ? ubi flagellum ? ubi patibulum ? ubi mors ? »

CAPUT III.

De Eucharistia.

Gregorius in Homiliis [3] : « Singulariter ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis et benignitate mentis, sacri altaris hostia suffragatur : quia is, qui in se surgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum immolatur. » Idem in *Dialogis* [4] : « Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoddam ex visibilibus et invisibilibus fieri ? Sed necesse est, cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus. » Idem, infra, capitulo *de Muliere* : « Nota duo. » Idem etiam, capitulo *de Conjugatis* : « Si quis sua. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem* [5] : « Ubicumque viderint sanguinem Dominicum, fugiunt quidem dæmones, concurrunt autem Angeli : hic sanguis effusus, omnem orbem terrarum lavit. » Idem in sermone : « Indigna et fucata mente (*a*) mysteriorum celebrantibus secreta, a diabolo præparantur insidiæ, qui magis ac magis a se mutantur; qui non æquo animo communicare festinant. » Idem : « Sicut corporalis cibus cum ventrem invenerit adversis humoribus occupatum, amplius lædit, magis nocet, nullum præstat auxilium; ita et spiritualis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis vitio. » Hieronymus in Epistola [6] : « Utinam omni tempore jejunare possemus, quod in *Actibus Apostolorum* diebus Pentecostes et die Dominico apostolum Paulum, et cum eo credentes fecisse legimus; Eucharistiam quoque, absque condemnatione nostri et pungente conscientia, semper possemus accipere ! » Augustinus [7], *de Ecclesiasticis dogmatibus* : « Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero : omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi non sit. » Idem, *de Civitate Dei* [8] : « Corporis et sanguinis Christi sacrificium successit omnibus illis sacrificiis Veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. » Et post : « Pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus, Corpus Christi offertur, et participantibus ministratur. » Bernardus, in *legenda S. Malachiæ* [9] : « Eucharistiæ plane sacramentum potens est peccata consumere, debellare obvias potestates, inferre cœlis revertentes de terra. »

[1] Bern., paulo post, et serm. *in Vigil. Nativ. Dom.* — [2] Id., *de Epiph.*, serm. 1, *et in die Nativ. Dom.* — [3] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVII. — [4] Id., *Dial.*, lib. IV, c. LVIII, LIX. — [5] Chrysost., *in Joan.* — [6] Hier., *ad Lucinium*, epist. XXVIII. — [7] Imo Gennad., *de Eccl. Dog.*, c. LIV, inter op. S. Aug. — [8] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XVII, c. XX. — [9] Bern., *Vit. S. Malach.*, c. II. — (*a*) *Edit. Ven.* mentis.

CAPUT IV.

De Cruce.

Gregorius, *super Ezechielem* [1] : « Redemptor noster, ad passionem ductus, lignum sibi crucis ipse portavit. Et sic in sacrificio pro nobis ex humanitate est mortuus, ut tamen immortalis maneret ex divinitate. » Ambrosius, super *Beati immaculati* [2] : « Crux est opprobrium perfido, fideli autem gloria, redempto resurrectio est; quia pro nobis passus est Dominus, illo nos redemit sanguine, illa ad paradisum resurrectione vocavit. » Joannes Chrysostomus, in sermonibus [3] : « Crux nobis totius beatitudinis causa est; hæc nos a cæcitate liberavit erroris; hæc e tenebris reddidit luci; hæc debellatis inimicis quieti perpetuæ nos sociavit; hæc alienatos Deo conjunxit; hæc nos peregrinos existentes cœlorum cives ostendit. » Idem [4] : « Crux spes Christianorum : crux resurrectio mortuorum : crux cæcorum dux; crux desperatorum vita; crux claudorum baculus : crux consolatio pauperum. » Et post : « Crux adolescentium pædagogus, crux sustentatio inopum, crux spes desperatorum, crux navigantium gubernator, crux periclitantium portus, crux obsessorum murus. » Et infra : « Crux insensatorum sapientia, crux libertas servorum, crux imperitorum philosophia, crux lex impiorum, crux prophetarum præconizatio, crux annuntiatio apostolorum, crux martyrum gloriatio, crux monachorum abstinentia, crux virginum castitas, crux gaudium sacerdotum, crux Ecclesiæ fundamentum. » Augustinus, *super Psalmos* [5] : « Crux finita est in pœna, sed infinita semper manet in gloria, a locis suppliciorum fecit transitum ad frontes imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat fidelibus suis? » Isidorus, *de Summo bono* [6] : « Quocumque, o mens, procellis mundi involveris, lignum conscende crucis, ut a mari, id est a tempestate hujus sæculi, libereris. » Bernardus, in *Floribus* : « In cruce pendet omnis fructus vitæ, quia ipse est arbor vitæ, quæ est in medio paradisi, ipsa est longitudo et latitudo, sublimitas et profundum. Ipsa bonos colligit et remunerat : ipsa malos dispergit et condemnat : ipsa est mœstorum consolatio, esurientium refectio, perfectorum gloriatio. » Rabanus, *de Laude Crucis* [7] : « In cruce insinuatur a morte redemptio, demonstratur sancta morum conversatio, intimatur omnium virtutum perfectio, promittitur ad æternam vitam ingressio, æternæ beatitudinis speratur adeptio, et veræ felicitatis acquisitio. » Idem [8] : « In te, Crux, sancti angeli gaudia sua accumulata conspiciunt; in te homines jura salutis suæ cognoscunt; in te inferi justam retributionem fraudis suæ percipiunt. Omnibus es æqua, omnibus justa. Præterita renovas, præsentia illustras, futura præmonstras, perdita requiris, quæsita invenis, inventa custodis. » Idem [9] : « Tu, sancta Crux, peccatorum remissio, pietatis exhibitio, meritorum augmentatio, infirmorum remedium, laborantium auxilium, et lassorum refrigerium, sanorum incolumitas, quietorum serenitas, fortunatorum felicitas. » Idem [10] : « Tu, sauta Crux, cura ægrotos medicans, tu gaudium mœstos consolans; tu sanitas dolentes lætificans; tu status credentium recte; tu firmitas operantium bene : tu beatitudo perseverantium rite, sancta, pia, bona, justa. » Cassiodorus, *super Psalterium* [11] : « Crux est humilium invicta tuitio, superborum abjectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cœlestium reformatio, mors infidelium, vita justorum. »

[1] Greg., *in Ezech.*, hom. VI, circa med. — [2] Ambr., *in Psal.* CXVIII, serm. XXI, n. 21. — [3] Chrysost., *de Cruce et latr.*, hom. II. — [4] Id., *de Cruce.*, hom., circa med. — [5] Aug., *Enarr. in Psal.* XXXVI, conc. II. — [6] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXII, sent. 2. — [7] Raban., *de Laud. Cruc.*, declar. fig. 17. — [8] Ibid., declar. fig. 21. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Cassian., *in Psal.* IV, vers. 7.

CAPUT V.

De B. Maria.

Gregorius in Registro [1] : « Dum unigenitus Dei existens ante sæcula ex Mariæ utero natus est homo, investigabili miraculo facta est et ancilla hominis per divinitatem, et mater Verbi per carnem. Idem, in *Moralibus* [2], loquens de verbo illo, *Lucæ* primo [3] : *Virtus altissimi obumbrabit tibi :* « Quia umbra non aliter exprimitur nisi per lumen et corpus, virtus Altissimi obumbravit Mariæ, quia in ejus utero lux incorporea corpus sumpsit : ex qua videlicet obumbratione, omne in se refrigerium mentis accepit. » Idem [4] : « Christus non operante coitu, sed Spiritu sancto superveniente, conceptus est. Natus autem materna viscera et fœcunda exhibuit, et incorrupta servavit. Ambrosius, *de Virginibus* [5] *:* « Talis fuit Maria, ut ejus unius vita, omnium disciplina sit. » Idem [6] : « Quicumque sibi Mariæ exoptat præmium, ejus imitetur exemplum. » Idem [7] : « Vidit Maria resurrectionem Domini, et prima vidit, et credidit; vidit et Maria Magdalena, quamvis adhuc ista nutaret. » Idem [8] : « Virgo erat Maria non solum corpore, sed et mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem ponens, intenta operi, verecunda sermone. » Idem [9] : « Quando læsit Maria vultu parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? Eos solum solita erat cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, non præteriret verecundia. » Idem [10] : « Nihil torvum in oculis Mariæ, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus lascivior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. » Augustinus, *Contra quinque Hæreses* [11] *:* « Sicut in transitu Mariæ non est corrupta virginitas, sic in ea non est maculata majestas. » Idem [12] : « Unde sordes in Maria, quæ nec concipiendo, libidinem, nec pariendo, passa est dolorem? Unde sordes in domo, ad quam nullus habitator accessit? Solus ad eam Fabricator ejus et Dominus venit. » Idem [13] : « Eva inobediens meruit pœnam; Maria obebiendo consecuta est gratiam : illa, gustando prohibitum, maledicta; hæc, credendo Angelo, benedicta. » Idem, *de Virginitate* [14] *:* « Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. » Idem [15] : « Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset. Ipsa quoque virginitas ideo gratior et acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret, ipse præripuit; sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. » Idem [16] : « *Quomodo*, inquit [17], *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israelitatum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa jam voverat. » Idem, in sermonibus [18] : « Vera ratione censeo confitendum, Mariam in Christo et apud Christum esse : in Christo, quia [19] *in ipso vivimus; movemur, et sumus;* apud Christum, gloriosæ ad æternitatis gaudia assumptam, benignitate Christi honoratius susceptam cæteris, atque ad communem vilitatem non esse adductam post mortem, putredinis videlicet, vermis, et pulveris. » Beatus Bartholomæus, ut habetur in legenda : « Hæc prima

[1] Greg., *ad Episcopos Hibern.*, lib. IX, epist. LXI. — [2] Id., *Moral.*, lib. XXXIII, c. III. — [3] *Luc.*, I, 32. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXIV, c. II. — [5] Ambros., *de Virgin.*, lib. II, n. 15. — [6] Ibid. — [7] Ibid, lib. III. — [8] Ibid., lib. II, n. 7. — [9] Ibid. — [10] Ibid. — [11] Aug., vel auctor lib. *de quinque Hæres.*, c. V. — [12] Ibid. — [13] Ibid. — [14] Id., *de sanct. Virginit.*, c. III, n, 3. — [15] Ibid., c. IV, n. 4. — [16] Ibid. — [17] *Luc.*, I, 34. — [18] August., *de Assumptione Beatæ Mariæ*, c. VIII, et est sermo XXXIV, *de Sanctis.* — [19] *Act. Apostolorum*, XXII, 28.

inter feminas hoc constituit in corde suo, ut diceret Deo : « Domine, offero tibi virgini- » tatem meam, » cum hoc a nullo homine, nec verbo didicisset, nec exemplo ad imitationem invitata fuisset. » Hieronymus, in sermone[1] : « Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ita etiam in comparatione Matris Domini nulla feminarum invenitur perfecta, quamvis virtutibus eximia comprobetur. » Idem[2] : « Totam repleverat Spiritus sancti gratia, totam incanduerat divinus amor : ita ut in ea nihil esset, quod mundanus violaret affectus; sed ardor continuus et ebrietas perfusi amoris. » Idem[3] : « Quidquid in Maria gestum est, totum puritas et simplicitas, totum veritas et gratia fuit, totum misericordia et justitia, quæ de cœlo prospexit. » Idem[4] : « Maria, quia mente passa est, plus quam martyr fuit : nimirum quoniam ejus dilectio amplius fortis quam mors; quia mortem Christi suam fecit. » Idem[5] : « Si Spiritu Dei omnis virtus angelorum constat, beatam et gloriosam Virginem, in quam supervenit Spiritus sanctus et Deus totus, ita ut portaretur novem mensibus in ejus utero, creditur ampliora promeruisse virtutum privilegia, et percepisse gratiam ab angelis etiam collaudatam. » Idem[6] : « Si in domo Patris mansiones multæ sunt, credimus splendidiorem domum Matri Filium præstitisse, quam olim ædificavit sibi domum subnixam columnis septem. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum*[7] : « O inæstimabilis laus Mariæ! Magis credebat Joseph castitati ejus, quam utero ejus, et plus credidit gratiæ quam naturæ. Conceptionem manifestam videbat, et fornicationem suspicari non poterat : possibilius esse credebat mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare. » Idem[8] : « Comessatrix aut vinolenta nunquam Maria fuit, non levis, non otiosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix, sicut solent plerumque puellæ, quæ libenter talia, aut loquuntur, aut audiunt; non super virum oculos suos extulit, aut infixit aspectum. » Isidorus, *de Novo Testamento*[9] : « Maria, quæ interpretatur *domina* sive *illuminatrix*, clara stirpe David, virga Jesse, hortus conclusus, fons signatus, mater Domini, templum Dei vivi, sacrarium Spiritus sancti. » Beda, in homiliis[10] : « Jure angelico aspectu simul et affatu meruit perfrui, quæ angelicam vitam studuit imitari. » Idem[11] : « Decebat ut, sicut per superbiam Evæ mors intravit, ita per humilitatem Mariæ panderetur introitus vitæ. » Joannes Damascenus[12] : « Maria in domo Dei plantata, et impinguata Spiritu sancto, ut oliva fructifera omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni vitæ hujus vitio et carnali desiderio mente desistens, et ita virginem animam observans cum corpore, quod decebat eam Deum in sinu suo suscipere. » Bernardus, *super Cantica*[13]: « Sagitta electa est amor Christi, quæ Mariæ animam non modo confixit, sed etiam totaliter pertransivit : ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret; sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, et esset gratia plena. » Idem, *super Missus est*[14] : « In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam enim sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non erras; ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia, securus ad gratiam pervenis. » Idem[15] : « Quod Moysi monstratum est in rubo et igne, Aaron in virga et flore, Gedeon in vellere et rore, hoc aperte Salomon prævidit in forti muliere et ejus pretio; apertius præscivit Hieremias de femina et viro; apertissime Isaias decla-

[1] Hieron., vel fortasse Sophronius, serm. *de Assumpt. B. Mar.*, c. IX. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Chrysost., *Op. imperf. in Matth.*, hom. II. — [8] Ibid. — [9] Isid., *de vit. et mort. Sanctor. nov. Testam.*, c. LXVIII. — [10] Bed., *in fest. Annunt. B. Mar.* — [11] Id, *in sext. fer. 4 temp. Decembris.* — [12] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. IV, c. XV. — [13] Bern., *in Cant.* serm. XXIX, in fine. — [14] Id., super *Missus est*, hom. II. — [15] Ibid., circa med.

ravit de virgine et Deo; et Gabriel tandem exhibuit ipsam virginem salutando. » Idem [1] : « *Ipsa conteret caput tuum*, etc. Cui hæc victoria servata est, nisi Mariæ? Ipsa proculdubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni spiritus suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. » Idem [2] : « *Audi, filia, et vide*, etc. Inclinavit Maria aurem suam, videlicet ad obedientiam, et cor suum ad disciplinam, et oblita est populum suum et domum patris sui : quia nec populum augere prolis successione, nec domui patris sui relinquere curavit hæredem; sed quidquid honoris in populo, quidquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est quasi stercora, ut Christum lucrifaceret. » Idem [3] : « Ipsa est nobilis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor in supernis præfulget, et inferos penetrat, terram etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes quam corpora, fovet mentes, et excoquit vitia. » Idem in Epistola [4] : « Fuit proculdubio Mater Domini ante sancta, quam nata, nec fallitur omnino sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum nativitatis diem. » Idem [5] : « Decuit reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitæ et justitiæ omnibus obtineret. » Idem [6] : « Si ante conceptum suum sanctificari minime potuit, quoniam non erat; sed nec in ipso conceptu [7], propter peccatum quod inerat; restat quod post conceptum in utero jam existens, sanctificationem accepisse credatur. » Idem, in sermone [8] : « Sileat misericordiam tuam, o beata Virgo, si quis invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi; sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus enim virginitatem tuam, et humilitatem miramur; sed misericordia miseris sapit dulcius, quia misericordiam complectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Hæc est enim illa, quæ totius mundi reparationem obtinuit, et salutem omnibus impetravit. » Idem [9] : « Quis misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem, latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque ad novissimum diem invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem; et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. » Idem [10] : « Maria omnibus omnia facta est; sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine illius accipiant universi : captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam. » Idem : « Fuit beata Virgo fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. » Idem [11] : « In te sola, beata Virgo, rex ille dives et prædives exinanitur, et excelsus humiliatur, et immensus abbreviatur, et ab angelis minoratur, verus denique Deus et Dei filius incarnatur. Sed quo fructu? Nempe ut omnes ejus paupertate locupletemur, ejus humilitate sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus esse spiritus cum eo. » Idem : « Mariam salutans Angelus, non solum plenam gratia, sed etiam adhuc superventurum in eam asserit Spiritum sanctum. Ad quid, nisi ut, adveniente jam Spiritu, plena sibi; eodem superveniente, nobis quoque superplena et

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XXIX, ante med. — [2] Id., sup. *Missus est*, hom. III. — [3] Id., super eodem, hom. II. — [4] Id., *ad Canonic. Lugdun.*, epist. CLXXIV, ante med. — [5] Ibid., paulo post. — [6] Ibid., prope finem. — [7] De hoc vid. tom. IV huj. edit. pag. XIII. — [8] Bern. *in Assumpt. B. Mar.*, serm. III, in fine. — [9] *Ibid.*, post pauca. — [10] Id., serm. II, *de B. Mar.*, ex verb. *Apoc.*, c. XII. — [11] Id., *in Annonciat. Dom.*, serm. III, post med.

supereffluens fieret? » Idem [1] : « Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam judicis mater, et mater misericordiæ, suppliciter et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. » Idem [2] : « Filioli, Maria peccatorum scala, Maria mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? Potestne filius aut repellere te, aut sustinere repulsam, non audire, aut non audiri filius? Neutrum plane. *Invenisti,* ait Angelus, *gratiam;* et sola est gratia, qua egemus. » Idem [3] : « Non in sola Mariæ taciturnitate commendatur ejus humilitas; sed evidentius resonat in sermone. Audierat : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*, et nihil aliud quam ancillam ejus se esse fatetur. » Anselmus, *de Conceptu virginali* [4] : « Decebat enim ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret; ut ea puritate qua major sub Deo nequit intelligi virgo illa niteret, cui Deus pater unicum filium, quem de corde suo æqualem sibi genuit, et tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat. » Idem, in libro *Orationum* : « Sicut, o beatissima, omnis a te aversus, et a te despectus, necesse est ut intereat; ita ad te omnis conversus, et a te respectus, impossibile est ut pereat. » Idem : « O femina mirabiliter singularis, et singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, homines salvantur, angeli redintegrantur. O femina plena et superplena gratia, de cujus plenitudinis exundantia respersa sic reviresсit omnis creatura! O virgo benedicta, per cujus benedictionem benedicitur omnis creatura, non solum creatura a creatore, sed etiam creator a creatura! » Idem circa *Soliloquium* : « Loquamur, Domina, beneficiis tuis plenum esse mundum : inferna penetrant, cœlos superant : per plenitudinem enim gratiæ tuæ, et quæ in inferno erant se lætantur liberata, et quæ supra cœlum sunt se gaudent restaurata. »

CAPUT VI.

De Angelis.

Gregorius, in *Moralibus* [5] : « Nisi angeli quædam nobis interna nuntiantes ad tempus ex aere corpora sumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent, nec cibos cum Abraham caperent, nisi propter nos solidum aliquid ex cœlesti alimento gestarent. » Idem [6] : « Divinitatis celsitudinem quamvis sublevatæ videant, nec virtutes tamen angelicæ comprehendunt. » Idem [7] : « Certa angelorum ministeria dispensandis quibusque gentibus sunt prælata. » Idem [8] : « In hoc est nunc natura angelica a nostræ naturæ conditione disjuncta, quod nos et loco circumscribimur, et cæcitatis ignorantia coarctamur; angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius quippe exteriusque sciendo distincti sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. » Idem, in homilia [9] : « In hominibus omne judicium per angelos exhibetur. » Augustinus, *de Civitate Dei* [10] : « Sancti angeli, quorum societati et congregationi in hac peregrinatione laboriosissima suspiramus, sicut habent permanendi æternitatem, ita cognoscendi facilitatem, et requiescendi felicitatem. » Joannes Chrysostomus, in sermone [11] : *Factum est ut moreretur mendicus, et deportaretur ab angelis in sinum Abrahæ* [12]. Tantæ pœnæ pauperis sic repente deliciis commutantur, ut portaretur ab angelis, et induceretur in paradisum, ne saltem ambulans pauper Lazarus laboraret. Portatur post tantos labores, quia prius defecerat; et portatur ab angelis : non enim suffecerat ad portandum pauperi unus angelus; et propterea plures veniunt, ut

[1] Bern., *de Assumpt. B. Mar.*, serm. I. — [2] Id., *in Nativ B. Mar.*, serm., circa med. — [3] Id., *de B. Vir. Mar.*, serm. II, ex verb. *Apoc.*, c. XII. — [4] Anselm., *de Concept. Virgin. et pec. origin.*, c. XVIII. — [5] Greg., *Moral.*, lib. XXVIII, c. IV, post med. — [6] *Ibid.*, lib. IX, c. X. — [7] *Ibid.*, lib. XVII, c. VIII. — [8] Lib, II, c. II, paulo post med. — [9] Id., *in Evang*, hom. XXXIV. — [10] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XI, c. XXXI. — [11] Chrysost., *de Divite*, hom., c. XVI. — [12] *Luc.*, XVI, 22.

chorum lætitiæ faciant. » Idem, super Epistolam *ad Hebræos* [1] : « Intellige quantus honor nobis existit, ut ad nos sicut ad amicos ministros angelos suos destinet Deus. Quamvis enim multum intersit inter angelos et homines, propinquos tamen nobis eos fecit Deus, quia nostræ saluti student, propter nos discurrunt, nobis suo funguntur officio. » Isidorus, *de summo Bono* [2] : « Inest angelis mutabilitas in natura, sed facit eos incorruptos charitas sempiterna. » Idem [3] : « Inter angelos distantia potestatum est, et pro graduum dignitate ministeria eisdem sunt distributa, aliisque alii præferuntur tam culmine potestatis, quam scientia veritatis. » Hieronymus, infra in capitulo de homine [4] : « Magna dignitas, » etc. Bernardus, *super Cantica* [5] : « Gaudent angeli in conversione et pœnitentia peccatorum, salutem hominum sitientes, lacrymæque pœnitentium vinum eorum. » Idem [6] : « Non ambigo, quin angeli gratanter in palatio colligant, quem tam gratanter in sterquilinio visitant. Denique lætati sunt in conversione peccatorum, et in assumptione præmiorum non agnoscent? » Idem in Epistola [7] : « O si quis haberet oculos apertos, quos orando Propheta puero revelavit, videret proculdubio quemadmodum præveniunt [8] *principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum* ; videret, inquam, qua cura, quove tripudio intersunt cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, ordinantibus et procurantibus præsunt. » Idem, super *Qui habitat* [9] : « Quid sub tantis custodibus timeamus? nec enim superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris : fideles enim sunt, prudentes sunt, potentes sunt. » Glossa [10] : « Quotidie angeli de terra longinqua, id est, de superna patria descendentes, in mundo justos, vel inter tentationes spe cœlestium roborant, vel finito certamine, ad palmam retributionis inducunt. » Glossa [11] : « Adest unicuique nostrum angelus bonus, qui regat, moneat, qui pro actibus nostris corrigendis, et miserationibus nostris exposcendis quotidie videat faciem Dei. »

De distinctione novem ordinum.

Gregorius, in *Homiliis* [12] : « Hi, qui minima nuntiant, Angeli; qui vero suprema annuntiant, Archangeli vocantur. Hinc est, quod ad Mariam virginem non quilibet angelus, sed Gabriel archangelus mittitur. » Et infra : « Virtutes vocantur hi nimirum spiritus, per quos signa et miracula frequenter fiunt. Potestates vocantur hi, qui hæc potentius in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrænantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant quantum volunt. Principatus quoque vocantur, qui et ipsis quoque bonis angelorum spiritibus præsunt, qui subjectis aliis, dum quæcumque sunt agenda disponunt, eis ad explenda divina mysteria principantur. Dominationes vocantur, qui etiam potestates principatuum dissimilitudine alta transcendunt. » Subinfert : « Ea ergo angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, pro eo quod eis cætera ad obediendum subjecta sunt, dominationes vocantur. Throni quoque illa agmina sunt vocata, quibus ad exercendum judicium, semper Deus omnipotens præsidet. » Et infra : « Et sublimiora illa agmina ideo cherubin vocata sunt, quia tanto perfectiori scientia plena sunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur : ut secundum creaturæ modum eo plenius omnia sciant, quo visioni conditoris sui per meritum dignitatis appropinquant. Seraphin autem *ardentes* vel *incendentes* vocantur, quæ quia sic Deo

[1] Chrysost., in *Epist. ad Hebr.*, hom. III. — [2] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. I, c. XII, sent. 2. — [3] Ibid., XIV *Sent.* — [4] Vid. inf., c. VII. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. XXX, ante med. — [6] Ibid., serm. VII, in fin. — [7] Id., *ad Suger. Abb.*, epist. LXXVIII, ante med. — [8] *Psal.* LXVII, 7.— [9] Bern., serm. XXI, ante med. — [10] Gloss. in *Prov.*, c. XXV, post med.— [11] Gloss. in *Num.*, XXV.— [12] Greg., *in Evang*, hom. XXXIV, ante med.

conjuncta sunt, ut inter hæc et Deum nulli alii spiritus medii intersint, tanto magis ardent, quanto hunc vicinius vident. Idem, in eadem homilia [1] : « Distinctæ conversationes singulorum hominum distinctis ordinibus congruunt, et in eorum sortem vel ordinem per conversationis similitudinem deputantur. Nam sunt plerique qui parva capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie annuntiare fratribus non desistunt : isti itaque in Angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli, qui divinæ largitatis munere refecti, secretorum cœlestium summa non solum capere prævalent, sed etiam aliis nuntiare : quo ergo isti, nisi in Archangelorum numerum deputantur? Et sunt alii, qui faciunt mira, signa valenter operantur : quo ergo isti, nisi ad supernarum Virtutum sortem et numerum congruunt? Et sunt nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis et vi acceptæ potestatis ejiciunt : quo itaque isti per meritum suum, nisi inter Potestatum cœlestium numerum sortem sortiuntur? Et sunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt, cumque et bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principantur : quo ergo isti sortem suam, nisi inter Principatuum numerum acceperunt? Et sunt nonnulli, qui sic in semetipsis cunctis vitiis omnibusque desideriis et illecebris dominantur, ut ipso jure munditiæ dii inter homines vocentur : quo ergo isti, nisi inter numerum Dominationum currunt? Et sunt nonnulli, qui dum sibimetipsis vigilanti cura dominantur, dum se sollicita intentione discutiunt, divino timori semper inhærentes, hoc in munere virtutis accipiunt, ut judicare et regere alios possint, quorum profecto mentibus divina contemplatio præsto est, in his velut in throno suo Dominus præsidens, aliorum facta examinat, et cuncta mirabiliter de sua sede dispensat : quid ergo isti, nisi Throni sui Conditoris sunt? Quia vero Cherubin *plenitudo scientiæ* dicitur, et Paulo dicente didicimus, quia [2] *plenitudo legis est charitas*, omnes, qui Dei ac proximi charitate cæteris amplius pleni sunt, meritorum suorum sortem inter Cherubin numeros perceperunt. Et sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis amore accensi, in solo Conditoris sui desiderio anhelant, nihil jam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abjiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant et ardent, atque in ipso suo amore requiescunt, amando ardent, loquendo et alios accendunt, et quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt : quid ergo istos nisi Seraphin dixerim, quorum cor in ignem conversum lucet et urit? »

CAPUT VII.

De Homine.

Gregorius, in *Homiliis* [3] : « Curemus, fratres carissimi, ne qua nos immunditia polluat; qui in æterna præsentia et Dei cives et angelis æquales sumus, vendicemus moribus dignitatem nostram. » Idem, in *Moralibus* [4] : « Ad hoc in paradiso homo positus fuerat, ut si se ad Conditoris sui obedientiam vinculis charitatis astringeret, ad cœlestem patriam angelorum quandoque sine carnis morte transiret. Sic namque immortalis est conditus, ut si non peccaret, etiam mori non potuisset, atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare, vel mori non potuisset. » Idem [5] : « Homo ab *humo* appellatus est; et quomodo valet esse sine macula, qui sponte sua ad infirmitatem concidit factus de terra? » Idem [6] : « Non se desperet humana fragilitas; Unigeniti sanguinem consideret, et in pretio suo conspiciat quam magna est, quæ tanti valet. »

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIV, circa med. — [2] *Rom.*, XIII, 10. — [3] Greg., *in Evang.*, hom. VIII, circa fin. — [4] Id., *Moral.*, lib. IV, c. XXXI. — [5] Ibid., lib. XII, c. XVI, in fin. — [6] Ibid., lib. XXVII, c. VIII, circa fin.

Augustinus, *de adulterinis Conjugiis*[1] : « Indignantur viri, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris feminis pœnas, cum tanto gravius eos puniri oportuit, quanto magis ad eos pertinet, et virtute vincere, et exemplo regere feminas christianas. » Idem, *de Trinitate* : « Justitiam sibi dare non potest homo, quam perditam non habet. Hanc enim, cum homo conderetur, accepit, et peccando utique perdidit. » Idem, *de Libero Arbitrio*[2] : Ex quo incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus autem modis peccat, antequam fiat sapiens : si aut non se accommodet ad accipiendum præceptum ; aut, cum acceperit, non observet. » Idem, *de Civitate Dei* : « Infantia quidem hominis non a risu, sed a fletu orditur hanc lucem ; quid malorum ingressa sit, nesciens prophetat quodam modo. » Idem : « Puer a ploratu incipit, nec ridere potest, propheta calamitatis. Lacrymæ sunt testes miseriæ : non adhuc loquitur, et jam prophetat. Erubescant cantatrices ibi non flere, ubi infans, qui non est unius diei, prædicat esse flendum. » Idem, *super Genesim, contra Manichæos*[3] : « Omnium animalium corpora, sive quæ in aquis, sive quæ in terra vivunt, inclinata sunt ad terram, et non sunt erecta sicut hominis corpus. Quo signatur etiam animum nostrum in superna sua, id est, in æterna spiritualia erectum esse debere. » Hieronymus, *in Matthæum*[4] : « Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum*[5] : « In hoc sumus imago Dei, ut quod bonum ei videtur, et apud nos sit bonum ; et quod ei malum videtur, et apud nos sit malos. » Idem in sermone : « *Comparatus est*, ait Propheta[6], *homo jumentis insipientibus, et similis factus est eis*. Pejus est comparari, quam nasci. Naturaliter non habere rationem, tolerabile est ; verum ratione decoratum, irrationali creaturæ comparari, voluntatis est crimen, non naturæ. » Bernardus, *in Meditationibus*[7] : « Tria in mente mea invenio, per quæ Deum recolo, aspicio, concupisco. Sunt autem hæc tria : memoria, intelligentia, voluntas. » Idem, *de Consideratione*[8] : « Homo natus ad laborem, non ad honorem. *Homo natus de muliere*[9], et ob hoc cum reatu ; *brevi vivens tempore*, ideoque cum metu ; *repletur multis miseriis*, et propterea cum fletu : et vere multis, quia corporis et animæ simul. » Idem[10] : « Attende, quid fuisti ante ortum, et quid es ab ortu usque ad occasum, ac quid eris post hanc vitam. » De primo paulo post versus :

Forma, favor populi, fervor juvenilis, opesque,
Surripuere tibi nosse, quid esset homo.

De secundo :

Post hominem vermis, post vermem fœtor et horror :
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Idem[11] : « Ad imaginem et similitudinem Dei factus est homo : in imagine arbitrii libertatem, virtutem habens in similitudine. Et similitudo quidem periit : *verumtamen*[12] *in imagine pertransit homo*. Imago siquidem in gehenna ipsa uri poterit, non exuri. » Idem[13] : « Quotquot degimus in regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, si diligenter advertimus, triplici hic incommodo miserabiliter laboramus : nam et faciles sumus ad seducendum, et debiles ad operandum, et fragiles ad resistendum. » Unde idem Bernardus[14] : « Si discernere volumus inter bonum et malum, decipimur ; si tentamus facere bonum, deficimus ; si conamur resistere malo, dejicimur et superamur. Nec mirum, quia,

[1] Aug., *de Adult. Conj.*, lib. II, c. VIII. — [2] Id., *de Lib. Arb.*, lib. III, c. XXIV. — [3] Id., *super Genes.*, lib. II, c. XVII, in fin. — [4] Hieron., Comment. *in Matth.*, XVIII. — [5] Chrysost., *de Ascens. Dom.*, serm. circa med. — [6] *Psal.* XLVIII, 13, 21. — [7] Bern., *Medit.*, c. I, in princ. — [8] Id., *de Consider.*, lib. II, longe post med. — [9] *Job*, XIV, 1. — [10] Bern., *Medit.*, c. III, a princ. — [11] Id., *in Annuntiat. B. Mar.*, serm. I, circa med. — [12] *Psal.* XXXVIII, 7. — [13] Bern., *de adv. Dom.*, serm. VII. — [14] Ibid.

ut dicitur in *Job*[1], *non est potestas super terram, quæ possit ei comparari*, scilicet adversarii nostri.» Boetius, infra[2] in capitulo *de Ignorantia humanæ naturæ*. Auctor *de Spiritu et anima*[3]: « Anima est rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Per rationabilitatem habilis est illuminari ad aliquid cognoscendum infra se, supra se, in se, juxta se. Cognoscit siquidem Deum supra se, se in se, angelum juxta se, quidquid cœli continetur ambitu infra se. Per concupiscibilitatem et irascibilitatem habilis est affici ad aliquid appetendum vel fugiendum, amandum vel odiendum. Et ideo de rationabilitate omnis sensus animæ oritur, et de aliis omnis affectus. »

CAPUT VIII.

De Muliere.

Gregorius, in *Registro*[4]: « Si hora eadem, qua genuerit, actura gratias mulier intret Ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur. Voluptas enim carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est: nam in prolis prolatione gemitus. » Idem[5]: « Menstrua consuetudo mulieribus non culpa est, videlicet quia naturaliter accidit. » Idem[6]: « Si in menstrua consuetudine ad sacramentum dominici corporis et sanguinis accedere mulieres non præsumant, de sua recta consideratione laudandæ sunt. Dum vero percipiendi (*a*) ex religiosæ vitæ consuetudine ejusdem mysterii amore rapiuntur, reprimendæ non sunt. » Idem[7]: In Sina monte Dominus ad populum locuturus, prius eumdem populum abstinere a mulieribus præcepit. Et si illic ubi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta provisione est munditia corporis requisita, ut qui verba Dei perciperent, mulieribus mixti non essent; quanto magis mulieres, quæ corpus Domini omnipotentis accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsa inæstimabilis mysterii magnitudine prægraventur? » Augustinus, *de Civitate Dei*[8]: « Quod femina Adæ ex ejus latere facta est, etiam hinc satis significatum est, quam sacra mariti et uxoris debeat esse conjunctio. » Idem, *de Patientia*[9]: « Non diabolus uxorem Job, cum etiam filios abstulisset, tanquam nocendi imperitus reliquerat, quæ quantum esset necessaria tentatori jam in Eva didicerat; sed modo alterum Adam, quem per mulierem caperet, non invenerat. Cautior fuit Job in doloribus, quam Adam in nemoribus.» Idem, *de decem Chordis*[10]: « Illa est casta et sancta femina, et vere christiana, quæ dolet fornicantem virum; et non dolet propter carnem, sed dolet propter charitatem. » Idem, *de verbis Domini*[11]: « Quod dolendum est, multi viri vincuntur a feminis: servant feminæ castitatem, quam viri servare nolunt. » Ambrosius, *de Virginibus*[12]: « Saltat, sed adulteræ filia; quæ vero pudica, quæ casta est, filias suas religionem docet, non saltationem. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum*, in originali[13]: « Quid est mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, notorium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, mali natura, boni colore depicta? Ergo si dimittere illam peccatum est, tenere autem viro tormentum est, necesse est, ut aut dimittentes adulterium faciamus, aut tenentes, quotidianas pugnas et amaritudines habeamus. » Idem[14]: « Sexus muliebris incautus et mollis est: « incautus quidem, quia non omnia quæ videt, aut audit, cum sapientia et ratione considerat; mollis autem, quia facile flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad

[1] *Job*, XLI, 24. — [2] Vid. inf., lib. III, c. XXIX. — [3] *De Spir. et Anim.*, c. IV, inter Op. August., append. tom. VI. — [4] Greg., lib. XII, epist. XXXI, *ad Augustin. interro.* X. — [5] Ibid., circa med. — [6] Ibid., paulo post. — [7] Ibid., circa fin. — [8] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XII, c. XXVII, n. 1. — [9] Id., *de Patient.*, c. XII. — [10] Aug., *de decem Chord.*, c. IX. — [11] Id., *de verb. Dom.*, serm. XLVI, in med. — [12] Ambros., *de Virginit.*, lib. III, n. 31. — [13] Chrysost., Op. imperf. *in Matth.*, XIX, hom. LII. — [14] Ibid., hom. XLIV, *in Matth.*, XXIII.

(*a*) *Edd. Vat., Ven. et Lugd.* percipiendæ.

malum. » Idem, in sermone[1] : « Quid est speciosa mulier ? sepulchrum dealbatum, nisi fuerit casta, sobria et pudica. Pulchritudo autem est sine his virtutibus præcipitium patens, venenum insipientibus compositum. » Idem, *super Joannem*[2] : « Nihil fortius muliere religiosa et prudente ad deliniendum virum, et informandum ejus animum ad quodcumque voluerit. » Hieronymus, in *Epistola ad Oceanum*[3] : « Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus feminarum est. Cum proximat stipula, incendit ignem : flammigero igne percutit femina conscientiam pariter habitantis, exurit fundamenta quoque (*a*) montium. » Seneca, in *Proverbio* : « Malo in consilio vincunt feminæ viros. » Secundus Philosophus : « Mulier est hominis confusio, insaturabilis bestia, sollicitudo continua, indesinens pugna, quotidianum damnum, castitatis impedimentum, domus tempestatis, adulterii vas, viri et continentiæ naufragium, præcipuum prælium, animal pessimum, pondus gravissimum, aspis insatiabilis, humanum mancipium. »

CAPUT IX.

De Christianis bonis.

Gregorius, in *Moralibus*[4] : « Ecce veritas clamat[5] : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Perfectus igitur Christianus quomodo debet res terrenas jurgando defendere, quas non præcipitur possidere ? Itaque cum res proprias amittimus, si perfecte Deum sequimur in hujus vitæ itinere, a magno onere levigati sumus. » Idem, in *Registro*[6] : « Christianum decet, ut (*b*) nobilem, plus benignum quam rigidum, plus misericordem esse quam districtum, et lucrum de damno alterius non expectare, sed recepti pretii sit sorte contentus : quatenus quidquid cessit pauperi, omnipotens ei Deus multiplicata, sicut promisit, restitutione compenset. » Augustinus, *de verbis Domini*[7] : « Cum Christianus cœperit bene vivere, ac fervere bonis operibus, mundumque contemnere, statim in ipsa novitate operum suorum patitur reprehensores et contradictores frigidos Christianos. Si autem perseveraverit, et eos superaverit perseverando, et non defecerit a bonis operibus, in idipsum illi jam obsequuntur, quod ante prohibebant. » Idem, *de Vita christiana*[8] : « Hoc est sacrificium, quod Deus super omnes hostias quærit et diligit, ut per justitiæ nostræ opera nomen suum ubique laudetur, et Deus verus esse servorum suorum actu et opere comprobetur. » Idem[9] : « Non solum hoc a Christiano quæritur, ut malo careat, sed ut bonum exerceat. » Isidorus, de *Etymologiis*[10] : « Non se glorietur Christianum, qui nomen habet, et facta non habet : ubi autem nomen secutum fuerit opus, certissime ille est Christianus, qui se factis Christianum ostendit, ambulans sicut et ille ambulavit, a quo et nomen traxit. » Ambrosius, in *Epistola*[11] : « Omnis, qui Christum recipit, sapiens est : qui autem sapiens est, etiam liber est : omnis igitur Christianus, et liber, et sapiens. » Joannes Chrysostomus, in *Epistola* : « Unum tantummodo Christianus judicat malum, solumque formidat Domini cœlestis offensam. » Bernardus, in *Epistola*[12] : « Quid prodest Christum sequi, nisi contingat et consequi ? Ideo Paulus aiebat[13] : *Sic currite ut comprehendatis.* » Idem[14] : « Ibi tu, Christiane, fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. *Factus est*, inquit[15], *obediens usque ad mortem.* » Glossa Bedæ, *Jacobi* primo : « Ne

[1] Chrysost., in *Psal.* XXX, ante med. — [2] Id., *in Joan.*, hom. LX, al. LXI, n. 4. — [3] Hieron., *ad Ocean.*, de vit. cleric. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. VIII. — [5] *Luc.*, XIV, 33. — [6] Greg., *ad Anthem. subdiac.*, *Epist.* lib. VII, p. II, epist. XXXVII. — [7] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XVIII, post med. — [8] Id., *de Vit. Christ.*, c. IX, in fin. — [9] Ibid., c. XVIII, in princ. — [10] Isid., *Etymol.*, lib. VII, c. XIV. — [11] Ambros., *ad Simpliciam.* Epist. — [12] Bern., *ad Theod. Monach.*, epist. VI, longe post med. — [13] I *Cor.*, IX, 24. — [14] Bern., *ad Abb. Garin.*, epist. CCLIII, prope fin. — [15] Philip., II, 8.

(*a*) *Al.* fundamentaque. — (*b*) et.

indignemini, si mali in mundo florent, si vos patimini; quia non est christianæ dignitatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in cœlo; vos nihil in mundo, sed spe illins boni, ad quod tenditis, quidquid in via contingat, gaudere debetis. » Glossa : « Mansuetudo hominem spernit; humilitas (a) se omnibus subjicit : decet autem Christianum æqualibus et inferioribus affabilem esse et mitem, senioribus humilem. »

CAPUT X.

De Christianis malis.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : « Multos peste propriæ pravitatis obsessos, sub christiano nomine ipsa tranquillitas ecclesiasticæ pacis abscondit : quos tamen si levis persecutionis aura pulsaverit, mox extra aream velut paleas tollit. » Idem, in Registro [2] : « Si veraciter Christianus esses, plus Dei judicium quam voces hominum timeres. » Hieronymus, infra [3] in capitulo : *De stultiloquio, De turpiloquio* : « Non flagito. » Augustinus, *de decem chordis* [4] : « Qui non de futuro sæculo cogitat, nec propterea Christianus est, ut id, quod in fine Deus promittit, accipiat, nondum Christianus est. » Idem, *de Vita christiana* [5] : « Christi ille non famulus, sed subsannator et irrisor est, qui ejus se servum dicit, cui servire dissimulat. » Idem [6] : « Non in hoc nobis nomen tantum quod Christiani dicimur, blandiamur; sed propter hoc etiam nos judicandos credamus, si nomen nobis frustra vendicemus alienum. » Isidorus, *de summo Bono* [7] : « Christianus malus secundum Evangelii doctrinam non vivit, et ipsam fidem, quam verbo colit, adorta tentatione, facile perdit. » Bernardus, *super Cantica* [8] : « Intestina et insanabilis est plaga Ecclesiæ, et ideo [9] *in pace amaritudo ejus amarissima.* Sed in qua pace pax est, et non est : pax a paganis, pax ab hæreticis, sed non profecto a filiis. Vox plangentis Ecclesiæ etiam tempore isto [10] : *Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me, spreverunt et maculaverunt me.* » Idem, in sermone : « Nunc frustra clamat Christus de levitate oneris sui; sine causa jugum suum suave prædicat : quandoquidem et ab ipsis, qui christiano censentur nomine, onus diaboli, et jugum carnis atque sæculi hujus delectabilius reputatur. » Idem [11] : « Sicut ipsi Christum persequuntur (b), qui ab eo ubique Christiani dicuntur *amici* [12] tui, Deus, *et proximi adversum te appropinquaverunt et steterunt*, conjurasse videtur contra te universitas populi christiani a minimo usque ad maximum. »

CAPUT XI.

De Prælatis bonis.

Gregorius, in *Moralibus* [13] : « Pia pastorum mens, quia non propriam gloriam, sed auctoris quærit, ab omnibus vult adjuvari. » Idem [14] : « Nolenti mihi atque reverenti, cum grave esset altaris mysterium, etiam pondus est curæ pastoralis injunctum. » Idem, in *Dialogo* [15] : « Petri vicem et ligando et solvendo obtinent, qui locum sancti regiminis fide et moribus tenent. » Idem, in *Pastorali* [16] : « Rector semper cogitatione sit mundus, quatenus hunc nulla immunditia polluat, qui hoc suscipit officium, ut in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat [17]. *Mundamini*, etc. Idem [18] : « Sit rector actione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet, et grex, qui pastoris vocem moresque sequi-

[1] Greg., *Moral.*, lib. V, c. , circa med — [2] Greg., *Epist.* xxxi, lib. XII, *ad Petr. subd.* — [3] Non reperitur. — [4] Aug., *de decem Chord.*, c. IV, in princ. — [5] Id., *de Vit. Christ.*, c. I. — [6] Ibid., c. VI. — [7] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. II, sent. 12. — [8] Bern., *in Cant.*, serm., in fin. — [9] *Isa.*, XXXVIII, 17. — [10] *Isa.*, I, 2 — [11] Bern., in convers. S. Pauli, serm. I — [12] *Psal.* XXXVII, 12. — [13] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c. XVI. — [14] Ibid, *ad Leandr.*, epist. dedic. in fin. — [15] Id., *Dial.*, lib. II, c. XXIII. — [16] Id., *Pastor.*, lib II, c. II. — [17] *Isa.*, LII, 11. — [18] Greg., *Pastor.*, part. II, c. III.

(a) *Edit. Val. et Ven. add.* in. — (b) *Edit. Val. Ven. Lug.* prosequuntur.

tur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. [1] *Super montem excelsum*, etc. » Idem [2] : « Sit rector discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem protrahit, ita indiscretum silentium hos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. » De primo in *Numeris* [3] : *Vas quod non*, etc. De secundo in *Isaia* [4] : *Canes muti.* Idem [5] : « Sit rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, ut et per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, et per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat. In *Genesi* [6], de angelis ascendentibus et descendentibus. Idem [7] : « Sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, ut et bonis in nullo se præferat, et, cum pravorum culpa exigit, potestatem sui prioratus agnoscat. » In Epistola *ad Hæbraos* dicitur, quod tria erant in arca, scilicet manna dulcedinis, virga disciplinæ, et tabulæ scientiæ legis. Idem [8] : « Tales sese, qui præsunt, exhibeant, quibus eorum subjecti occulta quæque sua prodere non erubescant : ut cum tentationum fluctus parvi tolerant, ad pastoris sui mentem, quasi ad matris suæ sinum recurrant. » Idem [9] : « Debet rector subtili examine bona malaque discernere, et quæ, vel quibus, quando et qualiter congruant studiose cogitare, nil proprium quærere, sed sua commoda propinquorum bona reputare. » Idem [10] : « Qui ad sollicitudinem regendarum animarum se accingit, restat ut, quibus æterna prædicat, ad providenda quoque eis temporalium necessitatum subsidia invigilet. » Idem, in *Homiliis* [11] : « Causæ pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum, quæ culpa præcesserit (*a*), aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam : ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis. » Idem, in *Registro* : « Prælatorum bonitas subjectorum salubris est regula. » Idem [12] : « Sic nos fidelibus subditis tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filiis solent, quos et pro culpis verberibus feriunt, et tamen ipsos, quos doloribus affligunt, et habere hæredes quærunt. » Augustinus, *de Pastoribus* [13] : « Glorientur pastores ; sed [14] *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hoc est Christum in subditis pascere ; hoc est in Christo pascere ; hoc est propter Christum et propter subditos sibi non parcere. » Idem [15] : « De bonis ovibus fiunt boni pastores. » Idem [16] : « Habemus duo quædam : unum quod christiani sumus ; alterum, quod præpositi sumus. Illud quod christiani sumus, propter nos est ; quod præpositi sumus, propter alios est. In eo quod christiani sumus, attenditur utilitas nostra ; in eo quod præpositi sumus, nonnisi aliena. » Ambrosius, in *Pastorali* [17] : « Quod sumus professione, actione potius, quam nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini. Ne sit nomen inane, et crimen immane. Ne sit honor sublimis, et vita proclivis. Ne sit deifica professio, et illicita actio. Ne sit religiosus amictus, et irreligiosus profectus. Ne sit gradus excelsus, et deformis excessus. Ne habeatur in ecclesia cathedra sublimior, et conscientia sacerdotis reperiatur humilior. Ne locutionem simulemus columbinam, et mentem habeamus caninam. Ne professionem monstremus ovinam, et ferocitatem habeamus lupinam. » Idem, *de Officiis* [18] : « Decet omnes censura frugalitatis, continentiæ auctoritas, et maxime eum qui ho-

[1] *Ezech.*, XL, 2. — [2] Greg., *Pastor.*, p. II, c. IV. — [3] *Num.*, XIX, 15. — [4] *Isa.*, LVI, 10. — [5] Greg., *Past.*, p. II, c. V. — [6] *Gen.*, XXVIII, 12. — [7] Greg., *Past.*, p. II, c. VI. — [8] Ibid., c. V. — [9] Ibid., c. II. — [10] Gloss., *in Cant.*, V. — [11] Id., *in Evang.*, hom. XXVI, ante med. — [12] Greg., *Epist.*, lib. XII, epist. XXI, *ad Augustin.* interrog. 4. — [13] Aug., *de Pastorib.*, c. XII. — [14] I *Cor.*, I, 31. — [15] Aug., *de Past.*, c. XIII. — [16] Ibid., c. I, in princ. — [17] Ambr., *de dignit. Sacerd*, c. III. — [18] Id., *de Offic.*, lib. II, c. XIII. — (*a*) *Al.* præcessit.

nore præstat, ne præeminentem virum thesauri possideant sui, et pecuniis serviat, qui præest liberis. » Idem [1] : « Quomodo potes eum judicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet esse, cui me committere paro. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* : « Vis apparere sanctus, circa tuam vitam esto austerus, circa aliorum benignus; audiant te homines parva mandantem, et gravia facientem. » Idem : « Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam dare rationem, quam propter crudelitatem succumbere pœnitentem? » Isidorus, in *Synonymis* [2] : « Talem te redde subditis, ut magis ameris quam timearis. Reverentia enim ex amore procedit, odium vero timor efficit. » Bernardus, in *Epistola* [3] : « Nec præceps eris in sententia, nec vehemens in vindicta; non in corrigendis remissior, non in parcendis severior, non pusillanimis in expectandis; non superfluus in victu, non notabilis in vestitu; non citus ad promittendum, non tardus ad reddendum; non prodigus dator, non tenax ad largiendum. » Idem [4] : « Non vos felices, quia præestis et non prodestis; imo, si non prodestis, vos infelices putate. Ut autem secure præesse possitis, subesse et vos, si cui debetis, non indignemini. Indignatio quippe subjectionis, prælationis reddit indignum. » Idem [5] : « Si rebus raritas pretium facit, nil in Ecclesia Dei pretiosius, nil optabilius est bono utilique pastore. Nempe rara avis est ista. » Idem [6] : « In alto noli altum sapere; sed humilibus consentire, nil Deo carius, nil rarius apud homines. » Idem, *super Cantica* [7] : « Sciant boni fidelesque præpositi languentium sibi creditam curam animarum, non pompam rerum sæcularium : cumque internum murmur cujuspiam illarum querulæ vocis indicio deprehendunt, et si etiam in ipsos usque ad convicia et contumelias prorumpentes, medicos se, et non dominos agnoscentes, parant confestim adversus frenesim animæ, non vindictam, sed medicinam. » Idem infra [8], capite *de fama* : « Validos et constantes. » Idem, *de Præcepto et dispensatione* [9] : « Ponant præpositi metam obedientiæ subditorum ex votis labiorum suorum, non suorum desideriorum, monentes eos, non cogentes ad celsiora; condescendentes eis, cum necesse fuerit, ad remissiora; non cadentes cum eis ad deteriora. » Idem [10] : « Nil me prælatus prohibeat eorum quæ promisi, nec plus exigat quam promisi. Vota mea non augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate. » Idem, *de Consideratione* [11] : « Præsis ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves. Præsis ut prosis; præsis ut [12] *fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Ad quid? *ut des illis escam in tempore,* hoc est, ut dispenses, non imperes. » Idem [13] : « Si te agnoscis sapientibus et insipientibus non dominatorem, sed debitorem, conandum summopere tibi, et tota vigilantia considerandum, quomodo et qui non sapiunt, sapiant, et qui desipuere, resipiscant. » Idem, in secunda parte Epistolarum : « Pascere tripliciter debemus : exemplo conversationis, verbo prædicationis, fructu orationis; et pascere ad mandatum Christi, ut nemo sibi hunc sumat honorem, sed [14] *qui vocatus fuerit a Deo tanquam Aaron.* » Idem in sermone [15] : « Quoties prælatus pro uno ex minimis Dei spirituale studium intermittit, toties pro eo spiritualiter animam suam ponit. » Idem, multa infra, *de Temperantia* [16], *de Dignitate bona, de Zelo, de Sollicitudine, de Correptione, de Æquitate* [17].

[1] Ambr., *de Offic.*, lib. II, c. XII. — [2] Isid., *de Synon.*, c. penult., in princ. — [3] Bern., *ad Henric. Senon.*, epist. XLII, non longe a princ. — [4] Ibid., longe post med. — [5] Id., *ad Eug. Pap.*, epist CCXLVIII. — [6] Id., *ad Hildebert. Turon.*, epist. CXXIII. — [7] Id., *in Cant.*, serm. XXV, in princ. — [8] Vid. inf., lib. IV, c. XLVII. — [9] Id., *de Præc. et Dispens.*, longe ante med. — [10] Ibid , paulo ante. — [11] Id., *de Consid.*, lib. III, non longe a princ. — [12] *Matth.*, XXIV, 45. — [13] Bern., *de Consid.*, lib. III. — [14] *Hebr.*, V, 4. — [15] Bern., super *Ecce nos reliquimus omnia*, ante med. — [16] Vid. inf., lib. II, c. XV. — [17] Inf., lib. IV, c. XXXV-XXXIX, etc.

CAPUT XII.

De Prælatis malis.

Gregorius, in *Moralibus*[1]: « Unusquisque superbus rector toties ad culpam apostasiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatus, honoris sui singularitate lætatur. » Idem, infra, in capitulo *de Stultiloquio*[2], de conviciatione: « Sæpe qui in potestate sunt. » Idem[3]: « Cum majores ipsi voluptati deserviunt, nimirum minoribus lasciviæ fræna laxantur. » Idem[4]: « Hypocrita, assumpto sanctæ conversationis habitu, filiorum custodiam deserit, et temporalia quæque defendere etiam jurgiis quærit. » Idem, in *Registro*[5]: « Ita sibi regentium merita connectuntur, et plebium, ut sæpe ex culpa præsidentium deterior fiat vita subditorum; et sæpe ex demerito plebium, delinquat vita pastorum. » Idem[6]: « Quod dicere pudet, et grave tacere est, regendi rectores, et qui docendi sunt doctores, nec erubescunt videri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ductoris est ignota, et quo vel ipsi gradiantur, ignari sunt. » Idem de quodam abbate malo[7]: « Qui tot discipulos per suam negligentiam ad infernum duxit, reliquis nunquam præponi debuit. » Augustinus, in *Epistola*: « Omnis, qui male vivit in conspectu eorum quibus præpositus est, quantum in ipso est, omnes occidit. » Idem, *de Civitate Dei*[8]: « Illo pacis ordine, quo alii aliis subjecti sunt, sicut prodest humilitas servientibus, ita nocet superbia dominantibus. » Idem, *de Pastoribus*[9]: « Sunt pastores, qui pastorum audire nomina volunt, pastorum officium implere nolunt. » Idem[10]: « Quisquis ita præpositus est, ut in eo, quod præpositus est, gaudeat, et honorem suum quærat, et commoda sua sola respiciat, se pascit, non oves. » Idem[11]: « Parum est malis pastoribus, quod oves languentes, et infirmas, et errantes, et perditas non curant; sed etiam ipsas fortes et pingues necant, quantum in ipsis est: et si illæ vivunt, de misericordia Dei vivunt; tamen, quantum ad pastores malos attinet, occidunt. Quo modo, inquis, occidunt? male vivendo, malum exemplum præbendo. » Bernardus, *de Consideratione*[12]: « Monstruosa res est, gradus summus, et animus infimus; status supremus, et gressus minimus; sedes prima, et vita ima; lingua magniloqua, et manus otiosa; sermo multus, et fructus nullus; vultus gravis, et actus levis; lingens auctoritas, et nutans stabilitas. » Idem[13]: « Simia in tecto, rex fatuus in solio suo sedens. » Idem, in *Epistola*[14]: « Si instar mei, qui ovis sum, pastor meus et ipse curvus graditur, vultum gerens deorsum, et terram semper respiciens, ventri solum, mente jejunus, pabula terrena quæritans, in quo discernimur? Væ, si venerit lupus; non erit qui prævideat, qui occurrat, qui eripiat. » Idem, *super Cantica*[15]: « Innumeros cernes simpliciter ac sine querela inter fratres conversari, quos si fratribus præesse feceris, non solum inutiliter, sed et insipienter, et nequiter agere videbis. » Idem[16]: « Non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare; non est custodire, sed perdere; non est defendere, sed exponere; non est instruere, sed prostituere; non est pascere gregem, sed mactare et devorare, dicente de prælatis Domino[17]: *Qui devorant plebem meam, ut cibum panis.* » Idem[18]: « Quomodo in pascua divinorum educet eloquiorum greges dominicos pastor idiota? Sed et si doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum ne non tam nutriat doctrina;

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXIV, c. XIV. — [2] Vid. inf., lib. III, c. III. — [3] Greg, *Moral.*, lib. II, c. X. — [4] Ibid., lib. XXXI, c. VIII, in princ. — [5] Ibid., *Moral.*, lib. XXV, c. XIV. — [6] Id., *ad Brunichild.*, *Epist.* CXIV, lib. VII. — [7] Id., lib. IV, epis. XLVIII. — [8] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XV. — [9] Id., *de Past.*, lib. II, c. I, in princ. — [10] Ibid., in fin. — [11] Ibid., c. IV, in fin. — [12] Bern., *de Consid.*, lib II, circa med. — [13] Ibid., paulo ante cit. verba. — [14] Idem., epist. XLII, *ad Henr. Senon. Arch.* — [15] Idem., *in Cant.*, serm. XXIII, ante med. — [16] Ibid., serm. LXXVII, non longe a princ. — [17] *Psal.* XIII, 4. — [18] Bern., *in Cant.*, serm. LXXVI, in fine.

quam vita sterilis noceat. » Idem : « [1] *Omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi :* ministri Christi sunt, et serviunt Antichristo : honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus in cibis et potibus. » Idem [2] : « Miror audaciam plurimorum, quos non videmus de suis vineis colligere nisi spinas et tribulos, vineis tamen dominicis etiam se ingerere non vereri : fures sunt et latrones, non custodes, neque cultores in illis. Idem [3] : « De eis dico, qui animas regere susceperunt, quod sine mirabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, et mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, et profligant in acquisitione turpis quæstus. » Idem [4] : « Animarum nec casus reputatur, nec salus. Non sunt profecto matres, qui cum sint de Crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Joseph. » Idem : « Parum est nobis, » infra in capitulo *de Oblivione.* Idem [5] : « Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus invigilet subditorum vacuandis marsupiis, quam vitiis extirpandis? Ubi est, qui orando flectat iram Dei, qui prædicet annum placabilem Deo? Leviora loquimur, graviora gravius manet judicium. » Idem in *Sermone* [6] : « Utinam nostri quicumque videntur hodie pharisæi, forte enim aliqui sunt, etiamsi non facerent, saltem dicerent, quod oportet. Utinam qui sine sumptu Evangelium ponere nolunt, ponerent vel pro sumptu ! utinam vel evangelizarent, ut manducarent ! » Idem, *de Contemptu* [7] : « O terribilis Deus in consiliis super filios hominum, frustra [8] *incipient* miseri prælati *dicere montibus : Cadite super nos ; et collibus : Cooperite nos.* Venient ante tribunal Christi ; audietur populorum querela gravis, accusatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata, quibus facti sunt duces cæci, mediatores fraudulenti. » Idem, in capite *de Ignorantia* [9] : « Quando excusare poterit, » etc. Glossa in *Matthæum* [10] : « Quam rarus est Domino serviens, oves Christi non ad lucrum, sed amore Christi pascens ! » Multa infra, lib. III, cap. *de Honore, de Zelo, de Doctrina, de Correctione, de Remissione, de Acceptione personæ.*

CAPUT XIII.

De subditis.

Gregorius, in *Moralibus* [11] : « Cum subjectorum corda superbia instigat, hoc summopere agere nititur, ut sua acta considerare funditus negligant, et semper, tacitis cogitationibus, rectoris sui judices fiant. » Idem [12] : « Dum salva fide res agitur, virtutis est meritum, si quidquid superior præcipit, humiliter toleratur. Debet tamen humiliter suggeri, si forte valeat, quod displicet, emendari. » Idem in *Registro* [13] : « Servorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere. Qui vero se contra præpositos suos erigunt, profecto ostendunt, quia servi Dei esse contemnunt. » Idem [14] : « Qui paternæ adhortationis verba libenti animo suscipit, et in sinu cordis amplectitur, emendatorem se vitiorum fore proculdubio profitetur. » Idem, in *Homiliis* [15] : « Utrum juste, aut injuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est : ne is, qui subest, et tamen injuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam, ex alia culpa, mereatur. » Idem [16] : « Pastor vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu pastoris est, ligari timeat juste, vel injuste,

[1] *Philipp.*, II, 21. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. XXX, circ. med. — [3] Id., serm. X, non longe a princ. — [4] Ibid, paulo post. — [5] Id., serm. LXXVII, paulo post prin. — [6] Idem, serm. *de Conv. ad Clericos*, c. XXXI. — [7] Idem, in declam. super *Ecce nos rel. omnia*, ante med. — [8] *Luc.*, XXIII, 30. — [9] Vid. inf., lib. III, c. CXXIX. — [10] *Glossa in Matth.*, XXIV. — [11] Greg., *Moral.*, lib XXXIV, c. XVIII, paulo ante med. — [12] Ibid., lib. XXV, c. XIV, circa med. — [13] Idem in *Reg.*, lib. II, c. XXIII. — [14] Ibid., lib. IV, Ind. IV, c. LIV. — [15] Idem., hom. XXVI, *in Evang.*, ante med. — [16] Ibid.

nec pastoris sui judicium temere reprehendat; ne, etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat. » Idem, infra[1], in capitulo *de Disciplina*: « Tanto apud Dominum, » etc. Isidorus, *de summo Bono*[2]: « Melior est subjecta servitus, quam elata libertas. » Idem, in *Synonymis*[3]: « Potiori gradui competentem reverentiam tribue, et juxta dignitatem unicuique redde honorem. » Hieronymus in (capitulo *de Obedientia*[4]): « Servias fratribus, » etc. Augustinus, *de Natura boni*[5]: « Injustum non est, ut improbis accipientibus nocendi potestatem, et patientia bonorum probetur, et malorum iniquitas puniatur. » Idem, *de Civitate Dei*[6]: « Justis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed examen virtutis. Proinde bonus, etiamsi serviat, liber est; malus autem, etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed, quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum. » Joannes Chrysostomus, super *Matthæum*[7]: « Propter bonos sacerdotes, etiam malos honorate, ne, propter malos, etiam bonos contemnatis. » Bernardus, super *Cantica*[8]: « Parum est esse subjectum Deo, nisi sis et omni creaturæ propter Deum: sive abbati tanquam præcellenti; sive prioribus, tanquam ab eo constitutis. Ego plus dico, subdere paribus, subdere et minoribus; *sic enim decet nos*, inquit Dominus[9], *omnem implere justitiam*. Glossa: « Si subditi aliquid peccant, propter quod doctores a quiete surgere cogantur, non tantum pœnam peccati illius incurrunt, sed etiam puniuntur pro inquietudine doctorum. » Idem[10]: « Qui doctores cœlestibus intentos inquietare præsumit, etiam virtutes, quas credebat se habere, perdit. »

CAPUT XIV.

De prædicatoribus bonis.

Gregorius, in *Moralibus*[11]: « A bonis prædicatoribus non causa victus prædicatio impenditur, sed causa prædicationis victus accipitur: et quoties prædicantibus necessaria ab audientibus conferuntur, non solum de rerum munere, sed de conferentium gaudent mercede. » Idem: « Ille apud Deum magis in amore ejus est, qui ad ejus amorem plurimos trahit. » Idem[12]: « Humani generis Redemptor per diem miracula in urbibus exhibebat, et ad orationis studium in nocte pernoctabat: ut perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec activam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia operationis nimietate penitus contemnant; sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant. » Hieronymus, in originali super *Hieremiam*[13]: « Ille est doctor ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum movet; qui corripit peccatores; qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem. » Augustinus, *de Doctrina Christiana*[14]: « Qui dicendo nititur persuadere quod bonum est, nihil horum trium spernens, ut scilicet doceat, ut delectet, et flectat; oret atque agat, ut intelligenter, libenter, obedienter audiatur. » Idem[15]: « Habet, ut obedienter audiatur, quantacumque granditate dictionis, majus pondus vita docentis. Nam qui sapienter et eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit quidem multos discendi studiosos, quamvis animæ suæ sit inutilis. » Ambrosius, *de Virginibus*[16]: « Debet is, qui docet, supra eum, qui docetur, excellere. » Isidorus, *de summo Bono*[17]: « Prius debet justus prædicator bene agere, ut consequenter possit bene docere. Sicut enim in numismate

[1] Vid. inf., lib. IV, c. IX. — [2] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. XXX, c. XLV, sent. 3 — [3] Idem, lib. *de Syn.*, c. XVI, in fin. — [4] Vid. inf., lib. II, c. XLIII. — [5] Aug, lib. *de Nat. bon.*, c. XXXII. — [6] Idem, *de Civit. Dei*, lib. IV, c. II, in fine. — [7] Chrys., Op. imp., hom. XLIII. — [8] Bern., *in Cant.*, serm. XLII, circa med. — [9] *Matth.*, III, 15. — [10] Bern., *in Cant.*, serm. XLII. — [11] Greg., *Moral.*, lib. XIX, c. X, non longe a princ. — [12] Ibid., lib. VI, c. XVII, paulo a princ. — [13] Hieron., in *Lamentat.*, lib. I. c. I. — [14] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. IV, c. XVII. — [15] Ibid., c. XXVII. — [16] Ambros., *de Virgin.*, lib. II, in princ. — [17] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXXVI, sent. 5.

metallum, et figura, et pondus perquiritur; ita in omni doctore ecclesiastico, quem sequatur, quid doceat, quo modo vivat, inquirendum est. Per qualitatem igitur metalli doctrina, per figuram sollicitudo patrum, per pondus humilitas designatur. Qui ergo ab his tribus discrepaverit, non metallum, sed terra erit. » Bernardus, super *Cantica*[1] : « Est funiculus triplex, qui difficile rumpitur, ad extrahendas animas de carcere diaboli, et trahendas post te ad cœlestia regna : si recte sentias ; si digne proloquaris ; et si vivendo confirmes. » Seneca, in *Epistola*[2] : « Eligamus non eos qui verba magna celeritate præcipitant, sed eos qui vita docent ; qui, cum dixerint quid faciendum sit, probant hoc ipsum faciendo, quod docent ; qui docent quid vitandum sit, nec unquam in eo, quod fugiendum dixerunt, deprehenduntur. Eum elige doctorem, quem magis admireris, cum videris, quam cum audieris. » Multa libro tertio, *de Doctrina*[3], de conjunctione vitæ et doctrinæ.

CAPUT XV.

De Prædicatoribus malis.

Gregorius, in *Moralibus*[4] : « Mens concupiscentiis exterioribus occupata, divini amoris igne non caret : et idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corpore proferuntur. » Idem[5] : « Qui mandata Dei in memoria retinet, sed nequaquam facit, is in doctrinæ suæ verbis sententias, quibus damnetur, tenet. » Idem, super *Ezechielem*[6] : « Turpe est nimis ibi nos negligendo cadere, unde prædicando conati sumus alios levare. » Idem[7] : « Non facile prædicatio prædicatoris accipitur, si levis in moribus esse videatur. Et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa non affuerit operis fortitudo. » Idem, in capitulo *de Conscientia mala* : « Scriptura sacra, » etc. Idem, in *Registro*[8] : « Nimis iniquum est, si hi, qui prædicatores humilitatis facti sunt, de vani nominis elatione glorientur, cum verus Prædicator dicat[9] : *Mihi autem absit gloriari,* » etc. Idem[10] : « Quod per linguam prædicamus, per exempla destruimus, dum iniqua docemus operibus, et sola voce ea, quæ sunt justa, prætendimus. Ossa jejuniis atterimus, et mente turgemus : corpus despectis vestibus regimus, et elatione cordis purpuram superamus : jacemus in cinere, et excelsa suscipimus. Doctores humilitatis, duces superbiæ, ovina facie, lupinos dentes abscondimus. » Hieronymus, in *Epistola*[11] : « Delicatus est magister, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest ; sacerdotis Christi os cum mente concordet. » Idem[12] : « Nec rusticus, nec simplex frater ideo se sanctum putet, si nihil noverit ; nec peritus et eloquens lingua existimet sanctitatem. Multoque melius est ex duobus imperfectis, rusticitatem habere sanctam, quam eloquentiam peccatricem. » Idem, in originali super *Michæam*[13] : « An non confusionis et ignominiæ est, Jesum crucifixum, magistrum pauperem atque esurientem, fartis prædicare corporibus, et jejuniorum doctrinam rubente bucca tumentique ore proferre ? Si in apostolorum loco et ordine sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed et conversationem quoque et abstinentiam. » Idem : « Rigida vita, » infra, *de Adulatione*. Isidorus, *de summo Bono*[14] : « Ad majoris culpæ cumulum pertinet, scire quemquam quod sequi oporteat, et sequi nolle quod sciat. » Idem[15] : « Qui non vivit sicut docet, ipsam, quam prædicat, veritatem contemptibilem facit. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* : « Non poterit excusari doctor, cujus verba aliud

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XVI, paulo a princ. — [2] Senec., epist. LII, circa med. — [3] Inf., lib. III, c. XXXIII. — [4] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXVI, ante med. — [5] Ibid., lib. XV, c. VII. — [6] Id., *in Ezech.*, hom. XIX, longe ante med. — [7] Ibid., hom. III, ante med. — [8] Id., *Epist.* LXIX, lib. VI. — [9] *Gal.*, VI, 14. — [10] Greg., *Epist.* LXXVI, lib. IV. — [11] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II. — [12] Ibid., post med. — [13] Id., *in Michæ.*, lib. II, c. II. — [14] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. II, sent. 10. — [15] Ibid., lib. III, c. XXXVII, sent. 1.

sonant, aliud facta demonstrant. » Idem, *de Compunctione cordis* [1] : « Docere, et non facere, non solum nihil lucri, sed etiam damni plurimum confert. Grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum, vitam vero suam atque operam negligenti. » Augustinus, in *Epistolis* : « Exaudi teipsum, durissime, immanissime, surdissime doctor; quid mihi lingua aurea, et cor ferreum? » Idem, *de Divinatione dæmonum* [2] : « In hominibus etiam vitæ bonæ præcepta videmus pariter a justis perversisque doceri. Nec obesse aliquid, imo et prodesse ad majorem notitiam famamque veritatis, cum de illa etiam hi, quidquid noverint, dicunt, qui et perversis moribus contradicunt. » Bernardus, in *Sermone* [3] : « *Beati*, inquit [4], *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Considerate diligenter non pacidicos, sed *pacificos* commendari : sunt enim qui dicunt, et non faciunt. Sane quemadmodum non auditores legis justi sunt, sed factores; sic non annuntiatores pacis, sed actores beatificantur. » Seneca, in *Epistola* : « Hoc turpissimum est, quod nobis objici solet, verba nos fari, non opera tractari. »

CAPUT XVI.

De prædicationem usurpantibus.

Gregorius, in *Pastorali* [5] : « Sunt nonnulli, qui solerti cura spiritalia præcepta perscrutantur; sed quæ intelligendo penetrant, vivendo conculcant. Repente docent, quæ non opere, sed meditatione didicerunt; et quod verbis prædicant, moribus impugnant. » Idem [6] : « Redemptor noster, cum in cœlis sit conditor omnium, et ostensione suæ potentiæ sit doctor angelorum, ante triecennale tempus magister fieri noluit hominum : ut videlicet præcipitatis et usurpantibus viam saluberrimi timoris infunderet, cum ipse etiam, qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam non nisi in perfecta ætate prædicaret. » Idem, super *Ezechielem* [7] : « Cum prima sunt adolescentiæ vel juventutis nostræ tempora, nobis adhuc a prædicatione cessandum est, ut vomer linguæ nostræ proscindere non audeat terram cordis alieni, cum non habeat duritiem et aciem incidendi. » Idem [8] : « Adhuc nobis in infirmitatis confusione jacentibus, præberi non debet auctoritas prædicationis; sed cum jam in bono opere surgimus, cum jam recti stare cœperimus, dignum est ut ad lucrandum alios cum prædicatione mitti debeamus. » Idem, in *Moralibus* [9] : « Infirma ætas, etiam cum recte sentit, ad prædicandum non debet incaute prosilire. » Idem : « Qui mundum deserunt, ad exteriora officia provehi non debent, nisi per humilitatem diutius in ejusdem mundi contemptu solidentur. » Isidorus, *de summo Bono* [10] : « Quadrimoda est dicendi ratio, qua aut bene sentiendo, quod bene profertur; aut nihil sentiendo, nihil dicitur; aut parum sentiendo, loquacitas sola ostentatur; aut optime sentiendo, non eleganter profertur, quod intelligitur. » Bernardus, super *Cantica* [11] : « Canales hodie multos habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas. Tantæ enim charitatis sunt, per quos nobis fluenta cælestia manant, ut ante effundere, quam infundi velint; loqui, quam audire; paratiores docere, quod non didicerunt; et aliis præesse gestientes, qui se ipsos regere nesciunt. » Idem [12] : « Publice prædicare, nec monacho convenit, nec novitio expedit, nec non misso licet. » Idem [13] : « Quod tuum est spargis et perdis, si prius quam infundaris, tu totus semiplenus festines effundere, contra legem arans in primogenito bovis, et ovis primogenitum tondens. Nimirum vita atque (*a*) salute, quam alteri das, te fraudas,

[1] Chrysost., *de Compunct. Cord.*, lib. I, in fine. — [2] Aug., *de Divinat Dæm.*, c. VI. — [3] Bern., *de Convers. ad Clericos*, c. XXXI. — [4] *Matth.*, V, 9. — [5] Greg., *Pastor.*, p. I, c. II, in princ. — [6] Ibid., p. IV, c. II, admon. 26, circa fin. — [7] Id., *in Ezech.*, hom. II, longe ante med. — [8] Ibid., hom. IX, longe ante med. — [9] Id., *Moral.*, lib. XI, c. V. — [10] Isid., *de Sum Bon.*, lib. II, c. XXIX, sent. 16. — [11] Bern., *in Cant.*, serm. XVIII, parum a princ. — [12] Ibid., serm. LXIV, ante med. — [13] Ibid., serm. XVIII, paulo a princ.

(*a*) *Cæt. edit.* absque.

cum sana vacuus intentione gloriæ inanis vento inflaris. » Idem : « Multi, puritate neglecta, ante loqui quam audire conati sunt, et aut graviter erraverunt nescientes de quibus loquerentur, neque de quibus affirmarent; aut turpiter viluerunt, dum qui alios docerent, seipsos prius non docuissent. » Idem, in *Epistola*[1] : « Docere nec indocto est in promptu, nec monacho in ausu, nec peccanti in affectu. » Glossa super illud[2] : *Si est tibi intellectus*, etc. : « Sicut peccat, qui scit, et non vult docere proximum suum; sic qui nescit, et vult magister esse. »

CAPUT XVII.

De negligentibus prædicationem.

Gregorius, in *Pastoralibus*[3] : « Quo reatu adstringantur, aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus animabus vitæ remedia abscondunt. » Idem, in capitulo *de Consensu proximorum* : « Mala, » etc. Idem[4] : « *Si quis est Domini*[5], *jungatur mihi.* » Et postea subdit : « Si ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo divini amoris excitatur, profecto se Dei esse denegat, qui, in quantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat. » Bernardus, *super Cantica*[6] : « Rem profecto proximi retines, si plenus virtutibus cum sis, forisque nihilominus donis scientiæ et eloquentiæ adornatus, metu forte, aut segnitie, aut minus discreta humilitate, verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili, imo et damnabili ligas silentio. Certe[7] *maledictus, qui frumenta abscondit, in populo.* »

CAPUT XVIII.

De auditoribus verbi Dei.

Gregorius, in *Moralibus*[8] : « Verba sapientiæ quæ reprobi audiunt, electi non solum audiunt, sed etiam degustant, ut eis in corde sapiat, quod reproborum non mentibus, sed solummodo auribus sonat. » Idem[9] : « Plerumque discipuli incassum bona audiunt, cum ex magistri vita mala et exemplo destruuntur. » Idem, in capitulo *de Scientia mala* : « Quisquis a præceptis. » Idem super Ezechielem[10] : « Quidam verbum Dei audientes, non audiunt; quoniam aurem ad sacrum eloquium ponunt, sed cor a mundi desideriis non evellunt. » Idem[11] : « Gloria prædicatoris, est profectus auditoris. » Idem, in *Homiliis*[12] : « Cibus mentis est sermo Dei : et quasi acceptus cibus, stomacho languente, rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quisquis alimenta percepta non retinet, hujus profecto vita desperatur. Per vocem auditus non instruimur, quando mens interius per spiritum non jungitur. » Idem[13], *super Ezechielem* : « Tutius veritas auditur, quam prædicatur : quoniam cum auditur, cordis humilitas custoditur; cum autem prædicatur, vix non surripit cuique hominum quantulacumque jactantia, in qua utique pedes affectionis vel intentionis aliquantulum inquinantur. » Idem in *Registro*[14] : « Utilis est semper docti viri allocutio : quia aut discit audiens, quod nescire se noverat; aut cognoscit, quod est amplius id, quod se et nescivisse nesciebat. » Augustinus, *de Vita beata*[15] : « Si vos invitos et fastidientes alere conabor, frustra operam insumam. » Idem, *de Verbis Domini*[16] : « In doctore inhonesta est causa, non facere, quod præcipit observare; in discente vero audire velle, quod nolit implere. » Idem, *de Doctrina christiana*[17] : « Fit ut homines eum non obedienter audiant, qui seipsum non audit; et Dei verbum, quod eis prædicatur, simul cum ipso prædicatore contemnant. »

[1] Bern., *ad Oger.*, epist. LXXXIX. — [2] *Eccli.*, V, 14. — [3] Greg., *Pastor.*, p. III, c. II, admon. 26, fere in princ. — [4] Ibid., paulo a med. — [5] *Exod.*, XXXII, 26. — [6] Bern., *in Cant.*, serm. XVIII, fere in princ. — [7] *Prov.*, XI, 26. — [8] Greg., *Moral.*, lib. XI, c. V. — [9] Ibid., lib. XII, c. VII. — [10] Id., *in Ezech.*, hom. XII, circa med. — [11] Ibid., hom. XVII, ante med. — [12] Id., *in Evang.*, hom. XV, non multo a princ. — [13] Est apud Aug., *in Joan.*, tract. LVII, ante med. — [14] Idem *in Reg.*, lib. V, ind. I, c. VI, in princ. — [15] Aug., *de vit. Beat.*, disput. I, diei, ante med. — [16] Id., *de verb. Dom.*, serm. III, paulo post princ — [17] Id., *de Doct. Christ.*, lib. IV, c. XXVII, in fine.

Idem, in *Epistola*[1] : « Ego cum amatores sæculi intueor, nescio quando possit esse ad eorum animos sanandos opportuna prædicatio : quando enim res hujus mundi velut prosperas habent, fastu suo respuunt salubres monitiones, et quasi anilem reputant cantilenam; quando autem in adversis anguntur, magis conantur evadere unde ad præsens anguntur, quam capere unde curentur. » Idem, in *Sermone*[2] : « Non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audit, quam ille, qui negligentia sua corpus Christi in terra cadere permiserit. » Bernardus, in *Sermone*[3] : « Benigne audiendum est, devote suscipiendum, sollicite conservandum quidquid ad animarum salutem pertinet; et non sicut verbum hominum, sed sicut vere est, Dei verbum, sive sit illud consolatorium, sive comminatorium, sive etiam increpatorium audiatur. » Glossa[4] : « Illi soli beati sunt, qui audiunt, et mente recondunt, ut opere compleant, et opere impleant, ut vitam æternam possideant.

CAPUT XIX.

De Episcopis.

Gregorius, in *Registro*[5] : « Episcopus cum loco mutet mentem. Non sibi credat solam lectionem et orationem sufficere, ut remotus ab aliis studeat sedere, et de manu nihil fructificare; sed largam manum habeat; necessitatem patientibus occurrat; alienam inopiam, suam credat : quia si hoc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet. » Idem[6] : « Tota mente fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humilem, et in adversis, si quando adveniunt, cum justitia erectam; amicam bonis, contrariam perversis : nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens; misericordiæ operibus juxta possibilitatem substantiæ insistens, et eisdem insistere etiam supra posse cupiens; infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans; in corrigendis vitiis sæviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens; in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatis suæ sententiam non deserens. » Idem[7] : « Valde periculosum est animæ, temere cuiquam manum imponere. » Idem, in *Pastoralibus*[8] : « Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque ut metiri sese sollicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringatur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. » Isidorus, *de summo Bono*[9] : « Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere : ignorantia quippe præsulum, vitæ non congruit subjectorum. » Idem[10] : « Agnoscat episcopus servum se esse plebis, non dominum. » Idem, *de Officiis*[11] : « Episcopo, dum consecratur, baculus datur, ut ejus judicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. » Augustinus, *ad Orosium*[12] : « Sciat se non esse episcopum, qui præesse desiderat, non prodesse. » Idem, *de Civitate Dei*[13] : « Episcopus nomen est operis, non honoris. Episcopein (*a*) (ἐπισκοπεῖν) enim græce, latine *superintendere* possumus dicere, ut intelligat non se esse episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. » Idem, in *Sermone*[14] : « Non est Episcopi servare aurum, et revocare a se mendicantis manum. » Ambrosius, in *Pastorali*[15] : « Quantum præ cæteris gradus episcopalis altior est, tanto, si per negligentiam dilabatur, ruina gravior est. » Hieronymus, in originali *super Sophoniam*[16] : « *Qui episcopatum*

[1] Bern., *ad Larg.*, epist. XXXII. — [2] Id., lib. *L homil.*, hom. XXVI, paulo a princ. — [3] Bern., serm. *in fest. apost. Petr. et Paul.*, ante med. — [4] Gloss. Bed. in *Apoc.* — [5] Greg., *Epist.*, lib. V, c. CXXIX — [6] Ibid., lib. VI, c. CXXIX. — [7] Ibid., lib. IV, c. LXXXIX. — [8] Id., *Past.*, p. II, c. I, in princ. — [9] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXXV, sent. 1. — [10] Ibid., c. XLII, sent. 3. — [11] Id., *de Offic. Eccle.*, lib. II, c. V. — [12] Aug., *ad Oros.*, quæst. ult. — [13] Id., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XIX. — [14] Id., *ad frat. in Eremo* serm. LII, post med. — [15] Ambros., *de dignit. Sacerd.*, c. III. — [16] Hieron., *in Sophron.*, c. III.

(*a*) *Cæt. edit.* scopos.

(inquit [1]) *desiderat, bonum opus desiderat.* Videte quid dixerit : opus, non dignitatem. Si autem solum aspexerit dignitatem, cito corruet. » Bernardus, in *Epistola* [2] : « In omnibus, exemplo Apostoli, honorificabitis ministerium vestrum, ministerium, inquam, non dominium; ipsum quidem honorificabitis, non vos. Nam qui quærit quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium. Honorificabitis autem non cultu vestium, non fastu equorum, non amplis ædificiis; sed moribus ornatis, studiis spiritualibus, ac bonis operibus. » Idem [3] : « In omnibus actibus suis, vel dictis, nihil suum quærat Episcopus, sed tantum aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut utrumque. » Idem, *de Consideratione* [4] : « Domum episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas et morum disciplina.

CAPUT XX.

De Sacerdotibus bonis.

Gregorius, in *Registro* [5] : « Officii sacerdotalis est, ut viduis ac maritali regimine desolatis impartiri solatia debeant, ut unde in hoc mundo humano adjutorio privantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire. » Idem [6] : « Redemptor noster ad sacerdotis officium non quærit aurum, sed animas. » Idem [7] : « Lux gregis est flamma pastoris. Decet enim dominicum sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo tanquam in vitæ suæ speculo plebs commissa possit et eligere quod sequatur, et videre quod corrigat. » Idem [8] : « Est in illusione nocturna valde necessaria discretio, qua subtiliter pensari debeat, ex qua re menti acciderit dormientis. Aliquando enim ex crapula; aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate; aliquando ex præcedenti cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illusio non est timenda, quia hanc animus pertulisse magis dolendus est, quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sancti mysterii, vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut dies festus exigit, aut exhibere ministerium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii qui implere ministerium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet; sed ab immolatione sacri mysterii, ut arbitror, subtrahere se humiliter debet : si tamen dormientis mentem turpi imagine non concusserit. » Et infra : « Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormienti, patet animo suus reatus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit : quia quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio utrum suggestione tantum, an delectatione, vel quod majus est, peccati consensu acciderit. » Augustinus, *de Pœnitentia* [9] : « Sacerdos, cui omnis profitetur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo illorum sit judicandus, quod ipse in aliis judicare est promptus. Judicans enim alium, qui est ab aliis judicandus, condemnat seipsum. » Idem, *de Singularitate clericorum* [10] : « Contemplamini quid sit populo sancto præesse, et considerate quale sit divinis sacramentis insistere. Altario enim placere debent, qui altario vivunt, et talis convenit cura sinceritatis sacratis, qualia sunt sacramenta ipsa, quibus exhibent officia servitutis : ne contra Dominum offendant ipsi, quem tractant, aut contra populum incipiant impedire, quod

[1] I *Tim.*, III, 1. — [2] Bern., *ad Henr. Senon.*, epist. XLII, paulo a princ. — [3] Ibid., longe ante med. — [4] Id., *de Consider.*, lib. IV, prope fin. — [5] Greg., *Epist.*, lib. I, epist. XIII, in princ. (Labb. *Conc.*, tom. VI, col. 1035). — [6] Ibid., lib. V, e. CXXVIII. — [7] Ibid., lib. VII, epist. XXXII. (Labb. *Conc.*, tom. VI, col. 1307). — [8] Ibid., lib. XII, epist. XXXI, ad Augustin. interrogat. XI (Labb. *Conc.*, tom. VI, col. 1575). — [9] Imo auctor, quisquis ille sit, lib. *de ver. et fals. Pœnit.*, c. IV, inter Op. S. Aug., tom. VI, Append. — [10] Reperitur inter opera S. Cyprian., edit. Pamel.

prædicant. » Ambrosius, *super Lucam*[1] : « Religionis insignia, arma sunt sacerdotis. » Idem, in *Epistola*[2] : « Sobriam a turbis gravitatem, ac seriosam vitam, et singulare pondus conversionis, dignitas sibi vendicat sacerdotalis. Quomodo enim potest in exemplum observari a populo, qui nihil habet discretum a populo, nihil dispar in moribus a multitudine? Quid enim in te miretur, si omnia tua facta bona in semetipso recognoscat existere; si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat; si ea quæ in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur, offendat? » Idem, *de Officiis*[3] : « Sacerdotis est, nulli nocere, prodesse velle omnibus; posse autem, solius Dei est. » Isidorus, *de Summo Bono*[4] : « Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ita ut quod docet verbo, instruat et exemplo. » Glossa ex Ambrosio (*a*) : « Non facile accusanda est persona tam alti ordinis, cum sit vice Christi. »

CAPUT XXI.

De Sacerdotibus malis.

Gregorius, in *Homilia*[5] : « Cui rei similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cœleste mittit, et ipsa in cloacas descendit? » Idem, in *Pastorali*[6] : « Si homo apud hominem, de quo minime præsumit fieri intercessor, erubescit; qua mente apud Dominum intercessoris locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ meritum nescit? Aut ab eo quomodo illi veniam postulat, qui utrum sibi sit placatus, ignorat? » Item in *Registro*[7] : « Durum est, et proculdubio a sacerdotis officio alienum, personam positam sub necessitate negligere, et studio congregandi, indecenter inhiare pecuniis. » Idem[8] : « Causa sunt ruinæ populi sacerdotes mali. Quis enim se pro populo peccatis intercessor objiciat, si sacerdos, qui exorare debuerat, graviora committat? » Idem[9] : « In contumeliam (*b*) sacerdotum est, de divinis cultibus admoneri; quod enim ipsi debent exigere, turpiter exiguntur. » Ambrosius, in *Sermone*[10] : « Mendacium est, sacerdotem vel clericum se profiteri, et contraria huic ordini operari. » Idem, in *Epistola*[11] : « Nihil in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat, non libere denuntiare. » Joannes Chrysostomus, super *Matthæum*[12] : « Vere magna confusio est sacerdotum et omnium clericorum, quando laici inveniuntur fideliores eis et justiores. Quomodo autem non sit confusio esse illos inferiores laicis, quos etiam æquales esse confusio est? » Isidorus, *de Summo Bono*[13] : « Sacerdotes populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. » Idem[14] : « Multi sacerdotes metu potestatis veritatem occultant, et a bono opere, vel justitiæ prædicatione, rei alicujus formidine, aut potestatis terrenæ avertuntur. Sed heu! proh dolor! inde metuunt, quia vel amore rerum sæcularium implicantur, vel quia aliquo facinoris opere confunduntur. » Hieronymus, in *Epistola*[15] : « Vinolentos sacerdotes et Apostolus damnat, et vetus lex prohibet[16]. Qui enim altario serviunt, vinum et siceram non bibant. Sicera hebræo sermone omnis potio nuncupatur, quæ inebriare potest. » Idem[17] : « Peccator homo si ceciderit, rogabit pro eo sacerdos, pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est? » Idem, in originali *super Malachiam*[18] : « Ad sacerdotis pertinet

[1] Ambros., in *Luc.*, c. x, lib. VIII. — [2] Id, *Epist*, lib. III, *ad Irenæum*. — [3] Id., *de Offic.*, lib. III, c. IX. — [4] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXXVI, sent. 2. — [5] Greg., *in Evang.*, hom. XVII, circa fin. — [6] Id., *Pastor.*, p. I, c. XI, fere in princ. — [7] Id., *Epist.*, lib. IV, c. LXX. — [8] Ibid., lib. IX, epist. LXIV, *ad Brunichild.* (Labb. *Conc.*, tom. V, col. 1477). — [9] Ibid., lib. III, epist. v, *ad Bonifac.* (Labb., *Conc.*, tom. V, col. 1139). — [10] Serm. XIV, de tempore, Ambrosio ascriptus. — [11] Id., *ad Theod*, epist. lib. II, epist. XVII. — [12] Chrysost., *in Matth.* Op. imperf., c. XXI, hom. XL. — [13] Isid., *de Sum. Bon*, lib. III, c. XLVI, sent. 1. — [14] Ibid., c. XLV, sent. 2. — [15] Hier., *ad Nepotian*, epist. II. — [16] *Levit.*, X, 9. — [17] Hieron., *ad Heliod.*, epist. I. — [18] Id., *in Malach.*, c. II.

(*a*) *Cœt. edit.* Ambrosius. — (*b*) *Labb. Conc.* contumelia.

disciplinam, interrogatum respondere de lege; qui si non doceat et respondeat, et resistentes non convincat, frustra jactat sacerdotis dignitatem, cujus opera non exhibet. » Bernardus, in *Epistola* [1] : « Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus. » Idem, in *Sermone* [2] : « Egressa est iniquitas a senioribus judicibus tuis, Domine, qui videntur regere populum tuum. Non est jam dicere [3] : *Ut populus, sic sacerdos;* quia sic nec populus, ut sacerdos. Heu, heu, Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, et regere principatum. » Idem, *de Contemptu* [4] : « In multis multipliciter regnat fornicatio, quia puritatis Auctori, impuro corde et corpore ministrantes, non verentur stare ante Angelum Dei, qui secet medios, et disperdat; sed omnino audent Agni immaculati sacras contingere carnes, et intingere in sanguine Salvatoris manus nefarias, quibus paulo ante, proh dolor! meretrices attrectarunt; sic et altaria circuire, sic et ecclesias frequentare, psalmos decantare, cum et ejusmodi laus sit execrabilis, et [5] *oratio fiat in peccatum.* »

CAPUT XXII.

De Clericis.

Gregorius, in *Homilia* [6] : « Clericus admonendus est, quatenus sic vivat, ut exemplum vitæ sæcularibus præbeat. » Idem, in *Registro* [7] : Ne unquam hi, qui ordinati sunt, pereant, provideri debet quales ordinentur, ut prius aspiciatur si vita eorum continens in annis plurimis fuit, si studium lectionis, si eleemosynæ amorem habuerunt. » Idem [8]: « Proculdubio Deus offenditur, si ad sacros ordines quisquam non ex merito, sed ex favore, quod absit, aut ex venalitate provehitur. » Idem [9] : Qui post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat. » Isidorus, in libro *Etymologiarum* [10] : « Cleros (κλῆρος) græce, sors vel hæreditas dicitur : propterea ergo dicti sunt clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Domini partem habent. » Hieronymus, in *Epistola* [11] : « Clerici vita, Christi debet ornari Ecclesia. » Idem : « Negotiatorem clericum, et ex inope divitem factum, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge. » Idem : « Procuratores atque dispensatores domorum alienarum atque villarum, quomodo possunt esse clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates? » Idem [12] : « Ita age et vive in monasterio, ut clericus esse merearis, ut adolescentiam tuam nulla sorde commacules, ut ad altare Christi quasi virgo de thalamo procedas, et habeas de foris bonum testimonium. Feminæ nomen tuum noverint, vultum nesciant. » Ambrosius, in *Epistola* : « Tu quicumque in clero es, Domini portio es, et possessio ejus; noli recedere de Domini tui possessione, ut dicas Domino [13] : *Possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ,* et ille tibi quasi bono servo dicat [14]. *Transi, et recumbe.* » Augustinus, *de Singularitate clericorum* [15] : « Cum Christus agnus innocens, imo ipsa cœlestis innocentia, quod est verius, tantum se contempserit pro Ecclesia, ut eam sine macula vel ulla ruga redderet illibatam, qualis est ille clericus, cui ad hoc sponsa Christi committitur, ut pro unius feminæ amore, culpari totam Ecclesiam patiatur? » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* : « Laici delinquentes facile emendantur; clerici autem, si semel evaserint, inemendabiles sunt. » Bernardus, *de Contemptu* [16] :

[1] Bern., *ad Henric. Senon.*, *Epist.* XLII. — [2] Id., *in Conv. S. Paul.*, serm. I. — [3] *Ose.*, IV, 4. — [4] Bern., Declamat. super *Ecce nos reliquimus*, etc., longe ante med. — [5] *Psal.* CVIII, 7. — [6] Greg., *in Evang.*, hom. XVII, circa finem. — [7] Id., *ad Januar*, lib. III, *Epist.* XXVI (Labb. *Conc.*, tom. V, col. 1152). — [8] Id., *ad Columb.*, lib. II, p. II, *Epist.* XLVII (Labb *Conc.*, tom V, col. 1123) — [9] Ibid., lib. III, *Epist.* XXVI, ubi sup. — [10] Isid., *Etymolog.*, lib. VII, c. XII. — [11] Hieron., *ad Nepotian.*, *Epist.* II. — [12] Id., *ad Rustic.*, *Epist.* IV. — [13] *Psal.* CXXXVIII, 13. — [14] *Luc.*, XVII, 7. — [15] Est apud Cypr., edit. Pamel. — [16] Bern., Declamat. super *Ecce nos reliquimus*, etc., ante med.

« Væ, væ in domo Dei horrendum videmus. Quid? Idololatras ministrantes. Mentior, si non idolorum servitus avaritia est; si non quibusdam etiam venter suus factus est Deus suus. Quod enim quisque præ cæteris colit, id sibi Deum constituisse perhibetur. » Idem [1] : « Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum facultates sunt ecclesiarum; et sacrilega eis cupiditate surripitur, quidquid sibi ministri et dispensatores, non utique domini vel possessores, ultra victum accipiunt et vestitum.» Idem, in *Sermone* [2] : « Dilatata videtur Ecclesia, et ipse clericalis sacratissimus ordo super numerum multiplicatus est. Verum, etsi [3] *multiplicasti gentem, Domine, non magnificasti lætitiam*, dum nihil minus appareat defecisse meriti, quam numeri accessisse. » Multa infra libro tertio in capitulo *de Familiaritate* [4].

CAPUT XXIII.

De Beneficiatis.

Gregorius, in *Registro* [5] : « sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore alienas invadere non oportet. » Idem [6] : « Laudabile studium, et conveniens est clerico et religioso, terrenis gratam Deo pacem præferre compendiis, et ex rebus transitoriis mansura semper charitatis lucra mercari. » Idem [7], loquens de illo verbo Joannis [8] : *Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia ex panibus meis manducastis, et saturati estis* : « Per eorum personam Dominus illos intra sanctam Ecclesiam detestatur, qui per sacros ordines ad Dominum propinquantes non in eisdem ordinibus virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt; nec cogitant quid bene vivendo imitari debeant, sed quæ concupiscendo compendia sortiantur. » Augustinus, in *Epistola :* « Si privatim quæ nobis sufficiant possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodam modo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus. » Idem, *de Verbis Domini* [9] : «Clericus si non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario, Domino jubente, consequitur, sed exercet mercimonia, intercessiones vendit, munera libenter amplectitur, hic negotiator magis potest videri, quam clericus. » Bernardus, *super Cantica* [10] : « Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiarum Dei ; qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retinent, et in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non verentur : duplici profecto iniquitate peccantes, eo quod et aliena diripiunt, et sacris, in suis vanitatibus et turpitudinibus, abutuntur. » Idem, in *Epistola* [11] : « Honores et dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his qui eas digne et secundum Deum administrare, et velint, et possint. » Et infra [12] : « Nec cuiquam, vel adulto, plures in pluribus ecclesiis habere licet, nisi dispensatorie quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personæ utilitatem. » Idem [13] : Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. » Idem [14] : « Conceditur tibi, ut si bene deservis, de altario vivas; non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deaurata, varia griseaque pellicea. » Idem, *de Contemptu* [15] :

[1] Bern., *Declamat.* super *Ecce nos reliquimus*, etc.. ante med. — [2] Id., *le Convers. ad Cleric.*, c. XXIX. — [3] *Isa.*, IX, 3. — [4] Vid. inf., lib. III. c. XXVI. — [5] Greg., *ad Bonif.*, lib. II, p. II, *Epist.* XLIII (Labb. *Conc.*, tom. V, col. 1120). — [6] Id., *ad Anton. et Domelian.*, lib. VII, p. II (Labb. *Conc.*, tom. V, col. 1323). — [7] Id., *Moral.*, lib. XVI, c. XIX. — [8] *Joan.*, VI, 26. — [9] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XIX. — [10] Bern., *in Cant.*, serm. XXII. — [11] Id., *ad Theob.*, epist. CCLXXI. — [12] Id., *ad Fulcon.*, epist. IV.— [13] Ibid.— [14] Id., Declamat. super *Ecce nos reliquimus*, etc., longe ante med. — [15] Ibid.

(*a*) Labb., laudabile et studio est religioso.

« Væ, væ tibi, clerice, mors in olla, mors in ollis carnium, mors in deliciis est : non modo quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur ; sed ob id maxime, quia populi peccata constat esse quæ comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur. Sollicitus esto, tanquam redditurus rationem, dignos pro eis gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus. » Idem[1] : « Quando poterit necessariis esse contentus, qui eo animo introivit, ut stipendia clerici in usus voluptatis, curiositatis et vanitatis congreget, servet, et expendat? *Triplex*[2] est ergo *funiculus*, qui *difficile rumpitur*, hominem miserum in perniciem trahit, qui impure intrat, indigne ministrat, et ipso fructu abutitur temporali. » Idem[3] : « Non ordinavit Deus his, qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere delicias, vel ornatum ; sed vivere, ut ait Paulus[4], ex eo, ut videlicet sint contenti alimenta corporis, non gulæ irritamenta, vel incentiva libidinis habere ; et quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere.» Idem[5] : « *De altario*, inquit Apostolus[6], *vivat*, non superbiat, non luxurietur : denique non ditetur, non contra sancti cujusquam plane dignam omni acceptione sententiam ex clericatu ditior fiat. Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis ; nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut superfluitate dispergat ; non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos, aut neptes, ne filias dixerim. »

CAPUT XXIV.

De Ambitiosis.

Gregorius, in *Registro*[7] : « Sicut is, qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel importunum se ingerit, est proculdubio repellendus. » Idem[8] : « Verecundum nobis est, et dicere pudet, quia sacerdotes sibi ducatum accipiunt, qui exordium religiosæ militiæ non viderunt. » Idem : « Ordinate ad ordines accedendum est : nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta ascensum quærit. » Idem, in *Pastorali*[9] : « Nulla ars doceri præsumitur, nisi prius intenta meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars artium est regimen animarum ! » Idem[10]. « *Ipsi regnaverunt*[11], *et non ex me ; principes extiterunt, et non cognovi.* Ex se namque, et non ex arbitrio summi Creatoris regnant ii, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quam assequuntur. » Idem[12] : « Sacrum officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis cæterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. » Idem[13] : « Nescit laudem, cum suppetit, fugere, qui ad hanc didicit, cum deesset, anhelare. » Idem : « Quod dicere pudet, » (supra in capitulo *de Prælatis malis*[14]). Isidorus, *de Summo Bono*[15] : « Qui regimen sacerdotum contendit appetere, ante se discutiat, si vita honori sit congrua : quod si non discrepat, humiliter ad id, ad quod vocatur, accedat. Reatum quippe culpa geminat, si quis cum culpa ad sacerdotale culmen aspirat. » Idem[16] : « Qui ad hoc conversionem sanctitatis prætendit, ut aliis quandoque præesse possit, iste non discipulus Christi, sed pravitatis et Antichristi sectator existit, quia non pro Deo, sed pro sæculi honore portare studet crucis Christi contumeliam et laborem. » Augustinus, *de Civitate Dei*[17] : « Locus superior,

[1] Bern., Declamat. super *Ecce nos reliquimus*, etc., longe ante med. — [2] *Eccle.*, IV, 12. — [3] Bern., loc. cit. — [4] I *Cor.*, IX, 14. — [5] Bern., loc. cit. — [6] I *Cor.*, IX, 14. — [7] Greg., lib. VII, epist. CX. — [8] Id., lib. IV, epist. XCVII. — [9] Id., *Pastor.*, p. I, c. I, in princ.

[10] Ibid. — [11] *Ose.*, VIII, 4. — [12] Greg, lib. cit., c. VIII. — [13] Ibid., c. IX. — [14] Vid. sup, c. XII, p. 25. — [15] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c XXXIV, sent. 4. — [16] Ibid., c. XIX, sent. 3. — [17] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XIX.

sine quo regi populus non potest, etiamsi teneatur et administretur ut decet, tamen indecenter appetitur. » Idem, *de Trinitate* [1] : « Homines diabolum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam perosa justitia, potentiæ student, ejusque vel adeptione lætantur, vel inflammantur cupiditate. » Ambrosius, *super Lucam* [2] : « Si Dominus Jesus propria deseruit, tu aliena cur quæris? Si Creator omnium sæculi gloriam subeundæ paupertatis virtute contempsit, cur tu fastidias ad quod natus es, appetas quod indebitum est? Cur ea, quæ ad usum tibi diuturna esse non possunt, ad supplicium diuturna, deposcas ? Cave insidias, cave fraudes. » Idem [3] : « Ordinatio mundi a Deo, opera mundi a malo : ita etiam a Deo potestatum ordinatio, a malo ambitio potestatis. » Idem [4] : « Sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum scelus, et ut dominetur aliis, prius servit. » Bernardus, *de Consideratione* [5] : « O ambitio, ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat; nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. Annon limina Apostolorum plus ambitio, quam devotio terit? » Item, *super Missus* [6] : « Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo; et tunc vere non sapio ea, quæ Dei sunt. » Idem [7] : « Videas homines pecuniosos ad honores quosque ecclesiasticos pervolare, moxque applaudere sibi sanctitatem vestium duntaxat mutatione, non mentium, et dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt ; quodque, si audeo dicere, adepti sunt nummis, attribuere meritis. » Idem, *super Cantica* [8] : « O utinam prælati tam vigiles reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad cathedram. » Idem [9] : « Non probe satis præesse affectas, quibus prodesse non curas; et quorum non zelas salutem, subjectionem nimis ambitiose vendicas tibi. » Idem, in *Epistola* [10] : « Ambitio, mater hypocrisis, latebras amat, et tenebras quærit, lucis impatiens. Ambitio spurcum vitium, in imo jacet, videt tamen omne sublime, sed videri ipsa refugit : nec mirum, optato namque nesesse est careat, nisi caveat arbitros. » Idem [11] : « Curritur in clero passim ab omni ætate et ordine, a doctis pariter et indoctis, ad ecclesiasticas curas, tanquam sine curis quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit. » Idem, super *Qui habitat* [12] : « Radix iniquitatis ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. » Idem [13] : « *Omnes quæ sua sunt quærunt* [14], *non quæ Jesu Christi :* ipsa quoque ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, et tenebrarum negotia transiere : nec in his animarum salus, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant ecclesias, missas celebrant, psalmos decantant. Pro episcopatibus et archidiaconatibus hodie decertatur, ut ecclesiarum redditus in superfluitatis et vanitatis usus dissipentur. » Idem, *de Contemptu* [15] : « Alius undique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat et dissimulat, miseraque sibi suffragia mendicare non erubescit, manibus et pedibus repens, si quo modo tandem se ingerere queat in patrimonium Crucifixi, et bona Domini, quæ sola ex omnibus inveniuntur exposita. Nimirum *peregre profectus est* [16], sed in plenissimo

[1] Aug., *de Trin.*, lib. XIII, c. XIII. — [2] Ambros., *in Luc.*, IV, lib. IV, n. 34. — [3] Ibid., n. 29. — [4] Ibid., n. 31. — [5] Bern., *de Consider.*, lib. III, ante med. — [6] Id., super *Missus est*, hom. I, non longe a fine. — [7] Ibid., hom. IV, post med. — [8] Id., *in Cant.*, serm. LXXVII, ante med. — [9] Ibid., serm. LXIII, ante med. — [10] Id., *ad Episc. Aquil.*, epist. CXXVI, ante med. — [11] Id., *ad Henr. Senon.*, epist XLII, post med. — [12] Id., super *Qui habitat*, serm. VI, ante med. — [13] Ibid., prope fin. — [14] *Philip.*, II, 21. — [15] Bern., declam. super *Ecce nos reliquimus*. — [16] *Matth.*, XXI, 33.

die, ut sua districte repetat, rediturus. » Idem [1] : « Universos in ordinibus ecclesiasticis, cæterisque ad sanctuarium pertinentibus, honorem quærentes proprium, aut divitias, seu corporis voluptatem, postremo, *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*, manifeste prorsus, et indubitanter non ea quæ Deus est charitas, sed aliena a Deo et omnium radix malorum cupiditas introducit. » Idem [2] : « *Potentes potenter tormenta patientur* [3]. Ascendat superbia tua semper; sequere regem tuum; omne sublime videant oculi tui; festina multiplicare præbendas; inde ad archidiaconatum evola; deinde aspira ad episcopatum, nec ibi quidem requiem habiturus : quoniam sic itur ad astra. » Idem, in *Sermone* [4] : « O perversitas, o abusio filiorum Adam, qui, cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi et leviter ascendunt, et descendunt difficilius, parati ad honores, ad celsitudines graduum ecclesiasticorum ipsis etiam angelicis humeris formidandos. » Idem [5]: « Curritur passim ad sacros ordines, et reverenda quoque ipsis spiritibus angelicis mysteria homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione. Neque enim signum regni cœlestis occupare, aut illius timent imperii gestare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, sedet iniquitas, luxuria dominatur, superbia principatur. »

CAPUT XXV.

De Studentibus.

Gregorius, in *Moralibus* [6] : « Idcirco nonnunquam studiosus tarditate intelligentiæ premitur, ut eo majora præmia retributionis inveniat, quo magis in studio inventionis elaborat. » Idem [7] : « A fervore mentis, vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipsi aliquo modo vivendi usu veterascimus, et assumptæ novitatis speciem fuscamus. A qua tamen vetustate quotidie, si studia circumspectionis invigilent, orando, legendo, bene vivendo, renovamur. » Idem, *super Ezechielem* [8] : « Qui idcirco in sacro eloquio ea, quæ dignitatis sunt, contemplatur, ut per hoc, quod intelligit, occupari ad quæstiones possit, quia non dulcedine quæsitæ veritatis sanari appetit, sed doctus videri : iste nimirum intellectus sui pennas desuper non extendit. » Idem [9] : « In verbis sacri eloquii iste debet studii nostri ordo servari, ut hæc ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, et cognoscentes mala quæ fecimus, ipsa vitemus, ne alia faciamus; et cum jam ex magno usu lacrymarum de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, per verba Dei, quæ intelligimus, ad vitam quoque et alios trahamus. » Idem in *Pastorali* [10] : « Valde inter humana verba cor nostrum defluit; cumque indubitanter constet, quod exterius occupationum tumultibus impulsum a semetipso corruat, studere incessabiliter debet, ut per eruditionis studium resurgat. » Idem, in *Registro* : « Dum his, quibus ædificamur, innitimur, locum sine dubio deceptionis excludimus. » Hieronymus, in originali *super Michæam* : « Non æstimes in eo te placere Deo, si sermones, id est, scripturas illius legas : tunc enim scripturæ prosunt legenti, si quod legitur, opere compleatur. » Isidorus, *de Summo Bono* [11] : « Lector strenuus potius ad implendum quæ legit, quam ad sciendum erit promptissimus. Minus enim pœna est nescire quod appetas, quam ea, quæ noveris, non implere. » Idem, in *Synonymis* [12] : « Disce quod nescis; ne doctor inutilis inveniaris, antea esto auditor, postea doctor. » Idem [13] : « In disputatione tolle certamen, tolle pertinacem vincendi defensionem : cede cito veritati, non contradicas justitiæ. » Idem [14] : « Disputare stude, non

[1] Bern., Declam. super *Ecce nos reliquimus*. — [2] Ibid. — [3] *Sap.*, VI, 7. — [4] Bern., *in Ascens. Dom*, serm. II, prope fin. — [5] Id, *de Convers. ad Cleric.*, c. XXIX. — [6] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XI. — [7] Ibid., lib. XIX c. XVI. — [8] Id., *in Ezech.*, hom. IV. — [9] Ibid., hom. X. — [10] Id., *Pastor.*, p. II, c. XI. — [11] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c VIII, sent. 5. — [12] Id., *de Synon.*, c. XVI. — [13] Ibid. — [14] Ibid.

superare : plus dilige audire, quam dicere ; plus auscultare, quam loqui. » Augustinus, in *Sermone* [1] : « Multos reperimus negligentissimos justitiæ, et avidissimos sapientiæ : hos docet Scriptura divina pervenire non posse ad id quod appetunt, nisi servando quod negligunt : *Fili*, inquit [2], *concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Dominus præbebit illam tibi.* « Idem, *de Civitate Dei* [3] : « Philosophiæ est finis boni : nulla est igitur causa philosophandi nisi finis boni. Quamobrem, quæ nullum boni finem sectatur, nulla philosophiæ secta dicenda est. » Idem, *de Trinitate* [4] : « Nec pigebit me, sicubi hæsito, quærere ; nec pudebit me, sicubi erro, discere. » Idem [5] : « Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum ; ubi pariter hæsitat, quærat mecum ; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me ; ubi meum cognoscit, revocet me. » Et post : « Et hoc placitum primum atque tutum coram Domino Deo nostro, cum omnibus gratum, quia ea, quæ scribo legunt : et in omnibus scriptis meis, maxime in his, ubi quæritur unitas Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus sancti : quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur. » Idem, *de Opere monachorum* [6] : « Quæ est ista perversitas, lectioni obtemperare nolle, dum vult ei vacare ; et dum id quod bonum est, diutius legatur, ideo facere nolle, quod legitur ? » Bernardus, *super Cantica* [7] : « Scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat. Quo ordine, ut id prius addiscas, quod est maturius ad salutem. Quo studio, ut id ardentius, quod est vehementius ad amorem. Quo fine, ut non ad inanem gloriam, aut propter curiositatem, aut aliquid simile ; sed tantum ad tuam et proximi ædificationem, et ad Dei gloriam. » Idem [8] : « Sunt qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et turpis curiositas est ; et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est ; et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam aliis vendant, verbi causa pro pecunia et honoribus ; et turpis quæstus est : sed sunt quoque qui scire volunt, ut alios ædificent, et charitas est ; et item, qui scire volunt, ut ædificentur, et prudentia est. » Idem, in *Epistola* [9] : « Falleris, fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros scientiam, quam soli Christi discipuli, id est mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Non enim hanc lectio docet, sed unctio ; non littera, sed spiritus ; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Dei. » Idem [10] : « Non recte proditur ad scientiæ limen, nisi justitiæ germen præcedat ad animam, ex quo formetur granum vitæ, et non palea vanæ gloriæ. » Idem, in *Sermonibus* [11] : « Pessimus mons inflans scientia ; in quem tamen usque hodie tanta videas concupiscentia plurimos reperire filiorum Adam, ac si non noverint, quantum pater illorum illius montis ascensu descenderit ; imo, quam graviter ceciderit, quantum tota dejecta sit et conquassata posteritas. » Seneca, in *Epistola* [12] : « Tandiu discendum est quemadmodum vivas, quandiu vivis. »

CAPUT XXVI.

De Advocatis.

Gregorius, *super Ezechielem* [13] : « Justus advocatus injustas causas nullo modo accipit, nec verba dare pro injustitia consentit. » Idem, super illud *Job* [14], *De convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant* [15] : « In valle repertis singulis cum clamore occurrere, ex subortis causarum occasionibus, etiam pro parva stirpe litigare. » Augustinus, *de Verbis Domini* [16] : « Usque adeo cupiditatis inolevit malum, ut jam ex consuetudine vendantur

[1] Aug., *de Annunt. Dom.*, serm. I. — [2] *Eccli.*, I, 33. — [3] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. I. — [4] Id., *de Trinit.*, lib. I, c. II. — [5] Ibid. — [6] Id., *de opere Monac.*, c. XVII. — [7] Bern., *in Cant.*, serm. XXXVI. — [8] Ibid. — [9] Id., *ad Thom. de S. Audom.*, epist. CVIII. — [10] Ibid. — [11] Id., *in Ascens. Dom.*, serm. IV. — [12] Senec., *Epist.* LXXVI, in princ. — [13] Greg., *in Ezech.*, hom. VII. — [14] *Job*, XXX, 5. — [15] Greg., *Moral.*, lib. XX, c. XV. — [16] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XIX.

leges, corrumpantur jura, sententia ipsa venalis sit, et nulla jam causa possit esse sine causa. » Bernardus, *de Consideratione*[1] : « Quotidie perstrepunt in palatio leges, sed Justiniani, non Domini. » Idem[2] : « Certe[3] *lex Domini immaculata, convertens animas*. Hæ autem non tam leges, quam lites sunt, et cavillationes subvertentes judicium. » Idem[3] : « Miror, quemadmodum religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes advocatorum, et pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quam ad inventionem proficiunt veritatis. Corrige pravum morem, et præcide linguas vaniloquas, et labia dolosa claude. » Idem[4] : « Advocati sunt, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium; diserti, adversus justitiam; eruditi, pro falsitate; sapientes sunt, ut faciant malum; eloquentes, ut impugnent verum. » Idem[5] : « Iniqua omnis appellatio, ad quam justitiæ inopia non coegit. Appellare, non ut graves, sed si graveris, licet. » Idem[6] : « Qui non gravatus appellat, liquet quia aut gravare intendit, aut tempus redimere. »

CAPUT XXVII.

De Religiosis bonis.

Gregorius, in *Registro*[7] : « Expedit parvo incommodo, a strepitu causarum servos Dei quietos existere, ut et utilitates collectæ (*a*) per negligentiam non pereant, et servorum Dei mentes ad opus divinum (*b*) liberiores existant. » Idem : « Sicut veraciter adversus religiosos dicta crimina, digna sunt ultione plectenda; ita ab illatis nihilominus sunt absolvendi, quando nullus eos culpæ reatus astringit. » Augustinus, in *Regula*[8] : « Non debent velle omnes, quod paucos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere; ne contingat detestanda perversitas, ut in monasterio ubi, quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati. » Idem, *de Moribus Ecclesiæ*[9] : « Quis non illos miretur et prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam sanctissimam et castissimam congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi; sed modesti, verecundi, placati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gravissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse tacere meruerunt. » Isidorus, in libro *Etymologiarum*[10] : « Religiosus, ait Cicero, a *Relego* est appellatus, quia retractat et tanquam relegit ea, quæ ad cultum divinum pertineant. » Idem, *de Summo Bono*[11] : « Sancti viri funditus sæculo renuntiantes, ita huic mundo moriuntur, ut soli Deo vivere delectentur; quantoque ab hujus sæculi conversatione se subtrahunt, tanto internæ mentis facie præsentiam Dei, et angelicæ societatis frequentiam contemplantur. » Bernardus, *super Cantica*[12] : « Omnis in vobis, qui cæterorum infirmitates tam corporum, quam animorum non solum patienter supportat, sed insuper, scilicet si valet, juvat obsequiis, confortat alloquiis, informat consiliis; et si hoc forsitan non potest propter disciplinam, sollicitus saltem orationibus solatiari non cessat infirmos : omnis, inquam, qui talia operatur in vobis, bonum omnino inter fratres spargit odorem. » Idem[13] : « Optimum in moribus dixerim, qui in nullo prorsus aut resistat prioribus, aut invideat paribus et subjectis, vel desit in cura, vel in superbia præsit, prælatis obediens, sociis congruens, subditis utiliter condescendens. » Idem, in *Epistola*[14] : « Conversare simpliciter inter

[1] Bern., *de Consid.*, lib. I, ante med. — [2] *Psal.* XVIII, 8. — [3] Bern., Ibid., post med. — [4] Ibid — [5] Ibid., lib. III, ante med. — [6] Ibid. — [7] Greg., *ad Petr. Subd.*, lib. I, *Epist.* LXVII (Labb. *Conc.*, tom. V, col. 1069). — [8] Aug., *Reg.* III, c. XV. — [9] Id., *de Mor. Eccl.*, c. XXXI. — [10] Isid., *Etymolog.*, lib. X. — [11] Id., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XVII, sent. 1. — [12] Bern., *in Cant.*, serm. XII, circa med. — [13] Ibid., serm. XXIII, circa med. — [14] Id., *ad Oger.* epist. LXXXVII, post med.

(*a*) *Labb.* cellæ. — (*b*) *Labb.* Dominicum.

fratres, Deo devotus, magistro subditus, senioribus obediens, junioribus obtemperans, angelis placens, verbo utilis, humilis corde, mansuetus ad omnes. » Idem, in *Sermonibus* [1] : « Tu qui in congregatione es, bene vivis, si vivis ordinabiliter, socialiter, et humiliter : ordinabiliter tibi, socialiter proximo, humiliter Deo. » Idem : « Certum triumphati mundi testimonium est, si corpus castiges, et subjicias servituti, ne perniciosa libertate serviat voluptati; si fletui præbeas oculos magis, quam curiositati; si denique spirituali dilectione flagrans, nulli dederis animum vanitati. » Idem [2] : « Quoniam spectaculum facti sumus, et angelis, et hominibus; seminemus hominibus exemplum bonum per aperta opera bona, seminemus angelis gaudium per occulta suspiria sancta. » Idem [3] : « In congregatione positus, voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas, ut non solum sine querela, sed etiam cum gratia maneas inter fratres, portans omnes, orans pro omnibus, ut et de te quoque dicatur [4] : *Hic est fratrum amator.* » Idem : « Parum timet diabolus jejunantes, vigilantes, continentes, quia tam de istis, quam de illis multos traxit in laqueum ruinæ; sed concordes, et unanimiter viventes in domo Domini, conjuncti Deo, et sibi per vinculum charitatis, hi dolorem, hi timorem, hi livorem diabolo ingerunt. »

CAPUT XXVIII.

De Religiosis malis.

Gregorius, in *Moralibus* [5] : « Ex actione secularium confunditur actio religiosorum, dum illi etiam promittendo non servant, quæ in præceptis audiunt; et isti vivendo ea custodiunt, in quibus nequaquam legalibus mandatis adstringuntur. » Idem [6] : « Sæpe nonnulli pravitatis aperte vias deserunt, sanctitatis habitum sumunt; moxque ut prima limina bene vivendi contigerint, obliti quid fuerint, affligi jam per pœnitentiam de perpetratis nequitiis nolunt; laudari autem de inchoata justitia appetunt; præesse cæteris melioribus concupiscunt. Quos plerumque dum juxta votum præsens prosperitas sequitur, multo, quam prius fuerant, de sanctitatis habitu pejores fiunt. » Idem [7] : « Pravi homines cultum religionis assumunt, et bonorum vitam sub despectis vestibus iniquis moribus premunt. » Idem, *super Ezechielem* [8] : « Sæpe quosdam videmus ad vocem prædicationis, quasi ex conversione compunctos, habitum, non animum mutasse : ita ut religiosam vestem sumerent, sed anteacta vitia non calcarent. » Augustinus ((*a*) in capite *de Ira* : « Melior est, etc.) Idem, *de Opere Monachorum* [9] : « Qui veram ostendit corporis infirmitatem, humane tractandus est; qui autem falsam prætendit, et convinci non potest, Deo dimittendus est. » Idem [10] : « Utinam isti, qui vacare volunt manibus, omnino vacarent et linguis : neque enim tam multos ad imitationem invitarent, si eis non tantum exempla pigra, sed etiam muta proponerent. » Idem, in *Epistola* [11] : « Ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores, quam qui in monasteriis ceciderunt. » Isidorus, *de Summo Bono* [12] : « Atrociter in discussione divini judicii arguendi sunt, qui quod professione spoponderunt, opere implere contempserunt. » Bernardus, super *Missus* [13] : « Illam, qua sæculum deseruimus, humilitatem deserentes, dum post hoc cogimur inepta denuo sectari studia sæcularium, canes efficimur revertentes ad vomitum. » Idem [14] : « Video, quod magis doleo, post

[1] Bern., in fest. Apost. Petr. et Pauli, serm. I, post med.— [2] Id., *de S. Bened.*, serm., post med.— [3] Id., in Vig. Nat. Dom., serm. I, post med.— [4] II *Mach.*, XV, 14. — [5] Greg., *Moral.*, Præf., c. II. — [6] Ibid., lib. VIII, c XXI, in fin. — [7] Ibid., lib. XXXI, c. IV, post med. — [8] Id., *in Ezech.*, hom. X, ante med. — [9] Aug., *de opere Monach.*, c. XIX. — [10] *Ibid.*, c. XXII, in fine. — [11] Id., *ad Cler. et Pop. Hippon.*, epist. CXXXVII. — [12] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXII, sent. 3. — [13] Bern., super *Missus est*, hom IV, prope fin. — [14] Ibid., paulo ante. — (*a*) *Suppl.* vid. infra.

spretam sæculi pompam, nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque Magistri gravius insolescere, et impatientes fieri in claustro amplius, quam fuissent in sæculo. Quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi se contemptui, qui in sua domo non nisi contemptibiles esse potuerunt : ut quia videlicet, ubi a pluribus honores appetuntur, id est in sæculo, ipsi locum habere non potuerunt, nec meruerunt; saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. » Idem, in *Apologia* [1] : « Quid facit superbia sub pannis humilitatis tuæ, Domine Jesu? Numquid non habet quo se palliet humana malitia, nisi unde involuta est Salvatoris infantia? » Idem, in *Epistola* [2] : « Jungant se animis, qui juncti sunt institutis. Invicem se foveant, invicem se defendant, invicem onera sua portent. Ait enim Sapiens [3] : *Frater adjuvans fratrem, ambo consolabuntur.* Quod si alterutrum, quod absit, se corroserint et momorderint, nonne simul ambo desolabuntur? » Idem : « Qui debitorem et procuratorem carnis se constituit, et magis ventrem sterilem pascere, quam animæ studeat benefacere, nullum religionis jugum, quantumlibet leve, quantumlibet suave videatur, ei tolerabile est. Unde contingit, ut neque hic, ubi sine murmure esse non potest, neque in futuro, ubi pœnam murmurationis tolerare necesse est, pacem inveniat : ubi autem non est pax, ibi nec Deus, quia [4] *in pace factus est locus ejus.* » Idem, in *Sermonibus* [5] : « In omnibus fere religiosis congregationibus sane invenire est homines pusillanimes et remissos, deficientes sub onere, virga et calcaribus indigentes : quorum remissa lætitia pusillanimis tristitia est, quorum brevis et rara compunctio, animalis cogitatio, et tepida conversatio est : quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione. » Idem [6] : « Sunt inter nos tria genera hominum, ipsaque satis incongrua et ordini, et homini qui hanc viam ingressus est. Sunt enim, qui bene incœperunt, sed defecerunt cito; et sunt, qui nunquam incœperunt, sed in sua mollitie permanserunt; et sunt qui captantur spiritu levitatis, tardi ad audiendum, veloces ad loquendum, paratissimi rursum enumerare quod faciunt. Sed quid faciunt tamen? » Idem [7] : « Magna est confusio, et magna valde, et ardentius sæculares perniciosa desiderant, quam nos utilia; citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam. » Idem [8] : « De eo qui habitum habet religionis, et non vitam, Propheta inquit [9] : *Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit.* Exteriorem quippe superficiem intuens religiosus malus, salva sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum, qui omnia interiora corrodit : manet tonsura; vestis necdum mutata est; jejuniorum regula custoditur; statutis psallitur horis; sed [10] *cor eorum longe est a me*, dicit Dominus. » Idem, in *Epistola* [11] : « Multo facilius reperies multos sæculares converti simpliciter ad bonum, quam unumquempiam de religiosis proficere de bono in melius. Rarissima enim avis in terris est, qui de gradu, quem in religione semel attigerat, modicum vel parumper ascendit. »

CAPUT XXIX.

De Novitiis.

Gregorius, in *Registro* [12] : « Omnibus cujuslibet ætatis, aut officii, onerosa est novitas. » Idem [13] : « Quisquis divina inspiratione

[1] Bern., *Apolog. ad Guillelm. abb.*, paululum a princ. — [2] Id., *ad Conrad. reg. Rom.*, epist. CCXLIII. — [3] *Prov.*, XVIII, 19. — [4] *Psal.* LXV, 3. — [5] Bern., *in Ascens. Dom.*, serm. VI, ante med. — [6] Id., *de Ligno, Ferro et Stip.* serm. — [7] Id., serm. *ad Fratres*, post med. — [8] Id., *in cap. jej.* serm. II, ante med. — [9] *Ose.*, VII, 9. — [10] *Isa.*, XXIX, 13. — [11] Bern., *ad Richard. Fontan. abb.*, epist. XCVI. — [12] Greg., *ad Andr.*, lib. IV, epist. XLV (Labb. *Conc.*, tom. V, col. 1201). — [13] Id., *ad Urbic.*, lib. V, epist. XLIX (Labb. *Conc.*, tom. V, col. 1239).

compunctus, relictis sæculi hujus actionibus, ad Deum converti festinat, ita cum charitate suscipiendus est, et blandis per omnia consolationibus refovendus, ut in ea, quam elegit, Deo adjuvante, delectetur modis omnibus conversatione persistere. » Idem [1], *super Ezechielem :* « Nullus qui ad bonum propositum conversus adhuc id mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur; quia frumentum ab herba incipit, ut granum fiat. » Isidorus, *de Summo Bono* [2] : « Primordia conversorum blandis refovenda sunt modis, ne si ab asperitate incipiant, exterriti ad priores lapsus recurrant. Qui enim conversum sine leuitate erudit, exasperare potius, quam corrigere novit. » Bernardus, *de Amore Dei* [3] *:* « Fervorem novitiorum non decent illæ misericordes in seipsos discretiones, et districtionum dispensationes, facilesque indulgentiæ suo judicio tribuendæ : non tamen recusandæ sunt alieno judicio. » Idem [4] : « A novitio in seipsum rigida debet esse censura, et districta severitas; ad regentem autem, vel consulentem, spectat paterna vel fraterna charitas et pietas : si alterum horum desit, vel in deside et tepido non spero cursus perseverantiam, vel in præcipiti timeo ruinam. » Idem [5] : « Animalem discretum, novitium prudentem, insipientem sapientem in cella diu posse consistere, in congregatione posse durare, impossibile est. » Idem : « Docendus est novitius sic habere corpus suum, sicut ægrum commendatum, cui etiam multum volenti inutilia sunt neganda, utilia vero etiam nolenti ingerenda; sic de corpore suo agere, sicut de non suo, sed ejus a quo pretio magno empti sumus, ut glorificemus eum in corpore nostro. » Idem, super *Qui habitat* [6] : « Obsecro vos, novellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis sensus ad discretionem boni et mali; nolite sequi cordis vestri judicium, nolite abundare in sensu vestro, ne vos tanquam rudes adhuc versutus ille venator decipiat. » Idem, *super Cantica* [7] : « Placent, fateor, in novitiis, quantum ad ea quæ in facie sunt, neglectior utique is, qui foris apparet, corporum cultus, et vestium minor cura, sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. » Idem, in *Sermonibus* [8] *:* « Ante omnia timor novitiis necessarius est quo nimirum peccata præterita possint delere, cavere futura. *Timor* enim Domini, ut ait Scriptura [9], *expellit peccatum*, sive quod admissum est, sive quod tentat intrare : expellit hoc pœnitendo, illud resistendo. »

CAPUT XXX.

De Juvenibus.

Gregorius, in *Registro* [10] : « Esto sollicitus, ut pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius alta conscendere festinant. » Idem, in *Moralibus* [11] *:* « Immensa superbia juvenum est a seniori sibi reverentiam exigere, et silentium imperare meliori. » Idem, in *Pastorali* [12] : « Juvenes plerumque severitas admonitionis ad profectum dirigit; senes vero ad meliora opera deprecatio blanda componit. » Idem, supra [13] in capitulo *de Usurpantibus prædicationem.* Joannes Chrysostomus, *de Compunctione* : « Non canities laudabilis, neque juventus culpabilis existit : multi quippe, et in juventute philosophiam demonstrarunt, et in senectute lapsi sunt. Canities sapientiæ, non capilli candidi commendantur. » Cyprianus, *de Duodecim abusionibus* [14] *:* « Sicut in senibus sobrietas et morum perfectio requiritur, ita in adolescentibus et juvenibus obsequium, et subjec-

[1] Greg., *super Ezech.*, hom. XV. — [2] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. VIII, sent. 5. — [3] Bern., *de Nat. et Dignit. amor. div.*, c. III, circa med. — [4] Bern., loc. cit. — [5] Id., *de vit. solit.*, *ad fratr. de Monte Dei*, ante med. — [6] Id., super *Qui habitat*, serm. III, in princ. — [7] Id., *in Cant.*, serm. LXIII, post med. — [8] Id., *de Div. affection. animæ*, serm., post med. — [9] *Eccli.*, I, 27. — [10] Greg., *ad Columb.*, lib. II, p. II, epist. XLVII, col. 1122. — [11] Id., *Moral.*, lib. IV, c. VII, vers. fin. — [12] Id., *Pastor.*, p. III, c. I, admon. 2. — [13] Supra, c. XVI, p. 29. — [14] Cyprian., *de duod. abus.*, c. III.

tio, et obedientia rite debetur. » Ambrosius, *de Officiis*[1]: « Pulchra virtus adolescentium verecundia, et suavis gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus. » Idem [2] : « Ut in senibus gravitas, in juvenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia velut quadam dote commendatur. » Idem, *de Virginitate* [3] : « Etiam cum fides tua tuta sit, juventus tamen suspecta est. » Bernardus, *super Cantica* [4] : « Quid amabilius verecundo adolescente! quam pulchra hæc et quam splendida gemma morum in vita et vultu adolescentis! quam vere et minime dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index! » Idem, *de Consideratione* [5] : « Verbosulum adolescentem, et studentem eloquentiæ, cum sapientiæ sit inanis, non aliud, quam justitiæ hostem reputes; et pro hujusmodi falsis fratribus dicit ille magister disciplinæ [6] : *Manus nemini cito imposueris.* » Idem, *de Amore Dei* [7] : « Sapientes latent, et delitescunt; pueri regnant, et principantur, et fiunt principes qui mane comedunt : et væ terræ illi. » Idem, infra, libro tertio, in capitulo *de Lætitia mala* [8] : « Eia, lætare. » Anselmus, *de Similitudinibus* [9] : « In juvene tria notantur, quibus ad probitatem venturus prænoscitur : hæc autem sunt taciturnitas, corporis continentia, et verecundia. »

CAPUT XXXI.

De Monachis bonis.

Gregorius, in *Registro*, ad quemdam Abbatem [10] : « Hujus te præcepti serie commonemus, ut neque mulieres in monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas ascendere, neque monachos tuos sibi commatres facere. » Idem, in *Homiliis* [11] : « Monachus reverentiam sui habitus in actu, in locutione, in cogitatione semper circumspiciat, et ea quæ mundi sunt, perfecte deserat; et quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat. » Isidorus, *de Summo Bono* [12] : « Summa monachi virtus humilitas, summum vitium est superbia. » Idem [13] : « Tunc autem se quisque monachum judicet, quando se minimum omnium existimaverit, etiamsi opera majora virtutum gesserit. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione* : « Monachus non solum propterea dicitur monachus, quia uxorem non habet; sed quia religioni Dei et servitio ipsius mancipatus est, et cura illi est quemadmodum Deo, non sæculo placeat; et qui magis eligit castitatem, quæ Deo cara est et Spiritus sancti habitatio. » Hieronymus, in *epistola* [14] : « Humilitatem vestium tumenti animo non appetas : sæcularium et maxime potentum consortia devita : quid necesse est ea videre sæpius, quorum contemptu monachus esse cœpisti ? » Idem [15] : « Monachus non docentis, sed plangentis habet officium; qui vel se monachum lugeat, et Domini sui semper pavidus præstoletur adventum; qui sciens imbecillitatem suam, et vas fragile quod portat, timet offendere ne impingat, et corruat, atque frangatur. Unde et mulierum maxime juvencularum vitat aspectum, et in tantum castigator sui est, ut etiam quæ tuta sunt, pertimescat. » Bernardus [16], *de Præcepto et Dispensatione* : « Lego in regula hæc : Consideratio penes abbatem sit, et hoc vel illud esse in providentia, vel arbitrio, seu dispositione abbatis. Ut autem pro sua voluntate aliquid mutet de regula, me ibi legisse non recolo : quinimo, inquit, omnes magistram regulam sequantur, nec ab ea temere devietur a quoquam. Ergo nec etiam ab ipso abbate. Omnes, inquit, ma-

[1] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XVIII. — [2] Ibid., c. XIII. — [3] Id., *de Virginit.*, lib. III. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXVI, parum a princ. — [5] Id., *de Consider.*, lib. IV, circa med. — [6] I *Tim.*, V, 22. — [7] Bern., *de Nat. et Dignit. amor. div.*, c. XIV. — [8] Vid. inf., lib. III, c. XLV. — [9] Anselm., *de Similit.*, c. CXXXIX. — [10] Greg., *ad Valentin.*, lib. III, epist. XL, col. 1161. — [11] Id., *in Evang.*, hom. XVII, circa fin. — [12] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XX, sent. 1. — [13] Ibid. — [14] Hieron., epist. XIII. — [15] Id., *adv. Vigilant.*, circa fin. — [16] Bern., *de Præc. et Dispens.*, ante med.

gistram sequantur regulam : nemo igitur suam voluntatem. » Idem [1] : « Super fratrum transgressiones, non super patrum traditiones constituitur, qui abbas eligitur, mandatorum cultor, ultor vitiorum. » Idem, in *epistola* [2] : « Ordo noster abjectio est, humilitas, voluntaria paupertas, obedientia, pax, gaudium in Spiritu sancto. Ordo noster est esse sub magistro, sub abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silentio, exerceri vigiliis, jejuniis ac orationibus, opere manuum, et super omnia excellentiorem viam tenere, quæ est charitas : porro in omnibus his proficere de die in diem, et in ipsis perseverare usque ad ultimum diem. » Idem [3] : « Quoscumque de tuis inveneris tristes, pusillanimes, murmurosos, ipsorum te patrem, ipsorum te noveris esse abbatem, consolando, exhortando, increpando. Tunc enim agis opus tuum, et portas onus tuum; et portando sanas, quos sanando portas. Si quis vero ita sanus est, ut magis juvet te, quam juvetur a te : hujus te non patrem, sed fratrem; comitem, non abbatem esse cognoscas. » Benedictus, in *Regula* [4] : « Magnopere debet sollicitudinem gerere abbas, et omni sagacitate et industria curare, ne aliquam de ovibus sibi creditam perdat : noverit enim infirmarum se curam suscepisse animarum. non super sanas tyrannidem. » Idem [5] : « Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera utens potestate injuste disponat aliquid; sed cogitet semper quia de omnibus judiciis et operibus suis redditurus est Deo rationem. » Idem [6] : « Oportet abbatem esse doctum lege divina, ut sciat unde proferat nova et vetera; castum, sobrium, misericordem, ut superexaltet misericordia judicium, ut ipse idem a Domino consequatur; odiat quoque vitia, diligat fratres. » Idem [7] : « Abbas in ipsis imperiis suis sit providus et consideratus, sive secundum Deum, sive secundum sæculum sit. Opera quæ injungit, discernat, et temperet : cogitet discretionem sancti patriarchæ Jacob, dicentis [8] : *Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die.*

CAPUT XXXII.

De Monachis malis.

Gregorius, in *Dialogis* [9] : « Monachus qui in terra possessionem quærit, monachus non est. » Idem, in *Registro* [10] : « Si peculiaritas a monachis habetur, neque concordia, neque charitas in congregatione eadem poterit permanere. » Idem [11] : « Quid est habitus monachi, nisi despectus mundi ? quomodo ergo mundum despiciunt, qui in monachi habitu positi, aurum quærunt ? » Idem [12] : « Monachorum quidem species tenetur, multa vero sub sanctitatis habitu sæcularia aguntur. » Idem : « Monachi mihi terrenæ mentis esse omnino apparuerunt, qui nimis terrenum hominem abbatem habere quæsierunt. » Isidorus, in *Etymologiis* [14] : « Monachus græca etymologia vocatur, eo quod singularis sit. *Monos* enim (μόνος) græce singularis dicitur. Ergo si solitarius vel singularis interpretatur vocabulum monachi, quid facit in turba, qui solus esse debet ? » Idem, *de Summo Bono* [15] : « Multi monachorum amore parentum non solum terrenis curis, sed etiam forensibus jurgiis involvuntur, et pro suorum temporali salute amicorum suas animas perdunt. » Idem [16] : « Maxime per cenodoxiam subjicit sibi diabolus monachum, ut quem per sæculi amorem retinere non potuit, ab humilitatis culmine subtrahat, et per superbiæ tumorem subditum faciat. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione* [17] : « Eos, qui videntur sus-

[1] Bern., *de Præc. et Dispens.*, paulo ante. — [2] Id., *ad monach. Alp.*, epist. CXLII. — [3] Id., *ad Renald. Abb.*, epist. LXXIII. — [4] S Benedicti *Reg.*, c. XXVII. — [5] Ibid., c. LXIII. — [6] Ibid., c. LXIV. — [7] Ibid. — [8] *Gen.*, XXXIII, 13. — [9] Greg., *Dialog.*, lib. III, c. XIV. — [10] Id., *ad Joan.*, lib. X, epist. XXII, col. 1493. — [11] Ibid. — [12] Id., *ad Anastas.*, lib. VI, epist. XXIX, col. 1274. — [13] Id., tom. cit., col. 1493. — [14] Isid., *Etymolog.*, lib. VII, c. XIII. — [15] Id., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXI, sent. 4. — [16] Ibid., c. XXII, sent. 8. — [17] Chrys., *de Compunct.*, lib. I.

tulisse crucem suam et sequi Christum, per latam et spatiosam viam velle incedere, nonne tibi prodigiosum videtur? » Idem [1] : « Denique monachi cum de monasteriis requirunt, et de locis habitationum percontantur, ante omnia requirunt si requies sit in loco, si abundent omnia. » Idem, in capitulo *de Propinquitate* [2] : « Dico tibi, monache. » etc. Hieronymus. in *epistola* [3] : « Monachum, quem senseris tibi aut semper, aut crebro de nummis loquentem accepta eleemosyna, quæ indifferenter omnibus patet, institorem habeto potius, quam monachum. » Bernardus, in *epistola* [4] : « Labor, et latebræ, et voluntaria paupertas, hæc monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam. Vestri autem oculi omne sublime vident, vestri pedes omne forum circumeunt, vestræ linguæ in omnibus audiuntur consiliis, vestræ manus omne diripiunt patrimonium. » Idem, *super Canticis* [5] : « Quale est hoc, ut in omnibus fluviis, agris, hortis, cellariisve vix reperiri possit, quod comedas vel bibas? Memento te, quæso, monachum esse, non medicum; nec de complexione judicandum, sed de professione. Parce, obsecro, primum quidem quieti tuæ; parce deinde labori ministrantium tibi; parce gravamini domus; parce conscientiæ; conscientiæ dico, etsi non tuæ, parce saltem conscientiæ alterius. » Idem, in *Apologia* [6] : « Miror unde inter monachos tanta intemperantia in cibis et potationibus, in vestimentis et lectisterniis, equitaturis, et construendis ædificiis inolescere potuit, quatenus ubi hæc studiosius, et voluptuosius, atque effusius fuerint, ibi ordo melius observari dicatur, et major putetur religio. » Idem [7] : « Ecce inter monachos parcitas putatur avaritia; sobrietas, austeritas; silentium, tristitia reputatur. E contra remissio, discretio dicitur; effusio, liberalitas; loquacitas, affabilitas; cachinnatio, jucunditas; mollities vestimentorum, et equorum fastus, honestas; lectorum superfluus cultus, munditia. » Idem [8] : « Jam de aquæ potu quid dicam? quando nec ullo quidem pacto vinum aquatum admittitur : omnes nimirum, ex quo monachi sumus, infirmos stomachos habemus, et tam necessarium Apostoli de vino utendo consilium non negligimus, *modico* tamen quod ille præmisit [9], nescio cur, prætermisso. » Idem [10] : « Quæritur ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius invenitur; non quod repellat frigus, sed quod superbiæ competat; non denique, juxta regulam, quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imo vanius poterit ostentari. Heu, me miserum qualemcumque monachum, cur adhuc vivo? Tædet animam videre ad hoc devenisse ordinem nostrum sanctum. » Idem [11] : « Habitus noster, quod et dolens dico, qui humilitatis solebat esse insigne, a monachis nostri temporis in signum gestatur superbiæ. Vix jam in nostris provinciis invenitur, quo vestiri dignemur : miles et monachus ex eodem panno partiuntur sibi chlamidem et cucullam. Quivis de sæculo quantumlibet honoratus, etiamsi rex, etiamsi imperator ille fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta, si sibi suo modo præparata fuerint et aptata. » Idem, super *Missus* [12] : « Ornari, non armari appetunt milites Christi, qui dum se præparare ad prælium, et contra aereas potestates prætendere paupertatis insigne debuerant, quod utique adversarii multum formidant, in mollitie vestimentorum pacis potius, quam belli præferentes indicium, ultro se suis hostibus, sine sanguine tradunt inermes. » Item, in capite *de Curiositate*, libro III : « Monachus qui sui [13]. » Idem in libro II, in capite *de Superbia* [14]. Idem, in *Sermonibus* [15] : « Nihil turpius, quam monachus per urbes et castella discurrens, nisi cum hoc charitas cogat,

[1] Chrysost., *de Compunct.*, lib. I. — [2] Vid. inf., lib. III, c. XXVII. — [3] Hieron., *ad Paul.*, epist. XIII. — [4] Bern., *ad Henr. Senon.*, epist. XLII, in fin. — [5] Id., *in Cant.*, serm. XV, in fin. — [6] Id., *Apol. ad Guill. abb.*, post med. — [7] Ibid. — [8] Ibid. — [9] I *Tim.*, V, 23. — [10] Bern., lib. cit. — [11] Ibid. — [12] Id., super *Missus est*, hom. IV, prope fin. — [13] Vid. inf., lib. III, c. VII. — [14] Vid. inf., lib. II, c. VI. — [15] Id., *Serm. parv.*, LXIII.

quæ operit multitudinem peccatorum. » Anselmus, *de Similitudinibus* [1] : « Nec cuiquam prodest habitum monachi exteriorem habere, si non studuerit et interiorem retinere. »

CAPUT XXXIII.

De Incipientibus.

Gregorius, in *Pastorali* [2] : « Qui bona inchoata non consummant, dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerunt cœpta convellunt. » Idem [3] : « Nec malos bona imperfecta adjuvant, nec bonos mala inconsummata condemnant. » Idem, *super Ezechiele* [4] : « Via Dei, et inchoantibus angusta est, et perfecte jam viventibus lata. Et dura sunt, quæ contra consuetudinem spiritualiter animo proponimus; et tamen onus Dei leve est, postquam hoc ferre cœperimus. » Idem, in *Moralibus* [5] : « Conversorum initia bonis moribus malisque permixta sunt, quia et nova vita jam per intentionem agitur, et vetus adhuc ex usu retinetur. » Isidorus, *de Summo Bono* [6] : « Qui ex deteriore jam melior esse cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus, ne gravius per vanam gloriam corruat, quam prius per lapsum vitiorum jacebat. » Idem [7] : « Valet interdum conversis, pro animi salute, mutatio loci : plurimum enim, dum mutatur locus, mutatur et mentis affectus. » Augustinus, *super Genesi* : « Nulla abstinentia fit a voluntate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem consuetudo flectitur. » Cassiodorus, *super Psalterium* : « Initium profectus est carnalia vitia relinquere, Domino supplicare. » Bernardus, in *sermone* [8] : « Solet inter primordia conversionis acrius insurgere tentatio pravæ consuetudinis, et vix possunt extingui jacula ignita diaboli. »

[1] Anselm., *de Similit.*, c. XC, post med. — [2] Greg., *Pastor.*, p. III, c. II, admon. 35. — [3] Ibid., admon. 31. — [4] Id., *in Ezech.*, hom. XVII, circa med. — [5] Id., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII. — [6] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. VIII, sent. 8. — [7] Ibid., c. X, sent. 7. —

CAPUT XXXIV.

De Proficientibus.

Gregorius, in *Moralibus* [9] : « Omnipotens Deus interiora decernens, ipsis spiritualibus profectibus modum ponit, ut ex hoc homo, quod apprehendere conatur et non valet, in illis se non elevet, quæ jam valet. » Idem [10] : « Ad Deum quasi tot gressibus mens accedit, quot bonis moribus proficit. » Idem [11] : « Nonnulli qui ætate crescunt, ab innocentia decrescunt; electis vero, cum foris ætas corporis, intus, si dici liceat, crescit ætas virtutis. » Idem [12] : « Si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, ut inchoare nos quotidie credamus. » Idem [13] : « Sancti viri quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt; quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat, inveniunt. » Idem, *super Ezechiele* [14] : « Quanto plus proficimus in cognitione, tanto nobis indignamur amplius de perverso opere. » Idem [15] : « Plerumque qui plus in contemplatione rapitur, contingit ut amplius in tentatione fatigetur : sicut quibusdam bene proficientibus contingere sæpe solet, quorum mentem, dum aut compunctio afficit, aut contemplatio super semetipsam rapit, statim etiam tentatio sequitur, ne de his ad quæ rapta est, extollatur. » Idem, in *Registro* [16] : « In tantum proficis, quantum tibi non studueris derogando fratribus arrogare. » Hieronymus, in *Epistola* [17] : « Oblitus posteriorum, semper priora sectaberis; nequaquam considerans, quid alii mali faciant, sed quid boni tu facere debeas. Nec peccantium ducaris multitudine, sed sanctorum exempla potius imite-

[8] Bern., *in Assumpt. B. Mar.*, serm. IV, ante med. — [9] Greg., *Moral.*, lib. XII, c. I. — [10] Ibid., lib. XV, c. III, post med. — [11] Ibid., lib. XXI, c. XIII. — [12] Ibid., lib XXII, c. II, circa fin. — [13] Ibid., lib. XXXII, c. I, in princ. — [14] Id., *in Ezech.*, hom. X, circa fin. — [15] Ibid., hom. XIV, ante med. — [16] Id., *ad Joan. Constantinop.*, lib. IV, epist. XXXVIII, col. 1191. — [17] Hieron., *ad Rustic.*, epist. IV, post med.

ris. » Idem [1] : « Crescat in te cum annis gratia; crescat cum ætate justitia; et fides tua eo perfectior esse videatur, quo senior es. » Augustinus, *de verbis Apostoli* [2] : « Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixisti : « Sufficit, » peristi. » Idem [3] : « Semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via deficere, noli retro ire, noli deviare. Remanet enim, qui non proficit; retro redit, qui ad ea revolvitur, unde jam recesserat; deviat, qui apostatat. » Idem, *de Prædestinatione* [4] : « Cur non, inquit Cyprianus, properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes nostros salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat; parentum, fratrum, filiorum frequens et copiosa nos turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. » Idem, in capite *de Oratione accepta* [5] : « Qui didicerunt. » Bernardus, in *Epistola* [6] : « Aut ascendas necesse est, aut descendas : si attentas stare, ruas necesse est. » Idem, in cap. *de Verecundia*, lib. IV [7] : « Nolo repente. » Idem, in *sermone* [8] : « Ita nimirum divina solet pietas conservandæ humilitatis gratia ordinare, ut quanto plus quisque proficit, eo minus se reputet profecisse. Nam et usque ad extremum spiritualis exercitii gradum, si quis tantum proficit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut adhuc vix sibi illum adeptus videatur. » Idem : « Ubi sane in spirituali profeceris exercitio, erit nonnunquam rapi a tuo spiritu in divinum, ut incipias gaudere de bonis Domini, quia propria ante mala lugebas. » Idem [9] : « Minime oportet gressum sistere, et respicere retro; multo minus expedit; sed currendum nobis, et properandum, ne forte egressus ut gigas ad currendum viam suam, a nobis se Christus elonget. Sed potius providentes eum in conspectu nostro semper, et in ejus odorem (*a*) tracti, facilius citiusque curramus. » Auctor *de Spiritu et anima* : «Anima per odium. » Infra, lib. IV, in cap. *de Desiderio* [10].

CAPUT XXXV.

De Perfectis.

Gregorius, in *Moralibus* [11] : « Magna est perfectio, suæ imperfectionis cognitio. » Idem : « Tanto quisque perfectus est, quanto perfecte sentit dolores alienos. » Idem [12] : « Valde perfectorum est, sic de ostenso opere Auctoris gloriam quærere, ut de oblata laude privata nesciant exultatione gaudere. » Idem [13] : « Perfectus quisque, cum in seipso vitia vicerit, statim mentem etiam contra vulnera passionis accingit. » Idem [14] : « Ille vero perfectus est, qui ad imperfectionem proximi impatiens non est. Nam qui alienam imperfectionem ferre non valens, proximum deserit, ipse sibi testis est, quod perfecte nondum perfecit. » Idem [15] : « Perfecta vita, mortis est meditatio. » Idem [16] : « Qui perfecte Deo placere desiderant, sibi de se nil relinquant. » Augustinus, *de Spiritu et littera* [17] : « Quantum mihi videtur, in ea, quæ perficienda est, justitia multum in hac vita ille profecit, qui quam longe sit a perfectione justitiæ, proficiendo cognovit. » Idem : « Hoc perfectorum est, » etc. infra, in lib. IV, in c. *de Æquitate* [18]. Idem : « Nullus perfectus, » infra, lib. IV, c. *de Sufficientia* [19]. Isidorus, *de Summo Bono* [20] : « Sicut falsitatis crimen a proficientibus pertimescitur, ita otiosa verba a perfectis

[1] Hieron., *ad Maur.*, epist. XIV, circa fin. — [2] Aug., *de verb. Apost.*, serm. XXV, in fin. — [3] Ibid. — [4] Id., *de Prædest. Sanct.*, lib. I, c. XIV. — [5] Vid. inf., lib. II, c. XLV. — [6] Bern., *ad Fratres Suessione congreg.*, epist. XCI, post med. — [7] Vid. inf., lib. IV, c. XIV. — [8] Id., *de quatuor modis orand.*, serm., ante med. — [9] Id., *de trib. ordin. Eccl.*, serm., ante med. — [10] Vid. inf., lib. IV, c. XXIV. — [11] Greg., *Moral.*, lib. XIX, c. VIII. — [12] Ibid., lib. VIII, c. XXX, post med. — [13] Ibid., lib. VI, c. VIII, post med. — [14] Ibid., lib. V, c. XIII, circa fin. — [15] Ibid., lib. XIII, c. X. — [16] Ibid., lib. X, c. IV. — [17] *De Spir. et litt.*, c. XXVI, inter Oper. Aug. — [18] Vid. inf., lib. IV, c. XXXIX, sed non reperitur locus Augustini. — [19] Vid. inf., lib. IV, c. XX. — [20] Isid., *de Sum. Bon.*, c. XXIX, sent. 3.

(*a*) *Cæt. edit.* odore.

viris sollicite vitantur. » Idem [1] : « Peccata quæ incipientibus levia sunt, perfectis viris gravia reputantur. » Bernardus, in *Epistola* [2] : « Nemo perfectus, qui perfectior esse non appetit. » Idem [3] : « Proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quod si studere perfectiorem esse, perfectum est; nolle proficere, deficere est. » Idem [4] : « In proposito perfectionis apparere imperfectum, nævus est. » Idem [5] : « Habes de justo, quod lex Dei in corde ipsius, et non in codice. Nec perfectionis is gradus. Perfectus carere et necessariis paratus est. » Idem, *super Cantica* [6] : « Perfectus omnis reputatur, in cujus anima tria hæc congruenter atque opportune concurrere videbuntur, ut scilicet noverit gemere pro se, et exultare in Deo, et proximorum utilitatibus potens sit subvenire, placens Deo, cautus sibi, utilis proximis. »

CAPUT XXXVI.

De tribus prædictis statibus.

Gregorius, in *Moralibus* [7] : « Tres sunt modi conversorum, scilicet inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem sunt blandimenta dulcedinis; in medio quoque tempore sunt certamina tentationis; ad extremum vero perfectio virtuosæ (*a*) pulchritudinis. » Idem super Ezechielem [8] : « Alia sunt virtutis exordia, aliud perfectio. » Isidorus, *de Summo Bono* [9] : « Tripartitus describitur esse uniuscujusque conversi profectus, scilicet : primus, corrigendi a malo; secundus, faciendi bonum; tertius, consequendi boni operis præmium. » Bernardus, in *Epistola* [10] : « Incipientium status dici potest animalis, proficientium rationalis, perfectorum spiritualis. » Idem, *super Cantica* [11] : « Sunt hi tres animarum affectus, sive profectus, expertis duntaxat satis noti et manifesti, scilicet cum aut de actibus malis indulgentiam, aut de bonis agendis gratiam, aut ipsius etiam indultoris et benefactoris sui præsentiam (eo quidem modo, quo in corpore fragili possibile est) obtinent intueri. » Idem [12] : « Invenit profecto apud Deum, et verecunda confessio, quo se humiliando dejiciat, et propera devotio, ubi se innovando reficiat, et jucunda contemplatio, ubi se excedendo quiescat. » Idem, in *sermone* [13] : « Alii vacent sanctæ contemplationi; alii dediti sint fraternæ administrationi; alii in amaritudine animæ suæ recolant annos, tanquam vulnerati dormientes in sepulcris. » Idem [14] : « Sic plane, sic opus est, ut Maria pie et sublimiter sentiat de Deo suo; Martha misericorditer et benigne de proximo; Laxarus misere et humiliter de seipso. »

CAPUT XXXVII.

De Monialibus.

Gregorius, in *Registro* [15] : « Juvenculas abbatissas fieri vehementissime prohibemus. » Ambrosius, *de Virginitate* [16] : « Aiunt plerique maturioris ætatis virgines esse velandas. Neque ego abnuo sacerdotales cautiones esse debere, ut non temere velentur. Spectet plane, spectet ætatem sacerdos : sed fidei, vel pudoris. Spectet maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis canitiem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos charitatis. » Augustinus, *de Virginitate sancta* [17] : « Non nos in virginibus prædicamus, quod virgines sunt, sed quod Deo dicatæ pia continentia virgines. Nam, quod non temere forsitan dixerim, felicior mihi videtur nupta mulier, quam virgo nuptura. » Idem [18] :

[1] Isid., *de Sum. Bon.*, c. XVIII, sent. 5. — [2] Bern., *ad Drogon. Monach.*, epist. XXXIV. — [3] Id., *ad Guarin. Abb.*, epist. CCLIII, circa med. — [4] Id., *ad Ber. Priorem*, epist. CCXLIX. — [5] Id., *Vit. S. Malach.*, in præf. — [6] Id., *in Cant.*, serm. VI, prope fin. — [7] Greg., *Moral.*, lib. IV, c. VII, ante med. — [8] Id., in *Ezech.*, hom. XIV, ante med. — [9] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. II, sent. 7. — [10] Bern., *de vit. solit. ad Fratr. de Monte Dei*, ante med. — [11] Id., *in Cant.*, serm. IV, ante med. — [12] Ibid., paulo post. — [13] Id., *in Assumpt. B. Mar. Virg.*, serm. III, circa med. — [14] Ibid. — [15] Greg., *ad Maximian.*, lib. III, *Epist.* XI, col. 1144. [16] Ambros., *de Virginib.* lib. III, ante med. — [17] Aug., *de sanct. Virginit.*, c. XI. — [18] Ibid., c. VIII.

(*a*) *Cæt. edit.* vitiosæ.

« Nulla carnis fecunditas sanctæ virginitati comparari potest. Neque enim et ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur. » Idem [1] : « In vita æterna est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda : cui consequendæ parum est liberum esse a peccatis, nisi super hoc aliquid ipsi liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse sit laudis et honoris. » Idem [2] : « Pergite, sancti pueri Dei et puellæ, mares et feminæ, cœlibes et innuptæ : pergite perseveranter in finem, et laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius; sperate felicius, cui servitis instantius; amate ardentius, cui placetis attentius : lumbis accinctis, et lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat a nuptiis. » Idem, *de Ecclesiasticis Dogmatibus* [3] : « Sacratæ Deo virginitati nuptias coæquari, aut pro amore castigandi corporis abstinentibus a vino, vel carnibus, nihil accrescere meriti credere, non hoc Christiani, sed Joviniani est. » Hieronymus, in *Epistola* [4] : « Agnosce, virgo, statum tuum, agnosce locum, agnosce propositum, Christi sponsa diceris : vide ne quid indignum ei, cui desponsata diceris, admittas. Cito rescribet repudium, si in te viderit vel unum adulterium. » Idem [5] : « Cave ne cui vel concupiscendi occasionem tribuas, quia sponsus tuus Deus zelans est. Criminosior est enim Christi adultera, quam mariti. » Idem [6] : « Romana Ecclesia apostolico sine dubio, cujus sedem obtinet, spiritu animata, tam severam statuit sententiam, ut vix vel pœnitentiæ dignam judicaret, quæ sanctificatum Deo corpus libidinosa coinquinatione violasset. » Anastasius, in *Sermone* : « Nihil prodest corpus velare, et mentem vitiorum portentis maculare. Quid enim prodest nigris vestibus indui, et a detractione linguam non cohibere ? » Idem : « In monasterio positæ non otio torpescant, non detractionibus, non obscœnis confabulationibus incumbant; sed aut psalmorum modulationibus, aut manuum operationibus insistant, aut certe divinis lectionibus aurem accommodent. » Idem : « Minores natu, eas quæ provectæ sunt ætatis, obsequio sanctitatis venerentur. Provectæ quoque annis, juniores dictis et exemplis ad bene vivendum informent. Nobiles genere, nequaquam ignobilibus se præferant : scientes, quia personarum acceptor non est Deus. » Idem : « Vita abbatissæ, velut pennatum animal, ad altum semper per desiderium evolet, per verba resonet, luceat per exemplum. » Idem : « Tales abbatissæ regendarum animarum curam suscipere debent, quæ subditis, verbis et exemplis, ducatum præbeant sanctæ religionis. » Idem : « Omnis actio abbatissæ semper sit propter Deum, et de Deo, et cogitatio in Deum; et exceptis vitiis, quibus non compassio, sed rectitudo debetur, omnibus eam cupio esse compassibilem, omnibus gratam. » Cæsarius, in *Sermone* : « Religiosam quampiam non oportet, non decet, non expedit parentum suorum multis obligationibus implicari, aut quorumlibet extraneorum perniciosa familiaritate constringi. » Idem : « Pomposa indumenta, quæ non utilitati, sed vanitati serviunt, fastidite, atque contemnite, virgines Christi sponsæ. Multæ enim, quod in moribus diligunt, hoc et in vestibus et in operibus suis ostendunt. » Cyprianus, libro *de Disciplina et habitu virginum* [7] : « Non computari jam poteris inter puellas et virgines Christi, quæ sic vivis et vadis, ut possis ab hominibus adamari. » Bernardus, in *Epistola* [8] : « Ut quid hactenus monacha et sanctimonialis vocata es, quæ sub sanctitatis nominibus, non tamen sancte conversata es? Cur velum in capite mentiebatur reverentiam, et sub velo petulans oculus

Monialium exercitia.

Abbatissæ vita et exemplum.

[1] Aug., *de sanct. Virginit.*, c. XIII. — [2] Ibid, c. XXVII. — [3] Imo Gennad., *de Eccles. Dogm.*, c. VI, inter opera S. Aug., tom. VIII, append. — [4] Hieron., *ad Mauritii filiam*, epist. XIV, circa med. — [5] Ibid., circa fin. — [6] Ibid. — [7] Cyprian., *de discipl. et habit. Virg.*, c. V. — [8] Bern., *ad Sanctimonial. quamdam*, epist. CXIV.

exhibebat impudentiam? Caput siquidem gerebas velatum, sed elatum. Sub signo verecundiæ, sermo resonabat inverecundus. Risus immoderatior, incessus lascivior, vestitus ornatior uni inflatæ magis, quam velatæ congruerent. »

CAPUT XXXVIII.

De Virginibus.

Gregorius, *super Ezechielem* [1] : « Candida vita est carnis incorruptio, et flos virginitatis. » Idem, in *Moralibus* [2] : Carnis virginitas nequaquam jussa est, sed tantummodo laudata. Nam si illa juberetur, nimirum jam conjugium in culpam verteretur. Et tamen multi virtute virginitatis pollent, ut videlicet plus impendant obsequio, quam acceperant in præcepto. » Augustinus, *de Virginitate* [3] : « Profecto habebunt magnum aliquid virgines præter cæteros in illa communi sanctorum immortalitate, quoniam habent aliquid jam non carnis in carne. » Idem [4] : « Non quærit in vobis amator vester pulchram carnem, sed pulchram mentem et pulchros mores, quibus frænatis et carnem. » Idem [5] : « Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce : totum ipse teneat in animo vestro, quidquid voluissetis occupati connubio. » Idem [6] : *Virgines sunt, et sequuntur agnum quocumque ierit* [7]. Quo ire putamus hunc agnum? Certe quo nemo eum sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos. Quo putamus eum ire? in quos saltus et prata? Ubi, credo, gramina sunt gaudia, non gaudia hujus sæculi vana, insani et mendacis, nec gaudia qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus; sed a cæterorum omnium sorte distincta. » Idem [8] : « Gaudia virginum Christi sunt de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria virginum Christi, non sunt eadem non virginum, quamvis Christi. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia. » Idem [9] : « Sequimini agnum, et tenendo perseveranter quod vovistis ardenter, facite quod potestis; ne virginitatis bonum a vobis pereat, cui facere nihil potestis, ut redeat. » Idem [10] : « Gaudeat magis puella nobilis genere, sed nobilior sanctitate, quod sit per divinum consortium præcipuam in cœlis consecutura sublimitatem, quam si esset per humanum connubium prolem in terra propagatura sublimem. » Idem, infra, lib. IV, in capit. *de Meditatione* [11] : « Virginalis integritas, etc. » Idem, infra, in capite *de Connexione virtutum*, scilicet continentiæ et charitatis, ibidem [12] : « Inspicite vulnera, etc. » Idem [13] : « Illis virginibus in quibus est quidam placendi appetitus, aut elegantiori vestitu, quam tantæ professionis necessitas postulat, aut capitis ligamento notabili, sive tumidis umbonibus capillorum, sive tegminibus ita teneris, ut retiola subterposita appareant, his non de humilitate, sed de castitate ipsa, vel integritate pudicitiæ danda præcepta sunt. » Idem [14] : « Bonum est tibi, o anima virginalis, ut sic quando virgo es, sic omnino servans in corde quod renata es, servans in carne quod nata es, concipias cum timore Domini, ut parturias spiritum salutis. Idem [15] : « Ille unius sanctæ virginis partus, omnium sanctarum virginum est decus; et ipsæ virgines cum Maria virgine matres Christi sunt, si Patris ejus voluntatem faciunt. » Idem [16] : « Quis nesciat obedientem mulierem, inobedienti virgini præponendam? » Idem [17] : « Virginitatis bonum, quantum magnum video, tanto ei ne pereat, furem superbiam pertimesco. » Hieronymus, in *Epistola* [18] : Non proderit cæterorum sanctificatio membrorum, si inveniatur vel in uno corruptio. » Idem : « An tibi de virginitatis prærogativa blandiris? Memento

[1] Greg., *in Ezech.*, hom. VI, ante med. — [2] Id., *Moral.*, lib. XV, c. XII. — [3] Aug., *de sancl. Virginit.*, c. XII. — [4] Ibid., c. LV. — [5] Ibid. — [6] Ibid., c. XXVII. — [7] *Apoc.*, XIX, 1. — [8] Aug., ibid. — [9] Ibid., c. XXIX. — [10] Id., *ad Pro. et Jul.*, epist. CLXXIX. — [11] Vid. inf., lib IV, c. XXVI. — [12] Ibid., c. XLV. — [13] Id., *de S. Virginit.*, c. XXXI. — [14] Ibid., c. XXXVIII. — [15] Ibid., c. V. — [16] Ibid., c. XLIV. — [17] Ibid., c. LI. — [18] Hieron, *ad Maurit. fil.*, epist. XIV.

Adam et Evam virgines deliquisse, nec integritatem corporis profuisse peccantibus. » Idem [1] : « Cum universos artus tuos mundaveris ab omni sorde peccati, et toto fueris sanctificata corpore ; tunc tibi castitatem intelligas profuturam, et cum omni fiducia palmam virginitatis expecta. » Idem [2] : « Sit in te nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, et veræ pudicitiæ habitus, sermo semper modestus, et in suo tempore proferendus. » Idem [3] : « Virginis definitio est, sanctam esse corpore et spiritu, quia nihil proficit carnem habere virginem, si mente quis nupserit. » Idem [4] : « Audenter loquar; cum omnia possit Deus, suscitare non potest virginem post ruinam. Valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam. » Cyprianus, in *Epistola* [5] : « Si Christum continentia sequitur, et regno Dei virginitas destinatur, quid est virginibus Christi cum terreno cultu, et cum ornamentis, quibus dum hominibus placere gestiunt, Deum offendunt ? » Isidorus, *de Summo Bono* [6] : « Omne peccatum per pœnitentiam recipit vulnerum sanitatem ; virginitas autem si labitur, nullatenus reparatur. » Idem [7] : « Virgo carne, non mente, nullum præmium habet in repromissione. » Ambrosius, *de Hortatione ad virginitatem* [8] : « Attende tibi, virgo, ut et tu insistas orationi, et vultus tuus assidua pallescat obsecratione. Sed *ante* [9] omnem *orationem, præpara animam, ut non tu videaris tentare Deum*, cum deprecaris : ut id quod oras, mores tui loquantur, fides adjuvet, opera commendent. » Idem [10] : « Nec liberiorem lætitiam in virginibus decet esse : quæ si non habent quod defleant, fleant tamen sæculum, fleant lapsus peccantium. Etenim quæ aliorum lapsus fleverit, suos cavebit. Fleant quod a gaudiis paradisi longius evagantur ; fleant, quia nesciant an ad illa debeant pervenire : fleant postremo, vel ipsa contemplatione, ut hic flentes, illic accipiant consolationem. » Idem [11] : « *Custodi* [12], virgo, *vias tuas, ut non delinquas in lingua tua.* Etenim bona loqui plerumque crimen est virgini. » Idem [13] : « Ingreditur, o virgo, mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, postremo si ubi non oportet loquaris. Clausæ sint ergo fores labiorum tuorum, et obseratum maneat vocis vestibulum. » Idem [14] : « Virgo quæ Christum requirit, non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in plateis voce querula, gressu lubrica, facilis auditu, vilis aspectu. » Idem [15] : « Qui non nubunt et uxores non ducunt, sicut angeli in terris sunt : ut tribulationem carnis non sentiant, servitutem ignorent, et mundanæ negotiationis allevientur contagio, divinis rebus mente intendant : ut tanquam exuti corporis infirmitate, non quæ hominis sunt, sed quæ Dei cogitent. » Idem [16] : « Virginitas adolescentiam decet, juventutem ornat, senectutem amplificat, omnique ævo habet justitiæ suæ canos, maturitatem gravitatis, velamen pudoris, qui devotionem non impediat, religionem augeat. » Idem, *de Virginitate* [17] : « Quid est virginalis castitas, nisi expers contagionis integritas ? » Idem [18] : « Nec mirum, o virgines, si pro vobis angeli militant, qui angelorum moribus militatis. Meretur eorum præsidium castitas virginalis, quorum meretur et vitam et mores. » Idem [19] : « Rachel, extorto osculo, flevit et gemuit. Nec flere desiisset, nisi proximum cognovisset. » Idem [20] : « Considerate, quia virgines præ apostolis resurrectionem Domini videre meruerunt. » Idem [21] : « Claudat ora virginis pudor ; de-

[1] Hieron., *ad Maurit. fil.*, epist. XIV. — [2] Ibid. — [3] Id., *adversus Helvid.*, non longe a fine. — [4] Id., *ad Eustoch.*, epist. XXII, ante med. — [5] Cyprian., *de Discipl. et habit. Virg.*, c. III. — III. — [6] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XL, sent. 6. — [7] Ibid., sent. 7. — [8] Ambros., *de hortat. ad Virginit.*, post med. — [9] *Eccli.*, XVIII, 23. — [10] Ambros., ibid., paulo post. — [11] Ibid., prope fin. — [12] *Psal.* XXXVIII, 2. — [13] Ambr., *de Virginib.*, lib. III, post med. — [14] Ibid. — [15] Id., *de hortat. ad Virginit.* — [16] Id., *de Vid.*, ante med. — [17] Id., *de Virginib.*, lib. I, ante med. — [18] Ibid., post med. — [19] Ibid., lib. III, non multum a princ. — [20] Ibid., ante med. — [21] Ibid.

bilitatem corporis excludat religio; instituat consuetudo boni operis exercitium. Maturam igitur virginem mihi prius gravitas morum nuntiet pudore obvio, gressu sobrio, vultu modesto, et prænuntia integritatis antecedant signa virtutis. » Bernardus, *super Missus est* [1] : « Solent virgines, quæ veræ virgines sunt, semper ad omnem viri affatum pavere, et nunquam esse securæ, et, ut caveant timenda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, et nimis arduum esse vivere inter homines ut angelum, et in terris more cœlestium conversari. » In dialogo sanctorum Basilii et Joannis : « Virgo, quæ arripuit prophetiam, cœlestemque conversationem angelorum repræsentare in terris spopondit, atque in hac carne incorporeæ naturæ aggressa est implere virtutem, neque superfluos (*a*) egressus, neque vaniloquia usurpare permittitur; maliloquii vero et adulationis etiam nomina ignorare debet. » Glossa [2] : « Altior professio virtutis altiorem debet tenere viam vivendi. Qui enim, abrenuntiato conjugio, virginitatem voto consecrant, oportet ut mores virginitatis condignos ostendant. Abstineant ab otiosis verbis, ira, rixa, detractione, habitu superfluo, et oculo impudico, comessationibus, potationibus, atque hujusmodi; vigiliis et sanctis orationibus, lectionibus, eleemosynis, et hujusmodi, vacent. »

CAPUT XXXIX.

De Viduis.

Gregorius, in *Registro* [3]: « Quanto viduæ bene viventes virorum sunt solatio destitutæ, tanto eis enixius ecclesiastica est impendenda tuitio. » Idem, in cap. *de Sacerdotibus bonis* [4]: « Officii sacerdotalis, » etc. Augustinus, in *Epistola* [5] : « Quamvis ad omnia membra Christi, hoc est, ad omnes qui in eum credunt, et ejus corpori mystico sociantur, sicut docuit, orare pertineat; specialiter tamen diligentior cura orationis, in Scriptura, ejus viduis invenitur injuncta. » Idem, *de Viduitate* [6]: « Si nondum vovisses Deo continentiam vidualem, exhortaremur profecto ut voveres; quia vero jam vovisti, exhortamur ut perseveres. » Idem [7]: « Agite cursum vestrum, o viduæ, et perseveranter [8] *currite, ut comprehendatis:* et exemplo vitæ, exhortationisque sermone, rapite in eumdem cursum vestrum quascumque potueritis. » Idem, *de Vita Christiana* [9]: « Tria esse viduarum genera, non ignorare te credo: unum, quod perfectissimum est cœlestique præmio destinatum, quod ritu illius de Evangelio [10] viduæ Deo *orationibus et jejuniis die noctuque* deservit; aliud vero, quod filiorum curam habet et domus, non tam dignum, nec tamen peccatis obnoxium; tertium autem genus est in epulis et deliciis, quod æternæ morti servatur. » Idem, *de Virginitate* [11]: « Multas viduarum revocat a nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens et ipse de superbia, qua formidatur magis hominibus displicere, quam Deo. » Hieronymus, in *Epistola* [12]: « Vidua quæ marito placere desinit, et juxta Apostolum vere vidua est, nihil habet necessarium, nisi perseverantiam. Meminit pristinæ voluptatis, scit quid amiserit, quo delectata sit. » Ambrosius, *de Viduis* [13] : « Propemodum non inferioris virtutis est a conjugio abstinere, quod aliquando delectaverit, quam conjugii penitus delectamenta nescire. » Idem [14]: « Virginitas in eo facilior est, quod carnis incentiva non novit; et viduitas in eo sollicitior, quod præteritas animo recolit voluptates. » Idem, *de Vidui-*

[1] Bern., super *Missus est*, hom. III, post med. — [2] Gloss. ord. in III *Reg.*, VI. — [3] Greg., *ad Anthem.*, lib. V, epist. XXXVII, col. 1234. — [4] Vid. sup., c. XX, p. 32. — [5] Aug., *ad Prob.*, epist. CXXI, al. CXXX, c. XVI, n. 29. — [6] Id., *de Bon. Viduit.*, c. XIX. — [7] Ibid., c. XIII. — [8] I *Cor.*, IX, 24. — [9] Aug., *de Vit. Christ.*, c. XIII. — [10] *Luc.*, II, 37. — [11] Aug., *de S. Virginit.*, c. XXXIV. — [12] Hieron., *ad Furiam*, epist. X, ante med. — [13] Ambr., *de Vid.*, in princ. — [14] Est Hieron., *ad Agerunt.*, epist. XI, ante med.

(*a*) *Cæt. edit.* superfluus.

tate [1] : « Esto, vidua, temperans et casta. Tempera te primum a vino, ut possis casta esse ab adultero; nec te ille tentabit, si te vina non tentent. Nam si Judith vidua vinum bibisset, cum adultero utique dormisset. » Idem, *de Officiis* [2] : « Quid tam decorum, quam ut vidua defuncto conjugi fidem servet? Quid etiam hoc utilius, quo regnum cœleste acquiritur? *Sunt* enim [3], *qui se castraverunt propter regnum cœlorum.* » Idem, *de Fide resurrectionis* [4] : « Mulier satis pie virum luget, quæ servat pudorem, non deserit fidem. Sic enim bene defunctis officia penduntur, ut vivant in mentibus, et in affectibus perseverent. »

CAPUT XL.

De Conjugatis.

Gregorius, in *Moralibus* [5] : « Tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. » Idem, in *Pastorali* [6] : « Necesse est ut conjuges crebris orationibus deleant, quod pulchræ copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant. » Idem [7] : « Admonendi sunt conjuges, ut ea in quibus sibi aliquando displicent, et patientes invicem tolerent, et exhortantes se invicem salvent. » Idem, in *Registro* [8] : « Vir cum propria uxore dormiens, nisi lotus aqua, Ecclesiam intrare non debet, sed neque lotus intrare statim debet. » Et infra [9] : « Nec hoc dicentes culpam putamus esse conjugum; sed quia etiam ipsa licet admixtio conjugum, sine voluptate carnis esse non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est, quia voluptas ipsa sine culpa esse nullatenus potest. » Idem : « Si quis sua conjuge non cupidine voluptatis, sed solum procreandorum liberorum gratia utitur, ille profecto sive de ingressu Ecclesiæ, sive de sumendo dominici corporis sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. » Idem [10] : « Cum boni conjuges aut meritum augere desiderant, aut anteactæ vitæ culpas deflere, ut se ad continentiam astringant, et meliorem vitam appetant licet. Si vero continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat; dividi conjugium non licet, quia scriptum est [11] : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et iterum [12] : *Mulier corporis potestatem non habet, sed vir : similiter autem, et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Augustinus, *de Bono conjugali* [13] : « Concubitus necessarius causa generandi inculpabilis est, et solus ille nuptialis. Ille autem, qui ultra necessitatem istam progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam conjugalem pertinet. Si autem ambo tali concupiscibili subjungantur, rem faciunt non plane nuptiarum. » Idem [14] : « Cum ille naturalis usus, qui prolabitur ultra pacta nuptialia, id est, ultra propagandi necessitatem, venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis; ille qui est contra naturam execrabilis fit in meretrice, sed execrabilior fit in uxore. » Idem [15] : « Bonæ sunt nuptiæ, in quibus tanto meliores sunt conjugati, quanto castiores ac fideliores Deum timent : maxime si filios, quos carnaliter desiderant, spiritualiter nutriant. » Idem in *Epistola* [16] : « Mulierem conjugatam non licet dicere : « Facio quod volo de meo, cum et ipsa non sit sua, sed capitis sui, id est viri. » Idem, *super Genesim ad litteram* [17] : « Quod bonum habent nuptiæ, peccatum nunquam esse potest. Hoc autem tripartitum est, scilicet fides, proles, sacramentum. In

[1] Ambros., *de Vid.*, circa med. — [2] Id, *de Offic.*, lib. II, c. VI. — [3] *Matth.*, XIX, 12. — [4] Ambros., *de fid. Resurr.*, longe ante med. — [5] Greg, *Moral.*, lib. XXXII, c. XVII. — [6] Id., *Pastor.*, p. III, c. II, admonit. 26. — [7] Ibid. — [8] Id., *ad Augustin.*, lib. XII, epist. XXXI, *ad interrog.* X, col. 1573. — [9] Ibid., col. 1574. — [10] Id., *ad Theoctistam*, lib. IX, epist. XXXIX, col. 1446. — [11] *Matth.*, XIX, 6. — [12] I *Cor.*, VII, 4. — [13] Aug, *de Bon. Conjug.*, c. X. — [14] Ibid., c. XI. — [15] Ibid., c. XVIII. — [16] Id., epist. CXCIX, al. CCLXII, n. 7. — [17] Id., *de Genes. ad litt.*, lib. II, c. VII.

fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altera vel cum altero concumbatur; in prole, ut amanter suspiciatur, benigne nutriatur, religiose educetur; in sacramento, ut conjugium non separetur, et dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri conjungatur. » Idem, *contra Julianum* [1] : « Intemperans in conjugio, quid aliud nisi quidam adulter uxoris est? Omnis enim vehemens amator propriæ uxoris, adulter est. » Idem [2]: « Sicut adulterium non potest esse sine bono naturæ, nec ideo est bonum; ita connubium non potest esse sine malo concupiscentiæ, nec ideo malum est. » Idem [3]: Conjuges bene utentes malo concupiscentiæ, anteponuntur virginibus male utentibus bono continentiæ. Idem, *de Viduitate* [4]: « Nuptiarum bonum semper est bonum; sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium. » Idem [5]: « Sicut manente in se sacramento regenerationis, excommunicatus quisque reus criminis cujuscumque, non illo sacramento caret, etiamsi nunquam reconcilietur Deo; ita manente in se vinculo fœderis conjugalis, si uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo fœderis, etiamsi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus. » Idem : « Indignantur viri, » etc., supra, in capitulo *de Homine* [6]. Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [7]: « Abstine te a menstruata; abstine te a prægnante ; erubesce te facere, quod animalia non faciunt. » Et infra : « Quando dies festus est et dies jejunii, serva ut impleas apostolicum præceptum [8] : *Nolite fraudare invicem,* » etc. Ambrosius, *de Viduitate* [9] : « Non prohibemus secundas nuptias, sed tamen non probamus sæpe repetitas. » Idem, *de Virginitate* [10] : « Bonum conjugium, sed tamen a jugo tractum, et mundi jugo, ut viro potius cupiat mulier placere, quam Deo. » Idem [11] : « Jactet licet se fecundo nobilis dotata partu; quo plures generavit, plus laboravit. Numerat solatia filiorum; sed numeret pariter et molestias. Nubit et plorat, qualia sunt vota quæ flentur? » Idem [12] : « Prius utique impedimentum fecunditas carnis incipit afferre, quam fructum. Parturit enim et ægrotat, priusquam pariat : quam dulce pignus, quod a periculo incipit, et in periculis desinit; prius dolori futurum, quam voluptati? Periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur. » Idem [13]: « A conjugio illa nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, et de adulterio vultus, meditantur adulterium castitatis. » Isidorus in *Etymologiis* [14] : « Tribus causis ducitur uxor. Prima est causa prolis, de qua legitur in Genesi [15] : *Et benedixit eos dicens : Crescite et multiplicamini.* Secunda causa adjutorii, de qua ibi in *Genesi* dicitur [16] : *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* Tertia causa incontinentiæ, unde dicit Apostolus [17] : *Qui se non continet, nubat.* » Hieronymus, in *Epistola* [18] : Non negamus viduas, non negamus maritatas, sanctas mulieres inveniri; sed quæ uxores esse desierunt, quæ in ipsa necessitate conjugii imitantur virginum castitatem. » Idem [19] : « Ubi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, cymbala concrepant, quis ibi Dei timor? Parasitus in contumeliis gloriatur. Ingrediuntur expositæ libidini victimæ, et tenuitate vestium nudæ impudicis oculis ingeruntur : his infelix uxor aut lætatur, et perit; aut offenditur, et maritus in jurgia concitatur. » Idem [20] : « Nupta ad speculum pingitur, et in contumeliam Artificis conatur pulchrior esse, quam nata est. » Idem, in originali super illud *Joel* [21] : *Egreditur sponsus de cubili suo,* etc. : « Ergo qui in castigatione victus, et jejunio, atque elee-

[1] Aug,, *cont. Julian.*, lib. II. — [2] Ibid., lib. III, c. XXIII. — [3] Ibid., lib. IV, c. VIII. — [4] Id., *de Bon. Viduit.*, c. VIII. — [5] Id., *de Adult. Conj.*, c. V. — [6] Supra, c. VII, p. 19. — [7] Chrysost., *Op. imperf. in Matth.*, c. XIX. — [8] I *Cor.*, VII, 5. — [9] Ambros., *de Vid.*, c. XI, n. 68. — [10] Id., *de Virg.*, lib. III, post med. — [11] Ibid., lib. I, ante med. — [12] Ibid. — [13] Ibid. — [14] Isid, *Etymol.*, lib. IX, c. VIII. — [15] *Gen.*, I, 28. — [16] Ib id., II, 18. — [17] I *Cor.*, VII, 9. — [18] Hieron , *adv. Helvid.* — [19] Ibid. — [20] Ibid. — [21] Id , *in Joel.*, II, 16.

mosynis dicit se agere pœnitentiam, frustra agit pœnitentiam, qui non servat castitatem; frustra hoc sermone promittit, nisi egrediatur de cubiculo suo, et sanctum purumque jejunium pudica expleat pœnitentia. » Glossa [1] : « Quoties uxori debitum reddo, orare non possum. Quod si juxta Apostoli [2] sermonem *sine intermissione orandum est*, nunquam ergo mihi conjugio serviendum, ne ab oratione, cui semper instare jubeor, ulla hora præpediar. »

CAPUT XLI.

De tribus statibus prædictis.

Augustinus, in libro *de Bono conjugali* [3] : « Sicut bonum erat, quod Martha faciebat occupata multum circa ministerium sanctorum; sed melius, quod Maria soror ejus sedens ad pedes Domini, et audiens verbum ejus, cum ambæ hospitio recepissent : ita bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus; sed tamen ei bonum viduæ Annæ, ac multo magis Mariæ virginis anteponimus. » Idem, *de Virginitate* [4] : « Certa ratione et sanctarum scripturarum auctoritate, nec peccatum esse nuptias invenimus; sed tamen nec eas bono vel virginalis continentiæ, vel etiam vidualis abstinentiæ, æquamus. » Idem, *contra Julianum* [5] : « Vera pudicitia, sive conjugalis, sive vidualis, sive virginalis, dicenda non est, quæ non veræ fidei mancipatur. Conjuges enim, et virgines, et viduæ possunt esse, et pudicæ non esse, si contaminata voluntate mœchantur. » Hieronymus, in *Epistola* [6] : « Cum in semente terræ bonæ, centesimum, et sexagesimum, et trigesimum fructum Evangelia doceant; et centenarius pro virginitatis corona primum gradum teneat, sexagenarius pro labore viduarum in secundo sit numero, tricenarius fœdera nuptiarum ipsa digitorum conjunctione testatur; bigamia in quo erit numero? imo extra numerum : certe in terra bona non oritur, sed in vepribus et spinetis vulpium, quæ Herodi impiissimo comparantur. » Ambrosius, *de Viduitate* [7] : « Docemur triplicem castitatis esse virtutem : unam conjugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis. »

CAPUT XLII.

De Pauperibus.

Gregorius, in *Homiliis* [8] : « Pauper cum reprehensibilis cernitur, moneri debet, et despici non debet. Si vero reprehensionis nil habet, venerari summopere sicut intercessor debet. » Idem [9] : « Cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere, nolite desperare; quia fortasse quod superfluitas tenuissimæ pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. » Idem [10] : « Quando ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Maligni autem spiritus nudi sunt, quia nihil in hoc mundo proprium possident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quis cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur : quia habet unde teneatur. » Idem, in *Dialogo* [11] : « Paupertas mentibus bonis esse solet custos humilitatis. » Idem, *super Ezechielem* [12] : « Paupertas in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. » Idem [13] : « Cum deest terrena substantia, de qua æterno judici rationem ponemus, liberius ad patriam pergimus, quia quasi in via pondere caremus. » Idem, in *Moralibus* [14] : « Mira securitas est cordis, aliena non quærere, sed uniuscujusque diei sufficientia contentum manere, » infra [15], *de Sufficientia*, lib. IV. Idem : « Quisquis stimulo, » etc., infra [16], lib. III, capitulo *de Ju-*

[1] Gloss. ord. in I *Petr.*, III. — [2] I *Thess.*, V, 17. — [3] Aug., *de Bon. Conjug.*, c. VIII. — [4] Id., *de S. Virginit.*, c. XXI. — [5] Id., *cont. Julian.*, lib. IV, c. VIII. — [6] Hieron., *ad Ageruch.*, epist. XI. — [7] Ambros., *de Vid.*, c. IV, n. 23. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. XL, post med.— [9] Ibid., circa med. — [10] Ibid., hom. XXII, non longe a princ. — [11] Id., *Dialog.*, lib. II, c. IX, non longe a princ. — [12] Id., *in Ezech.*, hom. XVIII, post med. — [13] Ibid, hom. X, post med. — [14] Id., *Moral.*, lib. XV, c. XIII, post med. — [15] Vid. inf., lib. IV, c. XX. — [16] Vid. inf., lib. III, c. XLIX.

dicio. Augustinus [1], *de Ecclesiasticis Dogmatibus :* « Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare; melius pro intentione sequendi Dominum insimul pauperibus donare, et absolutum ab omni sollicitudine egere cum Christo. » Idem, in libro *de Cura pro mortuis,* et in libro *de Civitate Dei* [2] *:* « Præclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum; sed multo clariores in conspectu Dei ulceroso illi pauperi ministerium præbuit angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ sinum. » Idem, super Canonicam Jacobi : « Magnæ felicitatis est conditio Christianorum, quibus claritudo regni in paupertate posita est. Possidere quod cum labore acquiritur, paucorum est; contemnere quod cum fructu contemnas, omnium est. Felicitas ergo magna Christianorum, quibus datum est, ut paupertate faciant pretium regni cœlorum. » Idem : « Non tibi displiceat paupertas tua; nihil enim ea potest ditius inveniri. Vis scire quam locuples sit paupertas? Cœlum emit. » Joannes Chrysostomus : « Non malum aliquod æstimemus inopiam; etenim sapientiæ, et patientiæ, et omnis philosophiæ nobis magistra est inopia. » Ambrosius, in *Hexaemeron* [3] *:* « Justus vir, qui hic eguerit, illic abundabit : et qui hic laborem toleraverit, illic consolationem habebit. Qui autem hic receperit bona, illic mercedem eorum sperare non poterit. Paupertas enim mercedem suam reservat, census absumit. » Hieronymus, in epistola : « Vacuus viator et nudus latronis non timet insidias; securus a nocturnis furibus dormit pauper, etiamsi claustra non muniat : diviti vero suæ opes latronis imaginantur occursum et jugi sollicitudine somnum adimunt. » Idem [4] : « Crates ille Thebanus quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit in mare; nec putavit se posse et virtutes simul et divitias possidere. » Bernardus, in epistola [5] : « Volo te esse amicum pauperum, magis autem imitatorem. Ille gradus proficientium est, hic perfectorum. Amicitia namque pauperum, regis amicos constituit; sed amor paupertatis reges facit. Regnum denique cœlorum pauperum est. » Idem, in sermone : « Cum tria sint genera paupertatis, necessaria, voluntaria, et simulatoria; recte dividens et recte offerens, rejecta simulatione, necessariam patiens, voluntariam amplectens, pauper efficitur spiritu. » Idem [6] : « Felix paupertas voluntarie relinquentium omnia, et sequentium te, Domine Jesu. Felix plane, quæ tam securos, imo gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum. » Seneca, in *Epistola* [7] *:* « Cui cum paupertate bene convenit, dives est. » Idem [8] : « Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. » Idem [9] :

Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum.
Finge Deo [10].

« Nemo alius est Deo dignus, quam qui opes contempsit : quarum possessionem tibi non interdico; sed hoc efficere volo, ut intrepidus eas possideas. » Idem [11] : « Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest salutare fieri studium sine fragilitatis cura. »

CAPUT XLIII.

De Divitibus.

Gregorius, in *Homiliis* [12] : « Quicumque bene in hoc sæculo habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de ipsis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorumdem remuneratio sit bonorum. » Idem [13] : « Cum pauci sint qui spiritualia dona percipiunt,

[1] Imo Gennad., c. LXXI. — [2] Aug., *de Cur. pro Mort.*, c. II; *de Civit. Dei*, lib. I, c. XII. — [3] Ambr., *in Hexaem.*, lib. VI, c. VIII, prop. fin. — [4] Hieron., *ad Paul.* epist., ante med. — [5] Bern., *Epist.* CIII. — [6] Id., serm. VIII, super *Qui habitat.* — [7] Senec., *ad Lucil.*, epist. II. — [8] Ibid. — [9] Id., epist. XVIII, prope fin. — [10] Virg., *Æneid.*, lib. VIII. — [11] Senec., epist. XVII, ante med. — [12] Greg., *in Evang.*, hom. XL, post med. — [13] Ibid., hom. XX, post med.

et multi qui rebus temporalibus abundant, per hoc se divites virtutibus pauperum inserunt, quod eisdem sanctis pauperibus de suis divitiis partiuntur. » Idem [1] : « Plerumque mali eo magis contra Dominum superbiunt, quo ab ejus largitate et contra meritum ditantur; et qui provocari bonis ad meliora debuerunt, bonis pejores fiunt. » Augustinus, *de Civitate Dei* [2] : « Temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis. Non sicut perversi, qui frui volunt nummo, uti autem Deo : quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. » Idem : « Præclaras exequias, » etc., supra, *de Pauperibus* [3]. Idem, *de Verbis Domini* [4] : « Ecce recole, dives, primordia tua : dic, rogo, quid attuleris? aut si dicere erubescis, audi Apostolum dicentem [5] : *Nihil*, inquit, *intulimus in hunc mundum*, utique quando nati sumus; *sed nec auferre quid possumus*, utique quando de mundo exibimus. Nihil attulisti; nihil auferes : quid te inflas contra pauperem? Certe quando, habito casu, vetera sepulchra franguntur, ossa divitum ab ossibus pauperum non agnoscuntur. » Joannes Chrysostomus, super *Matthæo* : « Non propter hoc, dives, divitias accepisti, ut in lascivia consumas, sed ut in eleemosynam expendas. Numquid enim tua sunt, quæ habes? Quæ pauperum bona sunt, tibi credita sunt, etiamsi ex laboribus justis, vel ex hereditate paterna possessor factus fueris. » Idem, super *Joanne* : « Per innumeras mortes suorum, lætantur se cupidi ad pecuniæ januas pervenisse. Volutari namque in cœno ejus tanquam sues delectantur, et ut tauri stercus ejus evolvere. » Ambrosius, *de Officiis* [6] : « Isti, qui in luxuria, rapina, quæstibus, honoribus, studia sua posuerunt, spectatores magis sunt, quam præliatores. Habent lucrum laboris, fructum virtutis non habent. » Idem, in *Hexaemeron* [7] : « Nudi omnes nascimur, nudi morimur. Nulla discretio inter cadavera mortuorum, nisi forte quia gravius fœtent divitum corpora distenta luxuria. » Idem, in *Sermone* [8] : « In commune omnibus, divitibus atque pauperibus, terra fundata est : cur vobis jus proprium soli, divites, arrogatis? Nescit natura divites, quæ omnes pauperes generat. » Idem [9] : Quicumque patrimonio suo tanquam possessor non utitur, qui largiri pauperi et dispensare non novit, is suarum servulus est, non dominus facultatum. » Idem [10] : « Ipsum nomen considera : *Ditem* dicunt Gentiles inferni præsulem, arbitrum mortis. » Hieronymus, in originali super *Abacuc* [11] : « *Pro iniquitate vidi tentoria Æthyopiæ.* Omnis dives, aut iniquus, aut heres iniqui. » Seneca, in *Epistola* [12] : « Libera te prius metu mortis, illa nobis grave jugum imponit; deinde metu paupertatis. Si vis scire, quam nihil in illa mali sit, compara inter se pauperum et divitum vultus; sæpius pauper et fidelis ridet. » Idem [13] : « Horum, qui felices vocantur, hilaritas facta est aut gravis et suppurata tristitia, eoque gravior, quia interdum non licet esse miseros; sed inter ærumnas cor ipsum exedentes necesse est agere felicem. »

CAPUT XLIV.

De Potentibus.

Gregorius, in *Registro* [14] : « Qui post terrenam potestatem cœlestis regni gloriam cupit acquirere, ad faciendum lucrum Creatori suo debet enixius laborare : ut ad ea, quæ desiderat, operationis suæ gradibus possit ascendere. » Idem [15] : « Summum in regibus bonum est, justitiam colere, ac sua unicuique jura servare, et in subjectis non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum

[1] Greg., *Moral.*, lib. XI, c. II, non longe a princ. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XI, c. XXV. — [3] Sup., p. 57. — [4] Id., *de verb. Dom.*, serm. V. — [5] I *Tim.*, VI, 7. — [6] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XVI. — [7] Id., *in Hexaem.*, lib. VI, c. VIII. — [8] Id., *de Nab.*, c. I. — [9] Ibid., c. XV. — [10] Ibid., c. VI. — [11] Hieron., *in Hab.*, III, 7. — [12] Senec., *Epist.* LXXX, circa med. — [13] Ibid. — [14] Greg., *ad Aldiberg.*, lib. IX, epist. LIX, col. 1472. — [15] Id., *ad Theodor. et Theodeb.*, lib. VII, epist. CXXI, col. 1384.

est custodire. » Idem[1] : « Tunc regnum bene regitur, cum regnandi gloria animo non dominatur. » Idem[2] : « Restringenda sub ratione potestas est, nec quidquam est agendum, priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore justum putat ira, quod fecerit. » Idem, in *Pastorali*[3] : « Contra Deum præsunt potentes, si eos quos per conditionem tenent subditos, æquales sibi per naturæ consortium non agnoscunt. » Idem, in *Moralibus*[4] : « Bene potestatem exercet, qui scit per illam super culpas erigi, scit cum illa cæteris æqualitate componi. Humana enim mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate fulcitur : quanto igitur magis se in altum erigit, cum se ei etiam potestas adjungit ! » Idem[5] : « Juncta semper esse superbia potentibus solet. » Augustinus, *de Vita christiana*[6] : « Quo potestas sublimior est, tanto ad peccandum major est audacia ; quia totum credit licere sibi quod potest; et dum alterius judicium non timent qui alios judicant, ad peccandum præcipites fiunt. » Idem : « Homines diabolum, » etc., supra[7] *de Ambitiosis*. Idem, *de Mendacio*[8] : « Nulli est injuria per potentiam vel leviter inferenda, ut ab alio gravior injuria repellatur. » Ambrosius, *de Officiis*[9] : « Laus Domini, ubi munda possessio, et innocens familiæ disciplina. » Idem, in *Apologia*[10] : « Peccavit David ut solent reges; sed pœnitentiam ges sit, flevit et ingemuit, quod non solent reges. » Isidorus, *de Summo Bono*[11] : « Qui recte utitur regni potestate, ita præstare se omnibus debet, ut quanto magis honoris celsitudine claret, tanto semetipsum mente magis humiliet, proponens (*a*) sibi exemplum humilitatis David, qui de suis meritis non tumidus, sed humiliter sese dejiciens, dixit[12] : « *Vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis.* » Idem[13] : « Qui recte utitur regni potestate, formam justitiæ factis magis, quam verbis instituit : ille namque nulla prosperitate erigitur, nulla adversitate turbatur ; non nititur propriis viribus, nec a Deo recedit cor ejus; regni quoque fastigio humili præsidet animo; non eum delectat iniquitas, non inflammat cupiditas, sine fraudatione alicujus ex paupere divitem facit; et quod justa potestate a populis extorquere potuerat, hoc sæpe misericordi clementia donat. » Idem, in *Synonymis*[14] : « Modica est hujus sæculi gloria : caduca est et fragilis temporalis potentia. Dic, ubi sunt reges, ubi principes, ubi imperatores, ubi locupletes rerum, ubi potentes sæculi, ubi divites mundi? Quasi umbra transierunt, velut somnium evanuerunt. » Bernardus, in *Epistola*[15] : « Principis error multos involvit; et tantis obest, quantis præest ipse. » Seneca, libro *de Clementia*[16] : « Nec promiscuam habere, nec vulgarem clementiam principem decet. Nam tam omnibus ignoscere, quam nulli, malum est. » Idem[17] : « Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum vivere superiorem velis. » Idem, in *Epistola*[18] : « Quoties in mentem tuam venerit, quantum tibi in servum tuum liceat, toties veniat etiam in mentem tuam tantumdem in te domino tuo licere. At ego, inquit, nullum dominum habeo. Respondeo, bona forsitan est fortuna, si nescis qua ætate Hecuba servire cœpit, qua Crœsus, qua Darii mater. »

CAPUT XLV.

De Judicibus.

Gregorius, in *Homiliis*[19] : « Durum est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ,

[1] Greg., *ad Reccared.*, lib. VII, epist. CXXVII, col. 1390. — [2] Id., *ad Gudisc.*, lib. VIII, epist. XII, col. 1400. — [3] Id., *Pastor.*, p. III, c. III, admon. 6. — [4] Id., *Moral.*, lib. XXVI, c. XXVI; *Pastor.*, p. II, c. VI. — [5] Id., *Moral.*, lib. XXVI, c. XIX, post med. — [6] Aug., *de Vit. Christ.*, c. III. — [7] Vid. sup., c. XXIV, p. 37. — [8] Id., *de Mend. ad Consent.*, c. XI. —

(*a*) *Cæt. edit.* præponens.

[9] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. L. — [10] Id., *Apol. Dav.* lib I, c. IV. — [11] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XLIX, sent. 1. — [12] II *Reg.*, VI, 12. — [13] Isid., ibid., sent. 2. — [14] Id., *Synon.*, c. VII. — [15] Bern., *Epist.* CXXVII. — [16] Senec., *de Clement.*, lib. I, c. II. — [17] Id., epist. LVI, circa med. — [18] Ibid. consequenter. — [19] Greg., *in Evang.*, hom. XXVI, ante med.

judex fiat vitæ alienæ. » Idem : « Judicare digne, » etc., in cap. *de Acceptione personarum*, lib. III[1]. Idem, in *Moralibus*[2] : « Majora crimina et tarde credenda sunt, cum audiuntur; et citius punienda sunt, cum veraciter agnoscuntur. » Idem[3] : « Tres sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur ad judicium : munus namque a corde, est captata gratia a cogitatione; munus ab ore, est gloria per favorem; munus a manu, est præmium per dationem. » Idem : « Boni te dulcem, » etc., in capit. *de Æquitate*[4], lib. IV. Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* : « Benigni et justi judicis est suas injurias contemnere, et aliorum injurias judicare. » Idem : « Facile deviat, » etc., in capitulo *de Timore*[5], in lib. III. Isidorus, in *Synonymis*[6] : « Noli esse plus justus, quam justum est : omne enim quod nimis est, vitium est. » Idem : « Nullum judices, » etc., infra, lib. III, cap. *de Stultiloquio in Accusatione*[7]. Idem, *de Summo Bono*[8] : « Neminem stultorum vel improborum oportet judicem esse. Nam stultus per ignorantiam, improbus per improbitatem corrumpit, quam didicit, veritatem. » Idem[9] : « Qui recte judicat, et præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deo perpetrat, quia justitiam, quam gratis partiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. » Idem[10] : « Quatuor modis judicium humanum pervertitur, timore, cupiditate, odio, amore : timore, dum metu potestatis alicujus, veritatem loqui pavescimus; cupiditate, dum præmio muneris alicujus corrumpimur; odio, dum contra quemlibet adversari molimur; amore, dum amico vel propinquis obtemperare contendimus. » Augustinus, in *Epistola*[11] : « Iniquum est, ut quisque judicare de alio velit, et judicari de se ipso nolit. » Idem[12] : « Imple, Christiane Judex, pii patris officium : sic succense iniquitati, ut consulere memineris humanitati. » Idem, in *Sermone* : « Cum judicaveris te ipsum sine adulatione, judica proximum cum dilectione. » Idem, *Contra Donatistas* : « Non facile pro uno, vel paucis, adversus innumerabiles religionis et unitatis viros, et magno ingenio et uberi doctrina præditos, nisi pertractatis pro viribus atque bene perspectis rebus, ferenda sententia est. » Idem : « Sacerdos cui omnis, » etc., supra[13], *de Sacerdotibus bonis*. Ambrosius, in *Apologia*[14] : « Unusquisque de alio judicaturus, de seipso prius judicet, nec minora in alio errata condemnet, cum ipse graviora commiserit. » Idem[15] : « Sæpe et in judicando majus peccatum judicii est, quam peccatum ipsum (*a*), de quo fuerit judicatum. »

CAPUT XLVI.

De Nobilibus.

Gregorius, in *Dialogis*[16] : « Nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, ut minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid esse, vel fuisse meminerint. » Hieronymus, in epistola *ad Celantiam*[17] : « Nulli te unquam de generis nobilitate præponas, nec obscuriores quasque et humili loco natas, te inferiores putes. Nescit enim religio nostra personas, nec conditiones hominum; sed animas inspicit. » Idem[18] : « Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. Summa est apud eum nobilitas, clarum esse virtutibus. » Idem[19] : « Nobilitatis tuæ tantum ad hoc memineris, ut cum claritate generis, morum sanctitate contendas. » Idem[20] : « Non est, quod sibi aliquis de generis nobilitate blandiatur, si ex meliori parte sit (*b*) servus. » Idem[21] : « Mundanam nobilitatem non naturæ æquitas præstitit, sed cupiditatis ambitio invenit. » Idem,

[1] Vid. inf., lib. III, c. XXXVIII. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXIX, c. XIV. — [3] Ibid., lib. IX, c. XVII — [4] Vid. inf., lib. IV, c. XLIX. — [5] Vid. inf., lib. III, c. XLII. — [6] Isid., *Synon.*, c. XVI. — [7] Vid. inf., lib. III, § 6. — [8] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. LV, sent. 1. — [9] Ibid., c. LVIII, sent. 1. — [10] Ibid, sent. 7. — [11] Aug., *ad Pascent.*, epist. CLXXIV. — [12] Id., *ad Mar. Trib.*, epist. CLIX. — [13] Vid. sup., c. XX, p. 32. — [14] Ambr., *Apol. Dav.*, II, c. II. — [15] Ibid. — [16] Greg., *Dialog.* lib. II, c. XXIII. — [17] Hieron., *ad Celant.*, epist. XIV. — [18] Ibid. — [19] Id., *ad Demetr.*, epist I, post med. — [20] Ibid. — [21] Id., *Maurit. fil.*, epist. XIV, ultra med.

(*a*) *Al.* ipsius. — (*b*) *Cæt. edit.* fit.

in *Homiliis* : « Ille apud Deum potior et nobilior est, non quem nobilitas generis aut dignitas sæculi, sed quem devotio fidei Deo et sancta vita commendat. » Ambrosius, in *Sermonibus* : « Nullum ad commendationem hominis conditio servitutis affert impedimentum, nec dignitas prosapiæ meritum, sed fides affert : sive liber, sive servus, omnes in Christo unum sumus. » Bernardus, in *Epistola* [1] : « Minime quidem Deus est acceptor personarum ; nescio tamen quo pacto virtus in nobili plus placet ; an forte, quia plus claret ? Siquidem ignobilis cum caret gloria, non facile liquet, utrum quia nolit, aut quia non possit habere. Laudo tamen factam de necessitate virtutem ; plus illam, quam eligit animi libertas, non inducit necessitas. »

CAPUT XLVII.

De Militibus.

Gregorius, in *Registro* [2] : « Summa militiæ laus inter alia bona merita hæc est, obedientiam sanctæ reipublicæ utilitatis causa exhibere, et quod sibi utiliter imperatum fuerit, obtemperare. » Joannes Chrysostomus, super *Matthæum* [3] : « Inhonestum est apud Deum opus negotiationis, sive dignitatis, sive militiæ. » Ambrosius [4], super illud *Luc.*, III [5], *Neminem concutiatis :* « Singulis generibus hominum tribuit sanctus Joannes Baptista responsum, scilicet : publicanis, ne ultra quam præscriptum est eis, exigant ; militibus, ne calumniam faciant, ne prædam requirant : docens idcirco stipendia constituta militiæ, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. » Augustinus, *de Verbis Domini* [6] : « Nonnulli qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu sunt publico constituti, cum peccant graviter, hac solent a peccatis suis prima se voce excusare, quod militant ; et ne bene aliquando faciant, occupatos se malis actibus conqueruntur. » Idem [7] : « Non est delictum militare ; sed propter prædam militare, peccatum est. Nec rem publicam gerere criminosum est ; sed ideo agere rem publicam, ut rem familiarem augeas, potius videtur esse damnabile. » Idem, in epistola *ad Bonifacium comitem* [8] : « Hoc primum cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus tua et fortitudo corporalis, donum Dei est. Sic enim cogitabis de dono Dei non facere quidquam contra Deum. » Idem [9] : « Esto etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas : *Beati* enim *pacifici*, ait Dominus [10], *quia filii Dei vocabuntur.* » Idem [11] : « Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Et sicut bellanti et resistenti violentia redditur, ita victo, vel capto, misericordia jam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur. » Idem [12] : « Ornet mores tuos pudicitia conjugalis, ornet sobrietas et frugalitas. Valde enim turpe est, ut militem, quem non vincit homo, vincat libido ; et obruatur vino, qui non vincitur ferro. » Idem [13] : « Ex his quæ habes de militia, gratias age Deo tanquam fonti bonitatis, unde habes ; atque in omnibus bonis actibus tuis illi da claritatem, tibi autem humilitatem. »

CAPUT XLVIII.

De Negotiationibus.

Gregorius, in *Homiliis* [14] : « Sunt pleraque negotia, quæ sine peccato exhiberi, aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat. » Idem [15] : « Negotium autem, quod ante conversionem sine peccato extitit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit. » Augustinus : « Studium avaritiæ, sive fraudis, proprium solet esse negotiantium facinus. »

[1] Bern., *ad Soph.*, epist. CXIII. — [2] Greg., *ad Milit. Neapol.*, lib. XII, epist. XXIV, col. 1562. — [3] Chrysost., *in Matth.*, XXII, Op. imperf., hom. XLI. — [4] Ambros., *in Luc.*, lib. II, n. 17. — [5] *Luc.*, III, 14. — [6] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XIX. — [7] Ibid. — [8] Id., *ad Bonif. Com.*, epist. CCV, al. CLXXXIX, n. 6. — [9] Ibid. — [10] *Matth.*, V, 9. — [11] Aug., ibid. — [12] Ibid. — [13] Ibid. — [14] Greg., *in Evang.*, hom. XXIV. — [15] Ibid.

Idem, super illud Psalmi[1] : *Quoniam non cognovi litteraturam*, alia littera, *negotiationes*, etc. [2] : « Nam avidus acquirendi pro damno blasphemat, pro pretiis rerum mentitur et pejerat. » Ambrosius, *de Virginitate*, ponit talem litteram *Cant.*, III[3] : *Circum ibo civitatem in foro et in plateis, et quæram quem dilexit anima mea*[4] : « Nequaquam ibi quæramus Christum, ubi invenire non possumus. Non est Christus circumforaneus : Christus enim pax est, in foro lites : Christus justitia est, in foro iniquitas : Christus operator est, in foro inane otium : Christus charitas est, in foro residet obtrectatio : Christus fides est, in foro fraus est, ac perfidia. » Idem, *de Officiis*[5] : « Mortificetur avaritia, moriatur concupiscentia. Sanctus Dei negotiationem cognovisse se negat, quia pretiorum captare incrementa, non simplicitatis, sed versutiæ est. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum*[6] : « Fuge forum, ut nec patiaris fraudem, nec facias. » Idem[7] : « Prima laus est Christiani, alienum esse a foro, nullam causam habere cum illo. » Idem[8] . « Homo mercator vix aut nunquam potest placere Deo; et ideo nullus Christianus debet esse mercator; aut si voluerit esse, projiciatur ab Ecclesia Dei, dicente Psalmo[9] : *Quoniam non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini.* Quemadmodum enim qui ambulat inter duos inimicos, volens ambobus placere, et se commendare, sine maliloquio non potest esse : necesse est enim, ut et iste male loquatur de illo, et ille male loquatur de isto : sic qui emit et vendit, sine mendacio et perjurio esse non potest. » Idem : « Qui comparat rem, » etc., infra, *de Fœneratoribus*[10]. Hieronymus : « Negotiatorem clericum, » etc., supra[11], *de Clericis*.

[1] *Psal.* LXX, 15. — [2] Aug., *Enarr. in Psal.* LXX, n. 17. — [3] *Cant.*, III, 2. — [4] Ambros., *de Virginit.*, n. 46. — [5] Id., *de Off.*, lib. III, c. VI. — [6] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. XXXIV. — [7] Ibid. — [8] Ibid., hom. XXXVIII — [9] *Psal.* LXX, 15 juxta LXX. — [10] Cap. seq. — [11] Supra, c. XXII, p. 34. — [12] Greg., *ad Neapolit.*, lib. VIII, epist. XL. (Labb. *Conc.*, tom. V, col. 1461). — [13] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. XXXVIII. — [14] Ibid. — [15] Ibid., hom. V, n. 5. —

CAPUT XLIX.

De Fœneratoribus.

Gregorius, in *Registro*[12] : « Nos amatoribus usurarum nulla ratione manus imponimus. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum*[13] : « Qui comparat rem, ut illam ipsam integram et immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur. Unde super omnes mercatores plus maledictus usurarius. » Idem[14] : « Si quis rem comparatam vendidit, mercator est et maledictus : quanto magis maledictus erit, qui non comparatam pecuniam, sed a Deo datam sibi, dat ad usuram ! » Idem[15] : « Nihil usura turpius, nihil crudelius. Alienas enim hæc negotiatur miserias, et lucrum alterius adversitatem facit, et mercedem expetit misericordiæ, velut timens ne appareat misericors; et fictione misericordiæ profundiorem fodit foveam, in auxiliando conterens inopem, et in porrigendo manum expellens; et suscipiens quidem ut in portum, naufragio, autem (*a*) submittens hunc in vadis et in antris. » Ambrosius, in epistola[16] : « Non dabis pecuniam tuam ad usuram, quoniam scriptum est[17], quod is, *qui non dedit pecuniam suam ad usuram, habitabit in tabernaculo* Dei. Nam ille est supplantator, qui usurarum captat emolumentum. Itaque vir christianus, si habet, det pecuniam quasi non excepturus, aut certe sortem, quam dedit, recepturus. » Idem[18] : « Quid durius quam ut des pecuniam tuam, ut ipse duplum exigas ? Qui simplum non habuit, quemadmodum duplum solvet ? » In *Vitis patrum* : « Cui nocetur, aut injuriatur, et voluntarie parcit proximo, hic secundum naturam Christi est. Qui nec lædit, nec læditur, hic secundum naturam Adæ est. Qui vero nocet aut injuriatur, aut calumniam ingerit, aut usuras exigit, hic secundum diabolum est. » Seneca, in epistola : « Quid

[16] Ambros., lib. II, epist. XXIV. — [17] *Psal.* XIV, 5. — [18] Ibid. — (*a*) *Al.* et.

fœnus, et calendarium, et usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina? O miserum, si quem hæc delectant! »

CAPUT L.

De Dæmonibus.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : « Hostis malignus quos sanctos vigilantes minime superat, eos (*a*) dormientes pravius impugnat. Quem tamen hoc maligne agere superna dispensatio benigne permittit, ne in electorum cordibus ipse saltem somnus a probationis præmio vacet. » Idem [2] : « Maligni spiritus certis quibusque vitiis singuli obsequi sunt credendi. » Idem [3] : « Angelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis admixtio non tenebat. Homo vero idcirco post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus, aliquid, quo semetipso minor esset, accepit. » Idem [4] : « Angelus sua malitia cecidit; hominem vero aliena prostravit. » Idem [5] : « Occultæ justitiæ licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant. » Idem [6] : « Ita Deus super omnia est, ut ipse sub nullo sit. Leviathan vero ejus celsitudinis culmen aspiciens, jus perversæ libertatis appetiit, ut præesset cæteris, et nulli subesset. » Idem [7] : « Scimus quod immundi spiritus, qui e cœlo æthereo lapsi sunt, in hoc cœli terræque medio vagantur. Qui tanto magis corda hominum ascendere ad cœlestia invident, quanto se a cœlestibus per elationis suæ immunditiam projectos vident. » Idem [8] : « Alius lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quo ergo occultus adversarius facile capiat, vicinis conspersionibus deceptiones parat. » Idem [9] : « Satanæ voluntas semper iniqua est; sed nunquam potestas injusta : quia a semetipso voluntatem habet, sed a Domino potestatem. » Idem in homiliis [10] : « In bonis operibus intenti, nisi contra malignos spiritus sollicite vigilemus, ipsos irrisores patimur in pœnis, quos ad malum persuasores habemus. » Idem, in *Registro* [11] : « Tanto hostis callidus contra nos deceptionis molimina ardentius exquirit, quanto nos cœlesti patriæ ferventius inhiare cognoscit. » Idem, in *Dialogis* [12] : « Malignus spiritus cogitationi, locutioni, atque operi nostro semper insistit, si fortasse quid inveniat, unde noster apud examen æterni judicis accusator existat. » Idem, in *Pastoralibus* [13] : « Diabolus modo aliorum facta graviora, modo nihil esse quod perpetratum est, modo misericordem Deum loquitur, modo adhuc tempus subsequens et sufficiens ad pœnitentiam pollicetur : ut dum per hæc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur : quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala contristant. » Augustinus, *de Civitate Dei* [14] : « Credendum est, esse spiritus nocendi cupidissimos, a justitia penitus alienos, superbia tumidos, invidia lividos, fallacia callidos : qui in hoc quidem aere habitant, quia de cœli superioris sublimitate dejecti, merito irregressibilis transgressionis in hoc sibi congruo velut carcere damnati sunt. » Idem [15] : « Sicut ipsi mali homines in terra, sic etiam dæmones non omnia, quæ volunt, facere possunt; nisi quantum ordinatione sinitur illius, cujus judicia plena nemo comprehendit, juste nemo reprehendit. » Idem [16] : « Mali angeli sua potestate potius delectati, velut suum bonum ipsi sibi essent, a superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt, et

[1] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XIII, circa fin. — [2] Ibid., lib. XV, c. XVI. — [3] Ibid., lib. IX, c. XXVIII. — [4] Ibid., lib. IV, c. X. — [5] Ibid., lib. I, c. XVI. — [6] Ibid., lib. XXIV, c. XVII. — [7] Ibid., lib. II, c. XXV, circa fin. — [8] Ibid., lib. XXIX, c. XII. — [9] Ibid., c. VI.

(*a*) *Cæt. edit.* quo..... eo.

— [10] Id., *in Evang.*, hom. XXXVII, circa med. — [11] Greg., *ad Secundin.*, lib. VII, epist. LIV, col. 1338. — [12] Id., *Dialog.*, lib. III, c. XIX. — [13] Id., *Pastor.*, p. II, c. II, admon. 30. — [14] Aug., *de Civit. Dei*, lib. IX, c. XXII. — [15] Ibid., lib. II, c. XXIII, in fin. — [16] Ibid., lib. XII, c. I.

habentes elationis fastum pro excellentissima æternitate, vanitatis astutiam pro certissima veritate, studia partium pro individua charitate, superbi, fallaces, invidi effecti sunt. » Idem [1] : « Esse natura in qua nullum bonum sit, non potest : proinde nec ipsius diaboli natura, in quantum natura est, malum quid est. » Idem : « Avertat Deus, » etc., libro II, *de Invidia* [2]. Leo, in sermone [3] : « Diabolus omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus; et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. » Joannes Chrysostomus, in sermone [4] : « Zelatur diabolus hominem, quia ipse de cœlo corruerat. Videbat enim Adam paradisi esse colonum; et inflatus invidia, induit serpentis imaginem. Incorporalis enim cum esset, corporalibus loqui non poterat. » Idem : « Diabolus non aliunde talis factus est, nisi quia primo quidem post peccatum desperatione usus est; postea vero ex desperatione in invidiam incidit et superbiam. » Cyprianus, in *Epistola* [5] : « Lata et spatiosa itinera vitæ lethalis : illic illecebræ et mortiferæ voluptates : illic diabolus blanditur, ut fallat; arridet, ut noceat; illicit, ut occidat. » Ambrosius, in sermonibus [6] : « Pater diabolus non diligit filios suos, sed odit. Sic amat diabolus filios suos, ut perdat; sicut amat gluto porcellum, ut comedat. » Isidorus, in *Etymologiis* [7] : « Præsciunt dæmones futura multa, unde et solent responsa aliqua dare. Inest enim illis cognitio rerum plus quam infirmitati humanæ, partim subtilioris sensus acumine, partim experientia longissimæ vitæ, partim per Dei jussum angelica revelatione. » Idem [8] : « Diabolus hebraice dicitur *deorsum fluens*, quia qui quietus in cœli culmine stare contempsit, superbiæ pondere deorsum corruens cecidit; græce vero diabolus *criminator* [9] dicitur. » Idem, *de Summo Bono* [10] : « Diabolus non est immissor, sed incensor potius malarum cogitationum et omnium vitiorum. Neque enim alibi concupiscentiæ fomenta incendit, nisi ubi prius pravæ cogitationis delectationes inspexerit. » Idem [11] : « Tunc contra eum, quem possidet, diabolus acrius sævit, quando se divina virtute ab eo expellendum cognoscit. » Bernardus, in sermonibus [12]. « Lædit nos iniquitas diaboli atque versutia; sed multo amplius eum nostra simplicitas et misericordia torquet, humilitatem nostram non sustinet, uritur charitate nostra, mansuetudine et obedientia cruciatur. »

[1] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XIII. — [2] Vid. inf., lib. II, c. VIII. — [3] Leo, *de Nativit. Dom.*, serm. VII, circa med. — [4] Chrysost., *de Cruce* hom., post med. — [5] Cypr., *de Discipl. et hab. Virginum.* — [6] Serm. XLIV, *de Temp.*, inter serm. Ambrosio adscriptos. — [7] Isid., *Etymol.*, lib. VIII, c. XXI. — [8] Ibid., paulo post. — [9] Scilicet a διαβάλλω. — [10] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. V, sent. 5. — [11] Ibid., sent. 71. — [12] Bern., *de Ded. Eccl.*, serm. III, ante med.

LIBER SECUNDUS

IN QUO

DE PRINCIPALIUM VITIORUM ET VIRTUTUM MULTIPLICITATE

TRACTATUR

CAPUT PRIMUM.

De Tentatione.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : « Nisi misericors Deus cum viribus tentamenta modificet, nullus profecto est, qui malignorum spirituum insidias, non corruens, portet. » Idem [2] : « Sancta Ecclesia transire sine labore tentationis non potest tempora peregrinationis; quæ etsi foris apertos hostes non habet, intus tamen tolerat fictos fratres. » Idem : « Plerumque qui plus », etc., supra, libro I, *de Proficientibus* [3]. Augustinus, *contra Julianum* [4] : « Quia in ista humana miseria pejor hostis est cavenda superbia, ideo nimirum non penitus extinguitur in carne sanctorum continentium ista carnalis concupiscentia : ut dum pugnatur adversus eam, periculorum suorum animus admoneatur, ne securus de meritis per superbiam infletur. » Idem [5] : « In nobismetipsis sola infirmitas est causa pugnandi ; et rursus infirmitas est admonitio non superbiendi. Proinde, ut virtus, qua hic superbiri potest, non superbiatur, eadem virtus in infirmitate tentationis perficitur. » Isidorus, *de Summo Bono* [6] : « Diabolus serpens est lubricus, cujus si capiti, id est primæ suggestioni, non resistitur, illabitur. » Ambrosius, *super Lucam* [7] : « Tentationem nunquam timere debemus : est enim causa victoriæ, materia triumphorum. » Idem [8] : « Dives ille, qui tentationem non sensit in hoc sæculo, raptus est ad inferos, et sepultus in inferno. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* : « Imprimis gravis et insuperabilis est impetus diaboli ; quod si quis forti animo sustinuerit eum, statim inveniet infirmiorem. Quanto enim plus repercussus fuerit, tanto magis torpescit et deficit. » Idem : « Qui murmurat de periculo tentationis, murmurat de præmio probationis : in nullo enim negotio potest requies inveniri, nisi præcesserit labor ; quanto magis in spiritualibus rebus, nisi præcesserit tentatio, non potest esse probatio ! » Bernardus *super Cantica* [9] : « *Impulsus eversus sum, ut caderem, et Dominus suscepit me* [10]. Quæris, quis ille sit impulsor ? Non est unus. Impulsor diabolus, impulsor mundus, impulsor homo. Quis ille homo sit quæris ? Quisque sui. » Idem [11] : « Necesse est ut veniant tentationes : quis enim [12] *coronabitur, nisi qui legitime certaverit ?* aut quomodo certabunt, si desit qui impugnet ? Tu vero [13] *accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Certi namque sint [14] *omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem* se *passuros.* » Idem, in sermonibus [15] : « Oramus quotidie [16] ut Dei voluntas, sicut in cœlestibus facta est creaturis, sic fiat et in ter-

[1] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XXV, in fin. — [2] Ibid., lib. XXXI, c. IV. — [3] Vid. sup., lib. I, c. XXXIV, p. 47. — [4] Aug., *cont. Julian.*, lib. IV, c. II. — [5] Ibid. — [6] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. V, sent. 12. — [7] Ambros., *in Luc.*, IV, lib. IV, n. 37. — [8] Ibid. — [9] Bern., *super Cant.*, serm. LXXXV, ante med. — [10] *Psal.* CXVII, 13. — [11] Bern., ibid., serm. LXIV, in princ. — [12] II *Tim.*, II, 5. — [13] *Eccli.*, II, 1. — [14] II *Tim.*, III, 12. — [15] Id., *in Quadrag.*, serm. VI, statim a princ. — [16] *Matth.*, VI, 10.

renis : ut sicut angelus, sic et homo adhærens Deo, unus spiritus cum eo fiat. Sed, heu! me quot obstacula separant, quot prohibent impedimenta! Objicit enim sese mediam malitia nostra, infirmitas nostra, concupiscentia nostra, et ignorantia nostra. » Idem [1] : « Heu me, Domine Deus, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta. Quocumque vertam me, nulla usquam securitas est; et quæ mulcent, et quæ molestant, timeo; et esuries, et refectio, et somnus, et vigiliæ, et labor, et requies militant contra me. »

CAPUT II.

De Cogitatione.

Gregorius, *super Ezechielem* [2] : « Sic sæpe cogitationi bonæ cogitatio sinistra adjungitur, ut vix ipse qui easdem cogitationes generat, animus agnoscat. » Idem, in *Moralibus* [3] : « Tanto longius mens a necessariis cessat, quanto inania latius cogitat. » Idem [4] : « Sancti viri quantum agere possunt, ne exterius labantur in opere, tantum interius nequaquam agere possunt, ne unquam labantur in cogitatione. » Idem [5] : « Ante oculos Dei vacuæ non transvolant cogitationes nostræ, et nulla momenta temporis per animum transeunt præter retributionis actum. » Idem in *Registro* [6] : « Illud ab omnipotenti Deo pollutum esse in opere ostenditur, quod ex pollutæ cogitationis radice generatur. » Idem in *Pastorali* [7] : « Nihil in nobis est corde fugacius, quod a nobis toties recedit, quoties per pravas cogitationes defluit. » Isidorus, *de Summo Bono* [8] : « Ferre cogitationes sine perfectione vitiorum non est ad damnationem; nec est occasio subeundi discriminis, sed potius augendæ virtutis. » Idem [9] : « Non est peccatum, quando nolentes imaginibus nocturnis illudimur; sed tunc est peccatum, si antequam illudamur, cogitationis affectibus prævenimur. » Idem : « Cogitatio prava delectationem, » etc., infra, libro III, c. *de Consuetudine* [10]. Bernardus, *de Consideratione* [11] : « In acquisitione salutis nemo tibi germanior unico matris tuæ : contra salutem propriam cogites nihil; minus dixi, quam dixisse debueram : quidquid se cogitationi offerat, quod non quoquomodo ad tuam ipsius salutem pertineat, respuendum est. »

CAPUT III.

De Delectatione.

Gregorius, in *Moralibus* [12] : « Esse sine delectatione anima nunquam potest. Nam aut in infimis delectatur, aut in summis; et quanto majori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad ima; quantoque acriori cura inardescit ad infima, tanto torpore damnabili frigescit a summis. Utraque enim simul et æqualiter amari non possunt. Qui ergo terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. » Idem [13] : « Deum apprehendere non valet, qui adhuc in delectatione peccati jacet. » Idem : « Unusquisque superbus rector, » etc., supra, lib. I, *de Prælatis malis* [14]. Idem [15] : « Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cum pulsat; sed cum hanc sibi per delectationem subjugat. » Idem [16] : « Cum culpa animum tentat, necesse est ut brevitatem suæ delectationis aspiciat, ne ad æternam mortem iniquitas rapiat, cum constet quod ad terminum citius mortalis vita percurrat. » Idem [17] : « Sæpe bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ quamvis quæsita non fuerat, tamen oblata delectat. Cujus delec-

[1] Bern., *in Quadrag.* serm. VI circa med. — [2] Greg., *in Ezech*, hom. XXI, post med. — [3] Id., *Moral*, lib. II, c. XXVI. — [4] Id., lib. XI, c. XIX. — [5] Ibid., lib. XXVI, c. XIII. — [6] Id., lib. XII, epist. XXXI, *ad Augustini interr.* X, col. 1573 — [7] Id., *Pastor.*, p. III, c. II, admon. 15. — [8] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. VI, sent. 13. — [9] Ibid. — [10] Vid. inf., lib. III, c. XII. — [11] Bern., *de Consid.*, lib. II, ante med. — [12] Greg, *Moral.*, lib. XVIII, c. VIII, in princ. — [13] Ibid., lib. XV, c. XVI, circa med. — [14] Vid. sup., lib. I, c. XII, p 00. — [15] Greg., ibid., lib. XXI, c. III. — [16] Ibid., lib. IX, c. XXXVI. — [17] Ibid., lib. I, c XIX, ante med.

tatione dum mens bene operantis resolvitur, ab omni intentione intimi vigoris quantocius dissipatur. » Idem [1] : « Quisquis in hoc mundo appetit prosperari, cæteros excedere, rebus et honoribus tumere, huic nimirum cura sæcularis in delectatione est, quies in labore. » Isidorus, *de Summo Bono* [2] : « Cogitationes illicitas ingerere, dæmonum est; cogitationibus oblectari perversis, nostrum est. » Augustinus, *de Verbis Apostoli* [3] : « Quidquid peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus est, non oritur nisi ex mala cupiditate, non imputatur nisi ex illicita delectatione. Huic igitur illicitæ delectationi si resistamus, non regnat peccatum in nostro mortali corpore. » Idem [4] : « Mortua est una delectatio : sed vivit altera : et illi dum non consentis, eam mortificas; cum cœperis omnino non delectari, mortificasti. Hæc est actio nostra; hæc est militia nostra. »

CAPUT IV.

De Consensu.

Gregorius, in *Moralibus* [5] : « Concupiscentiæ carnalis ostia dum consensus noster aperit, ad innumera nos corruptionis mala pertrahit. » Idem [6] : « Proximorum mala, quæ quis corrigere non valet, taceat; quæ cum corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat : et si ea, quæ tacet, tolerat, non tamen in animo virus doloris occultet. » Idem [7] : « Sciendum est aliud esse, quod animus de tentatione carnis patitur; aliud vero, dum per consensum delectationibus obligatur. Plerumque enim cogitatione prava pulsatur, sed renititur; plerumque autem cum perversum quid concipit, hoc intra semetipsum per consensus desiderium volvit (a). » Idem, in *Homiliis* [8] : « Ille vere Deum amat, cujus videlicet mentem delectatio prava ex consensu non superat. Nam tanto quisque a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur. » Augustinus, *de Mendacio* [9] : « Tunc consentimus, cum approbamus et volumus. » Idem [10] : « Pudicitiam corporis, non consentiente aut non permittente anima, nemo violat. Quidquid enim nobis invitis contingit in nostro corpore, nulla impudicitia est. » Idem, in *Epistola* [11] : « Bene agere, et illicita non prohibere, consensus erroris est. » Idem, *super Genesim contra Manichæos* [12] : « Si ratio humana consentiat, ut quod libido commonuerit, faciendum esse decernat, ab omni vita bona tanquam de paradiso expellitur homo, et jam ei peccatum imputatur, etiamsi non sequatur factum, quoniam rea tenetur in consensione conscientia. » Bernardus, in *Meditationibus* [13] : « Dæmonum est malas suggestiones ingerere, nostrum est illis non consentire. Nam quoties resistimus, diabolum superamus, angelos lætificamus, Deum honoramus. » Idem, in *Sermone* : « Si carnalibus distrahor desideriis, et illis, quod absit, consensero quantum possum, etiamsi non sequatur factum, in morte quidem sum mortuus, utique et consequenter sepeliendus in inferno. » Idem : « Nulla est his qui sunt in Christo Jesu damnatio, si concupiscentiæ sensus sit absque consensu. » Idem [14] : « Peccatum in foribus est : nisi tu ipse aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit, sed subter te est : nisi tu sponte cesseris, nil nocebit. Audi consolationem : consensum cohibe, ne prævaleat appetitus concupiscentiæ, et immaculatus eris. » Idem [15] : « Potest inimicus excitare tentationis motum; sed in te est, si volueris, dare, vel negare consensum. » Idem : « Nemo, fratres, » etc., infra, lib IV, *de Correptione bona* [16].

[1] Greg., *Moral.*, lib. XVI, c. ult. — [2] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXV, sent. 5. — [3] Aug., *de verb. Apost.*, serm. VI, al. CLV, n. 1. — [4] Ibid., serm. XIII, al. CLVI, n. 9. — [5] Greg., *Moral.*, lib. IV, c. XXIV. — [6] Ibid., lib. X, c. IV. — [7] Ibid., lib. XXI, c. III. — [8] Id., *in Evang.*, hom. XXX. — [9] Aug., *de Mend. ad Consent.*, c. XIX.— [10] Ibid., — [11] Id. *Epist.* CLXXXII. — [12] Id., *de Gen. cont. Manich.*, lib. II, c. XIV. — [13] Bern., *Medit.*, c. XIV, post med. — [14] Id., *de sex Tribul.* serm., post med. — [15] Id., *in Quadrag.*, serm. V, ante med. — [16] Vid. inf., lib. IV, c. XXXVIII. — (a) *Al.* voluit.

CAPUT V.

De Peccato.

Gregorius, *super Ezechielem* [1] : « Quoties actu, quoties verbo, quoties cogitatione delinquimus, Deum contra nos toties irritamus. » Idem [2] : « Districta sunt omnipotentis Dei judicia ; et qui peccatorem diu expectat ut redeat, non redeuntem atque contemnentem gravius damnat. » Idem [3] : « Peccatum quippe quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum simul, et causa, et pœna peccati. » Idem [4] : « Graviores culpæ sunt, quæ superducta specie virtutis, virtutes se mentiuntur esse. » Idem, in *Moralibus* [5] : « Peccatum quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. » Idem [6] : « Tribus modis peccatum committitur, scilicet ignorantia, infirmitate, et studio. Et gravius quidem infirmitate, quam ignorantia, sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur. » Idem [7] : « In gravibus peccatis quis positus, cum suis premitur, aliena non diluit. » Idem, in *Pastorali* [8] : « Nonnunquam in parva deterius, quam in majore culpa peccatur. Major enim, quo citius, quia sit culpa, agnoscitur, eo etiam celerius emendatur. Minor vero, dum quasi nulla creditur, eo pej s, quo et securius in usu retinetur. » Idem, in *Registro* [9] : « Apud homines culpa, et apud Deum pœna est, nolle quemquam bonum imitari, quod placet. » Idem [10] : « Plerumque quod in laicis culpa est, hoc crimen est in sacro ordine constitutis. » Idem : « Nonnunquam Dominus, » etc., : infra, libro IV, *de Certamine* [11]. Augustinus, de *Confessionibus* [12] : « Ibam ad inferos, portans omnia mala, quæ commiseram, et in te, et in me, et in alios multos, et gravia super originalis peccati vinculum. » Idem *de Civitate Dei* [13] : « Paucissimi sunt tantæ felicitatis, ut ab ipsa ineunte adolescentia, nulla damnabilia peccata committant. » Idem [14] : « Quæ sunt ista peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam ? Difficillimum est invenire, periculosissimum est diffinire. » Idem : « Nunc usque adeo, » etc., infra, libro IV, *de Voluntate mala* [15]. Idem, *de Spiritu et littera* [16] : « Sicut non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. » Idem, *contra Julianum* [17] : « Diluuntur in baptismate cuncta peccata, et originaliter tracta, et ignoranter, vel scienter adjecta. » Idem [18] : « Cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso male his utentes efficiuntur injusti. » Idem, *ad Orosium* [19] : « Malum natura non est, sed privatio boni hoc nomen accepit. » Idem, *de Baptismo parvulorum* [20] : « Sicut eorum, per quos renascuntur parvuli, justitiæ spiritus responsione sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt ; sic eorum, per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt. » Idem, in *Meditationibus* : « Certe, o miser homo, ipsa sola plus est vitanda peccati fœditas, quam quælibet tormentorum immanitas. » Idem, in *Epistola* [21] : « Quem non potest diabolus devorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut si fieri potest, opprobriis et malarum linguarum detractione deficiat, et

[1] Greg., *in Ezech.*, hom. IX, post med. — [2] Ibid., hom. XII, post med. — [3] Ibid. — [4] Ibid., hom. V, longe ante med. — [5] Id., *Moral.*, lib. XXV, c. IX, non mult. a princ. — [6] Ibid., c. XI, in princ. — [7] Id., Præf. in lib. *Moral.*, c. III. — [8] Id., *Pastor.*, p. III, c. II, admon. 34. — [9] Id., lib. V, indict. XIV, epist, CVII. — [10] Id., *ad Sabin.*, lib. VIII, epist. V, col. 1398. — [11] Vide inf., lib. IV, c. XI. — [12] Aug., *Confess.*, lib. V, c. VI. — [13] Id., *de Civit. Dei*, lib. XXI, c. XVI. — [14] Ibid., c. XXVII, post med. — [15] Vid. inf., lib. IV, c. I : « Nemo habet, » etc. — [16] Aug., *de Spir. et litt.*, c. XXVIII. — [17] Id., *cont. Julian.*, lib. VI, c. XLV, post med. — [18] Ibid., lib. IV, c. III. — [19] Id., *ad Oros.*, q. XXVI. — [20] Id., *de Bapt. parv.*, lib. III, c. II. — [21] Id., *Epist.* CXXXVI, al. LXXVII, n. 1.

sic in ejus fauces ruat. Si autem famam innocentis maculare potuerit, hoc ei persuadere tentat, ut per malevolas suspiciones de fratre suo judicet, et sic ab illo implicatus absorbeatur. » Idem, *de Virginitate* [1] : « Quia satagentibus vigilantibusque ne peccent, subrepunt quodammodo ex humana fragilitate peccata, quamvis parva, quamvis pauca, non tamen nulla, eadem ipsa magna fiunt, et gravia, si eis superbia incrementum et pondus adjecerit. » Idem, *de Patientia* [2] : « Tanto rectius majori supplicio dignum judicaveris animum, quanto magis vitiis subdit instrumenta virtutum. » Idem, *de Pœnitentia :* « Nullum peccatum adeo parvum, quod non crescat neglectum. Non enim considerandum est quid fecerit, sed quem offenderit, quam bonus est, quam benignus, quam pius. » Idem [4] : « Qui peccat, et gratiam suam recuperare non amat, et nunquam curat ab eo diligi, qui totus est amor et charitas, nec ad illud tendit, unde sumpsit arrham ; in Spiritum sanctum peccat, et nunquam post mortem, sicut nec vivens, consequetur veniam. » Idem, *super canonicam Joannis* [5] : « Ista, quæ dicimus peccata levia, noli contemnere. Si contemnis quando appendis, expavesce quando numeras; multa levia faciunt unum grande. » (*a*) Idem (*b*), *de decem chordis*, et *super Joannem;* Gregorius, in *Pastorali;* Isidorus, *de Summo Bono :* Idem Augustinus : « Ex quo incipit homo » etc., supra, *de Homine* [6]. Idem : « Voluntas aversa, » infra, libro III, *de Voluntate* [7]. Ambrosius, *de Officiis* [8] : « Qui non repellit a socio suo injuriam si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. » Idem, in *Apologia* [9] : « Peccatum donatur per gratiam, deletur per sanguinem crucis, tegitur per charitatem. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem :* « Excogitate quantum est malum, nos ex hominibus pares angelis, ad feras transponere. Ventri enim servire, et pecuniarum concupiscentia detineri, et irasci, et mordere, et calcitrare, non hominum, sed ferarum est. » Isidorus, *de Summo Bono* [10] : « Si unum vitium districte judicetur, et alia (*c*) negligantur, inanis est labor. » Idem [11] : « Judicio divino in reatum nequiorem labuntur, qui distringere minora sua facta contemnunt. » Idem [12] : « Majoris est culpæ manifeste, quam occulte peccare : dupliciter enim reus est qui aperte delinquit, quia et agit malum, et docet malum facere. Unde Isaias [13] : « *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt.* » Bernardus, in *Sermonibus* [14] : « Cavete ne quis parva reputet, quantumlibet parva, scienter commissa; nemo dicat in corde suo : « Levia sunt ista; non curo corrigere; non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis. » Hæc est impœnitentia, dilectissimi, hæc blasphemia in Spiritum sanctum; blasphemia autem irremissibilis est. » Anselmus, *de Similitudinibus :* « Natura peccati est, ut non facile videatur ab illo qui eo premitur ; sed mox ut cessaverit, et ab illo se alienaverit, tunc demum considerat in quanta fœditate et miseria jacuerat. » Idem : « Si hinc peccati pudorem, » etc., lib. IV, *de Innocentia* [15].

CAPUT VI.

De Superbia.

Gregorius, in *Moralibus* [16] : « Septem principalia vitia de superbiæ virulenta radice producuntur, scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. » Idem [17] : « Scimus, quod aliquando minus est in corporis corruptionem cadere, quam cogitatione tacita ex deliberata ela-

[1] Aug., *de S. Virginit.*, c. L. — [2] Id., *de Patient.*, c. V. — [3] Id., *de Pœnit.*, c. VII. — [4] Ibid., c. IV. — [5] Id, *in Epist. Joan.*, tract. I. — [6] Vid. sup., lib. I, c. VII, p. 19. — [7] Vid. inf., lib. III, c. I. — [8] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XXXVI. — [9] Id., *Apol. Dav.*, lib. I, c. VI. — [10] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXXII, sent. 5. — [11] Ibid., c. XVIII, sent. 1. — [12] Ibid., c. X, sent. 1.— [13] *Isa.*, III, 9. — [14] Bern., *in Conv. S. Paul.*, serm. I, post med. — [15] Vid. inf., lib. IV, c. V. — [16] Greg., *Moral.*, lib. XXXII, c. XVII. — [17] Ibid., lib. XXXIII, c. XI.

(*a*) *Cæt. edit. add.* ad. — (*b*) *Suppl.* habet, *seu* consulatur. — (*c*) *Cæt. edit.* aliena.

tione peccare. Sed tamen minus superbia turpis creditur, minus peccatum a simplicibus judicatur ; luxuriam vero eo magis erubescunt homines, quo simul omnes eam turpem esse noverunt. » Idem : « Quisquis superbiæ, » etc., infra, libro III, *de Dijudicatione* [1]. Idem [2] : « Cunctis superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos vero alios importuna, ad ea quæ facere et debet, et prævalet, ignava, ad ea vero, quæ facere non debet, nec prævalet, parata. » Idem [3] : « Hoc proprium arrogantium esse vitium solet, ut et pauca credant, quæ ipsi multa dixerunt ; et multa credant, quæ ipsis pauca dicuntur. Qui enim sua dicere semper volunt, aliena audire non possunt. » Idem [4] : « Tolerabilius Deo est, ut in infirmitate atque ignorantia cum humilitate quisquis jaceat, quam cum elatione cordis alta comprehendat. » Idem [5] : « Adjuvare imbecillem, charitatis est; adjuvare vero velle potentem, elationis est. » Idem [6] : « Per elationem plerumque et usque ad senium servata virginitas vitiatur : quia enim negligitur humilitas cordis, rectus judex despicit etiam integritatem corporis. » Idem [7] : « Difficile in se quisque inveteratam superbiam deprehendit, quia nimirum hoc vitium quanto magis patimur, tanto minus videmus. » Idem [8] : « Arrogantes sicut inflantur laudibus, ita correptionibus inflammantur, et a quolibet se, vel justo, reprehendi despiciunt, moxque in malis suis fomitem defensionis exquirunt. » Idem [9] : « Omnino difficile est, ut elatio, quæ regnat in corde, non erumpat in voce. » Idem [10] : « Arrogantes grave se damnum perpeti judicant, si scientiam suam loquendi brevitate constringant. Tanto enim semetipsos credunt doctiores ostendere, quanto se potuerint multiplicitatem loquacitatis aperire. » Hieronymus, in *Epistola :* « Initium omnis peccati superbia est, quæ natione cœlestis, sublimium mentes inhabitat, sub cinere et cilicio latitans. » Idem [11] : « Nihil ita a pueritia vitare conatus sum, sicut tumentem animum, et erectam cervicem Dei contra se odia provocantem. Novi enim Magistrum et Dominum meum in carnis humilitate dixisse [12] : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* » Augustinus, in *Regula* [13] : « Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant. » Idem, *de Virginitate* [14] : « Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est valde periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. » Idem : « Quia satagentibus, » etc., supra in capite *de Peccato* [15]. Idem, *de Gratia Novi Testamenti* [16] : « Superbia odit consortium, et quantum in ipso est, solus cupit eminere omnis superbus. » Idem, *de Civitate Dei* [17] : « An forte corrigi pudet? Et hoc vitium non nisi superborum est. » Idem [18] : « Superbia perverse imitatur Deum : odit namque cum sociis æqualitatem sub illo ; sed imponere vult sociis dominationem suam pro illo. » Idem [19] : « Facilius servitur homini, quam libidini, cum sævissimo dominatu vastet corda mortalium, ut alias omittam, libido ipsa dominandi hominibus aliis. » Idem : « Audeo dicere, » etc., infra, libro III, *de Recidivatione* [20]. Idem in *Epistola* [21] : « Fit miris modis in anima hominis, ut de falsa humilitate magis infletur, quam si apertius

[1] Vid. inf., lib. III, c. x. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXXIV, c. XVIII, circa med. — [3] Ibid., lib. XXVI, c. XVII, circa fin. — [4] Ibid., lib. XVII, c. VII, circa fin. — [5] Ibid., c. XI, in princ. — [6] Ibid., lib. XXXVI, c. XIII, circa med — [7] Ibid., lib. XXIV, c. XXIII. — [8] Ibid., lib. XXVI, c. I. — [9] Ibid. — [10] Ibid., c. XVIII. — [11] Hieron., *ad Abig.*, epist. XXXII. — [12] *Matth.*, XI, 29. — [13] Aug., *Reg.* III, c. V. — [14] Id., *de Virginit.*, c. XXXI. — [15] Vid. sup., p. 69. — [16] Id., *ad Hon.*, *de grat. Nov. Tes.*, epist. CXX, c. XVII. — [17] Aug., *de Civit. Dei*, lib. X, c. XXIX. — [18] Ibid., lib. XIX, c. XII. — [19] Ibid., c. XV. — [20] Vid. inf., lib. III, c. XI. — [21] Aug, *ad Paul.*, epist. LIX, al. CXLIX, n. 28.

superbiret. » Idem, de *Confessionibus*[1] : « *Humiliasti tanquam vulneratum superbum*[2], et tumore meo separabar abs te, et nimis inflata facies claudebat oculos meos. » Idem[3] : « Plus hostis vincitur in eo, quem plus tenet, et de quo plures tenet : plus autem superbos tenet nomine nobilitatis, et de his plures nomine auctoritatis. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem*[4] : « Superbia in nobis existente, omnis nostra vita immunda fit, etsi sobrietatem, etsi virginitatem, etsi jejunium, etsi orationes, etsi eleemosynam, etsi quodcumque aliud perficiamus. » Isidorus, *de Summo Bono*[5] : « Superbia, sicut est origo omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum : ipsa enim est in peccato prima, in conflictu postrema. » Idem[6] : « Omnis peccans superbus est, eo quod faciendo vetita, contemptui habet divina præcepta. » Bernardus, *de duodecim Gradibus*[7] : « Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. » Idem[8] : « Arrogans de alia omni re plus sibi credit, quam aliis ; de seipso plus aliis credit, quam sibi. » Idem[9] : « Monachus præsumptuosus primus in conventibus residet, in consiliis primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta. Quidquid ipse non fecit, aut ordinavit, nec recte factum, nec pulchre æstimat ordinatum. Judicat judicantes, præjudicat judicaturis. Si cum tempus advenerit non promoveatur ad prioratum, abbatem aut invidum judicat, aut deceptum. » Idem, *super Cantica*[10] : Argumentum superbiæ, privatio gratiæ est : *humilibus*[11] enim *dat Deus gratiam, superbis resistit.* Idem[12] : « Perniciosa paupertas, penuria meritorum ; præsumptio autem spiritus, fallaces divitiæ : et ideo[13] *divitias et paupertatem ne dederis mihi, Domine.* »

CAPUT VII.

De Vana Gloria.

Gregorius, in *Moralibus*[14] : « Inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, et novitatum præsumptiones oriuntur de inani gloria. » Idem[15] : « Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur : cum bonum aut a semetipsis habere se æstimant ; aut, si datum desuper credant, pro suis se hoc accepisse meritis putant ; aut certe cum jactant se habere, quod non habent ; aut, despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere, quod habent. » Idem : « Sæpe bono operi, » etc., supra, capite *de Delectatione*[16] » Idem[17] : « Qui accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat. » Idem[18] : « In cogitatione tumidi proprii favores oriuntur, sibique de singularitate sapientiæ blanditur ipsa fatuitas. Pensat ea quæ audierit, ac verba quæ profert ; et miratur sua, et deridet aliena. » Item : « Cuncti vanæ gloriæ, etc., infra, libro III, *de Dijudicatione*[19]. Idem[20] : « Sicut labor justorum est videre prava, nec corrigere ; ita gravis est labor arrogantium, si, quod sapiunt, non ostendunt. » Idem[21] : « Quasi latrunculus est appetitus laudis humanæ : qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio, gradientium vita trucidetur. » Idem : « Agitur ut ante justi judicis oculos fovea mentis sit memoria virtutis, quia reminiscendo quod gessit, dum se apud se erigit, apud humilitatis auctorem cadit. » Isidorus : « Maxime per cenodoxiam, » etc., supra, *de Monachis malis*[22]. Idem : « Qui ex deteriore, » etc., supra, *de Incipienti-*

[1] Aug., *Conf.*, lib. VII, c. VII. — [2] *Psal.* LXXXVIII, 11. — [3] Aug., *Conf.*, lib. VIII, c. IV. — [4] Chrysost., *in Evang. Joan.*, hom. VIII, al. IX, n. 2. — [5] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXXVIII, sent. 7. — [6] Ibid., sent. 2. — [7] Bern., *de duodec. Grad.*, grad. IX. — [8] Ibid., grad. VI. — [9] Ibid., grad. VII. — [10] Id., *in Cant.*, serm. LIV, prope fin. — [11] *Jac.*, IV, 6. — [12] Bern., *in Cant.*, serm. LXVIII, circa fin. — [13] *Prov.*, XXX, 8. — [14] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII, post med. — [15] Ibid, lib. XXIII, c. IV, paululum a princ. — [16] Vid. sup., c. II, p. 66. — [17] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. II, in princ. — [18] Ibid., lib. X, c. XIV, in princ. — [19] Vid. inf., lib. III, c. X. — [20] Greg., *Moral.*, lib. XXIII, c. V, circa fin. — [21] Ibid., lib. VIII, c. XIII. — [22] Vid. sup., lib. I, c. XXXII, p. 45.

bus[1]. Joannes Chrysostomus, *super Joannem :* « Gloriam vanam cupere, ingloriatio est; gloria autem vera est hanc despicere, et nullam ejus curam facere, sed ad id quod Deo placet, omnia et dicere et facere. » Idem[2]: « Qui omnium contemptum pecuniarum habuerunt, et nulli hujusmodi imaginationi se immiscuerunt, et magis tyrannicas corporum concupiscentias domuerunt, hi multoties capti a vana gloria omnia perdiderunt. » Idem[3] : « Si laudes amamus, eas quæ a Deo sunt diligentius quæramus. Nam, quæ quidem ab hominibus est laus, qualiscumque fuerit, simul ut apparuit, periit. » Augustinus, *de Confessionibus*[4]: « Domine, gloria nostra tu es; propter te amemur, et verbum tuum et nomen tuum timeatur a nobis. Qui enim laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defendetur ab hominibus, judicante te; non eripietur, damnante te. » Ambrosius, *de Officiis*[5] : « Fortitudo gloriæ caveat appetentiam, quæ frequenter nocuit immoderatius appetita, semper autem nocuit usurpata. » Bernardus, in *Epistola*[6]: « O stulti filii Adam, qui contemnentes pacem, et gloriam appetentes, et pacem perdunt et gloriam. »

CAPUT VIII.

De Invidia.

Gregorius, in *Moralibus*[7] : « De invidia odium, susurratio, , detractio, exultatio in adversis proximi, et afflictio in prosperis nascitur. » Idem[8] : « Qui post puniendi sunt retributionis supplicio, nunc semetipsos afficiunt invidiæ tormento. » Idem[9] : « Invidia iram generat; quia quanto interno livoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur. » Idem[10] : « Dum electi proficiunt, reprobi ad rabiem furoris et invidiæ excitantur, et bona nascentia, quæ nolunt imitari, gravius persequuntur. » Idem: « Invidi dum bonum, » etc., infra, libro tertio, *de Stultiloquio in accusatione*[11]. Idem, in *Dialogis*[12] : « Antiquus hostis, unde bonos cernit per charitatem provehi ad gloriam, inde perversos per invidiam rapit ad pœnam. » Idem, in *Homiliis*[13]: « Quidquid in mundo concupiscimus, hoc proculdubio proximis invidemus. Videtur etenim quia nobis desit, quod alius assequitur. » Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus* : « O zelus, o invidia omni malitia cumulata! Invidia ignis inextinguibilis est; etenim, sicut tinea comedit vestimentum, sic et invidia eum, qui zelatur, consumit; eum autem cui invidet, clariorem reddit. » Idem, *super Joannem* : « Invidiæ passio, et fornicatione, et adulterio multum est deterior. » Idem[14] : « Invidi oculus liquatur tristitia, invidus cum morte vivit continua. » Augustinus, *de Disciplina Christiana*[15] : « Avertat Deus invidiæ pestem ab animis omnium, nedum Christianorum. Vitium enim diabolicum est invidia, quo solo diabolus reus est, et inexpiabiliter reus. Non enim dicitur diabolo, ut damnetur : « Quia adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti; » sed : « Quia (*a*) homini stanti, tu lapsus, continuo invidisti. » Idem, *de Virginitate*[16] : « Superbiam sequitur invidia, tanquam filia et pedissequa. Eam quippe superbia continuo parit, nec unquam est superbia sine tali prole atque comite. » Hieronymus, in *Epistola*[17] : « O invidia primum mordax tui, o satanæ calliditas semper sancta persequens! » Isidorus, in *Synonymis*[18] « Invidia cuncta bona ardore pestifero devorat. Invidia, animæ tinea,

[1] Vid. sup., lib. I, c. XXXIII, p. 47. — [2] Chrysost., *in Joan.*, hom. XXVIII, al. XXIX, n. 3. — [3] Ibid., hom. XXXVII, al. XXXVIII, n. 5. — [4] Aug., *Conf.*, lib. X, c. XXXVI. — [5] Ambr., *de Offic.*, lib. I, c. XXXIX. — [6] Bern., *ad Episc. Aquitan.*, epist. CXXVI, post med. — [7] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII, post med. — [8] Ibid., lib. II, c. XX, circa med, — [9] Ibid., lib. XXI, c. XVII, post med. — [10] Ibid., lib. XXVIII, c. VII, circa fin. — [11] Vid. inf., lib. III, c. III, § 6. — [12] Id., *Dialog.*, lib. III, c. XV, ante med. — [13] Id., *in Evang.*, hom. V, post med. — [14] Chrysost., *in Joan.*, hom. LV, al. LVI, n. 3. — [15] Aug., *de Discip. Christ.*, c. XIV. — [16] Id., *de S. Virginit.*, c. XV. — [17] Hieron., *ad Asell.*, epist. XCIX, circa med. — [18] Isid., *Synon.*, c. IX, in princ.

(*a*) *Cæt. edit.* qui.

sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit. » Anselmus, *de Similitudinibus* [1] : « Qui bonis alterius arridet, sanctis consentit ; qui vero invidet, diabolis similis est. Siquidem magis puto esse salvationem sperandam ejus, qui parum boni facit, et factis aliorum favet, quam illius, qui multa, et invidet aliis.» Seneca, in *Proverbiis* : « Nondum felix es, si nondum turba te deridet. Nam etsi nullos tibi inimicos facit injuria, multos facit invidia. » Glossa, *super Psalmum* CXXIII : « Ira et invidia judicio carent. »

CAPUT IX.

De Ira.

Gregorius, in *Moralibus* [2] : « De ira rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. » Idem [3] : « Plerumque mentem, sub obtentu justitiæ, iræ immanitas vastat; et dum quasi sævit zelo rectitudinis, rabiem explet ira furoris.» Idem [4] : « Qui humanorum actuum subtili examine gressus enumerat, iram sine voce, judicio; iram in voce, concilio; iram vero in voce atque sermone, gehennæ ignibus mancipat. » Idem [5] : « Plus semper ira in vindicta exigit, quam de injuria accepit. » Idem, in *Dialogis* [6] : « Tanto metuenda est ira justorum, quanto et constat quia in eorum cordibus ille præsens est, qui ad inferendam ultionem, quam voluerit, invalidus non est. » Idem, in *Registro* [7] : « Ira, etiam cum delinquentium culpas insequitur, non debet menti nostræ quasi domina præire; sed post rationis tergum, quasi ancilla rationis, subnixius famulari. » Idem [8] : « Nemo potest diligere illum, quem ex ira vel odio non vult videre. » Idem [9] : « Ira si semel mentem possidere cœperit, justum esse deputat etiam illud, quod crudeliter facit. » Idem, in *Pastorali* [10] : « Illa quæ mater est omnium custosque virtutum, per iræ vel impatientiæ vitium virtus charitatis enervatur. » Hieronymus, in originali *super Michæam* [11] : « Propemodum naturale est, ut et nurus socrum, et socrus oderit nurum. » Augustinus, in *Epistola* [12] : « Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit, sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit. » Idem [13] : « Multo melius nec juste cuiquam irascimur, quam velut juste irascendo, in alicujus odium iræ occulta facilitate dilabimur. « Idem, *de* (a) *Sermone Domini in monte* [14] : « Si irasci non est fas fratri suo sine causa, aut dicere : *Raca,* aut dicere : *Fatue,* multo minus fas est animo tenere aliquid, ut in odium indignatio convertatur. » Idem [15]: « Odium est ira inveterata. » Idem, *de Civitate Dei* [16] : « Iram nihil aliud esse, quam ulciscendi libidinem, veteres diffinierunt. » Idem, in *Regula* [17] : Melior est, qui quamvis ira sæpe tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam, quam qui tardius irascitur, et ad veniam petendam tardius inclinatur. Qui autem nunquam petit veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiamsi inde non projiciatur. » Glossa [18] : « Si non dimiserimus ex corde, quod in nos delinquitur, etiam hoc quod per pœnitentiam dimissum erat, a nobis exigetur (b). » Cassiodorus, in *Psalmos* [19] : « Venialis ira est, quæ non ducitur ad effectum.» Joannes Chrysostomus, *super Joannem :* « Qui irascitur sine ratione, multis suppliciis dignus erit, voluntarie seipsum in barathra perditionis ferens, et ante futuram gehennam, hic jam vindictam solvens. » Idem, *de Compunctione* longe a princ. — [11] Hieron., *in Michæ.*, lib. II, c. VII. — [12] Aug., epist. LXXXVII, al. CCX, n. 2. — [13] Id., *ad Prof.*, epist. CXLIX. — [14] Id., *de Serm. Dom. in monte*, lib. I, c. XXI. — [15] Ibid., lib. II, c. XXX. — [16] Id , *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. XIV. — [17] Id., *Reg.* III, c. XXXVIII. — [18] Gloss. *in Matth.*, XVIII. — [19] Cassiod., *in Psal.* IV, ante med.

[1] Anselm., *de Similit.*, c. XLV. — [2] Greg, *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII, post med. — [3] Ibid., lib. XXVI, c. XXVIII, ante med. — [4] Ibid., lib. XXI, c. IV, circa med. — [5] Lib. XXVIII, c. IX, circa med. — [6] *Dialog.*, lib. I, c. IX, circa med. — [7] Greg., lib. VII, indict. 2, epist. CXXVI. — [8] Ibid., *ad Rustician.*, indict. 1, epist. XXIII, col. 1300. — [9] Ibid., indict. 2, epist. CXXVI, post med. — [10] Id., *Pastoral.*, p. III, c. II, admon. 10, non longe a princ.

(a) *Cæt. edit.* in. — (b) *Item* exigitur.

ne cordis [1] : « Non iracundos tantum et illatæ malitiæ memores punit Deus tanquam reos ; sed et eos, qui et irascentes aut offensos fratres placare negligunt et contemnunt.» Idem [2] : « Osculum pacis porrigere tempore, quo sacramenta offeruntur, in usu Ecclesiæ est. Sed vereor ne plures ex nobis labiis tantummodo pacem faciant , cum tamen Christus non ex ore, sed ex corde desideret, et affectu velit proximum, non labiis salutari. » Idem [3] : « Si tantummodo non lædas eum, qui te læsit, avertas autem te ab eo, nec libenter eum videas, manet sine dubio vulnus in pectore, et iræ dolor augescit in corde. » Ambrosius, *de Officiis* [4] : « Si irascimur, quia affectus naturæ est, non potestatis, malum sermonem non proferamus de ore nostro, ne in culpam ruamus. » Idem [5] : « Is qui cito injuria illata movetur, facit se dignum judicari contumelia, dum vult ea indignus haberi. » Bernardus, in *Epistola* [6] : « Non irasci, ubi irascendum sit, nolle emendare peccatum est ; prius vero irasci, quam irascendum sit, peccatum peccato addere est »

CAPUT X.

De Accidia.

Gregorius, in *Moralibus* [7] : « De tristitia, vel accidia, nascitur malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis circa illicita. » Idem [8] : « Humana anima, quia ad Deum solum appetendum facta est, omne autem quod infra Deum appetit, minus est, ideo ei jure non sufficit omne quod Deus non est. Hinc est, quod huc illucque spargitur, et ab unaquaque re fastidio impellente removetur. » Idem, in *Pastorali* [9] : « Plerumque piger, dum necessaria agere negligit, quædam sibi difficilia opponit, quædam vero incaute formidat; et dum quasi invenit quod velut juste metuat, ostendit quod in otio quasi non juste torpescat. » Idem [10] : « Si quod mortuum in nobis est, ad vitam non accenditur ; hoc etiam extinguitur, quod quasi adhuc vivum tenetur. » Idem [11] : « Qui adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit ; qui vero post conversionem tepuit, etiam spem, quæ potuit esse de peccatorum conversione, subtraxit.» Augustinus, *de Confessionibus* [12] : « Palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis ; et oculis ægris odiosa est lux, quæ puris amabilis est ; et justitia tua, Domine, displicet tristibus et iniquis. » Idem : « Nullo modo decet, » etc., infra [13], lib. IV, *de Exercitio*. Joannes Chrysostomus, *de Compunctione cordis* [14] : « Non video, quod aliquis nostrum vera et perfecta cupidine cœlestium teneatur ; alioquin omnia quæ videntur esse gravia, umbras putaret et risum. » Ambrosius, *super Lucam* [15] : « Disce rogare quod cupis impetrare : fastidiosos viros cœlestium profectus munerum non sequuntur. » Idem, in *Epistola* : « Sicut Dominus non vult mortem peccatoris tantum, sed ut revertatur, et vivat ; ita tepidos odit, et cito ei nauseam faciunt. » Isidorus, *de Summo Bono* [16] : « Tepidus in conversatione, otiosa verba et vanas cogitationes, noxias esse non conspicit ; quod si a torpore mentis evigilaverit, ea quæ prius levia æstimabat, confestim quasi horrenda atque atrocia pertimescit. » Idem [17] : « Dei servum sine intermissione legere, orare, et operari oportet, ne forte mentem otio deditam spiritus fornicationis surripiat. Cedit enim labori voluptas ; animum autem vacantem cito præoccupat. » Bernardus, in *Epistola* [18] : « Pro vitando otio, otiosa sectari ridiculum est. Otium autem est, quod vel nullam habet utilitatem, vel utilitatis intentionem. »

[1] Chrysost., *de Compunct. Cord.*, lib. I, ante med. — [2] Ibid., paulo post. — [3] Ibid., post multa. — [4] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. III, in fin. — [5] Ibid., c. VI. — [6] Bern., *ad Guid. abb.*, epist. LXIX, in princ. — [7] Greg., *Moral.*, lib. III, c. XVII, post med. — [8] Ibid., lib. XXVI, c. XXVIII, post med. — [9] Id., *Past.*, p. III, c. II, admon. 16. — [10] Ibid., admon. 25, post med. — [11] Ibid. — [12] Aug., *Conf.*, lib. VII, c. XXVI. — [13] Vid. inf., lib. IV, c. IV. — [14] Chrysost., *de Comp. Cord.*, lib. I.— [15] Ambros., *in Lu..*, lib. IV. — [16] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. ᐠ, sent. 2. — [17] Ibid., lib. III, c. XX, sent. 5. — [18] Ber., *de vit. solit.*, epist. *ad Fratr. de Monte Dei*, ante med.

Idem [1] : « Miror quod ad gustum cibi dulcissimi nauseas, [2] *si tamen gustasti quam dulcis est Dominus;* aut certe nondum gustasti, et nescis quid aut quomodo sapit Christus, ideoque non appetis incognitum et inexpertum ; aut si forte gustasti, et dulce non sapit, sanum non habes palatum. » Idem, *super Cantica* [3] : « Doleo aliquos nostrum gravi in sacris vigiliis depremi somno, nec cœli cives revereri, sed in præsentia principum tanquam mortuos apparere : cum tamen ipsi nostra alacritate permoti nostris interesse solemniis delectentur. Vereor ne nostram desidiam aliquando abominantes, cum indignatione recedant. » Idem [4] : « Cum te tepore, accidia, vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, atque desistere a studio spirituali; sed juvantis require manum, trahi te obsecrans. » Idem, in *Sermonibus* [5] : « Tepescimus processu temporis a fervore conversionis nostræ : paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut, heu! consummemur in carne, qui spiritu cœperamus. » Idem [6] : « Quid istud negligentiæ, quid pigritiæ, imo quid vecordiæ est, ut non crebris suspiriis et ferventissima affectione abrumpere hinc, et in illa tam felicia agmina jaculari animos studeamus? Væ nobis a duritia cordis nostri; væ nobis a peccato gentium, quas Apostolus sine affectione commemorat esse. » Seneca, in *Epistola* [7] : « Cito inerti otio vita torpebit, si relinquendum est quidquid offendit. » Idem [8] : « Otium sine litteris mors est, et vivi hominis sepultura. »

CAPUT XI.

De Avaritia.

Gregorius, in *Moralibus* [9] : « De avaritia proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, et contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. » Idem [10] : « Avaritia desideratis rebus, habitis non extinguitur, sed augetur. Nam more ignis, cum ligna, quæ consumat, exceperit, magis excrescit. » Ambrosius, in *Sermonibus* [11] : « Quosdam gradus cupiditas habet : quo plures ascendit, eo ad altiora festinat; unde fit gravior ruina lapsuro. » Idem, in *Epistola* [12] : « Ibi abundantia, ubi satietas; ubi autem fames cupiditatum, ubi inexplebilis appetentia, ibi utique paupertas. Augustinus, in *Sermonibus* [13] : « Non solum avarus est, qui rapit aliena; sed et ille avarus est, qui cupide servat sua. » Idem, *de Verbis Domini* [14] : « Inexplebilis est sola avaritia divitum : semper enim rapit, et nunquam satiatur : nec Deum timet, nec hominem reveretur, nec patri parcit, nec matrem agnoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat : viduam opprimit, pupillorum res invadit, liberos in servitium redigit, testimonium falsum profert; res mortui hominis occupantur, quasi non et ipsi, qui hoc faciunt, moriantur. » Idem, *de Libero Arbitrio* [15] : « Dictum est, radicem omnium malorum esse avaritiam, hoc est, plus velle, quam satis est. Tantum autem satis est, quantum sibi exigit naturæ in suo genere conservandæ modus. » Idem, *de Decem chordis* [16] : « Qua fronte venturus es ad filium tuum, qui præcessit, cui præcedenti non mittis partem suam in cœlum? An non potest mitti in cœlum? Potest prorsus. Audi ipsum Dominum dicentem [17] : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* » Isidorus, in *Etymologiis* [18] : « Avidus dictus est ab *avendo;* avere enim cupere est : hinc et avarus. Nam quid est avarum esse, nisi progredi ultra quam sufficit? Avarus enim dictus est, eo quod sit avidus auri, et nunquam opibus

[1] Bern., *ad Fulcon.*, epist. II. — [2] I *Petr.* II, 3. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. VII, ante med. — [4] Ibid., serm. XXI, ante med. — [5] Id., *in Annunt. Dom.*, serm. III, circa fin. — [6] Id., *in fest. omn. Sanct.*, sermo V, circa med. — [7] Senec., *Epist.* LXXXVII, statim a princ. — [8] Id., epist. LXXXII, statim a princ. — [9] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XXVII, post med. — [10] Ibid., lib. XV, c. XII, circa med. — [11] Ambros., *de Nab.*, c. II, ante med. — [12] Idem, *ad Simplic.*, epist. XXXVIII, n 10. — [13] Aug., *de Tempor.*, serm. XCV. — [14] Id., *de verb. Dom.*, serm. XXV, al. CCCLXVII, n. 1. — [15] Id., *de lib. Arb.*, lib. III, c. XVII. — [16] Id., *de dec. Chord.*, c. XII. — [17] *Matth.*, VI, 20. — [18] Isid., *Etymol.*, lib. X, verbo *Avidus.*

expleatur. » Idem, *de Summo Bono*[1] : « Qui bona mundi diligit, velit, nolit, timoris et doloris pœnæ succumbit. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem* : « Quemadmodum in fontem mundum stercus quis immittens, totum eum immundum facit; ita et in divitias justas avaritia intrans, omnia spirare facit ab eo, qui illic est, avaritiæ fœtore. » Idem : « Non amabit proximum, qui aurum amat. » Bernardus, *de Contemptu mundi*[2] : « Nunc trahit sua quemque voluptas; odorem turpis lucri sectantes, *quæstum æstimant pietatem*, quorum [3] *certa damnatio est.* » Idem[4] : « Utinam saperes, miser, et intelligeres, cum thesauro pecuniæ, thesaurum iræ pariter cumulari. Utinam novissima providens, animadverteres non facile per foramen acus transituros divitiarum cumulos. » Seneca, in *Epistola*[5] : « Vidisti aliquando canem, missa a Domino frusta panis ac carnis, aperto ore captantem; quidquid accipit, protinus integrum devorat, et semper ad spem venturi hiat. » Idem[6] : « Evenit nobis quidquid expectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti et attenti. » Idem : « Quisquis de accipiendo, » etc., infra, libro tertio *de Ingratitudine*[7].

CAPUT XII.

De Gula.

Gregorius, in *Moralibus*[8]: « De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam oritur. » Idem[9] : « Quinque nos modis gulæ vitium tentat : aliquando namque indigentiæ tempora prævenit; aliquando vero tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit; aliquando quælibet sumenda præparari accuratius expetit; aliquando autem et qualitati ciborum, et tempori congruit, sed in ipsa ciborum quantitate sumendi mensuram refectionis excedit. Nonnunquam vero et abjectum est quod desiderat, et tamen ipso æstu immensi desiderii deterius peccat. Exemplum de primo in Jonatha[10]; de secundo in Israeliticis[11]; de tertio in filiis Heli[12]; de quarto in Ezechiele[13]; de quinto in Esau[14]. » Idem[15] : « Sæpe dum quasi concivi carni parcimus, ad prælium contra nos hostem nutrimus. Eisdem namque alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes vivunt; et cum virtus alitur, plerumque vires vitiis augentur. » Idem, in *Pastorali*[16] : « Gulæ deditos, superfluitas locutionis, levitas operis atque luxuria; abstinentes vero sæpe impatientia atque tristitia, sæpe vero superbiæ culpa comitatur. » Hieronimus, in *Epistola*[17] : « Difficile inter epulas servatur pudicitia : nitens cutis sordidum ostentat animum. » Idem : « Nihil sollicitius, » etc., infra, libro IV, *de Lætitia*[18]. Isidorus, *de Summo Bono*[19] : « Ebrietas perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, ut ubi sit, nesciat; unde etiam et malum non sentitur, quod per ebrietatem committitur. » Idem[20] : « Cui abundantia est epularum, ardentis divitis attendat supplicium, cujus tanta in inferno inter ignes erat inopia, quanta hic fuerat epularum copia. » Idem[21] : « Qui nimium cibis utuntur, quanto magis ventrem pascunt, tanto amplius sensum mentis obtundunt. Nam Græci dixerunt, ex crasso ventre subtilem sensum gigni non posse. » Augustinus, *de Doctrina Christiana*[22] : « Fieri potest, ut sine aliquo vitio crapulæ vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur; insipiens autem fœtidissima gulæ flamma in cibum vilissimum ardescat » Basilius, in *Regula* : « Sicut miles plurimo

[1] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. LXIII, sent. 2. — [2] Bern., super *Ecce nos reliquimus*, ante med. — [3] I *Tim.*, VI, 5. — [4] Bern., loc. cit. post pauca. — [5] Senec., *Epist.* LXXII, post med. — [6] Ibid — [7] Vid. inf., lib. III, c. XXI. — [8] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII, post med. — [9] Ibid., lib. XXX, c. XIII. — [10] I *Reg.*, XIV. — [11] *Num.*, XI. — [12] I *Reg.*, II. — [13] *Ezech.*, XVI. — [14] *Gen.*, XXV. — [15] Greg., *Moral.*, lib. XXX, c. XIV. — [16] Id., *Pastor.*, p. III, c. II, admon. 20. — [17] Hieron., epist. XLVII. — [18] Vid. inf., lib. IV, c. XLIV. — [19] Isid,, *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XLIII, sent. 1 et 2. — [20] Ibid., c. XLII, sent. 3. — [21] Ibid., sent. 6. — [22] Aug., *de Doctr. Christ.*, lib. III, c. XI.

onere prægravatus præpeditur, ita monachus vel clericus impeditur ad vigilias, cum escarum plenitudine torpescit. » Bernardus, in *Apologia*[1] : « Sanius est modico vino uti propter infirmitatem, quam multa aqua ingurgitari per aviditatem. Legitur in scientia naturali, quod inter animalia magnorum corporum, nulli dedit natura tam parvum os, secundum corporis quantitatem, sicut homini : quod factum est ad commendationem temperantiæ, et ad detestationem gulositatis. » Gregorius : « Quanto corpus impletur, tanto anima minoratur. » Unde Hieronymus[2] : « Qui luxuriatur, vivens mortuus est; et qui inebriatur, mortuus et sepultus. » Seneca : « Ciborum copia sublimitas impeditur. » Idem : « Ventri obedientes, loco animalium vivimus, non hominum. » Bernardus[3] : « Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum habet longitudinem digitorum; non durat nisi quantum durat transitus ille per gulam : et pro illo transitu vult domina gula tot et tanta sibi præparari. »

CAPUT XIII.

De Luxuria.

Gregorius, in *Moralibus*[4] : « De luxuria cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror, vel desperatio futuri generatur. » Idem[5] : « Nulla ante Dei oculos justitiæ pietatisque sunt opera, quæ corruptionis contagio monstrantur immunda. » Idem, in *Dialogis*[6] : « Carnalis delectatio mentem, quam inficit, obscurat, ut videre veræ lucis claritatem non valeat; sed unde inferius delectatur, inde caliginem ad superna patiatur. » Augustinus[7], *de Fide ad Petrum* : « Quia dum sibi invicem vir mulierque miscentur ut filios gignant, sine libidine non est parentum concubitus, et ob hoc filiorum ex eorum carne nascentium non potest sine peccato esse conceptus, et peccatum in parvulos non transmittit propagatio, sed libido. » Isidorus, *de Summo Bono*[8] : « Luxuriæ imagines, quas in veritate gessimus, sæpe dormientibus nobis in animo apparent; sed innoxiæ, si non concupiscendo occurrunt, id est, si non consentimus vigilantes. » Idem[9] : « Qui nocturna illusione polluitur, etsi extra memoriam turpium cogitationum sese præsentiat inquinatum, tamen hoc, ut tentaretur, culpæ suæ tribuat, suamque immunditiam statim fletibus tergat. » Idem[10] : « Deus nonnunquam dejicit occultam mentis superbiam per carnis manifestam ruinam. » Idem[11] : « Inter septem vitia, fornicatio maximum est scelus, quia per carnis immunditiam templum Dei violat, et tollens membra Christi, facit membra meretricis. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum*[12] : « Vitium libidinis facile ex vacantia et otio nascitur. Nam definitio amoris hæc est : Animæ vacantis passio. » Idem : « Per omnem actum carnalem, homo animalibus similis invenitur, maxime autem per usum libidinis. » Idem, *super Joannem*[13] : « Porci sunt, qui vitam suam cœnosæ libidini et voluptatibus sæculi manciparunt. » Hieronymus, in originali *super Oseam*[14] : « Sicut vinum et ebrietas eum, qui biberit, mentis suæ impotem facit, ita fornicatio ac voluptas pervertit sensum, animumque debilitat, et de rationali homine, brutum efficit animal. » Idem[15] : « Sicut gulæ servientes habent ventrem Deum, ita qui libidini serviunt, habent Deum Beelphegor. » Idem, in originali *super Naum*, explicans verba illa[16] : « *Corruent in corporibus suis*, (Septuaginta : *Infirmabuntur in corporibus suis*) : « Multi propter res vé-

[1] Bern., *Apolog.*, ad Gul. abb., ante med. — [2] Hieron., *ad Ocean.*, epist. LXXXIII, post med. — [3] Bern., *de Convers. ad Cleric.*, c. XII. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XXVII, post med. — [5] Ibid., lib. XXI, c. IX, post med. — [6] Id., *Dialog.*, lib. IV, c. XXXVI, circa fin. — [7] Imo Fulgent, *de fid. ad Petr.*, c. II. — [8] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. VI, sent. 13. — [9] Ibid., sent. 14. — [10] Ibid., lib. II, c. XXXIX, sent. 1. — [11] Ibid., sent. 20. — [12] Chrysost., *in Matth.*, op. imperf., hom. XL. — [13] Est in hom. *de Cruce*, ante med. — [14] Hieron., *in Ose.*, lib. I, c. IV. — [15] Ibid., lib. II, c. IX. — [16] Id., *in Nah.*, III, 3.

nereas in corpore debilitati sunt, et cum perditione animæ carnem quoque frangunt, cui serviunt. » Glossa in *Proverbia*, super illud [1] : *Pretium scorti* : « Brevis voluptas fornicationis, et perpetua pœna fornicationis. » Interlinearis [2] : « Luxuria consumit omnia bona gratiæ et naturæ. » Seneca, in *Epistola* : « Luxuria voluptas fragilis est, brevis, fastidio objecta; quo avidius acta est, ocius in contrarium recidens; cujus subinde necesse est, aut pœniteat, aut pudeat; in qua nihil est magnificum, aut quod naturam hominis diis proximi deceat; res humilis membrorum turpium aut vilium ministerio, exitu fœda. » Idem : « Nihil tam mortiferum ingeniis, quam luxuria. » Idem : « Vis magna mentis, blandusque animi calor, amor est; juventa gignitur, luxu et otio nutritur inter læta fortunæ bona : quem si fovere atque alere desistas, cadit, brevique vires perdit extinctus suas; illicita amantur, et excidit quidquid; quisquis in primo obstitit, pepulitque amorem, tutus ac victor redit : qui blandiendo dulce nutrivit malum, sero recusat ferre, quod subiit jugum. » Hieronymus : « Appetitus fornicationis anxietas est, satietas pœnitentia. » Et Paulus apostolus ait : « *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* » Glossa : « In fornicationis opere totus homo absorbetur a carne qui fornicatur, ut jam homo non possit animus suus esse, sed simul totus homo possit dici caro. » Et dicit quædam Glossa super Leviticum, quod cum dæmones de omni peccato gaudeant, præcipue tamen gaudent de fornicatione, quia ibi corpus et anima maculatur : et ideo maxime cavendum. »

CAPUT XIV.

De Perplexitate.

Gregorius, in *Moralibus* [4] : « Dum mens inter minora et maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus patet, minora semper eligantur. » Idem [5] : « Cum in dubiis constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. » Isidorus, in *Synonymis* [6] : « In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. » Idem, *de Summo Bono* [7] : « Argumenta machinationum, malarumque cogitationum semina, quæ in cordibus hominum diabolus fundit, ita sæpe undique captam implicant mentem, ut ex quacumque parte evadere quisque tentaverit, sine periculo exire non possit : veluti si jures hoc facere, quod si feceris, pecces; si non feceris, reus perjurii sis. In tanto ergo mali discrimine, ut evadendi aditus pateat, minora potius eligenda sunt, ut majora vitentur. » Augustinus, *de Mendacio* [8] : « Illa desinunt esse peccata, quæ propter graviora vitanda suscipiuntur. Sicut enim in rebus utilibus non vocatur damnum, quod propter majus lucrum amittitur, sic et in rebus sacratis non vocatur peccatum, quod admittitur, ne gravius admittatur. » Ambrosius, *de Officiis* [9] : « Si non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur; commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum. »

CAPUT XV.

De Conflictu vitiorum, et virtutum.

Augustinus, in libro *de Conflictu* [10] : « O quam amarus superbiæ congressus, quæ angelos de cœlo projecit, homines de paradiso minavit! Superbia dicit : Certe multis, imo pene omnibus melior es, verbo, scientia, divitiis, honoribus, et cunctis, quæ carnalibus vel spiritualibus suppetunt, charismatibus. Cunctos ergo despice, cunctis teipsum superiorem attende. Humilitas respondet : Memento quia pulvis es; quia cinis es; quia putredo, et vermis es : quique, etsi altus es, nisi tanto te humilies, quanto magnus es, Superbia et humilitas.

[1] *Prov.*, VI, 26. — [2] *In Luc.*, XV. — [3] I *Cor.*, VI, 18. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXXII, c. XVII. — [5] Ibid. — [6] Isid., *Synon.*, c. XI. — [7] Id., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. V, sent. 21. — [8] Aug., *de Mend. ad Consent.*, c. XVIII. — [9] Ambros., *de Offic.*, lib. III, c. IX. — [10] Aug., *de Confl. virt. et vit.*, c. I, II.

perdis omnino quod es. Numquid tu altior es, quam primus angelus? Numquid splendidior in terra quam Lucifer in cœlo? Quod si ille de tanta sublimitate per superbiam cecidit, quomodo tu ad tantam celsitudinem superbiens de imis ascendes?

Inanis gloria, et timor Dei.

» Inanis gloria dicit : Age bonum quod vales; ostende bonum cunctis quod agis, ut bonus a cunctis dicaris, ut sanctus, et venerabilis ab hominibus prædiceris, ut Dei dilectus voceris, ut nemo te contemnat, nemo te despiciat, sed universi debitum tibi honorem persolvant. Timor Dei respondet : Si boni aliquid agis, non pro transitoriis, sed pro æternis honoribus age : occulta quod agis, in quantum vales; sit in animo tuo occultandi voluntas : et non erit de ostentatione ulla temeritas, nec criminis erit aliquando manifestare, quod semper vis celatum habere.

Simulatio et vera religio.

» Simulatio dicit : Quia nihil boni in abscondito facis, ne a cunctis cognitus detestabilis habearis, finge te foris esse, quod intra non appetis. Vera religio respondet : Imo magis satage esse, quam ostentare, quod non es. Nam hoc hominibus ostendere quod non es, quid aliud, quam damnatio est?

Contemptus, et subjectio.

» Contemptus dicit : Quis tu, ut tibi pejoribus obtemperes, deterioribus famulatum exhibeas? Te magis, quam illos decuerat imperare, qui tibi non possunt ingenio vel industria coæquari : obtempera igitur solius Dei imperio, et non sit tibi cura de aliquo. Subjectio respondet : Si Dei obtemperandum est imperio, etiam humano subdi necesse est magisterio. Ipse enim dicit[1] : *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.* Ita, inquis, oporteret, si talis esset, qui loco Dei imperaret; sed non est talis, per quem Deus imperet. Sed audi Apostolum contradicentem tibi. Ait enim[2] : *Non est potestas, nisi a Deo; quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt.* Quales enim esse debeant hi, qui imperant, non est a subditis discutiendum.

Invidia et concordia.

» Invidia dicit : In quo illo, vel illo minor es? Cur ergo eis æqualis, vel superior non es? Quanta vales, quæ ipsi non valent? Non ergo tibi, aut superiores esse, aut æquales debent. Concordia fraterna respondet : Si cæteros virtutibus antecellis, tutius in loco infimo, quam in summo temetipsum conservas, semper enim de alto pejor fit ruina. Quod si tibi, ut asseris, quidam superiores vel æquales sunt, quid te lædit? quid te nocet? Cave prorsus ne, dum aliis locum celsitudinis invides, illum imiteris, de quo scriptum est[3] : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.*

Odium et dilectio.

» Odium dicit : Absit ut illum ames, quem in omnibus contrarium habes, qui tibi derogat, qui tibi insultat, qui te convitiis exasperat, qui tibi peccata tua improperat, qui te dictis, et operibus, atque honoribus semper prævenire festinat. Nisi enim ipse tibi invideret, nequaquam se tibi ita præferret. Dilectio vera respondet : Numquid quia hæc, quæ narras, odio habenda sunt in homine, propterea non est amanda Dei imago in homine? Sicut Christus, qui in cruce positus inimicos suos dilexit, et ante crucis tormentum admonuit, dicens : *Diligite inimicos vestros*[4], etc. Omnem ergo amaritudinem cordis evome, et quo pacto valueris, charitatis dulcedinem sume : nihil enim suavius, nihil illa beatius.

Detractio, et fraterna correctio.

» Detractio dicit : Quis potest sustinere? quis silentio valet tegere quanta ille, vel illa, prava committit, nisi forte qui consentit? Libertas justæ increpationis respondet : Nec tacenda sunt mala proximi, nec consentienda, sed charitate fraterna in faciem proximus est redarguendus. » Et infra : « Nonnunquam et errata delinquentium ad tempus silentio tegenda sunt, ut aptiori tempore corrigantur.

Ira et patientia.

» Ira dicit : Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non possunt; imo hæc patienter tolerare peccatum est, quia etsi non eis cum

[1] *Luc.*, x, 16. — [2] *Rom.*, XIII, 1. — [3] *Sap.*, I, 24. — [4] *Matth.*, v, 44.

magna exasperatione resistitur, contra te deinceps sine mensura cumulantur. Patientia respondet: Si passio Redemptoris ad mentem reducitur, nil tam durum, quod non æquo animo toleretur: *Christus* [1] enim, ut ait Petrus, *pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Sed quanta sunt hæc, quæ patimur in comparatione illius? Ille enim opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucem quoque sustinuit, atque mortem: et nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamur, uno verbo dejicimur.

Protervia et mansuetudo.

» Protervia dicit: Numquid stultis, numquid insensatis ac brutis animalibus levia verba, et non magis aspera, ut tales decet, dum delinquunt, objicienda sunt? Mansuetudo respondet: Non tua in his persuasio, sed Apostoli sequenda est præceptio [2]: *Seniorem ne increpaveris.* Et rursum [3]: *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Quod videlicet malum protervia, deterius adhuc subditis, quam prælatis nocet. Sæpius enim contingit, ut leniter et cum charitatis dulcedine prolatam correctionem subditi spernant, et contra humilitatis verba, et despectionis jacula emittant.

Tumor, et satisfactio.

» Tumor mentis dicit: Testem habens Deum in cœlis, non tibi sit curæ, quid de te suspicentur homines in terris. Satisfactio debita respondet: Non est danda detrahendi occasio, non susurrandi suspicio; sed si adsunt quæ corrigantur, manifestanda; aut certe, si desunt, humili protestatione neganda.

Torpor et ignavia, et exercitium bonum.

» Torpor et ignavia dicunt: Si lectioni continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurris; si indesinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis; si protelatis vigiliis Psalmorum censum persolvis, insaniam capitis acquiris; si quotidiano labore te conficis, ad opus spiritale quando consurges? Exercitium bonum respondet: Quid tibi ad hæc perferenda, tam longa temporum proponis spatia? Numquid scis si die crastina vivas, imo si vel etiam unam horam in hac vita facias? An forte de tua mente excidit, quod Salvator in Evangelio dicit [4]: *Vigilate, quia nescitis neque diem, neque horam?* Quapropter discute corporis inertiam, semperque memento quia regnum cœlorum non tepidi, non molles, non desides, sed violenti, vimque facientes diripiunt.

Cupiditas, et paupertas.

» Cupiditas, sive avaritia, dicit: Valde sine culpa es, quod quædam habenda concupiscis, quia non multiplicare appetis, sed egere pertimescis; et quod malus alius male retineret, ipse melius expendis. Mundi contemptus respondet: Ista nec apud homines sæculares sine periculo procurantur, quia quanto quis amplius habere cœperit, tanto amplius habere concupiscit; fitque ut modum in concupiscendo non habeat, dum innumeris hujus sæculi curis deservire festinat. Si ergo sæcularibus viris ita est periculosa cupiditatis industria, quanto magis illis periculosior, qui jam habitu, et conversatione sæculares esse desierunt; qui totum, quod vivunt, Domino devoverunt! Dicis forte: Ideo a sanctis religiosisque viris plura habenda sunt, ut melius ab ipsis, quam a popularibus, erogentur Christi pauperibus. Et ego consentio; sed prælatis, non autem subjectis.

Obduratio, et misericordia.

» Obduratio dicit: Si ea, quæ possides, egentibus tribuis, unde subjectos absque penuria nutris? Misericordia respondet: Memento quid purpurato diviti contigerit, qui non ideo damnatus est, quod aliena tulerit, sed quod egenti pauperi sua non tribuerit, et in inferno positus ad petenda minima pervenerit, qui hæc parva negavit.

Gula et parcimonia.

» Ventris ingluvies, sive gula, dicit: Ad esum Dominus omnia munda creavit; et qui saturari cibo respuit, quid aliud, quam muneri concesso contradicit? Ciborum parcimonia respondet: Unum horum, quæ dicis, verum est: ne enim homo fame moreretur,

[1] I *Petr.*, II, 22. — [2] I *Tim.*, V, 1. — [3] II *Tim.*, II, 24. — [4] *Matth.*, XXV, 13.

omnia ad esum Deus munda creavit; sed ne comedendi mensuram excederet, abstinentiam imperavit, atque inter cætera sua mala saturitate, maxime panis, Sodoma periit. Quapropter, sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes debet quisquam accedere, nequaquam scilicet in illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens. Ille autem plene hujusmodi vitium superat, qui in sumendis dapibus non solum parcimoniam tenet, ut scilicet refectionem corporis semper esuriens imperet, verum etiam accuratiores simul et lautiores epulas, excepta corporis infirmitate, et hospitum susceptione, contempsit.

Vana lætitia, et moderatus mœror.

» Inepta lætitia dicit: Ut quid animi gaudium intus abscondis? Egredere in publicum lætus; dic aliquid foris, unde vel tu, vel proximi rideant; fac eos lætos tua lætitia. Moderatus mœror respondet: Unde tibi inest tanta lætitia? Numquid jam diabolum vicisti? Numquid jam de exilio ad patriam venisti? An forte in oblivionem venit, quod Dominus dicit [1]: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium?* Comprime ergo inanem lætitiam, quia nondum evasisti pœnalem ærumnam. Nonne apud omnes insanus judicatur is, qui carceralibus tenebris reclusus gaudere conatur?

Loquacitas, et silentium.

» Multiloquium dicit: Non reus ille tenebitur, qui plura quidem, sed bona loquitur; sed ille, qui saltem rara, sed mala dicere probatur. Discreta taciturnitas respondet: Verum est quod dicis; sed dum multa bona proferri videntur, sæpe contingit, ut a bonis locutio inchoans, ad prava derivet. Hoc ipsum sacra Scriptura pronuntiat, quia [2] *in multiloquio non deerit peccatum.* Ac forte inter innumera verba declinantur criminosa, sed nunquam declinari poterunt inutilia atque otiosa, de quibus ratio erit in futuro reddenda. Tenendus est ergo modus in loquendo, atque ab ipsis nonnunquam utilibus verbis parcendum.

Luxuria, et castitas.

» Luxuria dicit: Cur te in voluptate tua modo non dilatas, cum te quid sequatur, ignoras? Acceptum tempus in desideriis perdere non debes, quia quam citius pertranseat, nescis. Si enim Deus misceri hominem in voluptate carnis nollet, in ipso humani generis exordio masculum et feminam non fecisset. Carnis munditia respondet: Nolo ut ignorare te fingas, quid post hanc vitam recipias. Si enim pie et caste vixeris, sine fine gaudebis; si autem impie et luxuriose, æternis incendiis subjacebis. Inde autem magis caste vivere debes, unde quam citius tempus acceptum transeat, ignorare te dicis. » Et infra: « O quam parva est concubitus hora, qua perditur vita futura! » Isidorus, *de Summo Bono* [3]: « Interdum vitia cum virtutibus ad utilitatem confligunt, ut ipso certamine vel mens exerceatur, vel ab elatione concussus animus restringatur. »

CAPUT XVI.

De Gratia.

Gregorius, in *Registro* [4]: « Quia de gratia debemus superna præsumere, ut non simus negligentes in oratione, vel opere, voce veritatis exprimitur [5]: *Oportet semper orare, et non deficere.* Petamus ergo orando, quæramus legendo, pulsemus operando. » Idem [6]: « Quælibet occulta loca sine Dei gratia animam salvare non possunt. Quod aliquando in ipsis quoque erratibus conspicimus electorum. Nam Loth in perversa civitate justus fuit, in monte peccavit. » Idem, in *Moralibus* [7]: « Cum mentem nostram elatio erigit, a nobis summi protinus compunctio amoris recedit; cum vero superna nos gratia visitat, statim per lacrymas ad sua desideria instigat. » Idem [8]: « Quanto quisque se minus videt, tanto minus sibi displicet; et quanto

[1] *Joan.*, XVI, 20. — [2] *Prov.*, X, 19. — [3] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXXVII, sent. 1. — [4] Greg., *ad Dynam. et Aurel.*, lib. VI, epist. XXXIII, col. 1279. — [5] *Luc.*, XVIII, 1. — [6] Greg., *ad Cyriac.*, lib. VI, epist. IV, col. 1253. — [7] Id., *Moral.*, lib. IX, c. XXXIII, in fin. — [8] Ibid., lib. XXXV, c. V, in princ.

majoris gratiæ lumen percipit, tanto amplius reprehensibilem se cognoscit. » Idem [1]: « Justi animam gratia vocat, tentatio interrogat. » Idem [2]: « Quia per occultam gratiam ad amorem Dei temperata desuper mensura proficimus, quanto in nobis quotidie de Dei spiritu virtus crescit, tanto noster spiritus deficit. » Idem: « Unumquemque electum suum divina gratia tunc magis erudiendo custodit, cum eum quasi percutiens deserit. » Idem [3]: « Miles Dei supernæ gratiæ fretus auxilio, sic vulnera infirmitatis suæ curat, ut aliena non deserat. » Idem [4]: « Bonum quod agimus, et Dei est, et nostrum: Dei, per prævenientem gratiam; nostrum, per obsequentem liberam voluntatem. » Idem, *super Ezechielem* [5]: « Sive hi, qui electi in Testamento Veteri fuerunt, sive hi, qui in Testamento Novo secuti sunt, nimirum constat, quia omnes ex amore Trinitatis accensi sunt. Neque enim unum Deum diligerent, si ejusdem Trinitatis, quæ Deus est, gratiam non accepissent. » Idem: « Sunt quidam, qui per donum gratiæ et ipsa intelligunt, quæ exponi a doctoribus non audierunt. » Isidorus, *de Summo Bono* [6]: « Hominis meritum superna gratia, ut inveniat, prævenit; et postquam prævenerit, perficit; atque ad indignam mentem veniens, facit in ea meritum quod remuneret, quæ solum invenerat quod puniret. » Idem, in *Synonymis* [7]: « In omni opere tuo Dei auxilium posce: omnia divinæ gratiæ, divino dono ascribe: nihil meritis tuis tribuas: in virtute tua nihil præsumas. » Augustinus, de *Confessionibus* [8]: « Gratiæ tuæ deputo et misericordiæ tuæ, Domine, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti; gratiæ tuæ deputo et quæcunque non feci mala. » Idem, *de Natura et Gratia* [9]: « Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur: propter quod *gratia* nominatur. » Idem, *de Correptione et Gratia* [10]: « Desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est. » Idem [11]: « Gratia sola homines liberantur a malo, sine qua nullum prorsus, sive cogitando, sive volendo et amando, sive agendo, faciunt bonum. » Idem [12]: « Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, et ut perseveret, delectabilem perpetuitatem et insuperabilem fortitudinem. » Idem, *de Quinque Responsionibus* [13]: « Opera liberi arbitrii bona, quæ ut fiant, præparantur per gratiæ præventum, nullis liberi arbitrii meritis, et ipsa faciente, gubernante et perficiente, ut abundent in libero arbitrio, non damnamus: quia ex his, vel hujusmodi, homines Dei justificati sunt, justificantur, et justificabuntur in Christo. » Idem, *de Gratia et Libero Arbitrio* [14]: « Carissimi, vita nostra bona nil est aliud, quam Dei gratia; et vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est, et ipsa enim gratis datur. » Idem ibidem [15]: « Gratia Dei nos facit legis dilectores; lex vero ipsa sine gratia, non nisi prævaricatores. » Idem, *contra Julianum* [16]: « Quia caro concupiscit adversus spiritum, etiam baptizatis sanctis ingerit pugnandi necessitatem. Contra quid, nisi contra malum, non contra substantiam, sed substantiæ vitium, Dei gratia regenerante non imputandum, Dei gratia adjuvante frænandum, Dei gratia remunerante sanandum? » Idem, *de Sex Quæstionibus* [17]: Salus religionis hujus, per quam solam salus vera veraciter promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit; et cui defuit, dignus non fuit ab exordio. Ab exordio namque propagationis humanæ usque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur. » Idem, *de Spiritu et Lit-*

[1] Greg., *Moral.*, lib. XX, c. XIX, circa med. — [2] Ibid, lib. XXII, c. XIV, non longe a princ. — [3] Ibid., lib. XXI, c XVII, ante med. — [4] Ibid., lib. XXXIII, c. XX. — [5] Id., *in Ezech.*, hom. XVI, ante med. — [6] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. V, sent. 1. — [7] Id., *Synon.*, c. XII. — [8] Aug., *Confess.*, lib II, c. VII, n. 15. — [9] Id., *de Nat. et Grat.*, c. IV. — [10] Id., *de Correpl. et Grat.*, c. I. — [11] Ibid, c. II. — [12] Ibid., c. VIII. — [13] Est in *Hypognost.* sive *Hypomnest.*, inter Op. S. Aug., append. tom. X. — [14] Aug., *de Grat. et lib. Arb.*, c. VIII. — [15] Ibid., c. XVIII. — [16] Id., *cont. Julian.*, lib. II, n. 10. — [17] Id., *ad Deogr.*, epist. XLIX, al. CII, n. 15.

tera [1]: « Per legem, cognitio peccati; per fidem, impetratio gratiæ contra peccatum; per gratiam, sanatio animæ et abolitio peccati; per animæ sanitatem, libertas arbitrii; per liberum arbitrium, justitiæ dilectio; per justitiæ dilectionem, legis operatio. » Idem [2]: « Lex data est, ut gratia quæreretur; gratia autem data est, ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur lex, sed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit. » Idem, *de Civitate Dei* [3]: « Parit cives terrenæ civitatis peccato vitiata natura; cœlestis vero civitatis cives parita peccato naturam liberans Dei gratia. » Idem, *de Pœnitentia* [4]: « Præsto semper est gratia, quæ nunquam deficit, nisi prius expulsa fuerit. Continue necessario quod suum est inspirat, si est qui recipiat. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione cordis* [5]: « Gratia rectas mentes diligit, et sine fuco propositum. » Idem, *super Matthæum* [6]: « Debet voluntas præcedere, et sic sequitur gratia; nam nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia potest. Nam et terra non germinat, nisi pluviam susceperit, nec pluvia fructificat sine terra. » Ambrosius, *super Lucam* [7]: « Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. » Auctor *de Spiritu et Anima* [8]: « Animam Dei pietas respicit, humilitas subjicit, pœnitentia reducit, justitia deducit, obedientia conducit, perseverantia perducit, devotio introducit, puritas jungit, charitas unit. » Idem [9]: « Facultates et quasi instrumenta cognoscendi et diligendi habet anima ex natura; cognitionem vero veritatis, et ordinem dilectionis, nequaquam habet, nisi ex gratia. » Idem [10]: « Vasa, quæ creatrix sapientia format ut sint, adjutrix gratia replet, ne vacua sint, si strenuum operarium invenerit. » Bernardus, *super Cantica* [11]: « In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore inveniaris non altum sapere, sed timere. »

CAPUT XVII.

De Pœnitentia.

Gregorius, in *Homiliis* [12]: « Pœnitentiam agere, est et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere, aut ignorat, aut dissimulat. » Augustinus, *de Mirabilibus sacræ Scripturæ* [13]: « Qui per pœnitentiam peccata diluerit, angelicæ felicitatis consors in æternum erit. » Idem, in libro *de Pœnitentia* [14]: « Convertitur, qui jam totus et omnino vertitur, qui jam non tantum pœnas non timet, sed ad bonum Deum redire festinat. Quæ conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de peccatorum suorum remissione : sed quoniam vix vel raro est tam justa conversio, timendum est de sero pœnitente. » Idem [15]: « Pietas fidei expostulat credere, quod omnes eleemosynæ totius Ecclesiæ, et orationes, et opera justitiæ et misericordiæ succurrant recognoscenti mortem suam, ad conversionem suam. Ideoque nemo pœnitere digne potest, quem non sustineat unitas Ecclesiæ. » Idem [16]: « Pœnitens omnes fructus suæ pœnitentiæ parvos habeat; nunquam sufficiat ; semper doleat ; semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat, et dolorem cum vita finiat. » Idem [17]: « Ubi dolor finitur, deficit et pœnitentia. » Idem [18]: « Pœnitens semper doleat, et de dolore gaudeat. » Idem [19]: « Pœnitens consideret qualitatem, et quantitatem criminis, in loco, in tempore, in perseveran-

[1] Auctor lib. *de Spir. et litt.*, c. XXX, inter Op. S. Aug., app. tom. VI. — [2] Ibid., c. XIX. — [3] Id., *de Civ. Dei*, lib. XV, c. II. — [4] Imo auct., lib. *de ver. et fals. Pœnit.*, c. XVI, inter Op. S. Aug., append. tom. VI. — [5] Chrysost., *de Comp. Cord.*, lib. I. — [6] Id., *in Matth.* Op. imperf., hom. XXXII. — [7] Ambros., *in Luc.*, I, lib. II, n. 19. — [8] *De Spir. et Anim.*, c. XXXVI, inter Op. S. Aug., append. tom. VI. — [9] Ibid., c. VII. — [10] Ibid. —

[11] Bern., *in Cant.*, serm. LIV. — [12] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIV, post med. — [13] *De mirabil. S. Scrip.*, lib. I, c. II, inter Op. S. Aug., append. tom. IV, *edit. Bened.* — [14] Vel potius auctor lib. *de ver. et fals. Pœnit.*, c. XVII, ibid., append. tom. VI. — [15] Ibid., c. XII. — [16] Ibid., c. XIII. — [17] Ibid. — [18] Ibid.. — [19] Ibid., c. XIV.

tia, in varietate, in conditione personæ, et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius vitii multiplici executione. » Idem : « Nunquam Dominus aliquem sanavit, » infra, *de Contritione*[1]. Idem [2] : « Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse ; qui autem dolet quod detinetur in mortali corpore, desiderat quod amat, plorat quod retardat. » Idem [3] : « *Qui me confessus fuerit coram hominibus*[4], id est, omnis quantumcumque et quotiescumque peccator cujuscumque ordinis, etiam si fuerit peccator sacerdos, *confitebor et ego eum :* nam [5] *qui invocaverit nomen Domini*, id est, secundum quod nominatur Dominus, id est, qui invocaverit eum ad se serviendo, et non contradicendo, ut forsitan sæpe fecit, *omnis*, id est, quicumque sit ille peccator, *salvus erit.* » Idem [6] : « Pœnitentia languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, sanitatem auget et conservat ; claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit et roborat. » Idem [7], *de Quinque Responsionibus :* « Petrum nisi Dominus respexisset, nunquam pœnitentia motus amare flevisset. Pœnitentia ergo res est optima, et perfecta, quæ defectus revocat ad perfectum. » Idem, in *Sermonibus* [8] : « Si tunc vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. » Idem, in *Epistola* [9] : « Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si tamen restitui potest. » Idem : « Nemo vitam æternam, » etc., infra, libro IV, *de Desiderio* [10]. » Ambrosius : « Facilius inveni, infra, libro IV, *de Innocentia* [11]. Isidorus, in *Etymologiis* [12] : « Pœnitentia appellata est, quasi *punientia*, eo quod ipse homo in se pœnitendo punit quod male admisit. Nam nihil aliud agunt, qui veraciter pœnitent, nisi ut id, quod male fecerint, impunitum esse non sinant. Eo quippe modo sibi non parcentibus, ille parcit, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadit. » Idem, de *Summo Bono :* « Pœnitentia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam peccatores salvantur, per quam Deus ad misericordiam provocatur, quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus et lacrymarum. » Idem : « Neque unquam, » etc., infra, libro III, *de Securitate* [13]. Idem, in *Synonymis* [14] : « Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. » Cyprianus, in *Sermonibus* [15] : « O pœnitentia, quæ peccata miserante Deo remittis, et paradisum reseras ; quæ contritum sanas, omnem tristem exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam reformas, gratiamque abundantiorem refundis. » Idem [16] : « O pœnitentia, quid de te novi referam ? omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. » Idem [17] : « Pœnitentia respuit avaritiam, horret luxuriam, fugat furorem, firmat amorem, calcat superbiam, continet linguam, componit mores, odit malitiam, excludit invidiam. » Bernardus, *super Cantica* [18] : « *Qui amat animam suam, perdet eam*[19], sive ponendo ut martyr, sive affligendo ut pœnitens. » Idem, *de Duodecim gradibus* [20] : « Qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret ; sed quidquid sibi pro culpa, quam odit, injungitur, tacita conscientia patienter amplectitur. » Idem, in *Sermonibus* : « Si vis agere pœnitentiam, oportet membra punire, corpus affligere, te-

[1] Vid. cap. seq. — [2] *De ver. et fals. Pœnit.*, c. VIII. — [3] Ibid., c. V. — [4] *Matth.*, X, 32. — [5] *Rom.*, X, 13. — [6] *De ver. et fals. Pœnit.*, c. I. — [7] *Hypognost.* seu *Hypomnest.*, lib. III, paulo post med., inter Op. S. Aug., append. tom. X. — [8] *Ad fratres in eremo*, serm. LXVI. — [9] Aug., *ad Maced.*, ep. LIV, al. CLIII, n. 20. — [10] Vid. inf., lib. IV, c. XXIV. — [11] Ibid., c. V. — [12] Isid. *Etymol.*, lib. VI, c. XVIII. — [13] Vid. inf., lib. III, c. IX. — [14] Isid, *Synon.*, c. 1, prope fin. — [15] Est apud Chrysost., serm. *de Pœnit.*, ante med. — [16] Ibid., consequenter. — [17] Ibid, paulo post. — [18] Bern., *in Cant.*, serm. XXX, post med. — [19] *Joan.*, XII, 25. — [20] Bern., *de duod. grad. Humil.*, grad. IX.

ipsum judicare, ut non incidas in manus Dei viventis. Justum id quidem; sed ne quid nimis; alioquin reprimendus est fervor immoderatus, ne noceat unitati, serviat indiscretioni. »

CAPUT XVIII.

De Contritione.

Gregorius, in *Registro* [1] : « Illum quem conspicis delicta fletu delere, in conspectu divinitatis non dubites misericordiam consequi : quia nullum peccantem reversum ad se despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit. » Idem, *super Ezechielem* [2] : « Mala, quæ nos egisse meminimus, fletibus puniamus, ut per lamenta pœnitentiæ perveniamus ad carmen vitæ : ne si affligi modo pœnitendo nolumus, væ postmodum sine fine sentiamus. » Idem, in *Moralibus* [3] : « Quo uberius culpa defletur, eo altior cognitio veritatis attingitur : quia ad videndum internum lumen, polluta dudum conscientia, lacrymis baptizata renovatur. » Idem : « Quilibet peccator, » etc., infra, in capite *de Justitia* [4]. Idem [5] : « Si nos virtus compunctionis in intimis afficit, omnis strepitus pravæ suggestionis obmutescit (*a*). » Idem, in *Pastorali* [6]: « Quasi sus in lutosa aqua semetipsum volvit, qui dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas etiam ipsas lacrymas facit. » Idem [7] : « Qui admissa plangit, nec tamen deserit, tanto graviori culpæ se subjicit, quanto et ipsam, quam flendo impetrare potuit, veniam contemnit. » Augustinus, *de Pœnitentia* [8] : « Sicut comes pœnitentiæ dolor est, ita lacrymæ testes doloris. » Idem, *de vera et falsa Pœnitentia* [9] : « Qui se cognoscunt, sicut semper peccant, ita semper plorant; in tota vita sua, quæ est tentatio super terram, plorant totam vitam suam. » Idem [10] : « Nunquam aliquem Dominus sanavit, quem omnino non liberavit. Totum enim hominem sanavit in sabbato, quia et corpus ab infirmitate, et animam ab omni peccati contagione liberavit, indicans pœnitentem oportere simul de omni crimine dolere. » Idem [11] : « Satis durus est, cujus mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare : sed sciat culpabiliter se durum, qui deflet damna corporis, vel mortem amici, et dolorem peccati non ostendit lacrymis. » Idem [12]: « Quem pœnitet, omnino pœniteat, et dolorem lacrymis ostendat. » Idem, in libro *Meditationum* : « Da mihi, Domine, in hoc exilio panem doloris et lacrymarum, quem esurio super omnem copiam deliciarum. » Idem : « Sit pœnitentia continua, amara comes ætatis meæ, continuus dolor, insatiabilis terror vitæ meæ. » Et infra : « Si non sum dignus oculos ad cœlum levare orando, certe non sum indignus eos vel saltem excæcare plorando. » Idem, in *Confessionibus* [13] : « Amore amoris tui, Domine, facio istud, recolens vias meas nequissimas in amaritudine recogitationis meæ, ut tu dulcescas mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix et secura, et colligens me a dispersione, in qua frustatim sum discissus, dum ab uno te aversus, in multa evanui. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* : « Nihil ita conglutinat et unit Deo, ut pœnitentis lacrymæ. » Idem : « Quemadmodum quæ propter mundum est lætitia, tristitiam habet cohæredem; et quæ secundum Deum sunt lacrymæ, lætitiam assumunt continuam et immarcessibilem. » Idem, in *Sermonibus* : « Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non, quod postulavit, accepit : nullus ab eo beneficia dolenter optavit, qui non impetraret quod voluit : ipse enim est qui consolatur flentes, curat dolentes, informat pœnitentes. » Idem, libro *de Com-*

[1] Greg., *ad Secundin.*, lib. VII, epist. LIV, col. 1341. — [2] Id., *in Ezech.*, hom. IX, prope fin. — [3] Id., *Moral.*, lib. XXVII, c. XII. — [4] Inf., c. XLII. — [5] Greg., *Moral.*, lib. III, c. XIX. — [6] Id., *Pastor.*, p. III, c. II, admon. 31. — [7] Ibid. — [8] Aug., *de Pœnit.*, inter L, Hom., hom. II. — [9] *De ver. et fals. Pœnit.*, c. VIII, inter Op. S. Aug., append. tom. VI. — [10] Ibid., c. IX. — [11] Ibid. — [12] Ibid., c. X. — [13] Aug., *Confess.*, lib. II, c. III. — (*a*) *Cœt. edit.* obtumescit.

punctione cordis [1] : « Sicut impossibile est ut ignis inflammetur in aqua, ita impossibile est compunctionem vigere in deliciis : contraria enim hæc invicem sibi sunt, et peremptoria. Illa enim mater fletus, hæc mater risus : illa cor constringit, istæ dissolvunt. » Idem [2] : « Sola est compunctio, quæ facit hominem horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lacrymas, fugere risum. » Idem [3] : « Hæc est humilitati cordis vera compunctio : magna agere, et humilia loqui; juste operari, et super peccatis timere ac tremere. » Isidorus, *de summo Bono* [4]: « Compunctio cordis est humilitas mentis cum lacrymis, exoriens de recordatione peccati, et timore judicii. » Idem : « Qui nocturna illusione, » etc., supra, *de Luxuria* [5]. Idem : « Lacrymæ pœnitentiæ apud Deum pro baptismate reputantur; unde quamlibet sint magna delicta, et quantumvis (*a*) gravia, non tamen in illis Domini misericordia desperanda. » Ambrosius, *de Excessu Satyri* [6]: « Non solus dolor lacrymas habet; habet et lætitia lacrymas suas, et pietas fletum excitat, et oratio stratum rigat. » Bernardus, *super Cantica* [7] : « Alta suspiria testantur tristitiam animorum. » Idem [8] : « Dies mei sicut umbra declinaverunt, et sine fructu præterierunt, impossibile est ut revocem : placeat tibi, Domine, ut recogitem eos in amaritudine animæ meæ. » Idem [9]: « Abscindatur ferro acutæ compunctionis ulcus inveteratæ consuetudinis. » Idem, *de Contemptu mundi* [10]: « Felices lacrymæ, quas benigna manus Conditoris absterget; et beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt magis, quam in superbiam elevari, quam omne sublime videre, quam avaritiæ et petulantiæ famulari. » Idem, *de duodecim Gradibus* [11] : « Quos veritas sibi innotescere, ac per hoc vilescere facit, necesse est, ut cuncta, quæ amare solebant, et ipsi sibi amarescant. » Idem, in *Sermonibus* [12] : « Miserere animæ tuæ, qui Deum tibi vis misereri : lava per singulas noctes lectum tuum lacrymis tuis, stratum tuum rigare memento; si compateris tibi ipsi, si laboras in gemitu pœnitentiæ, primus enim is gradus misericordiæ est, misericordiam utique consequeris. » Idem [13] : « Si non plangis, plane non sentis animæ vulnera, conscientiæ læsionem; sed nec futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie postulas ea cum lacrymis. » Idem [14]: « Primum opus fidei per dilectionem operantis cordis compunctio est, in qua plene de intus ejiciuntur dæmonia, cum ab affectu cordis eradicantur peccata. »

CAPUT XIX.

De Confessione.

Gregorius, in *Moralibus* [15] : « Hæc sunt veræ humilitatis testimonia, scilicet et iniquitatem suam corde cognoscere, et cognitam voce confessionis integraliter aperire. » Augustinus, in *Sermonibus* [16] : « Utiliter ac salubriter admonemur, ut peccata nostra debeamus jugiter et humiliter non solum Deo, sed etiam sanctis et Deum timentibus confiteri. » Idem, *de Pœnitentia* [17] : « Ista assidua peccata, et quodammodo quasi necessaria, assidua laventur confessione, assidua restaurentur compunctione. » Idem [18] : « Fit veniale per confessionem, quod criminale erat in operatione. » Idem [19]: « Quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia. Unde patet, quia quanto pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur gratiam remissionis. » Idem [20] : « Qui confiteri vult peccata, ut inveniat gra-

[1] Chrysost., *de Comp. Cordis*, lib. II, n. 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Isid., *de Sum Bon.*, lib. II, c. XII. — [5] Vid. sup., c. XIII. — [6] Ambros., *de exc. Satyr.* — [7] Bern., *in Cant.*, serm. XLIX, post med. — [8] Ibid., serm. XX, statim a princ. — [9] Ibid., serm. XVIII, post med. — [10] Id., super *Ecce nos reliquimus*, post med. — [11] Id., *de duod. grad. Hum.*, grad. 1. — [12] Id., *de Convers. ad Cleric.*, c. XXIV. — [13] Id., *in Capite Jej.*, serm. II, post med. — [14] Id., *in Ascens. Dom.*, serm. I. — [15] Greg., *Moral.*, lib. II, c. IX. — [16] Aug., hom. XII, al. serm. CCLIII, app. tom. V. — [17] *De ver. et fals. Pœnit.*, c. VIII, inter Op. S. Aug., append. tom. VI. — [18] Ibid., c. X. — [19] Ibid. — [20] Ibid.

(*a*) *Cæt. edit.* et quamlibet sint magna delicta, quantumvis.

tiam, quærat sacerdotem scientem ligare et solvere; ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet et petit, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit. Tanta itaque vis confessionis est, ut si deest sacerdos, confiteatur proximo. » Idem [1] : « Qui omnino confitetur, sacerdoti meliori, quam potest, confiteatur. » Idem [2] : « Ponat se pœnitens omnino in potestate judicis, » etc., infra, *de Satisfactione* [3]. Idem : « Cautus sit pœnitens, ne verecundia ductus dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit sacerdotibus manifestare. Quidam enim uni celant, quæ alii manifestanda conservant : quod est se laudare, et ad hypocrisim tendere. » Idem [4] : « Neque facilius ab inimico dejicimur, quam cum eum superbiendo imitamur; nec vehementius eum prosternimus, quam cum humilitate Dominum sequimur; nec acutiores ei dolores infigimus, quam cum plagas peccatorum nostrorum confitendo et pœnitendo sanamus. » Idem : « Peccata sive parva, sive magna sint, impunita esse non possunt, quia vel homine pœnitente, vel Deo judicante plectuntur; cessat autem vindicta divina, si confessio præcurrat humana. » Idem, in libris *Confessionum* [5] : « Tibi, Domine, cujus oculis nuda est abyssus humanæ conscientiæ, quid occultum esset in me, etiamsi nollem confiteri tibi? Te enim absconderem mihi, non me tibi. » Idem [6] : « Obsecro te, Deus meus, et meipsum mihi indica, ut confitear oraturis pro me fratribus meis, quod in me saucium comperero. » Ambrosius, *de Pœnitentia* [7] : « Qui jaces in tenebris conscientiæ, et delictorum tuorum sordibus, quasi in reorum carcere, exi foras; delictum proprium prode, ut justificeris : *Ore* enim [8] *confessio fit ad salutem.* » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione Cordis* : « Habes accusatorem acerbissimum et immitem : præveni ergo eum, et obtura os ejus impudentissimum, propria sponte confitendo delicta. » Isidorus, in *Etymologiis* [9] : « Confessio erroris, professio est desinendi. Desinendum ergo a peccatis est, dum quis confessus est : confessio autem antecedit, remissio sequitur. » Isidorus, in *Synonymis* [10] : « Confessio sanat, confessio justificat, confessio peccati veniam donat. Omnis spes in confessione consistit, in confessione locus misericordiæ est. » Idem [11] : « Vitia cordis tui revela : pravas cogitationes tuas illico manifesta : peccatum enim tuum proditum, cito curatur; crimen autem occultum tacendo ampliatur. » Idem, de *summo Bono* [12] : « Servo Dei tanta recordatio esse debet peccati, ut ea, quæ gessit, semper lacrymans confiteatur. » Bernardus, in *Epistola* [13] : « Ama confessionem, si affectas decorem; revera ubi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt, in confessione lavantur; si bona opera, confessione commendantur. Cum mala tua confiteris, *sacrificium est Deo spiritus contribulatus* [14] : cum Dei beneficia dicis, *immolas Deo sacrificium laudis* [15]. » Idem [16] : « Absque confessione justus judicatur ingratus, et peccator mortuus reputatur : *A mortuo* quippe [17], tanquam qui non est, *perit confessio.* Confessio igitur peccatoris est vita, sed justi gloria. » Idem [18] : « Sunt qui confitendo, sicut fabulam peccatorum suorum narrant historiam, et ægritudines animæ suæ sine verecundia et confusione dinumerant, et pene sine pœnitentia et affectu doloris, et ideo nihil de consolatione reportatur. Ille vero cito lacrymas invenit, et resolvitur in gemitum compunctionis, qui habet sensum doloris. » Idem, *super Cantica* [19] : « Omne quod remordet conscientiam, confitere humiliter, pure, fide-

[1] *De ver. et fals. pœnit.*, c. x, inter Op. S. Aug., append. tom. VI. — [2] Ibid., c. xv. — [3] Vid. cap. seq. — [4] Aug., hom. L, al. serm. CCCLI, n. 6. — [5] Id., *Confess.*, lib. X, c. II. — [6] Ibid., c. XXXVII. — [7] Ambros., *de Pœnit.*, lib. II, c. VII. — [8] *Rom.*, x, 10. — [9] Isid., *Etymol.*, lib. VI, c. XI. — [10] Id., *Synon.*, c. I. — [11] Ibid., c. XII. — [12] Id., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXIV, sent. 3. — [13] Bern., *ad Soph. Virg.*, epist. CXIII. — [14] *Psal.* L, 19. — [15] *Psal.* XLIX, 14. — [16] Bern., ibid, paulo post. — [17] *Eccli.*, XVII, 26. — [18] Bern., *de Vit. Solit.*, epist. — [19] Id., *super Cant.*, serm. XVI, paulo post med.

liter. » Glossa *super Matthæum* [1] : « Confessio peccatorum testimonium est conscientiæ timentis Deum : qui enim timet judicium Dei, peccata non erubescit confiteri. Perfectus enim timor solvit omnem pudorem. » Ibidem : « Ideo jubemur confiteri peccata, ut erubescentiam patiamur pro pœna. » Seneca, in *Epistola* [2] : « Somnium narrare, vigilantis est; et vitia sua confiteri, sanitatis indicium est. Expergiscamur ergo, ut errores nostros redarguere possimus. »

CAPUT XX.

De Satisfactione.

Gregorius, in *Pastorali* [3] : « Neque Deus nostris cruciatibus pascitur; sed delictorum morbos medicamentis contrariis medetur, ut qui voluptatibus delectati discessimus, rursum fletibus amaricati redeamus; et qui per illicita diffluendo cecidimus, etiam a licitis nosmetipsos restringendo surgamus. » Idem, in *Homiliis* [4] : « Dum a retributione ultionis ultimæ esse quædam temporis securitas videtur, debemus pensare malum quod sequitur, pensantes gemere, gementes vitare; ea, quæ commisimus, peccata indesinenter aspicere, aspicientes flere, flentes abstergere. » Augustinus, in *Regula* [5] : « Quicumque convitio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læserit, meminerit satisfactione quam citius curare quod fecit; et ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt. » Idem [6], *de Ecclesiasticis Dogmatibus* : « Pœnitentia vera est pœnitenda non admittere, et admissa deflere. Satisfactio pœnitentiæ est, causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum præbere. » Ibidem : « Secreta satisfactione, » etc., infra, libro IV, *de Religione* [7]. Idem, *de Pœnitentia* [8] : « Ponat se pœnitens omnino in potestate judicis, in arbitrio sacerdotis, nihil sibi reservans sui, ut omnia, eo jubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæcumque faceret pro evitanda corporis morte. » Idem [9] : « Qui multos offendit peccando, multos oportet placare satisfaciendo. » Idem, in *Enchiridio* [10] : « De quotidianis levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. » Idem, in *Epistola* [11] : « Nihil aliud facit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod male fecerat, impunitum esse non sinat. » Ambrosius, *super Lucam* [12] : Nemo diffidat, nemo veterum conscius delictorum præmia divina desperet : novit enim Deus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. » Idem, super *Beati immaculati* [13] : « Tanta vis emendatæ conversationis est, ut in quamdam redeat pueritiæ spiritualis ætatem, quæ vias erroris ignoret; et crimen, etiamsi velit, non possit admittere, quæ desinit usum peccandi. » Isidorus, in *Synonymis* [14] : « Cinis es, et in cinerem reverteris : vivas ergo semper lugens, semper mœrens, semper suspiria cordis emittens. » Idem, *de summo Bono* [15] : « Ille pœnitentiam digne agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit. » Idem [16] : « Quamvis per pœnitentiam propitiatio peccatorum sit, sine metu tamen homo esse non debet, quia pœnitentiæ satisfactio divino tantum pensatur judicio, non humano. » Bernardus, *super Cantica* [17] : « Humilis et verecunda debet esse satisfactio, per quam emendatur superba transgressio. » Glossa *super Psalmos* [18] : « Est quædam confusio temporalis, quæ est ad horam, quæ quidem prodest, scilicet perturbatio animi respicientis peccata sua,

[1] Gloss. *in Matth.*, III. — [2] Senec., *Epist.* XXXIV, post med. — [3] Greg., *Pastor.*, p. III, c. II, admon. 31. — [4] Id., *in Evang.*, hom. XXXIX, post med. — [5] Aug., *Regul.* III, c. XXXVIII. — [6] Imo Gennad., *de Eccle. Dogmat.*, c. LIV. — [7] Vid. inf., lib. IV, c X. — [8] *De ver. et fals. Pœnit.*, c. XV, inter Op S. Aug., app. tom. VI. — [9] Ibid., c. XII. — [10] Aug., *Enchirid.*, c. LXXI. — [11] Id., *ad Maced.*, epist. LIV, al. CLIII, n. 6. — [12] Ambros., *in Luc.*, II, lib. II. — [13] Id., *in Psal.* CXVIII, octonar. XXII. — [14] Isid., *Synon.*, c. VI, post med. — [15] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XIII, sent. 6. — [16] Ibid., sent. XIII. — [17] Bern., *in Cant.*, serm. IV, post med. — [18] Gloss. *in Psal.* XXX.

et respectione horrentis, et horrore erubescentis, et rubore corrigentis. »

CAPUT XXI.

De Virtute.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : « Non res eadem semper est virtus, quia per momenta temporum sæpe merita mutantur actionum. » Idem [2] : « Plerumque virtus cum indiscrete tenetur, amittitur; cum discrete intermittitur, plus tenetur. » Idem : « Omnes virtutes, etc., infra, lib. IV, *de Connexione*[3]. Augustinus, *de Civitate Dei*: « Mihi videtur, » etc., infra, *de Charitate*[4]. Idem : « Virtutes, quas sibi habere mens videtur, per quas imperat corpori et vitiis, ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potius, quam virtutes. » Idem, *de Libero Arbitrio*[5] : « Virtutes, quibus recte vivitur, magna bona sunt; species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt; potentiæ vero animæ, sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male utitur; cæteris autem bonis, id est, mediis et minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. » Idem, *de octoginta tribus quæstionibus*[7] : « Omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, est fruendis frui, et utendis uti. » Isidorus, *de Summo Bono*[8] : « Prius vitia extirpanda sunt in homine; deinde inserendæ virtutes. Nam cohærere et conjungi non potest veritas cum mendacio, pudor cum petulantia, fides cum perfidia, castitas cum luxuria. » Idem[9] : « Quisquis ex deteriori jam melior esse cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus, ne gravius per vanam gloriam corruat, quam prius ex lapsu vitiorum jacebat. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem*[10]: « Sicut malitia, etiam ante gehennam, eos, qui hic eam (*a*) participant, cruciare consuevit, ita virtus etiam ante regnum eos, qui hic eam operantur, præparat voluptati, et cum spe optima et delectatione perpetua vivere facit. » Ambrosius, *super Lucam*[11] : « Non est virtus non posse peccare, sed nolle, atque ita tenere perseverantiam voluntatis, ut voluntas infantiam, usus imitetur naturam. » Bernardus, *super Cantica*[12] : « Medium vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget, non solum putatione, sed circumcisione. » Idem, in *Epistola*[13] : « Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, in victoria approbatur. » Seneca, in *Epistola*[14] : « Virtus non aliud est, quam recta ratio. » Idem : « Cum virtus utique medium et modus sit, æque peccatum est quod excedit, sicut quod deficit. » Idem [15] : « Nulli præclusa est virtus; omnibus patet, omnes invitat, omnes admittit; non eligit parentelam, non eligit domum, non censum, nudo homine contenta est. » Idem [16] : « Virtus extollit hominem, et super omnia mortalibus chara collocat eum; nec ea, quæ bona sunt, nec ea, quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expavescit. » Idem [17] : « Omnia ista, in quæ dominium casus et fortuna exercet, servilia sunt; pecunia, et corpus, et honores, imbecilla, fluida, mortalia; possessiones incertæ : illa rursus, quæ virtutis sunt, libera sunt, et invicta. » Idem [18] : « Quemadmodum minuta lumina claritas solis obscurat, sic dolores, et molestias, ac injurias, virtus magnitudine sua elidit atque opprimit; et quocumque affulsit, ibi quidquid sine ea apparet, extinguitur. Nam non magis ullam portionem habent incommoda, cum in virtute inciderunt, quam in mari nimbus. » Idem [19] : « Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum : etiam si quid obstat, nubium modo intervenit, quæ infra

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXVIII, c. VI. — [2] Ibid. — [3] Vid. inf., lib. IV, c. XLV, in princ. — [4] Vid. inf., c. XXV, p. 94. — [5] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XXV. — [6] Id., *de lib. Arb.*, lib. II, c. XIX. — [7] Id., *de* LXXXIII *Quæst.*, q. XXX. — [8] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXXVI, sent. 6. — [9] Ibid., sent. 9. — [10] Chrysost., *in Joan.*, hom. XXXV, al. XXXVI, n. 2. — [11] Ambros., *in Luc.*, XVII, lib. VIII. — [12] Bern., *in Cant.*, serm. LVIII. — [13] Id., *ad Episc. Aquit.*, epist. CXXVI, in princ. — [14] Senec., epist. CXXVI, post med. — [15] Id., *de Benefic.*, lib. III, c. XVIII. — [16] Id., epist. LXVI, ante med. — [17] Id., epist. LXXXVII, ante med. — [18] Ibid., paulo ante. — [19] Id., Epist. XXVII. — (*a*) *Al.* ea.

feruntur, nec unquam vincunt diem. » Tullius, in *Rhetoricis*[1] : « Virtus est animi habitus, naturæ modo, rationi consentaneus. »

CAPUT XXII.

De tribus Virtutibus theologicis.

Gregorius, in *Pastorali*[2] : « Cum districtus judex venerit, qui sese nobis per naturæ nostræ consortium junxit, ab eo procul dubio culpæ reatum non expetit, quem sub ejus venia fides, spes et charitas jam abscondit. » Idem, in *Moralibus*[3] : « In corde nonnunquam per flagella turbatur charitas, per formidinem concutitur spes, per quæstiones pulsatur fides. Sed per Dei gratiam omnia tormentorum et insidiarum genera superantur. » Idem[4] : « Boña summa sunt fides, spes, et charitas, quæ cum veraciter habentur, in malum inflecti non possunt. » Idem, *super Ezechielem*[5] : « Tres sunt virtutes, sine quibus is, qui operari aliquid jam potest, salvari non potest, videlicet fides, spes, et charitas. » Idem[6] : « Unusquisque, qui in activæ vitæ exercitio versatur, tantum credit, quantum sperat, amat, et operatur; tantum sperat, quantum credit, operatur, et amat; tantum amat, quantum credit, sperat, et operatur; tantum operatur, quantum credit, amat, et sperat. » Isidorus, in *Etymologiis*[7] : « Tria sunt, quæ in religionis cultu ad colendum Deum in hominibus perquiruntur, scilicet fides, spes, et charitas. » Augustinus, *de Doctrina christiana*[8] : « Homo fide, spe et charitate subnixus, et hæc tria inconcusse retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. » Idem, *de Trinitate*[9] : « Ubi sunt illa tria, propter quæ in animo ædificanda omnium divinorum librorum machinamenta consurgunt, fides, spes, charitas, nisi in animo credente quod nondum videt, et sperante atque amante quod credit? Amatur ergo quod ignoratur, sed tamen creditur. » Idem, in *Soliloquiis* : « Deo nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit. » Idem[10] : « Sine tribus istis, scilicet fide, spe et charitate, nulla anima sanatur, ut possit Deum suum videre. » Bernardus, *de Amore Dei*[11] : « Potest esse ut fides et spes sint sine charitate; ut autem charitas fidem et spem in se non contineat, non potest esse. » Idem, super *Qui habitat*[12] : « Dicit Fides : Parata sunt magna et inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit Spes : Mihi illa servantur. Sed Charitas ait : Curro velociter ad illa. » Glossa[13] : « Fide, et spe, et charitate, vere colitur Deus, et ad contemplationem pervenitur, quæ est vita æterna. »

CAPUT XXIII.

De Fide.

Gregorius, in *Homiliis*[14] : « Fides earum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt : quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem. » Idem[15] : « Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. » Idem, *super Ezechielem*[16] : « Non virtutibus venitur ad fidem, sed fide pertingitur ad virtutes. » Augustinus, in homilia *de Centum Ovibus* : « Deus omnibus æqualiter adest; sed ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulerit, non argenti, sed fidei. » Idem, *Contra Julianum*[17] : « Quando, Deo adjuvante, ex vera vivitur fide, ipse Deus adest, et menti illuminandæ, et concupiscentiæ superandæ, et molestiæ perferendæ. » Idem, *de Verbis Apostoli*[18] : « Nullæ majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major est substantia, quam est fides catholica, quæ pec-

[1] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [2] Greg., *Past.*, p. II, c. x, in fin. — [3] Id., *Moral.*, lib. II, c. xxvii, ante med. — [4] Ibid., lib. XXVII, c. vii, non multum a princ. — [5] Id., *in Ezech.*, hom. xvi, ante med. — [6] Ibid., hom. xxii, post med. — [7] Isid., *Etymol.*, lib. VIII, c. ii. — [8] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. I, c. xxix. — [9] Id., *de Trinit.*, lib. VIII, c. iv. — [10] Id., *Solil.*, lib. I, c. vi. — [11] Imo Guillelm. de S. Theodor., *de Nat. et dignit. div. Amoris*, c. v. — [12] Bern., super Psal. *Qui habitat*, serm. x. — [13] Gloss. *in Eccli.*, ii. — [14] Greg., *in Evang.*, hom. xxvi, post med. — [15] Ibid., non multum a princ. — [16] Id., *in Ezech.*, hom. xix, ante med. — [17] Aug., *cont. Julian.*, lib. V, c. iii.— [18] Id., *de verb. Apost.*, serm. i, al ccclxxxiv, n. 3, et *de Temp.*, serm. xviii.

catores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, impios justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat. » Idem[1] : « Ille credit in Christum, qui et sperat in Christum, et diligit Christum. Nam si fidem quis habet sine spe ac sine dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit. » Isidorus, *de Summo Bono*[2] : « Frustra libidinosus sibi de sola fide blanditur, si bonis moribus non ornatur. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum*[3] : « Virtus fidei in periculis secura est, et in securitate periclitatur. » Idem : « Fides nunquam, » etc., infra, lib. IV, *de Religione*[4]. Idem, *super Joannem*[5] : « Magnum bonum fides est, quando a calida fit mente, ab amore multo, et fervente anima. Hæc philosophos nos ostendit, hæc utilitatem humanam conculcat. » Idem : « Sufficit fides in regnum inducere; sed hæc maxime condemnare habet eos, qui vitam malam demonstrant. Qui enim scivit voluntatem Domini sui, et non fecit, plagis verberabitur multis. » Bernardus, in *Epistola*[6] : « Multi ante Salvatoris adventum Deum omnipotentem timentes et diligentes suæ salutis gratissimum promissorem, credentes eumdem in promissione fidelem, sperantes certissimum redemptorem, in hac fide et expectatione salvati sunt, licet quando, et qualiter, et quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent. » Idem, *super Cantica*[7] : « Quid est quod non inveniat fides? Fides enim falsi nescia, attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissimà, transcendit fines rationis humanæ, terminos experientiæ ac usum naturæ, ipsam denique æternitatem, suo illo vastissimo sinu, quodam modo circumcludit. » Idem, in *Sermonibus*[8] : « Necesse est primo credere omnium remissionem peccatorum haberi non posse, nisi per indulgentiam Dei; deinde, quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi etiam de hoc dederit ipse; postremo, quod vitam æternam promereri nullus potest bonis operibus suis, sed quod gratis a Deo detur vita æterna. » Idem[9] : « Est fides alia præceptorum, alia signorum, alia promissorum, qua credimus in Deum, qua credimus Deum, et qua credimus Deo. Per fidem enim præceptorum credimus in Deum. Credere autem in Deum, est in eum sperare, et eum diligere. Per fidem autem signorum credimus Deum, qui talia potest, et omnia potest. Per fidem vero promissorum, credimus Deo, qui quidquid promittit, veraciter complet. »

CAPUT XXIV.

De Spe.

Gregorius, in *Moralibus*[10] : « Spes in æternitatem animum erigit; et idcirco nulla mala, quæ exterius tolerat, sentit. » Idem[11] : « Tanto spes in Deum solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit; quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur. » Augustinus, in *Confessionibus*[12] : « Merito mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos, per eum qui sedet ad dexteram tuam, et te interpellat pro nobis : alioquin desperarem. Multi etiam et magni sunt languores mei; sed amplior est medicina tua. » Idem[13] : « Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam : quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum invenire indulgentiæ. » Idem, *de Gratia Novi Testamenti*[14] : « Non jam desperandum est, participatione Verbi fieri posse homines filios

[1] Aug., *de verb. Dom.*, serm. LXI. — [2] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. II, sent. 8. — [3] Chrysost., *in Matth.* Op. imperf., hom. XXXVI. — [4] Vid. inf., lib. III, c. XIX. — [5] Chrysost., *in Joan.*, hom. LXII, al. LXIII, n. 3. — [6] Bern., ad Hug. de S. Vict., epist. LXXVII, post med. — [7] Idem, *super Cant.*, serm. XXVIII, post med., et serm. LXXVI, ante med. — [8] Id., *in Annunt. Dom.*, serm. — [9] Id., *Serm. parv.*, serm. 1. — [10] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XV, post med. — [11] Ibid., lib. XX, c. XII, citra med. — [12] Aug., *Confess.*, lib. X, c. XLIII. — [13] Ibid., lib. IX, c, XIII. — [14] Id., *ad Honor.*, *de grat. Nov. Test.*, epist. CXX.

Dei, quando filius Dei participatione carnis, factus est filius hominis. » Isidorus, in *Etymologiis*[1] : «Spes vocata est, quod sit spes (*a*) progrediendi quasi pes. » Ambrosius : « Nemo diffidat, » etc., supra, *de Satisfactione*[2]. Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus* : « Spes est in qua salus nostra consistit, et quæ de terris animas, velut quibusdam catenis cælitus dependentibus, innexas evehit ad superna. » Bernardus, in *Sermonibus*[3] : « Spes triplex est; nam de fide præceptorum oritur spes veniæ; de fide signorum, spes gratiæ; et de fide promissorum, spes gloriæ. » Idem[4] : « Tria considero, in quibus tota spes mea consistit : charitatem adoptionis, veritatem promissionis, et potestatem redditionis. » Multa infra, lib. IV, *de Confidentia*[5].

CAPUT XXV.

De Charitate.

Gregorius, in *Registro*[6] : « Credat mihi charitas tua, quia valde contristatus sum de tristitia tua, ac si in te injuriam ipse pertulissem. Dominicis enim mandatis præcipimur, proximos sicut nosmetipsos diligere, eorumque languoribus, tanquam propriis infirmitatibus, condolere. » Idem[7] : « O quam bona est charitas, quæ absentia per imaginem, præsentia sibimetipsis exhibet per amorem, divisa unit, confusa ordinat, inæqualia sociat, et imperfecta consummat! » Idem[8] : « Magistra bonorum omnium charitas, nihil sapit extraneum, nihil asperum, nihil confusum : ita exercet corda, et corroborat, ut nihil grave, nihil difficile, sed fiat totum dulce quod agitur. » Idem[9] : « Dum nos vobis per orationis opem conjungimus, quasi ambulantes per lubricum, vicissim manum nobis tenemus : fitque ex magna provisione charitatis, ut eo singulorum robustius charitas perfigatur (*b*), quo et alter altero magis (*c*) innititur. » Idem : « Si me participem, » etc., infra, libro IV, *de Communitate*[10]. Idem[11] : « Dum unum in redemptoris nostri corpore membrum sumus, sicut in culpa tua dilaceror, ita quoque in bona actione lætificor. » Idem[12] : « Inimici dilectio tunc veraciter custoditur, cum nec de ejus profectu dejicimur, nec de ruina illius lætamur. » Idem[13] : « Charitatem recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat : quia virtutes quidem cæteræ perfectionem generant, sed tamen eas charitas ita ligat, ut ab amantis mente dissolvi jam nequeant. » Idem[14] : « Charitatis cum sit proprium nutrire concordiam, servare composita, dissociata conjungere, prava corrigere, et virtutes cæteras perfectionis suæ munimine solidare, quisquis in ejus radice se inseruerit, nec a viriditate deficit, nec a fructu inanescit. » Idem[15] : « Nec abesse credendus est, qui per dilectionis vinculum animis inhæret. » Idem, in *Moralibus*[16] : « Virtuti mortis dilectio comparatur, quia nimirum mentem, quam semel ceperit, a dilectione mundi funditus occidit. » Idem[17] : « Quod valde mens amat, etiam in sermone replicat. » Idem[18] : « Probatio sanctitatis non est signa facere, sed unumquemque ut se diligere, de Deo autem vera cognoscere, de proximo vero meliora quam de semetipso sentire. » Idem[19] : « Per amorem Dei amor proximi gignitur, et per amorem proximi amor Dei nutritur. » Idem, in *Pastorali*[20] : « Nostra sunt etiam illa bona, quæ imitari non possumus, sed

[1] Isid., *Etymol.*, lib. VIII, c. II. — [2] Sup., c. XX, p. 88. — [3] Bern., *Serm. parv.*, serm. 1. — [4] Id., *de dilig. Deo*, c. XIV. — [5] Vid. inf., lib. IV, c. XLIII. — [6] Greg., *ad Euseb.*, lib. II, epist. XXIV, col. 1085. — [7] Ibid., *ad Virg. Arelat.*, lib. IV, epist. L, col. 1203. — [8] Ibid., *ad Syagr.*, lib. VII, epist. CXIII, col. 1376. — [9] Ibid., *ad Joan. Constantinop.*, lib. I, epist. XXIV, col. 1045. — [10] Inf., lib. IV, c. XXI. — [11] Greg., *ad Januar. Calarit.*, lib. VII, p. II, epist. II, col. 1311. — [12] Id., *Moral.*, lib. XXII, c. VI, fere in princ. — [13] Id., *ad Virg. Aret.*, lib. IV, epist. L, col. 1203. — [14] Id., *ad Syagr.*, lib. VII, epist. CXIII, col. 1376. — [15] Id., *ad Areg. Vapinc.*, lib. IX, epist. LXII, col. 1476. — [16] Id., *Moral.*, lib. XX, c. XII, circa fin. — [17] Ibid., lib. XXXI, non longe a princ. — [18] Ibid., c. IX, circa fin. — [19] Ibid., lib. VII, c. X, non longe a princ. — [20] Id., *Pastor.*, p. III, c. I, admon. 11.

(*a*) *Al.* pes. — (*b*) *Labb.* robustius pes figatur. — (*c*) *Id.*, in alterum alter.

in aliis amamus, et amantium fiunt quæcumque amantur in nobis. Hinc ergo pensent invidi, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni laboris opera, nostra sine labore facit. » Idem, in *Homiliis*[1] : « Vis amoris hoc agere in animo solet, ut quem ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare. » Idem[2] : « Minus proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius etiam ea, quæ sibi sunt necessaria, partitur. » Idem : « Ille vere Deum, » etc., supra, capitulo *de Consensu*[3]. Idem[4] : « Si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet, sed habere se simulat, sive putat. Charitas autem vera est, cum et in Deo diligitur amicus, et propter Deum diligitur inimicus. » Idem, de dilectione Conditoris[5] : « Lingua, mens, et vita requirantur. » Idem[6] : « Nunquam est Dei amor otiosus : operatur etenim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est. » Idem[7] : « Si quod impendi nobis recte volumus, hoc aliis impartimur, et quod nobis fieri nolumus, hoc aliis facere devitamus, tunc charitatis jura illæsa servamus. » Idem, *super Ezechielem*[8] : « Tantum quisque portat proximum, quantum amat. Si enim amas, portas; si desistis amare, desistis tolerare. » Idem, *super Cantica*[9] : « Charitas sancta cor pacificat, mentem in tentationibus roborat; et ut sedes sapientiæ sit anima justi, quietem tribuit, et locum præparat. » Ambrosius, *de Officiis*[10] : « Non minus vos diligo, quos in Evangelio genui, quam si conjugio suscepissem. Non enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia. » Idem[11] : « Plus certe diligere debemus, quos perpetuo nobiscum putamus futuros, quam quos tantum in hoc sæculo. » Isidorus, *de Summo Bono*[12] : « Quamvis nonnulli fide atque operibus sanctitatis videantur esse participes, tamen quia privantur charitate fraternæ dilectionis, nullum habent incrementum virtutis. » Hieronymus, in *Epistola*[13] : « Nihil amantibus durum, nullus difficilis labor in amore. Amemus et nos Christum, et facile videbitur omne difficile. » Idem, *in Sermonibus :* « Hoc habet proprium impatiens amor, ut quem desiderat, semper invenire se credat : ignorat siquidem judicium, ratione multoties caret, nescit modum, nec aliud cogitare potest, quam quod diligit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, neque ex difficultate remedium. » Augustinus, *de Doctrina Christiana*[14] : « Quatuor sunt diligenda : unum, quod supra nos est; alterum, quod nos sumus; tertium, quod juxta nos est; quartum, quod infra nos est. » Idem[15] : « Ille juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator est. Ipse autem est, qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum; aut amplius diligat quod minus est diligendum; aut æque diligat quod minus vel amplius diligendum est; aut minus vel amplius, quod æque diligendum est. » Idem[16] : « Omnis peccator in quantum peccator est, non est diligendus; et omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum; Deus autem propter seipsum. Et si Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque Deum debet diligere, quam seipsum. » Idem[17] : « Omnes æque diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur. » Idem, *de Catechizandis rudibus*[18] : « Diligamus Deum, quoniam prior dilexit nos, et filio suo unico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradi-

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXV, ante med. — [2] Ibid., hom. XX, circa med. — [3] Vid. sup., c. IV, p. 67. — [4] Ibid., hom. XXXVIII, circa med. — [5] Ibid., hom. XXX, non longe a princ. — [6] Ibid. — [7] Ibid., hom. XXXVIII, circa med. — [8] Id., *in Ezech.*, hom. XXXV, ante med. — [9] Id., *Expos. in Cant.*, I, aliquantulum a princ. — [10] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. VII. — [11] Ibid., consequenter. — [12] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. III, sent. 1. — [13] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, versus fin. — [14] Aug., *de Doct. Christ.*, lib I, c. XXIII. — [15] Ibid., c. XXVII. — [16] Ibid., conseq. — [17] Ibid., c. XXVIII. — [18] Id., *de Catech. Rudib.*, c. IV.

dit eum. Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat : nulla enim est major ad amorem invitatio, quam prævenire amando; et nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, noluit rependere. » Idem [1] : « Maxime propterea Christus advenit, ut cognosceret homo quantum Deus diligat eum; et ideo cognosceret, ut ejus dilectione, a quo prior dilectus est, inardesceret. » Idem, *de Perfectione justitiæ* [2] : « Perfecta charitas foras mittit timorem, et facit præcepti sarcinam levem, non solum non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum. » Idem, *de Viduitatis bono* [3] : « Nullo modo sunt onerosi labores amantium; sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, et piscantium. » Idem [4] « In eo, quod amatur, aut non laboratur, aut etiam labor amatur. » Idem, *de Trinitate* [5] : « Qui amat homines, aut quia justi sunt, aut ut justi sint, amare debet. Sic enim seipsum amare debet, aut quia justus est, aut ut justus sit : sic enim diligit proximum tanquam seipsum sine ullo periculo. » Idem [6] : « Nemo aliquid volens facit, quod non in corde suo prius dixerit. Quod verbum amore concipitur, sive creaturæ, sive Creatoris. » Idem, *de Moribus Ecclesiæ* [7] : « Nihil est tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur : quo cum se anima rapit in Deum, super omnem carnis naturam, libera et admiranda volitabit pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innititur. » Idem [8] : « Solus se novit diligere, qui Deum diligit. » Idem [9] : « Qui diligit proximum, agit quantum potest, ut salvus corpore, salvusque animo sit; sed cura corporis ad salutem animi referenda est. » Idem, *de Spiritu et Littera* [10] : « Sciri aliquid et credi, et tamen non diligi potest : diligi autem quod neque scitur, neque creditur, non potest. » Idem, *de Civitate Dei* [11] : « Perfectum odium debet malis, qui secundum Deum vivit : sic, ut nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitium propter hominem; sed oderit vitium, amet hominem. » Idem [12] : « Mihi videtur, quod definitio brevis et vera virtutis, est ordo amoris. » Idem, *de Conjugiis adulterinis* [13] : « Multa sunt facienda non jubente lege, sed libera voluntate : et ea sunt in nostris officiis gratiora, quæ cum liceret nobis etiam non impendere, causa tamen dilectionis impendimus. » Idem, de Soliloquiis [14] : «Impatiens animus, nec lachrymis modus fit, nisi amori detur quod amatur. » Idem, *de Verbis Apostoli* [15] : «Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris portatio. » Idem, *super primam Canonicam Joannis* [16] : « Talis est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis? terra es. Deum diligis? quid dicam? Deus es. *Ego*, inquit [17], *dixi : Dii estis.* Idem [18] : « Charitas ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectum venerit, quid dicit [19]? *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* » Idem [20] : «Dilige, et quod vis fac. Sive taceas, dilectione tace; sive clames, dilectione clama : sive emendes, dilectione emenda; sive parcas, dilectione parce. » Idem, in *Epistola* [21] : « Diligentia charitatis, freneticum castigare, lethargicum stimulare, ambos amare : ambo offenduntur, sed ambo diliguntur : ambo molestari, quandiu ægri sunt, indignantur; sed ambo sanati, gratulantur. » Idem [22] : « *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hic Physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ

[1] Aug., *de Catech. Rudib.*, c. IV, paulo post. — [2] Id, *de Perf. justit.* — [3] Id., *de Bon. Viduit.*, c. XXI. — [4] Ibid, conseq. — [5] Id., *de Trinit.*, lib. VIII, c. VI. — [6] Ibid., lib. IX, c. VII. — [7] Id., *de Morib. Eccles.*, c. XXII. — [8] Ibid., c. XXVI. — [9] Ibid., c. XVIII. — [10] Id., *de Spir., et Litt.*, c. XXXVI. — [11] Id., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. VI. — [12] Ibid., lib. XV, c. XXII. — [13] Id., *de Conjug. Adulter.*, lib. I, c. XIV. — [14] Aug., *Soliloq.*, lib. I, c. I. — [15] Id., *de verb. Apost.*, serm. XIII. — [16] Id., in I *Joan.*, tract. II, n. 14. — [17] *Psal.* LXXXI, 6. — [18] Aug., lib. cit., tract V, n. 4. — [19] *Philip.*, I. 21. — [20] Aug., ibid., tract. VII, n. 8. — [21] Id., *ad Fest.*, epist. CLXVII, al. LXXXIX, n. 6. — [22] Id., *ad Volusian.*, epist. III, al CXXXVII, n. 17.

in Deo creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus, et proximus. Hic Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis non nisi Deus est. » Idem [1] : « In hac dilectione virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est : nullis inde averti molestiis, fortitudo est ; nullis illecebris, temperantia est ; nulla superbia, justitia est. Quid autem eligamus, quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si aliquid diligendo vel præponimus, vel æquamus, nosipsos diligere nescimus. » Idem [2] : « Tanto nobis melius est, quanto nos magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando : quem tanto habebimus præsentiorem, quanto eumdem amorem, quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem. » Idem [3] : « Non faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores. » Idem [4] : « Debet homo proximum diligere tanquam seipsum, ut quem poterit hominem, vel beneficentiæ consolatione, vel doctrinæ informatione, vel disciplinæ coercitione, secum ducat ad colendum Deum. » Idem, in libris *Confessionum* [5] : « Minus, Domine, te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, et nunquam extingueris ! Charitas, Deus meus, accende me. Continentiam jubes ; da quod jubes, et jube, quod vis. » Idem [6] : « Domine, amore tuo percussisti cor meum, et amavi te : sed et cœlum, et terra, et omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut amem te; nec cessant dicere omnibus, ut inexcusabiles sint. » Idem [7] : Pondus non ad ima tantum est, sed ad locum suum. Ignis enim sursum tendit, deorsum lapis. » Et infra [8] : « Minus ordinata, inquieta sunt ; ordinantur, et quiescunt. Pondus meum amor meus : eo feror, quocumque feror. Dono tuo accendimur, et sursum ferimur : inardescimus, et imus; ascendimus ascensiones in corde, et cantamus canticum graduum. » Idem [9] : « Deus meus, quid amo, cum te amo ? Non speciem corporis, non decus temporis, nec candorem lucis, non dulces melodias cantilenarum omnimodarum, non florum, et unguentorum, et aromatum suavem olentiam, non manna, et mella, non membra carnis amplexibus acceptabilia : non hæc amo, cum amo Deum meum. Et tamen amo quamdam lucem, et quamdam vocem, et quemdam odorem, quemdam cibum, et quemdam amplexum, cum amo Deum meum lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, ubi fulget animæ meæ, quod non rapit tempus ; et ubi olet, quod non spargit flatus; et ubi sapit, quod non minuit edacitas; et ubi hæret, quod non divellit satietas. » Idem, *de Laude charitatis* [10] : « Divinarum scripturarum multiplicem abundantiam, latissimamque doctrinam sine ullo errore comprehendit, et sine ullo labore custodit, cujus cor plenum est charitate, dicente Apostolo [11] : *Plenitudo legis est charitas.* Idem [12] : « Ille tenet, et quod patet, et quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. » Idem [13] : « Fratres, sectamini charitatem, dulce et salubre vinculum mentium, sine qua dives pauper est, et cum qua pauper dives est. » Idem [14] : « Charitas in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris; in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima; inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. » Idem [15] : « Charitas casta fuit in Susanna erga virum; in Anna, post virum; in Maria, præter virum ; libera in Paulo ad arguendum; humilis in Petro ad obediendum;

[1] Aug., *ad Mac.*, epist. LVI, al. CLV, n. 13. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid., n. 15. — [5] Id., *Conf.*, lib. X, c. XXIX. — [6] Ibid., c. VI. — [7] Ibid., lib. XIII, c. IX. — [8] Ibid. — [9] Ibid., lib. X, c. VI. — [10] Aug., tract. *de Laud. Charit.* — [11] *Rom.*, XIII, 10. — [12] Aug., loc. cit. — [13] Ibid. — [14] Ibid. — [15] Ibid.

humana in Christianis ad confitendum; divina in Christo ad ignoscendum. » Idem [1] : « Charitas inter opprobria secura est; inter odia, benefica ; inter iras, placida; inter insidias, innocens; in iniquitate, gemens; in veritate, respirans; in virtute, congratulans. » Idem, in *Meditationibus* [2] : « Non melius, nec decentius, quam per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est. » Auctor *de Spiritu et Anima* [3] : « Miser ego, quantum deberem diligere Deum meum, qui me fecit cum non eram, redemit cum perieram! Non eram, et de nihilo me fecit, non lapidem, non arborem, non avem, aut aliquod de animalibus, sed voluit me esse hominem : dedit mihi vivere, sentire, discernere, et intelligere. Perieram, et ad mortalem descendit, mortalitatem suscepit, mortem sustinuit, mortem vicit, et sic me restauravit. » Idem [4] : « Multa sunt in me, de quibus coram Deo erubesco, et pro quibus valde illi displicere timeo : nec pro omnibus his, quod illi impendam habeo, nisi tantum ut diligam. Non enim melius, » etc., ut supra. Idem [5] : « Amat Deus, ut ametur; et cum amat, nihil aliud vult quam amari. Sciens ipso amore beatos, qui se amaverint, per amorem venit ad homines, venit in homines, factus est homo, et [6] *deliciæ illius esse cum filiis hominum.* Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [7] : « Omnis species justitiæ in malis invenitur; sed sola gratia veræ charitatis non invenitur, nisi in servis Dei. » Idem, *de Compunctione cordis* [8] : « Hic amantium mos est, ut amorem suum silentio tegere nequeant; sed necessariis suis et caris efferunt, et produnt, et flammas amoris intra pectus cohibere non possunt. » Idem, *super Joannem :* « Etsi fratres insanabiliter ægrotaverint, maneamus curantes, et portemus ad invicem onera : ita enim implebimus legem Christi, et promissis potiemur bonis. » Idem : « Vitam nihil ita facit claram, ut amor. » Bernardus [9], *de Amore Dei*, loquens de verbo illo *Lucæ* [10] : *Diliges Dominum*, etc.: « Quatuor in Deum a nobis et toti exiguntur affectus. In eo quod dicit : *Ex toto corde tuo*, totam sibi vendicat voluntatem; *in tota anima*, totum amorem; *in omnibus viribus*, virtutem designat charitatis; *in tota mente*, fruitionem sapientiæ. Primum autem horum, scilicet voluntas, ad Deum animam movet, amor promovet, charitas contemplatur, sapientia fruitur. » Idem [11] : « Nihil aliud est amor, quam vehemens et bene ordinata voluntas. » Idem [12] : « Te, Domine, velle, et vehementer velle, quod est te amare, et singulariter amare : quia amari non dignaris cum aliqua alia re, sive carnali, sive spirituali, sive terrestri, sive cœlesti, quæ non ametur pro te. Hoc demum est non velle nisi bonum, hoc est habere quæcumque vult omnia; quia habet te quis, in quantum amat te. » Idem, *de Diligendo Deo* [13] : « Causa diligendi Deum Deus est, modus est sine modo diligere. » Idem [14] : « Vide quo modo, imo quam sine modo a nobis Deus amari meruit : qui prior ipse dilexit nos, tantus, et tantum et gratis, tantillos et tales. » Idem [15] : « Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu sit diligendus. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est, [16] *quippe non quærit quæ sua sunt :* affectus est, non contractus. » Idem [17] : « Quidquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis pertendit, non per quod tendit. » Idem, *super Cantica* [18] : « Quantitas uniuscujusque animæ æstimatur ex mensura charitatis, quam habet : ut, verbi gratia, quæ multum charitatis habet magna sit; quæ pa-

[1] Aug., loc. cit. — [2] Id., *Medit.*, *de dilig. Deo*, c. VI; *de Spir. et Anim.*, c. XVII, inter Op. S. Aug. — [3] *De Spir. et Anim.*, loc. cit. — [4] Ibid., post med. — [5] Ibid., c. XXXVI. — [6] *Prov.*, VIII, 31. — [7] Chrysost., *in Matth.* Op. imp., hom. V. — [8] Id., *de Comp. Cord.*, lib. I, c. V. — [9] Imo Guillelm. S. Theod., *de Nat. et dignit. div. Amor.*, c. I, in princ. — [10] *Luc.*, X, 27. — [11] *De Nat. et dign.*, etc., c. VII. — [12] Ibid. — [13] Bern., *de dilig. Deo*, in princ. — [14] Ibid., ante med. — [15] Ibid. — [16] I *Cor.*, XIII, 5. — [17] Bern., *de dilig. Deo.* — [18] Id., *super Cant.*, serm. XXVII, post med.

rum, parva; quæ vero nihil, nihil, dicente Apostolo [1]: *Si charitatem non habuero, nihil sum.* » Idem [2]: « Nec ignoro, quia [3] *honor regis judicium diligit;* sed præceps amor nec judicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subjicitur. Rogo, supplico, flagito [4], *osculetur me osculo oris sui.* » Idem [5]: « Ubi amor est, labor non est, sed sapor. » Idem [6]. « Non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. » Idem [7]: « Valde mihi amandus est, per quem sum, vivo, et sapio, si ingratus non sum et indignus. Dignus plane est morte, qui tibi, Domine, recusat vivere, et mortuus est; et qui tibi non sapit, desipit: et qui curat esse, nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. » Idem [8]: *Spiritus est Deus* [9], et concupiscit decorem animæ illius, quam forte adverterit in spiritu ambulantem, et curam carnis non perficientem in desiderio, præsertim cum sui amore flagrantem conspexerit. » Idem [10]: « Fateor, non sustinui pondus diei et æstus; sed jugum suave, et onus leve pro beneplacito patrisfamilias porto. Opus meum vix unius horæ; et si plus, præ amore non sentio. » Idem, *de duodecim Gradibus* [11]: « Vere dulcis, et suavis cibus charitas, quæ fessos allevat, debiles roborat, mœstos lætificat, denique [12] *jugum veritatis facit suave, et onus leve.* » Idem, *de Præcepto et Dispensatione* [13]: « Fons vitæ charitas est; nec vivere animam dixerim, quæ de illo non hauserit. Haurire porro quo modo potest, nisi fuerit præsens ipsi fonti, qui charitas est, quæ Deus est? Præsens ergo Deo est, qui amat Deum, in quantum amat. » Idem, [14] in *Epistola*: « Bona mater charitas, quæ sive foveat infirmos, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos. » Idem [15]: « Servite in charitate illa, quæ timorem expellit, labores non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit, et tamen plus omnibus urget. » Idem, in *Apologia* [16]: « O quanta fiducia charitatis! Alius operatur, non amans; et alius amat, nihil operans: ille quidem opus suum perdit; istius vero charitas nunquam excidit. » Interlinearis [17]: « Omnia facilia amanti. » Interlinearis [18]: Nullum permittit Deus cadere, qui ei servit vero amore. »

CAPUT XXVI.

De quatuor Cardinalibus Virtutibus.

Gregorius, in *Moralibus* [19]: « Prudentia, temperantia, fortitudo, atque justitia, tanto perfectæ sunt singulæ, quanto vicissim sibimet junctæ. » Idem, *super Ezechielem* [20]: « Unusquisque tantum prudens est, quantum temperans, fortis et justus; tantum temperans, quantum prudens, fortis et justus; tantum fortis, quantum prudens, temperans et justus; tantum justus, quantum prudens, temperans et fortis. » Augustinus: « In hac dilectione, » etc., supra, *de Charitate* [21]. Idem, *de Trinitate* [22]: « Illud, quod agit justitia in subveniendo miseris, quod prudentia in præcavendis insidiis, quod fortitudo in perferendis molestiis, quod temperantia in coercendis delectationibus pravis, non ibi erit, ubi nihil omnino mali erit. » Idem, *de Moribus Ecclesiæ* [23]: « Illas quatuor virtutes, quarum utinam ita in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam diffinire non dubitem, ut temperantia sit amor integrum se præbens ei quod amatur; fortitudo, amor facile tolerans omnia propter id quod amatur; justitia, amor soli amato serviens, et

[1] I *Cor.*, XIII, 2. — [2] Bern., *super Cant.*, serm. IX, non longe a princ. — [3] *Psal.* XCVIII, 4. — [4] *Cant.*, I, 1. — [5] Bern., *super Cant.*, serm. LXXXV, post med. — [6] Ibid., serm. XX, paulo post med. — [7] Ibid., in princ. — [8] Ibid., serm. XXXI, post med. — [9] *Joan.*, IV, 24. — [10] Bern., *super Cant.*, serm. XIV, post med. — [11] Id., *de duod. grad. Humilit.* — [12] *Matth.*, XI, 39. — [13] Bern., *de Præc. et Disp.*, versus fin. — [14] Id., *ad Fulc*, epist. II, non longe a princ. — [15] Id., *ad Claræv.*, epist. CXLIII, in fin. — [16] Id., *Apol. ad Guil.*, ante med. — [17] Gloss interl. in *Isa.*, XL. — [18] In *Apoc.*, VI. — [19] Greg, *Moral.*, lib. XXII, c. I. — [20] Id., *in Ezech.*, hom. XXII, post med. — [21] Vid. cap. præc., p. 95. — [22] Aug., *de Trinit.*, lib. XIV, c. IX. — [23] Id, *de Mor. Eccl.*, c. XV.

propterea recte dominans; prudentia, amor ea quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. » Idem (*a*) : « [1] Mihi videtur, quod definitio brevis, et vera virtutis, est ordo amoris. » Isidorus, in *Etymologiis*: « Prudentia est in rebus, qua a bonis mala discernuntur; fortitudo est, qua adversa æquanimiter tolerantur; temperantia est, qua libido concupiscentiaque rerum refrænatur; justitia, qua recte judicando, sua cuique distribuuntur. » Hieronymus, in *Epistola* [2] : « Vis scire quales quærat Dominus ornatus? habeto justitiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem : nihil hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius. » Idem, in originali *super Naum* [3] : « Quo modo quatuor, quibus pugnamus, et tegimur, sunt scuta virtutum, prudentia, justitia, temperantia, fortitudo; ita e contrario quatuor vitia sunt, stultitia, iniquitas, luxuria, formido, quibus ab hoste percutimur. » Bernardus, *de Consideratione* [4] : « Justitia quærit, prudentia invenit, fortitudo vindicat, temperantia possidet. »

CAPUT XXVII.

De Prudentia.

Gregorius, in *Moralibus* [5] : « Cum rectitudo sanctos viros ad libertatem vocis erigit, consideratio infirmitatis propriæ in humilitate custodit. » Idem, in *Homiliis* [6] : « Cogitate quid facitis, recogitate quid fecistis : largitatem supernæ pietatis aspicite, et ad misericordiæ judicem, dum adhuc expectat, cum lacrymis venite. » Idem, in *Registro* [7] : « Summis in rebus, citum non oportet esse consilium. » Idem [8] : « Via est vita præsens; et tanto quisque necesse est, ut insidiantes spiritus caveat, quanto majora sunt dona, quæ portat. » Idem, *super Ezechielem* [9] : « Restat ut, sive in verbi ministerio fatigemur, seu indigentibus nostra largiamur, seu per abstinentiam carnem domemus, seu zelo moveamur, seu per patientiam aliquando leviter gravia toleremus, ut summopere debeamus in intentione nostra discutere, quatenus omne, quod facimus, non nostro, sed Domini zelo faciamus. » Augustinus, *de Soliloquiis* [10] : « Cavendum est magnopere, dum hoc corpus agimus, ne quo sensibilium visco pennæ nostræ impediantur, quibus integris perfectisque opus est, ut ad illam lucem ab his tenebris evolemus. » Idem, *de Singularitate clericorum* [11] : « Utilius est, ut infirmum se (*b*) homo cognoscat, et fortis existat, quam fortis videri velit, et infirmus emergat. » Isidorus, *de Etymologiis* [12] : « Prudens dicitur, quasi *porro videns* : perspicax est enim et incertorum prævidet casus. » Idem, in *Synonymis* [13] : « Quidquid boni cum discretione feceris, virtus est; quidquid sine discretione gesseris, vitium est. Virtus enim indiscreta pro vitio deputatur. » Idem : « Nihil juvat, » etc., infra, lib. IV, *de Exercitio* [14]. Hieronymus : « Prudentia absque bonitate, » etc., infra, lib. III, *de Malitia* [15]. Ambrosius, *de Officiis* [16] : « Sapiens, ut loquatur, multa prius considerat, quid dicat, et cui dicat, quo in loco, et tempore. » Bernardus, *de Consideratione* [17] : « Quantum ad considerationis attinet fructum, quatuor tibi consideranda reor : te; quæ sub te : quæ circa te; quæ supra te sunt. A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto. » Idem [18] : « Tui consideratio in tria quidem dividitur, si consideras quid, quis, aut qualis sis : quid in natura; quis in persona; qualis in moribus. » Idem [19] : « Consideratio mentem puri-

[1] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XV, c. XXII. — [2] Hieron., *ad Nepot.*, epist. II, post med. — [3] Id., *in Nah.*, III. — [4] Bern., *de Consid.*, lib. I, post med. — [5] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. XV. — [6] Id., *in Evang.*, hom. XXXIV, prope fin. — [7] Id., *ad Neapol.*, lib. II, ind. 10, epist. VI, col. 1079. — [8] Ibid., *ad Reccared.*, lib. VII, ind. 2, epist. CXXVII, col. 1389. — [9] Id., *in Ezech.*, hom. XII, post med. — [10] Aug., *Solil.*, lib. I, c. XIV. — [11] Est apud Cyprian., edit. Pamel. — [12] Isid., *Etymol*, lib. X, verbo *Prudens*. — [13] Id., *Synon.*, c. XVI, ante med. — [14] Vid. inf., lib. IV, c. IV. — [15] Vid. inf., lib. III, c. XXIII. — [16] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. X. — [17] Bern., *de Consid.*, lib. II, ante med. — [18] Ibid., post pauca — [19] Ibid., lib. II, paulo post med.

(*a*) *Cæl. edit.* Unde. — (*b*) si.

ficat, regit deinde affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat. » Idem [1] : « Consideratio confusa determinat, hiantia comprimit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera investigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Hæc est, quæ agenda præordinat, recogitat acta, ut nihil in mente resideat incorrectum. » Idem, *super Cantica* [2] : « Discretio est non tam virtus, quam quædam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrixque affectuum et morum doctrix : tolle hanc, et virtus vitium erit. » Idem [3] : « Anima quæ amat, vigilat et observat; et beata [4], *quam Dominus invenerit vigilantem.* Non transibit eam, nec præteribit ab ea; sed stabit, et loquetur ei, loqueturque amatoria, loquetur siquidem ut dilectus. » Idem, *de duodecim Gradibus* [5] : « Inquirimus veritatem in nobisipsis, in proximis, in sui natura : in nobis, nosmetipsos dijudicando; in proximis, eorum malis compatiendo; in sui natura, mundo corde contemplando. » Idem, in *Sermonibus* [6] : « Sedens computa quid diebus singulis acquirere valeas, certus equidem apud Deum nullum esse bonum omnino irremuneratum, nec aliquod malum impunitum; et sicut non capillum de capite, sic nec momentum de tempore periturum. » Tullius, in *Rhetoricis* [7] : « Prudentia est rerum bonarum, et malarum, et utrarumque scientia. Partes ejus memoria, intelligentia, providentia. Memoria est per quam animus repetit illa, quæ fuerunt; intelligentia, per quam ea perspicit quæ sunt; providentia, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit. »

CAPUT XXVIII.

De Memoria.

Gregorius, in *Homiliis* [8] : « Cum bona, fratres, agitis, semper ad memoriam mala acta revocate, ut dum caute culpa conspicitur, nunquam de bono opere incaute animus lætetur. » Idem. in Registro : « Cogitationum illecebras, linguæ incontinentiam, delictorum opera ad memoriam revocemus; et dum licet, et tempus habemus, magno planctu iniquitatum nostrarum maculas deleamus. » Idem, *super Ezechielem* [9] : « Cum mala committimus, frustra tunc ad memoriam bona nostra transacta revocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum. » Idem [10]: « Tunc nobis misericordiæ Dei miræ fiunt, cum nobis ad memoriam miseriæ nostræ revocantur. » Idem, in *Moralibus* [11] : « Patienter illatam injuriam tolerat, qui pie meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. » Idem [12] : « Cum voluptas lubrica tentat in prosperis, hæc ipsa sunt prospera aculeo tentationis opponenda, ut eo erubescamus prava committere, quo nos a Deo meminimus gratuita bona percepisse. » Idem : « Quisquis a præceptis, » etc., infra, lib. III, *de Remorsu conscientiæ* [13]. Idem [14], super illud *Job* [15] : *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* « Ac si justificato peccatori aperte veritas dicat : Virtutes a me acceptas tibi non tribuas. Noli contra me de meo munere extolli. Recole ubi te inveni, quando meo te timore solidavi. Ut ergo ego in te non destruam quod construxi, ipse non cesses considerare quod in te reperi. » Isidorus, *de Summo Bono* [16] : « Quisquis peccatorum memoria compungitur ad lamenta, tunc Dei se visitari sciat præsentia, quando ex eo quod se admisisse recolit, interius erubescit, suoque judicio pœnitendo jam punit. » Augustinus, *de Trinitate* [17] : « Mihi utile est, ut meminerim virium mearum, fratresque meos admoneam

[1] Bern., *de Consid.*, lib. II, conseq. — [2] Id., *sup. Cant.*, serm. XLIX, circa med. — [3] Ibid., serm. LVII, statim a princ. — [4] *Matth.*, XXIV, 46. — [5] Bern., *de duod. grad.* — [6] Id., super *Ecce nos reliquimus*, post med. — [7] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [8] Greg., *in Evang.*, hom. VII, post med. — [9] Id., *in Ezech.*, hom. XI, post med. — [10] Ibid., hom. XVIII, post med. — [11] Id., *Moral.*, lib. V, c. XXXI. — [12] Ibid., lib. XXX, c. IX, circa med. — [13] Inf., lib. III, c. II. — [14] Greg., *Moral.*, lib. XXX, c. VI, circa med. — [15] *Job*, XXXVIII, 7. — [16] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XII, sent. 5. — [17] Aug., *de Trin.*, lib. III, c. XX.

ut meminerint suarum, ne ultra quam tutum est, progrediatur humana infirmitas. » Ambrosius, in *Apologia* : « Sapiens si epuletur, si cogitet, si oret ac deprecetur, ante oculos ejus semper error est propius, et momentis omnibus pulsat culpa conscientiam, nec quiescere, nec oblivisci sinit. » Hieronymus : « Nec David, » etc., infra, lib. III, *de Familiaritate*[1]. Joannes Chrysostomus : « Quando accubueris, » etc., lib. IV, *de Discussione*[2]. Idem, *super Epistolam ad Hebræos* : « Nullum invenitur delictorum tale remedium, sicut eorum continuata memoria. » Bernardus, *de Consideratione*[3] : « Inter alia consideranda, qualis sis, et qualis fueris, ad memoriam revocandum est : conferenda sunt enim posteriora prioribus, et priora sequentibus, utrumne profeceris in virtute, in sapientia, in intellectu, in suavitate morum, aut ab his forte, quod absit, defeceris. » Idem : « Tertia contemplatio, » etc., infra, lib. IV, *de Contemplatione*[4]. Idem, in *Epistola*[5] : « Iturus ad somnum, semper aliquid tecum defer in memoria, vel cogitatione, in quo placide obdormias, quod nonnunquam etiam somniare juvet. » Idem, *super Cantica*[6] : « Is qui Christo passo pie compatitur, compungitur et movetur facile ad memoriam eorum quæ pertulit, atque istius suavitate devotionis pascitur et confortatur ad quæque salubria, honesta, pia. » Seneca, in *Epistola*[7] : « Aliquis vir bonus eligendus est, atque semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante, vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus. O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet ! »

CAPUT XXIX.

De Intelligentia.

Gregorius, in *Moralibus*[8] : « Ne contra auctorem suum homo superbiat, consideret unde huc venit, et intelligat quid sit. » Idem[9] : « Dum pensamus quales erga aliquos fuimus, esse circa nos tales alios minus dolemus, quia aliena injustitia in nobis vindicat, quod in se juste conscientia nostra accusat. » Idem[10] : « Qui plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere, qualis non est, ut ex bonorum forma metiatur quantum ipse deserto bono deformis est. » Idem[11] : « Tunc vere cognoscimus bona nostra unde sint, quando, hæc quasi amittendo, sentimus quia a nobis servari non possunt. » Idem[12] : « Sancti omnes, quando in Dei visione proficiunt, quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur, quod Abraham cinerem et pulverem se esse professus est, nisi cum habere meruerit Dei colloquium. » Idem[13] : « Sancti viri ingenii virtutem ad cognoscendam infirmitatem propriam dirigunt, atque ex infirmitatis suæ melius cognitione convalescunt. » Idem[14] : « Nunquam Deus mentem deserit, quæ in peccatis se veraciter agnoscit. » Idem : « Sancti viri minime, » etc., infra, *de Exercitio*, lib. IV[15]. Idem[16] : « Nemo fortitudinem suam, nisi cum rectus esse cœperit, deprehendit. Nam qui omnino perversus est, neque hoc potest videre, quod est. » Idem[17] : « Nulla est cognitio reprehensionis, si non sequantur etiam lamenta pœnitudinis. » Idem[18] : « In hoc mundo dum vivimus, tunc perfecte quæ scienda sunt scimus, cum proficientes per intelligentiam, nil nos perfecte scire cognoscimus. » Idem[19] : « Vera scientia afficit, non extollit; nec superbientes, quos impleverit, sed lamentantes facit. » Idem : « Sæpe dum quosdam, » etc.,

[1] Vid. inf., lib. III, c. XXVI. — [2] Vid. inf., lib. IV, c. VII. — [3] Bern., *de Consider.*, lib. II, post med. — [4] Vid. inf., lib. IV, c. XXVIII. — [5] Bern., *ad frat. de Monte Dei, de vit. sol.*, circa med. — [6] Id., *in Cant.*, serm. XX, post med. — [7] Senec., epist. X. — [8] Greg., *Moral.*, lib. XVII, c. X, non longe a princ. — [9] Ibid., lib. XXII, c. VII, circa fin. — [10] Ibid., lib. XXIV, c. VI, ante med. — [11] Ibid., lib. II, c. XXVII, ante med. — [12] Ibid., lib. XVIII. c. XXVII, post med. — [13] Ibid., lib. XXII, c. II, circa fin. — [14] Ibid., c. III, post med. — [15] Vid. inf., lib. IV, c. IV. — [16] Greg., *Moral.*, lib. XXIV, c. VI. — [17] Ibid., lib. XXXV, c. V. — [18] Ibid., lib. XXVII, c. XXII. — [19] Ibid., lib. XXIII, c. X.

infra, lib. III, *de Discordia* [1]. Idem in *Registro* [2] : « Bonarum mentium est, etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est. » Idem, *super Ezechielem* [3] : « Recte *prophetia* dicitur, non quia prædicit ventura, sed quia prodit occulta. » Idem [4] : « Spiritus prophetiæ nec semper, nec eodem modo prophetæ animum tangit. » Idem [5] : « Aliquando prophetiæ spiritus prophetis deest, nec semper eorum mentibus præsto est : quatenus, cum hunc non habent, se hunc agnoscant ex dono habere, cum habent. » Augustinus, *de Civitate Dei* [6] : « Tria sunt, quæ in unoquoque homine artifice spectantur, ut aliquid efficiat : natura, doctrina, usus. Natura ingenio, doctrina scientia, usus fructu dijudicandus est. » Idem [7] : « Multa ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur intelligentius, et intelliguntur clarius, et instantius prædicantur, et ab adversario mota quæstio dicendi nobis existit occasio. » Idem, *de Octoginta tribus quæstionibus* [8] : « Nullum bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur. » Idem, *de Doctrina Christiana* [9] : « Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt, per intellectum penetranda et dissolvenda plurimum valet : tantum ibi cavenda est libido rixandi. » Idem [10] : « Bonorum ingeniorum insignis est indoles in verbis verum amare, non verba. » Idem, *de Bono perseverantiæ* [11] : « Non simus in disputationibus prompti, et in orationibus pigri. » Idem, *de Trinitate* [12] : « Scientiam terrestrium cœlestiumque rerum magni æstimare solet genus humanum, in quo profecto meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt nosse semetipsos; laudabiliorque est animus, cui nota est infirmitas sua, quam qui, ea non respecta (*a*), vias siderum scrutatur, ignorans viam qua ingrediatur ad cœlum. » Isidorus, *de Summo Bono* : « Nihil pejus, quam culpam agnoscere, nec deflere. » Cassiodorus, in libro *de Anima* [13] : « Nimia magnitudo est suam intelligere parvitatem; nec prævalet hoc ipsum nosse, nisi cum cœperint divina patescere. » Bernardus, in *Meditationibus* [14] : « Ab exterioribus ad interiora redeam, ab inferioribus ad superiora ascendam, ut possim cognoscere unde venio, aut quo vado, quid sim, vel unde sim, ut per cognitionem mei possim pervenire ad cognitionem Dei. » Idem, in *Epistola* [15] : « O [16] *utinam saperes et intelligeres, ac novissima provideres : saperes*, quæ Dei sunt; *intelligeres*, quæ mundi sunt; *provideres*, quæ inferni sunt, profecto inferna horreres, superna appeteres, quæ sunt mundi contemneres. » Idem [17] : « Qui perfecte se examinando cognoscit, suo peccato nullius peccatum par æstimat, quod non sicut suum intelligit. » Idem, *super Cantica* [18] : « Est quidem, quantum in se est, omnis scientia bona, quæ tamen veritati subnixa sit : sed tu, qui cum timore et tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire prius ampliusque curato, quæ præsenseris viciniora saluti. » Idem [19] : « Annon inflationes et torsiones in conscientia sustinebit, qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum, et non faciens? Annon responsum mortis et damnationis toties in semetipso habebit, quoties in mentem venerit sermo, quem dixit Deus, quia [20] *servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, digne vapulabit plagis multis*? » Idem, in *Sermonibus* [21] : « *Super omnes* [22] *docentes me intellexi*. Quare, inquam? Numquid quia bysso et pur-

[1] Vid. inf., lib. III, c. XXII. — [2] Greg., *ad Augustin.*, interrog. 10, lib. XII, epist. XXXI, col. 1573. — [3] Greg., *in Ezech.*, hom. I, non longe a princ. — [4] Ibid., inf. — [5] Ibid., post med. — [6] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XI, c. XXV. — [7] Ibid., lib. XVI, c. II. — [8] Id., de LXXXIII *Quæst.*, q. XXXV. — [9] *de Doct. Christ.*, lib. II, c. XXXI. — [10] Ibid., lib. IV, c. XI. — [11] Id., *de bon. Persev.*, c. XXIV. — [12] Id., *de Trinit.*, lib. IV, in Procem. — [13] Cassiod., *de Anima*, c. XVIII. — [14] Bern., *Medit.*, c. I, in princ. — [15] Id., *Epist.* CCXCII. — [16] *Deut.*, XXXII, 29. — [17] Bern., *de vit. solit.*, epist. *ad Frat. de monte Dei*, ante med. — [18] Id., *in Cant.*, serm. XXXVI, ante med. — [19] Ibid., post med. — [20] *Luc.*, XII, 47. — [21] Bern., *in die Pent.*, serm. III, circa med. — [22] *Psal.* CXVIII, 99. — (*a*) *Al.* prospecta.

pura me indui? quia lautioribus epulis abundavi? numquid quia Platonis argutias, aut Aristotelis versutias intellexi? aut ut intelligerem laboravi? Absit, inquam, sed [1] *quia testimonia tua exquisivi.* » Idem : « Orans sanctus quidam [2] : « Deus, inquit, noverim » me, noverim te. » Brevis oratio, sed fidelis. Hæc est enim vera philosophia, et utraque cognitio prorsus necessaria ad salutem. Ex priori siquidem timor concipitur et humilitas; ex posteriore spes et charitas generatur. » Boetius: « Humanæ naturæ, » etc., infra, lib. III, *de Ignorantia* [3]. Anselmus : « Primus gradus, » etc., lib. IV, *de Humilitate* [4]. Glossa [5] : « Ubi majus donum scientiæ, ibi trangressor majori subjacet culpæ. » Seneca, in *Epistola* [6] : « Quare liberalibus studiis filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad excipiendam virtutem præparant. » Idem [7] : « Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem; intus teipsum considera, nec qualis sis aliis crede. » Idem [8] : « Initium salutis, est notitia peccati. Nam qui peccare (*a*) nescit, corrigi non vult. »

CAPUT XXX.

De Providentia.

Gregorius, in *Moralibus* [9] : « Quod valde esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione provida et remuneratione levigatur. » Idem [10] : « Is qui cuncta, priusquam veniant, conspicit, nequaquam, postquam aliquid fecerit, pœnitendo resipiscit. » Idem [11] : « Qui in dictis suis reprobari metuit, ipse prius debet examinare, quod dicit. » Idem [12] : « Nihil sic ad edomandum desiderium carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, mortuum penset. » Idem [13] : « In omni quod dicitur, necesse est ut causa, tempus et persona pensetur; si verba sententiæ veritas roborat; si hanc tempus congruum postulat; si veritatem sententiæ, et congruentiam temporis, personæ qualitas non impugnat. » Idem, *super Ezechielem* [14] : « Sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens. Sed hoc est laboriosius, ubi sanctorum mens invigilat, ne se ante eorum oculos mala sub bonorum specie abscondant. » Idem, in *Registro* [15] : « Terribilem judicem venientem considera, et de adventu illius nunc conscientia tua contremiscat, ne tunc sine causa jam timeat, cum coram illo cœlum et terra tremuerit. » Isidorus, in *Synonymis* [16] : « Perspice quod, cui aptum sit tempori, quid, ubi, quantum, quandiu facere debeas. » Idem [17] : « Cum diu cogitaveris, tunc fac quod probaveris. » Ambrosius, in *Epistola* : « Mens bona speculatrix consiliorum suorum est; prius examinat quid decorum atque honestum. » Hieronymus : « Caveto omnes, » etc., infra, lib. IV, *de Fama* [18]. Augustinus [19], *de Singularitate clericorum* : « Amator est salutis suæ, qui evitat alienæ mortis incursum; et ipse est providus, qui sollicitus fit cladibus cæterorum. » Bernardus, *de Consideratione* [20] : « Non oportet ut vitia domus tuæ ultimus scias, quod quamplurimis novimus contigisse. Quapropter alius alia dispenset; de disciplina tu provide. » Idem [21] : « Spiritualis homo ille, qui [22] *omnia dijudicat, ut ipse a nemine judicetur,* omne opus suum trina quadam consideratione prævenit; primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. » Idem [23] : « Diligenter vero omne, quod faciendum erit, tracta apud te, et

[1] *Psal.* CXVIII, 22. — [2] Aug., lib. *Conf.*, passim. — [3] Vid. inf., lib. III, c. XXI. — [4] Item, lib. IV, c. XII. — [5] Gloss. *in Luc.*, XII. — [6] Senec., *Epist.* LXXXVIII, circa med. — [7] Id., *Epist.* LXXX, in fin. — [8] Id., *Epist.* XXVII, prope fin. — [9] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. V, non longe a princ. — [10] Ibid., lib. IX, c. VI, non multum a princ. — [11] Ibid., lib. VIII, c. II. — [12] Ibid., lib. XVI, c. ult. — [13] Ibid., lib. VI, c. XVIII, circa fin. — [14] Id., *in Ezech.*, hom. VII, non longe a princ. — [15] Id., lib. I, epist. XLII, *ad Petr. subd.*, col. 1059. — [16] Isid., *Synon.*, c. XVII, ante med. — [17] Ibid., c. XIII. — [18] Vid. inf., lib. IV, c. XLVII. — [19] Est apud Cyprian., edit. Pam., c. II. — [20] Bern., *de Consider.*, lib. IV, post med. — [21] Ibid., lib. III, post med. — [22] I *Cor.*, II, 15. — [23] Bern., *de Consider.*, lib. IV, paulo ante med. — (*a*) *Suppl.* se.

cum his, qui te diligunt. Tracta ante factum, quia post factum sera tractatio. » Idem, in *Meditationibus :* « Habes domum, o anima; sed cito casura est domus tua, tu quoque, nisi aliam provideris, vento et pluviæ exponenda. » Idem, in *Sermonibus* [1] : « In omnibus operibus tuis memorare novissima, horrorem mortis, judicii tremendum discrimen, ardentis gehennæ metum, ab oculis cordis tui nullatenus patiaris elongari. » Idem [2] : « Cum judicium carnis ex anima pendeat, nihil carni potest utilius quam salus animæ provideri, ut videlicet in tempore sit respectus illius, et socia passionis, felicitatis quoque consortium mereatur (*a*). »

CAPUT XXXI.

De Fortitudine.

Gregorius, in *Moralibus* [3] : « Justorum fortitudo est carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum corde superare. » Idem [4] : « Qui in auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine convalescunt, eo a propria virtute deficiunt; et quo robustius æterna appetunt, eo fortius a temporalibus salubri defectione lassantur. » Idem [5] : « Tanto unusquisque ad fortitudinem profecisse verius demonstratur, quanto aliena mala æquanimius tolerat. » Idem, in *Registro* [6] *:* «Mores meos bene habes cognitos, quia diu porto; sed, si semel deliberavero non portare, contra omnia pericula lætus vado. » Hieronymus, in *Epistola* : « Nihil eo fortius, qui vincit diabolum; nihil imbecillius, quam qui a carne superatur. » Idem, in originali *super Isaiam* [7] : « Fortitudo atque constantia via regia est, a qua declinat ad dexteram, qui temerarius est et pertinax; ad sinistram, qui formidolosus est et pavidus. » Augustinus, *ad Hieronymum*, de sententia Jacobi Apostoli [8] : « Qui vera virtute fortis est, nec timere audet, nec inconsulte timet. » Ambrosius, *de Officiis* [9] : « Est fortis, qui se in dolore aliquo consolatur. Et revera jure ea fortitudo vocatur, cum unusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, et quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. » Idem [10] : « Non in inferenda, sed depellenda injuria, lex virtutis est. Qui enim non repellit a socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. » Idem [11] : « Fortitudo invicta est ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras, quibus aurem deferre nesciat, nec, ut dicitur, ave dicat, pecuniam negligat, avaritiam fugiat, tanquam labem quamdam quæ virtutem effeminet. » Idem, *super Lucam* [12] : « Fortitudo animum corpusque confirmat, nec perturbari sinit timore aliquo, vel dolore. » Seneca, in *Epistola* [13] : « Sapiens et fortis ad omnem incursum munitus et intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet intrepidus, et contra illa ibit, et inter illa stabit. » Idem [14] : « Sapiens virtutem, si licebit, in divitiis explicabit; sin minus, in paupertate : in patria, si poterit; sin minus, in exilio : si poterit, imperator; sin minus, miles : si poterit, integer; sin minus, debilis. » Multa infra, lib. IV, *de Certamine* [15].

[1] Bern., *in fest. Omn. Sanct.*, serm. I, ante med. — [2] Id., super *Ecce nos reliq.*, paulo ante med. — [3] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. VIII, in princ. — [4] Ibid., lib. IV, c. XXX, ante med. — [5] Ibid., lib. V, c. XIII, circa fin. — [6] Id., *ad Sabinian.*, lib. VII, ind. 1, epist. I, col. 1284. — [7] Hieron., *in Isa.*, lib. XVI, c. LVII. — [8] Aug., *ad Hieron.*, epist. XXIX. — [9] Ambr., *de Offic.*, lib. I, c. XXXVI. — [10] Ibid., in princ. — [11] Ibid., c. XXXIX. — [12] Id., *in Luc.*, VI, lib. V. — [13] Senec., *Epist.* LIX, paulo ante med.. — [14] Id., *Epist.* LXXXV, vers. fin. — [15] Vid. inf., lib. IV, c. XI.

(*a*) *Cæt. edit.* mereamur.

CAPUT XXXII.

De Constantia.

Gregorius, in *Homiliis* [1] : « Non nos prospera elevent, non adversa perturbent : ut qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moveamur. » Idem, in *Moralibus* [2] : « Sancti viri nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi unquam a veritate conticescunt. » Idem [3] : « Electi ipsa, quæ fortiter tolerant, supplicia perhorrescunt, ita ut in eis uno eodemque tempore, et constantia ex virtute sit, et pavor ex carne. » Idem [4] : « Justi viri securitas recte leoni comparatur, quia cum contra se quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suæ constantiam redit; et scit quia cunctos adversantes superat, quia illum solum diligit, quem invitus nullo modo amittit. » Idem [5] : « Vir sanctus, quo majore persecutione premitur, eo ad prædicandum veritatem acrius instigatur : et cum constanter persecutores tolerat, ardenter ad se auditores trahere festinat. » Idem [6] : « Si semel in appetitu supernæ patriæ forti stabilitate animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. » Idem, *super Ezechielem* [7] : « Timeri ab omnibus homo debuerat, si ipse auctorem omnium, ut homo, timuisset. Nam qui rationis sensum ad timorem Dei non habet, tanto in nullo timendus est, quanto hoc, quod ipse esse debuit, non est. » Idem, in *Registro* [8] : « Hoc certissime scito, quod placere Deo, et pravis hominibus nullus potest. In tantum ergo se existimet fraternitas tua omnipotenti Deo placuisse, quanto se perversis hominibus displicuisse cognoverit. » Idem : « Nullius vos » etc., infra, lib. IV, *de Tranquillitate* [9]. Augustinus, in *Epistola* : « Senti de Augustino quidquid libet; sola me in oculis Dei conscientia non accuset. » Idem, *de Civitate Dei* [10] : « Virtutes habenti, magna virtus est contemnere gloriam. » Idem [11] : « Qui contemnit judicia laudantium, contemnit etiam suspicantium temeritatem : quorum tamen, si vere bonus est, non contemnit salutem. » Idem, in *Sermonibus* : « Nec valde gaudere debemus quando laudamur, nec contristari quando vituperamur, quia nec damnare injuria, nec coronare potest laus falsa. » Ambrosius, *de Officiis* [12] : « Bene sibi conscius, falsis non debet moveri; nec æstimari plus ponderis in alieno esse convitio, quam in suo testimonio. » Joannes Chrysostomus, in *Sermone* [13] : « Quidquid erroris habet mundus, contemno : quidquid delectabile habet, rideo : divitias non cupio, paupertatem non horresco, mortem non timeo. » Hieronymus, in *Epistola* : « Utinam, ob Dei mei nomen atque justitiam, universa me infidelium turba persequatur et tribulet : utinam in opprobrium meum solidus exurgat hic mundus : tantum ut a Christo merear laudari, et suæ pollicitationis sperare mercedem. » Idem [14] : « Gratias ago Deo meo, quod dignus sum habitus, quem mundus oderit. » Idem [15] : « Per bonam et malam famam, a dextris et a sinistris, Christi miles graditur; nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur; non divitiis tumet, non confunditur paupertate, et læta contemnit, et tristia. » Idem [16] : « Nec affectamus laudes hominum, nec vituperationes expavescimus : Deo enim placere curantes, minas hominum penitus non timemus, quoniam dissipat Deus ossa eorum, qui hominibus placere desiderant. » Seneca, in *Epistola* [17] : « Honores et injuriæ vulgi in promiscuo sunt habendæ; nec his gaudendum, nec illis dolendum. » Idem : « Ani-

[1] Greg., *in Evang.*, hom. VI, circa med. — [2] Id., *Moral.*, lib. VIII, c. I. — [3] Ibid., lib. XIV, c. I, post med. — [4] Ibid., lib. XXXI, c. XIV, ante med. — [5] Ibid., c. XV, circa med. — [6] Ibid., lib. XXII, c. X, circa med. — [7] Id., *in Ezech.*, hom. X, ante med. — [8] Id., *ad Maxim. Salon.*, lib. VIII, epist. XXXVI, col. 1413. — [9] Vid. inf., lib. IV, c. II. — [10] Aug., *de Civit. Dei*, lib. V, c. XIX. — [11] Ibid. — [12] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. V. — [13] Chrysost., *cum de ipsius expuls. ageretur*, in princ. — [14] Hieron., *ad Asell.*, epist. XCIX, post med. — [15] Id., *ad Nepotian.*, epist. II, post med. — [16] Id., epist. CXXII, quæ est *Prolog. in Esther*. — [17] Senec., *Epist.* XLI, circa med.

mum excellentem, constantem et moderatum, et omnia tanquam se minora transeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem, cœlestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. » Idem [1] : « Vir bonus, quod honeste se facturum putaverit, faciet, etiamsi laboriosum erit; faciet, etiamsi periculosum erit. Rursum quod turpe erit non faciet, etiamsi pecuniam afferret, etiamsi voluptatem. etiamsi potentiam et dignitatem : ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla re invitabitur. » Idem [2] : « Æquo animo audienda sunt imperitorum convicia, et ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemptus. »

CAPUT XXXIII.

De Patientia.

Gregorius, in *Moralibus* [3] : « Nunquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille autem est vere patiens, qui rebus adversis atteritur, et tamen a spei suæ rectitudine non curvatur. » Idem [4] : « Tunc vere ostendimus, quod accepta bona recte tenuimus, cum profecto æquanimiter ad momentum sublata toleramus. » Idem [5] : « Quos ad fortia trahere nitimur, eorum necesse est ut infirma toleremus : quia nec jacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinem per compassionem flectit. » Idem [6] : « Sancti viri patienter audiunt, etiam quæ se nunquam fecisse meminerunt, quamvis ea mala, quæ sibi ingeri conspiciunt, ab ipsis suis criminatoribus noverint perpetrata. » Idem [7]: « Tunc illata convicia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur, quod aliena injuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia pejus est supplicium, quod meremur. » Idem, *super Ezechielem* [8]: « Linguas detrahentium, sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat. » Idem [9] : « Patientia vera est, quæ etiam ipsum amat, quem portat. Nam tolerare et odisse, non est virtus patientiæ et mansuetudinis, sed velamentum furoris. » Idem, in *Dialogis* [10] : « Ego virtutem patientiæ, et signis, et miraculis majorem credo. » Idem, in *Homiliis* [11] : « Tribus modis virtus patientiæ exerceri solet. Alia namque sunt, quæ a Deo; alia, quæ ab antiquo adversario; alia, quæ a proximo sustinemus. A proximo namque persecutiones, damna et contumelias; ab antiquo adversario tentamenta; a Deo flagella toleramus. » Idem [12] : « Perfecte adversarius vincitur, quando mens nostra, et inter tentamenta diaboli a delectatione atque consensu omnibus modis refrænatur, et inter contumelias proximi custoditur ab odio, et inter flagella Dei custoditur a murmuratione. » Idem : « Patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti; contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore morderi. » Idem [13] : « Ille veraciter, » etc., infra, lib. IV, *de Lætitia* [14]. Joannes Chrysostomus [15], in originali super illud Matthæi: *Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo*, etc. : « Primus gradus patientiæ est recipere injuriam; secundus, postquam recepta est, non velle vindicari; tertius est, non facere vexanti hæc quæ passus est, sed quiescere; quartus, tribuere seipsum in patiendo mala; quintus, et amplius tribuere, quam ipse vult, qui fecit; sextus, non odio habere eum, qui operatur hæc; septimus est diligere; octavus est, benefacere; nonus est, Deum pro ipso deprecari. » Idem, *super Joannem* [16] : « Non memoriam malorum habeamus in eos qui nos lædunt, sed redar-

[1] Senec., *Epist.* LXXVI, circa med. — [2] Ibid., ante med. — [3] Greg., *Moral.*, lib. XI, c. XVII. — [4] Ibid., lib. II, c. ult. in fine. — [5] Ibid., lib. VII, c. VI, circa fin. — [6] Ibid., lib. XIII, c. I. — [7] Ibid., lib. XXX, c. IX, circa med. — [8] Id., *in Ezech.*, hom. IX, ante med. — [9] Ibid., hom. XVII, post med., et hom. XX, post med. — [10] Id., *Dial.*, lib. I, c. II, post med. — [11] Id., *in Evang.*, hom. XXXV, post med. — [12] Ibid. — [13] Ibid., circa med. — [14] Vid. inf., lib. IV, c. XLIV. — [15] Chrysost., *in Matth.*, hom. XVIII, n. 4. — [16] Chrysost., *in Joan.*, hom. LXX, al. LXXI, n. 3.

guamus eos, et ploremus : ploratu enim digni sunt, non qui patiuntur, sed qui mala faciunt. Nam seipsos quidem maxime lædunt, et amarus calumniator, et quicumque alii aliquod malum facit; nobis autem prosunt maxime, nisi nosipsos vendicaverimus. » Augustinus *super Joannem* : « Pro dilectione Dei debemus patienter persecutiones et mundi odia sustinere : necesse est enim ut nos oderit, quos cernit nolle quod diligit. » Idem, in libro *de Patientia* [1] : « Non sicut omnes qui sciunt, participes sunt scientiæ, ita nec omnes, qui patiuntur, sunt participes patientiæ. Sed qui passione recte utuntur, hi patientiæ veritate laudantur, hi patientiæ munere coronantur. » Idem [2] : « Inde est patientia justorum vera, unde est in eis charitas Dei vera; et inde est patientia iniquorum falsa, unde est in eis cupiditas mundi perversa. » Idem [3] : « Patientia pauperum Christi, sed ditandorum heredum Christi, non peribit in æternum : non quia illic patienter ferre debeamus; sed quia pro his, quæ hic patienter pertulimus, illic æterna beatitudine perfruemur. » Idem [4] : « Job sustinens in carne dolores suos, in corde errores alienos, conjugis corripiebat insipientiam, amicos docebat sapientiam, et servabat ubique patientiam. » Idem, *de Moribus Ecclesiæ* [5] : « Perpetienda sunt vitia multitudinis, ut curentur : et prius toleranda, quam sedanda est pestilentia. » Idem, in libro *de Ovibus* [6] : « Tolera, quia toleratus es. Si semper bonus fuisti, habeto misericordiam : si aliquando malus fuisti, noli perdere memoriam. Et quis est semper bonus? Si te Deus diligenter discutiat, facilius te inveniet etiam nunc malum, quam tu te semper bonum. Ergo toleranda sunt zizania inter frumentum. » Idem : « Vis desideriorum, » etc., infra, lib. IV, *de Desiderio* [7]. Ambrosius, *super Lucam* [8] : « Christus voluit ab apostolo suo tradi, ut tu a socio desertus, a socio proditus, moderate feras tuum errasse judicium, perisse beneficium. » Hieronymus in *Epistola* : « Libens tunc (*a*) tormenta patiar, ut tunc futura mihi gloria servetur. Non enim judicabit Dominus bis in idipsum. » Isidorus, *de Summo Bono* [9] : « Adversus convicium linguæ, fortitudo est adhibenda patientiæ, ut tentatio verbi, quæ foris impugnat, tolerantiæ virtute victa discedat. » Bernardus, in *Epistola* [10] : « Vera patientia est pati vel agere contra quod libeat, sed non præter quod liceat. » Idem, in *Sermonibus* [11] : « Est homo pacatus, qui bona pro bonis reddens quantum in se est, nemini vult nocere. Est alius patiens, qui non reddens malum pro malo, etiam potens est sustinere nocentem. Est enim pacificus, qui bona pro malis reddens, in promptu habet prodesse nocenti. Primus quidem parvulus est, et facile scandalizatur; nec facile, qui hujusmodi est, et in hoc sæculo nequam et pleno scandalis, poterit obtinere salutem. Secundus, ut scriptum est, in patientia sua possidebit animam suam. Nam tertius quidem non modo suam possidet, sed et multorum animas lucrifacit. » Tullius, in *Rhetoricis* [12] : « Patientia est, honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. »

CAPUT XXXIV.

De Perseverantia.

Gregorius, in *Registro* [13] : « Magna est contra peccatum virtus pœnitentiæ, si quis in eadem pœnitentia perseveret. » Idem : « Illa Deo nostro semper opera grata sunt, quæ a bonis, quæ cœperint, non recedunt. » Idem, in *Moralibus* [14] : « In cunctis vigilanter debet se mens circumspicere, atque

[1] Aug., *de Patient.*, c. VI — [2] Ibid., c. XVII. — [3] Ibid., c. XXIX. — [4] Ibid., c. XII. — [5] Id., *de Morib. Eccl.*, c. XXXII. — [6] Id., *de Ovib.*, c. V. — [7] Vid. inf., lib. IV, c. XXIV. — [8] Ambr., *in Luc.*, VI, lib. IV. — [9] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXIX, sent. 4. — [10] Bern., *ad Adam Monach.*, epist. VII, paulo ante med. — [11] Id., *de Convers. ad Clericos*, c. XXVI. — [12] Cic., *de Invent.*, lib. II, post med — [13] Greg., *ad Theoct.*, lib. IX, epist. XXXIX, col. 1457. — [14] Id., *Moral.*, lib. I, c. XX. — (*a*) *Leg.* nunc.

in ipsa circumspectionis suæ providentia perseverare. » Idem [1] : « Bene cœpta cunctis diebus agenda sunt, ut cum malum puggnando repellitur, ipsa boni victoria constantiæ manu teneatur. » Idem [2] : « Mirum non est, si quis bona inchoet; sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret. » Augustinus, *de Correptione et Gratia* [3] : « Prædestinatorum fides, quæ per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficiet, aut, si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur; et deleta, quæ intercucurrerat, iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. » Idem, *de Conjugiis adulterinis* [4] : « Quæ rectissime voventur, cum homines voverunt, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine ulla conditione voverunt. » Isidorus, *de Summo Bono* [5] : « Tunc Deo placet nostra conversatio, quando bonum quod inchoamus, perseveranti fine complemus. » Idem, in *Synonymis* [6] : « Salus inchoantibus promittitur; præmium perseverantibus datur. Non est beatus qui bonum facit; sed qui incessabiliter facit : *Qui* enim [7] *perseveraverit usque in finem, salvus erit.* Bernardus, in *Epistola* [8] : « Perseverantia sola meretur viribus gloriam, virtutibus coronam. Prorsus absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. » Idem [9] : « Perseverantia vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. » Idem [10] : « Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gloriam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed *qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.* » Idem, in *Sermonibus* [11] : « Non vivit, qui superbia inflatur, qui luxuria inquinatur, qui cæteris quibuscumque inficitur pestibus; quoniam non est hoc vivere, sed magis vitam confundere, et appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, et mala pati, et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem. » Seneca, in *Epistola* [12] : « Plus operis in eo, ut proposita custodias, quam ut honesta proponas. Perseverandum est, et assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est. »

CAPUT XXXV.

De Temperantia.

Gregorius, in *Moralibus* [13] : « Is qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus et arridens timeri debeat, et iratus amari : ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum. » Idem [14] : « Nonnunquam, dum nonnulla menti delectatio surrepit, temperantia nostra marcescit. In quantum enim ad delectationem ducimur, in tantum minus ab illicitis temperamus. » Idem, in *Homiliis* : « In talibus mentibus Dominus pascitur, quæ per respectum gratiæ temperatæ (*a*) corporalibus desideriis non utuntur. » Idem, in *Registro* [15] : « Romanorum semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis lavari (*b*), et purificationem quærere, et ab ingressu ecclesiæ paululum reverenter abstinere. » Idem [16] : « Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris; cum tranquilla mens fuerit, quod placet vindica. » Idem, in *Pastorali* [17] : « Cum non malitia, sed sola ignorantia, vel infirmitate delinquitur, profecto necesse est ut magno moderamine ipsa delicti correptio

[1] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XXI. — [2] Ibid., lib. XII, c. XXIV, post med. — [3] Aug., *de Corrept. et Grat.*, c. VII, post med. — [4] Id., *de Conjug. Adulter.*, lib. I, c. XXIV. — [5] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. VII, sent. 2.— [6] Id., *Synon.*, c. I, in fin.— [7] *Matth.*, X, 22. — [8] Bern., *ad Genuens.*, epist. CXXIX, ante med. — [9] Ibid., conseq. — [10] Ibid. — [11] Id., *in fest. apost. Petr. et Paul.*, serm. I, post med. — [12] Senec., *Epist.* XVI, fere in princ. — [13] Greg., *Moral.*, lib. XX, c. III. — [14] Ibid., lib. II, c. XXVII, non multum a princ. — [15] Id., *ad Augustin.*, interrog. 10, lib. XII, epist. XXXI, col. 1574. — [16] Id., *ad Leont.*, lib. VIII, epist. LI, col. 1425. — [17] Id., *Pastor.*, p. II, c. X, circa med.

(*a*) *Cœt. edit.* temperate. — (*b*) *Labb.* et lavari.

temperetur. » Augustinus, *de Libero Arbitrio*[1] : « Temperantia est afflictio coercens et cohibens appetitum ab his rebus, quæ turpiter appetuntur. » Idem, de *Confessionibus*[2] : « De illecebra odorum non satago nimis : cum absunt, non requiro : cum adsunt, non respuo : semper tamen carere paratus. » Idem, *de Opere Monachorum*[3] : « Tanto gloriosius mens ad superiora promovetur, quanto diligentius ab inferioribus concupiscentia cohibetur. » Idem, *de Singularitate Clericorum*[4] : « Disce nunc temperantiæ modum, qui per licentiam quæris excessum. Ama feminas inter sacra solemnia, et odio habe in communione privata. » Idem, *de Moribus Ecclesiæ*[5] : « Omne officium temperantiæ est exuere veterem hominem, et in Deo renovari, id est contemnere omnes corporeas illecebras laudemque popularem, totumque amorem ad invisibilia et divina conferre. » Idem[6] : « Curiosi esse prohibemur, quod magnæ temperantiæ munus est. » Isidorus, *de Summo Bono*[7] : « Quidquid nimis et ultra modum est, perniciosum fit, studiumque suum in contrarium vertit. In omni ergo opere modum et temperamentum oportet habere. » Idem, in *Synonymis*[8] : « In omni re tene temperamentum. Nihil intemperantius agas, nec minus, nec nimium aliquid, nec ultra quam oportet, nec infra. Etiam in bonis moderatum esse decet. » Idem[9] : « Quæ cum temperantia fiunt, salubria sunt, et bona quævis etiam, cum immoderato usu, noxia efficiuntur. Nimietas enim omnis in vitio deputatur. » Bernardus, *de Consideratione*[10] : « Non est temperantia in solis resecandis superfluis; est etiam in admittendis necessariis. » Tullius, in *Rhetoricis*[11] : « Temperantia est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio : ejus partes, continentia, clementia, modestia. »

CAPUT XXXVI.

De Continentia gustus.

Gregorius, in *Moralibus*[12] : « Per abstinentiam vitia sunt extinguenda, non caro; et tanto quisque sibimet debet moderamine præesse, ut et ad culpam caro non superbiat, et tamen ad effectum rectitudinis in opere subsistat. » Idem[13] : « Virtus abstinentiæ aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus suum non edomat, quantum valet; aut valde inordinata est, si corpus atterit plusquam ferre valet. » Idem, in *Pastorali*[14] : « Incassum per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis dimissa motibus mens vitiis dissipatur. » Idem, in *Homiliis*[15] : « Qui a Paradisi gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc, in quantum possumus, per abstinentiam resurgamus. » Augustinus, de *Confessionibus*[16]: « Hoc me docuisti, Domine, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. » Idem, *de Bono conjugali*[17] : « Ad hoc justi cum opus est prandent, ut tanquam boni domini, quod bonum, et justum, et æquum est servis suis, id est corporibus suis præbeant. » Idem, in *Sermonibus*[18] : « Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contribulatum et humiliatum, quod Deus non spernit. » Idem, in libro *de Jejunio sabbati*[19] : « Sicut, quod ait Apostolus[20], verum est : *Malum est homini qui per offensionem manducat;* ita malum est homini qui per offensionem jejunat. » Joannes Chrysostomus, in *Acta Apostolo-*

[1] Aug., *de lib. Arbit.*, lib. I, c. XIII. — [2] Id., *Confess.*, lib. X, c. XXXII. — [3] Id., *de oper. Monach.*, c. XXXII. — [4] Lib., *de singular. Cleric.*, reperitur apud Cyprian., edit. Pamel. — [5] Aug., *de Morib. Eccl.*, lib. I, c. XIX. — [6] Ibid., c. XXI. — [7] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. I, c. XLIV, sent. 16. — [8] Id., *Synon.*, c. XVI, ante med. — [9] Ibid., post pauca. — [10] Bern., *de Consid.*, lib. I, post med. — [11] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [12] Greg., *Moral.*, lib. XXVI, c. ult., non longe a princ. — — [13] Ibid. — [14] Id., *Pastoral.*, p. III, c. II, admon. 20, post med. — [15] Id., *in Evang.*, hom. XVI, post med. — [16] Aug., *Confess.*, lib. X, c. XXXI, ante med. — [17] Id., *de Bon. Conjug.*, c. VIII. — [18] Id., *de Tempore* serm. CCXXX, al. LXXIII, n. 1, in Append.— [19] Id., *ad Casul.*, epist. LXXXVI, al. XXXVI, n. 26. — [20] *Rom.*, XIV, 21, quoad sensum.

rum[1] : « Indigentia, sicut sanitatis, ita delectationis est mater. » Idem, *super Matthæum*[2] : « Qui jejunat, et peccat, non ad gloriam Dei jejunat nec se humiliat, sed substantiæ suæ parcit. » Idem : « Per jejunia cessat, » etc., infra, lib. IV, *de Connexione*[3]. Ambrosius, in *Hexaemeron*[4] : « Jejuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur. Vides quanta vis jejunii sit, ut ex sputo jejunus homo terrenum serpentem interficiat : quanto magis ergo serpentem spiritualem per jejunii virtutem! » Hieronymus, in *Epistola*[5] : « Modicus ac temperatus cibus, et carni et animæ utilis est. » Idem[6] : « Nonnulli, pudicam vitam appetentes, in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam carnium sufficere putant, et leguminibus onerant stomachum. » Idem[7] : « Parcus cibus et venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur; et multo melius est quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluvia enim illa optima est, quæ sensim descendit in terram; subitus autem et nimius imber in præceps arva subvertit. » Isidorus, *de Summo Bono*[8] : « Abstinentia et vivificat et occidit : vivificat animam, et corpus necat. » Idem[9] : « Jejunia cum operibus bonis Deo acceptabilia sunt. Qui a cibis abstinent, et prava agunt, dæmones imitantur, quibus esca non est, et nequitia semper est. » Idem[10] : « Spernitur a Deo jejunium, quod in vesperum repletione ciborum reficitur. Neque enim reputanda est abstinentia, ubi fuerit ventris saturitas subsecuta. » Bernardus, in *Epistola*[11] : « Observandus est sumendi modus et tempus, cibi quantitas et qualitas; fugienda quoque sunt superflua et adulterina condimenta. Observandus est modus, ut non effundat, qui comedit, animam suam super omnem cibum; tempus, ne ante horam; qualitas, qualibus utitur; communitas fraternitatis, excepta causa manifestæ infirmitatis. » Idem, in *Sermonibus*[12] : « Si gula sola peccavit, sola quoque jejunet, et sufficit; si vero peccaverunt et membra cætera, quare non jejunent et ipsa? Jejunet ergo oculus, qui deprædatus est animam; jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa (supple, a propria voluntate). » Idem[13] : « Jejunium non solum est abolitio peccatorum, sed extirpatio vitiorum; nec solum obtinet veniam, sed meretur et gratiam; nec solum delet peccata præterita quæ commisimus, sed etiam repellit futura quæ committere poteramus. »

CAPUT XXXVII.

De Continentia tactus.

Gregorius, in *Moralibus*[14] : « Nulla sunt cætera bona, si occulti judicis oculis, castitatis testimonio non approbantur. » Idem[15] : « Nulla est castitas carnis quam non commendat suavitas mentis. » Idem, in *Pastorali*[16] : « Quos onus licitum conjugii non gravat, nequaquam pondus illicitum terrenæ sollicitudinis premat; sed tanto eos paratiores dies ultima, quanto expeditiores, inveniat : ne quo meliora agere vacantes possunt, sed tamen negligunt, eo supplicia deteriora mereantur. » Idem, in *Registro*[17] : « Custodienda est munditia corporis in studiis bonæ actionis. » Ambrosius, *de Viduitate*[18] : « Castitas solitudinem quærit : pudica secretum : impudica conventum. » Idem, in *Epistola*[19] : « Prima castitatis victoria, est facultatem cupiditatis vincere; quia lucri studium, tentatio pudoris est. » Augustinus, *de Virginitate sancta*[20] : « Sicut nemo impudice utitur corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia;

[1] Chrysost., *in Acta Apost.*, hom. XVI. — [2] Id., *in Matth.* Op. imperf., hom. XV. — [3] Vid. inf., lib. IV, c. XLV, § 4 et 5. — [4] Ambros., *in Hexaem.*, lib. VI, c. XII. — [5] Hieron., *ad Rust. Mon.*, epist. IV, ante med. — [6] Id., *ad Fur.*, epist. X, paulo post med. — [7] Ibid., post pauca. — [8] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XLIV, sent. 4. — [9] Ibid., sent. 8. — [10] Ibid., sent. 10. — [11] Bern., *ad Frat. de Monte Dei*, epist. circa med. — [12] Id., *in Quadrag.*, serm. III, post med. — [13] Ibid., serm. IV, ante med. — [14] Greg., *Moral.*, lib. XXI, c. III, fere in princ. — [15] Ibid., lib. VI, c. XVI, post med. — [16] Id., *Pastor.*, p. III, c. I, admon. 18, post med. — [17] Id., *ad Reccared.*, lib. VII, ind. 2, epist. CXXVI, col. 1390. — [18] Ambros., *de Vid.*, c. IX, n. 57. — [19] Id., lib. II, epist. XII. — [20] Aug., *de Virginit.*, c. VIII.

ita nemo pudicitiam servat in corpore, nisi spiritui prius insita castitate. » Idem, *de Ecclesiasticis Dogmatibus*[1] :« Melior est continentia nuptiis; sed non sibi sola sufficit ad beatitudinem, si pro solo amore pudicitiæ retinetur; sed si et hoc cum affectu causa vacandi Domino eligitur : alioquin divortium magis conjugii videbitur esse, quam appetitus castitatis. » Idem, *de Soliloquiis*[2] : « Quantum uxorem velis pingere, atque cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum, quam concubitum esse decrevi. Nihil enim sentio, quod magis ex arce virtutis dejiciat animum virilem, quam blandimenta feminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. » Idem, *de Civitate Dei*[3] : « Ita non amittitur corporis sanctitas manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso, sicut amittitur et corporis sanctitas, violata animi sanctitate, etiam corpore intacto. » Idem, in *Epistola*[4] : « Quidquid in carne nec commisit, nec permisit libido patientis, solius erit culpa facientis; omnisque illa violentia non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis vulnere reputabitur (*a*). » Idem : « Pudicitiam, » etc., supra[5], *de Consensu*. Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* : « Omnes virtutes spirituales res sunt angelicæ; præcipue tamen castitas res est angelica : per hanc enim solum singulariter homines angelis similantur, et vincitur natura virtutibus. » Idem[6] : « Illa est gloriosa continentia, non quam transgredi non potest necessitas, vel debilitas corporis, sed quam complectitur voluntas sancti propositi. » Hieronymus, in *Epistola*[7] : « Grandis virtutis est et sollicitæ diligentiæ, superare quod nata sis, in carne non carnaliter vivere, tecum pugnare quotidie, et inclusum hostem Argi, ut fabulæ ferunt, centum oculis observare. » Item[8] : « Magnus est pudicitiæ labor, sed majus est præmium : temporalis custodia, sed remuneratio æterna. » « Isidorus, *de Summo Bono*[9] : « Amanda est pulchritudo castitatis, cujus degustata delectatio dulcior invenitur, quam carnis. Castitas enim fructus est suavitatis, pulchritudo inviolata sanctorum : castitas securitas mentis, sanitas corporis. » Idem : « Nequaquam in senectute, » etc., infra, lib. IV, *de Certamine*[10]. Idem, in *Etymologiis*[11] : « Continens non solum in castitate dicitur, sed et in cibo, et in potu, in ira quoque et vexatione mentis, et detrahendi libidine. Nam continens dicitur, quod se a multis abstineat. » Cyprianus, *de duodecim Abusionibus*[12] : « Pudicitia nobilium ornamentum est, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, prosperitas laborantium, solamen mœstorum, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, Dei creatoris omnium amica. » Bernardus, in *Epistola*[13] : « Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus, et angelus; sed felicitate, non virtute. Nam etsi castitas illius felicior, hujus tamen cognoscitur esse fortior. » Idem[14] : « Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis et loco et tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. » Item, in *Sermonibus* : « Continendum est in veritate : quidam enim continent ex necessitate, non habentes, aut loci, aut temporis, aut instrumentorum opportunitatem; quidam ex vanitate, propter favorem videlicet hominum, vel aliquod temporale commodum; quidam ex veritate, soli Deo placere cupientes. »

[1] Imo Gennad., *de Eccles. Dogm.*, c. LXIV.— [2] Aug., *Soliloq.*, lib. I, c. X. — [3] Id., *de Civit. Dei*, lib. I, c. XVIII. — [4] Id., *ad Victorian.*, epist. CXXII, al CXI, n. 9 .— [5] Vid. sup., hoc ipso libro, c. IV, p. 67. — [6] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. XXXII, post med. — [7] Hieron., *ad Fur.*, epist. X, ante med. — [8] Id., *ad Maur. fil.*, epist. XIV, non longe a princ. — [9] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XL, sent. 5. — [10] Vid. inf., lib. IV, c. XI. — [11] Isid., *Etymol.*, lib. X, verbo *Continens*. — [12] Cyprian., *de duod. Abusion.*, c. V, in fine. — [13] Bern., *ad Henric. Senon.*, epist. XLII, ante med. — [14] Ibid., conseq.

(*a*) *Al.* deputabitur.

CAPUT XXXVIII.

De Continentia visus.

Gregorius, in *Moralibus*[1] : « Ne quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quod intueri non decet, quod non licet concupisci. » Idem[2] : « Sancti viri, cum sinistra pulsari delectatione se sentiunt, ipsa, per quæ formæ species ad mentem ingrediuntur, disciplinæ magisterio lumina restringunt, ne pravæ cogitationi visio lenocinata famuletur. » Augustinus, in *Regula*[3] : « Oculi vestri, etsi jactantur in aliquam feminarum, in nulla figantur. Neque enim, quando proceditis, feminas videre prohibemini; sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum est. » Idem, *de Confessionibus*[4] : « Resisto seductionibus oculorum meorum, ne implicentur pedes affectus mei, quibus ingredior viam tuam, Deus meus; et erigo ad te invisibiles oculos meos, ut tu evellas de laqueo pedes meos. » Idem, *de Pœnitentia*[5] : « Cohibeat se a ludis, a spectaculis sæculi, qui perfectam vult consequi gratiam remissionis. Nam Dina si se cohibuisset, si inter suos remansisset, ab extraneo raptore corrupta non fuisset. » Isidorus, in *Synonymis*[6] : « Tolle occasionem peccandi, aufer materiam delinquendi : si vis esse a fornicatione tutus, esto corpore et visione discretus. » Idem[7] : « Peccati pudore oculos tuos attollere erubesce. Incede abjecto vultu, humiliato ore, deposita facie. » Ambrosius, *de Officiis*[8] : « Est in oculis verecundia, ut nec videre viros femina pudica, nec videri velit. » Idem, *super Lucam*[9] : « Quod non videris, non amabis; sed ubi caro concupierit, compatientis quoque animi constantia defatiscit, et mens consortio amoris inflectitur. » Bernardus, in *Epistola*[10] : « Ut te ipsum semper aspicias, ab omnibus oculos averte. » Idem, *de duodecim Gradibus*[11] : « Utquid audes oculos levare ad cœlum, qui peccasti in cœlum? Terram intuere, ut cognoscas teipsum : ipsa te tibi repræsentabit, quia terra es, et in terram ibis. Duabus tamen causis inculpabiliter oculos levas, ut petas auxilium a Deo, vel impendas proximo. » Seneca, in *Epistola*[12] : « Qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagraverit, et oculos, et aures ab his, quæ relinquit, avertat. »

CAPUT XXXIX.

De Continentia auditus.

Gregorius, in *Moralibus*[13] : « Necesse est, ut nec ad aures veniat, quod mens a cogitationis aditu vigilans repellat. » Augustinus, *de decem Chordis*[14] : « Cur ambulamus delectati vanis canticis, nulli rei profuturis, ad tempus dulcibus, in posterum amaris? Talibus enim turpitudinibus cantionum animi humani illecti enervantur, et decidunt a virtute defluentes in turpitudinem, et propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, et cum amaritudine digerunt, quod cum temporali delectatione et dulcedine biberunt. » Hieronymus, in *Epistola*[15] : « Nos ad patriam festinantes, mortiferos sirenarum cantus, surda debemus aure transire. » Idem[16] : « Semper linguam tuam de bonis loqui assuesce, et auditum tuum ad bonorum magis laudem, quam ad malorum vituperationem commoda. » Idem[17] : « Non licet tibi alterius vituperationem patienter audire, quia nec ab aliis optas recipi tuam. » Isidorus, in *Synonymis*[18] : « Nulla aures tuas sermonum impudicitia subrepat. Vanus sermo cito pol-

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXI, c. I, circa med. — [2] Ibid., c. VI. — [3] Aug., *Reg.* III, c. XXI. — [4] Ibid., *Confess.*, lib. X, c. XXXIV. — [5] Lib. *de ver. et fals. Pœnit.*, inter Op. S. Aug., Append. tom. VI, edit. Bened. — [6] Isid., *Synon.*, c. V. — [7] Ibid., c. VI, post med. — [8] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XVIII. — [9] Id., *in Luc.*, IV, lib. IV, n. 9. — [10] Bern., *de Vita solit.*, ante med. — [11] Id., *de duod. grad. Humilit.*, grad. 1. — [12] Senec., epist. LX, ante med. — [13] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. VI, post med. — [14] Aug., *de dec. Chord.* — [15] Hieron., epist. CV, quæ est Præf. in Josue. — [16] Id., *ad Maur. fil.*, epist. XIV, longe post med. — [17] Ibid., paulo ante. — [18] Isid., *Synon.*, c. IX, post med.

luit mentem, et facile agitur, quod libenter auditur. » Bernardus : « Verbum scurrile, » infra, lib. III, *de Stultiloquio*.

CAPUT XL.

De Clementia.

Gregorius, in *Moralibus*[1] : « Minor est virtus certaminis, foris quempiam videre mala quæ superet, et intus quod toleret non habere. Perfectæ autem mansuetudinis et clementiæ laus est, adversa perpeti, et exterius fortiter, et interius clementer. » Augustinus, *in Sermonem* (a) *Domini in monte*[2] : « Mitis est, qui cedit improbitatibus, et non resistit in malo, sed vincit in bono malum. » Idem, in *Epistola*[3] : « Malis parce, vir mitis et bone; et quanto melior es, tanto mitior esto; et quanto sis celsior potestate, tanto humilior fias pietate. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum*[4] : « Mansuetus neque irritat malum, neque irritatur a malo, neque adversus eum prævalet causa peccati, neque adversus alterum aliquando ex illo nascitur causa peccandi : sed magis contentus est injuriam pati, quam facere. » Idem[5] : « Ille est vere mansuetus, qui cum nocitus fuerit ab alio, nec cogitat facere malum, nec facit. » Idem, *super Joannem* : « Si cogitaverimus quoniam non ei qui contristavit, sed nobisipsis largimur, cito dimittemus venenum iræ et vindictæ » Ambrosius, in *Lucam*[6] : « Non habet ultionis studium perfecta virtus; nec ulla est iracundia, ubi plenitudo est charitatis. » Isidorus, in *Synonymis*[7] : « Aufer a corde fraternam offensionem; alienæ nequitiæ non serves dolorem. » Idem[8] : « Supplici oranti veniam deprecare; petenti quoque tibi veniam, libenter indulge.» Beda, in glossa, *Luc.*, IX : « Non semper in eos, qui peccant, est vindicandum; quia nunquam amplius prodest clementia tibi ad patientiam, lapso ad correctionem. » Seneca, *de Clementia*[9] : « Verecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis. » Idem[10] : « Magni animi proprium est, placidum esse tranquillumque, et injurias atque offensiones spernere. » Idem[11] : « Clementem vocabo non in alieno dolore facilem, sed eum qui, cum suis stimulis exagitetur, non prosilit; qui intelligit magni animi esse injurias in summa potentia pati, nec quidquam esse gloriosius principe impune læso. » Idem[12] : « Nullum clementia ex omnibus magis quam principem decet. Nam pestifera vis est, valere ad nocendum. »

CAPUT XLI.

De Modestia.

Gregorius, in *Registro*[13] : « Sic ea, quæ sunt justitiæ, foris exequor, ut ea, quæ intus amoris et dilectionis sunt, minime postponam : » Idem[14] : « Omnia age blande et dulciter, ut et actio tua discreta sit, et lingua mitis. » Idem : « Cum curam rerum nobis necessitas imponit, quidam dum eas rapiunt solummodo tolerandi sunt : quidam vero servata charitate prohibendi sunt : non tamen sola cura debet esse ne nostra subtrahant, sed ne, rapientes non sua, semetipsos perdant. » Ambrosius, *de Officiis*[15] : « Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. » Idem[16] : « Magna virtus modestia, quæ cum sit etiam sui juris remissior, nihil sibi usurpans, nihil sibi vendicans, et quodam (b) modo intra suas vires contractior, dives est apud Deum. » Idem[17] : « In modestia maxime tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honestatis cura, decoris consideratio spec-

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c. VII. — [2] Aug., *de serm. Dom. in monte*, lib. I, c. III. — [3] Id., *ad Maced.*, epist. LXIII, al. CLIII, n. 11. — [4] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. IX, ante med. — [5] Ibid., post pauca. — [6] Ambr., *in Luc.*, lib. VI, c. IX. — [7] Isid., *Synon.*, c. VIII, in fine. — [8] Ibid., paulo ante. — [9] Senec., *de Clement.*, lib. I, c. XXII. — [10] Ibid., c. III. — [11] Ibid., c. XX. — [12] Ibid., c. III. — [13] Greg., *ad Cyriac.* C. P., lib. VI, epist. V, col. 1255. — [14] Id., *ad Castor*, lib. V, epist. XXXIII, col. 1232. — [15] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XVIII. — [16] Ibid., paulo ante. — [17] Ibid., c. XLIII.

(a) *Cæt. edit.* sermone. — (b) *Item* quod.

tatur et quæritur. » Augustinus, in *Regula*[1]: « In incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. » Idem, *de Vita beata*[2]: « Modestia dicta est a *modo*, sicut a *temperie* temperantia: ubi autem modus est atque temperies, nec plus est quidquam, nec minus. » Idem[3]: « Illud præclarum est, et non immerito diffamatur, ut hoc primum in vita esse utile, ut ne quid nimis. » Isidorus, in *Synonymis*[4]: « Professionem tuam et habitu et incessu demonstra. Sit in gressu tuo simplicitas, in motu puritas, in gestu gravitas, in incessu honestas. » Bernardus, *super Cantica*[5]: « Honestum, in quo animæ decorem locandum censuimus, diffiniatur : Mentis ingenuitas, sollicita servare cum conscientia bona famæ integritatem, vel juxta Apostolum[6], *providere bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* » Seneca, in *Epistola*[7]: « Vita non est imperfecta, si est honesta. » Idem[8]: « Nihil honestum est, quod ab invito coactoque fit. Omne honestum voluntarium est. Admisce illi pigritiam, querelam, tergiversationem, metum; quod habet in se optimum, perdit totum. » Idem[9]: « Omne honestum injussum incoactumque est, sincerum, et nullo modo mixtum. »

CAPUT XLII.

De Justitia.

Gregorius, *super Ezechielem*[10]: « Quilibet peccator conversus in fletibus, jam justus esse inchoat, cum cœperit accusare quod fecit. Cur enim justus non sit, qui contra suam injustitiam jam per lacrymas sævit? » Idem, in *Registro*[11]: « Turpe est defendere, quod mihi prius non constiterit justum esse: quia ego homines propter justitiam diligo, non autem justitiam propter homines postpono. » Idem : « Justum est, ut visitatores illic consequantur stipendium, quo pro Christo suum commodare reperiuntur obsequium. » Idem in *Homiliis*[12]: « Vera justitia compassionem habet, falsa vero dedignationem : quamvis et justi soleant recte peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ. » Augustinus, *de Mirabilibus sacræ Scripturæ*[13]: « Perfecta justitia hæc est, sacerdotium, virginitas, et martyrium. Quæ triplex justitia in Abel primo fuit, qui et munera Deo placita obtulit, prosapiam sui generis in sæculo non reliquit, et martyrii coronam sanguinis effusione promeruit. » Idem : « Quantum mihi videtur » etc., supra, lib. I, *de Perfectis*[14]. Idem, *de Vera Religione*[15]: « Hæc est perfecta justitia, qua potius potiora, et minus minora diligimus. » Idem, *de Civitate Dei*[16]: « Hæc in unoquoque justitia est, ut Deus obedienti homini, animus corpori, ratio vitiis etiam repugnantibus imperet, vel subigendo vel resistendo, atque ut ab ipso Deo petatur et meriti gratia et venia delictorum, ac de exceptis donis gratiarum actio persolvatur. » Ambrosius, *de Virginibus*[17]: « Justitia in alto quodam suggestu locata, videt exploratque omnia, quæ aliis potius nota quam sibi; non tam suas utilitates, quam publica emolumenta rimatur. » Bernardus, *de Consideratione*[18]: « Justitia nec factura est utique alteri, quod sibi fieri nolit; nec quod sibi fieri velit, alteri negatura. In his nempe duobus liquet integrum esse justitiæ statum. » Idem, in *Epistola*[19]: « Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nec unquam dicit : « Satis est; » sed semper esurit, sititque justitiam, itaut

[1] Aug., *Reg.* III, c. XX. — [2] Id., *de Vit. Beat.*, disput. III, post med. — [3] Ibid., post pauca. — [4] Isid., *Synon.*, c. IX, circa med. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXV, post med. — [6] *Rom.*, XII, 17. — [7] Senec., *Epist.*, LXXVII, ante med. — [8] Ibid., epist. LXVI ante med. — [9] Ibid., post pauca. — [10] Greg., *in Ezech.*, hom. VII, prope fin. — [11] Id., *ad Leont.*, lib. VIII, epist. LI, col. 1425. — [12] Id., *in Evang.*, hom. XXXVIII, non longe a princ. — [13] *De Mirab. S. Script.*, lib. I, c. III, inter Op. S. Aug., append. tom. III, edit. Bened. — [14] Vid sup., lib. I, c. XXXV, p. 48. — [15] Aug., *de ver. Relig.*, c. XLVIII. — [16] Id., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XXVII. — [17] Ambros., *de Virginib.*, lib. III. — [18] Bern., *de Consid.*, lib. I, post med. — [19] Id., *ad Guarin. Abb.*, epist. CCLIII, ante med.

si semper viveret, semper, quantum in se est, justior esse contenderet, semperque de bono in melius proficere totis viribus suis conaretur. » Idem, *de Contemptu*[1]: « Panis animæ justitia est, et soli[2] *beati qui esuriunt* illum, *quoniam ipsi saturabuntur.* Nimirum ad imaginem Dei facta est anima rationalis; et cæteris quidem omnibus rebus occupari potest, repleri omnino non potest. » Idem, in *Sermonibus*[3]: « Justitia virtus est, quod suum est, unicuique tribuens. Tribue ergo tribus quæ sua sunt: redde superiori, redde inferiori, redde æquali cuique quod debes. » Idem: « Habemus enim ante nos priores, post nos juniores, a dextris amicos, a sinistris inimicos. Reddamus ergo singulis quod suum est, prioribus obedientiam, junioribus doctrinam, amicis lætitiam, inimicis patientiam. » Glossa[4]: « Justitia est sua unicuique reddere, sibi et proximis, et Deo. » Tullius, in *Rhetoricis*[5]: « Justitia est habitus animi, communi utilitate conservata, suam unicuique tribuens dignitatem. »

CAPUT XLIII.

De Obedientia bona.

Gregorius, in *Moralibus*[6]: « Sola obedientia est, quæ fidei meritum possidet, sine qua infidelis quisque convincitur, etiamsi fidelis esse videatur. » Idem[7]: « Per obedientiam voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante ejus conspectum, repressa arbitrii sui superbia, gladio præcepti se immolat. » Idem[8]: « Nunquam per obedientiam malum fieri debet; aliquando autem debet per obedientiam bonum quod agitur, intermitti. Neque enim mala in Paradiso arbor extitit, quam Deus homini, ne contingeret, interdixit. Sed, ut in melius per obedientiæ meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat, ut et hunc etiam a bono aliquo prohiberet: quatenus tanto verius hoc, quod ageret, bonum esse cognosceret, quanto, a bono cessans, auctori suo se subditum humilius exhiberet. » Idem[9]: « Notandum quod dicitur[10]: *Ex omni ligno Paradisi edite, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comederitis.* Qui enim ab uno bono subjectos vetat, necesse est multa concedat, ne obedientis mens funditus intereat, si a bonis omnibus omnino repulsa jejunat. » Idem[11]: « Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit. » Idem[12]: « Si obedientiæ palmam apprehendere nitimur, prosperis hujus sæculi ex sola jussione, adversis autem ex devotione militemus. » Idem[13]: « Debet obedientia, et in adversis aliquid ex suo habere, et in prosperis aliquid ex suo omnino non habere: quatenus et in adversis tanto sit gloriosior, quanto divinæ ordinationi etiam ex desiderio sui jungitur: et in prosperis tanto sit verior, quanto a præsenti ipsa, quam divinitus percepit gloriam, funditus mente separatur. » Idem[14]: « Obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est; non timore pœnæ, sed amore justitiæ. » Idem, in *Registro*[15]: « Pensate quantum cunctis expedit (*a*), ei quem nobis gratia divina prætulit, integerrimam semper in omnibus obedientiam præbere (*b*). » Idem[16]: « Vide, ut omnia absque imminutione custodias: quia de his, quæ pro servanda justitia scribo, ego absolvor, et tu si negligis, obligaris. » Idem[17]: « In obedientia valde est utile, si id quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente humilitas laudanda servaverit. » Idem, *super Ezechielem*[18]: « Ille recte loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda. » Idem[19]:

[1] Bern., super *Ecce nos reliquimus*, paulo ante med. — [2] *Matth.*, v, 6. — [3] Bern., *in adv. Dom.*, serm. III, ante med. — [4] Gloss. *in Matth.*, v. — [5] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [6] Greg., *Moral.*, lib. XXXV, c. x, ante med. — [7] Ibid., non longe a princ. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] *Gen.*, II, 17. — [11] Greg., loc. cit. — [12] Ibid. — [13] Ibid. — [14] Ibid. — [15] Greg., *ad Cler. Mediolan.*, lib. II, indict. II, epist. XXIX, col. 1114. — [16] Id., *ad Petr.*, lib. I, epist. XLII, col. 1059. — [17] Id., *ad Felic. Sardic.*, lib. IV, epist. X, col. 1168. — [18] Id., *in Ezech.*, hom. X, ante med. — [19] Ibid., post med.

(*a*) *Labb.* Pensantes quæ cunctis expediunt. — (*b*) *Labb.* præbete.

« Mandata Dei pro jussione facere, servientis et obedientis est; diligendo autem facere, obedientis et amantis est. » Augustinus, *de Civitate Dei* [1] : « Pax hominis et Dei est ordinata in fide sub æterna lege obedientia. » Idem [2] : « Obedientia in creatura rationali, mater quodam modo est omnium custosque virtutum. » Idem, *de Opere Monachorum* [3] : « Citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptorum. » Isidorus, *de Summo Bono* [4] : « Non erit caro subjecta animæ, nec vitium rationi, si animus non est subjectus Conditori. Tunc autem recte subjiciuntur nobis omnia quæ sub nobis sunt, si nos subjicimur ei, a quo nobis illa subjecta sunt. » Hieronymus, in *Epistola* [5] : « Bonum est obedire majoribus, parere perfectis, et post regulas Scripturarum, vitæ suæ tramitem ab aliis discere, nec præceptore uti pessimo, scilicet præsumptione sua. » Idem [6] : « Servias fratribus, hospitum pedes laves, passus injuriam taceas, præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem, credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de majoris sententia judices, cujus officium est obedire, et implere quæ justa sunt. » Ambrosius, *super Lucam* [7] : « Disce, homo, Deo esse subjectus, ut non quod ipse vis, eligas, sed quod Deo scis esse placiturum. » Cyprianus, *de Duodecim Abusionibus* [8] : « Obedientia, quæ omnium disciplinarum mater est, magna exercitatione indiget, quæ sui normam studii a Christo Domino sumpsit : qui obediens Patri usque ad mortem crucis, ignominiam libenter sustinuit. » Bernardus, *de Præcepto et Dispensatione* [9] : » Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus. » Idem [10] : « Generalis hæc regula teneatur, ut in difficilioribus quidem agendis, obedientia gratior, quam gravior prævaricatio judicetur; et in facilioribus minusque onerosis, contemptus damnabilior, quam actus laudabilior æstimetur. » Idem : « Nil me, » etc., supra, lib. I, *de Prælatis bonis* [11]. Idem, in *Epistola* [12] : « Hoc advertendum, quod quædam sunt pura bona, quædam pura mala; et in his nullam deberi hominibus obedientiam : quoniam nec illa omittenda sunt, etiam cum prohibentur; nec ista, cum jubentur, committenda. Porro inter hæc sunt media quædam, quæ pro modo, loco, tempore, vel persona, et mala possunt esse, et bona : et in his lex posita est obedientiæ; tanquam in ligno scientiæ boni et mali, quod erat in medio Paradisi. In his profecto fas non est nostrum sensum sententiæ præscribere magistrorum : in his omnino prælatorum nec jussio, nec prohibitio contemnenda. » Idem [13] : « O monachum obedientissimum, qui ex quibuslibet seniorum verbulis ne unum quidem iota prætervolat; non attendit, quale sit quod præcipitur, contentus quia præcipitur! Et hæc est obedientia sine mora. » Idem, *de Contemptu mundi* [14] : « Age, eia age, qui relinquere omnia disponis, te quoque primum inter relinquenda numerare memento : imo vero maxime et principaliter abnega teipsum, si deliberas sequi eum, qui exinanivit propter te semetipsum. » Idem, in *Sermonibus* : « Obedientia quinquepartita est : prima, opus rectum, quia non est obedientia contra Deum; secunda, voluntarium, quia quod fit ex necessitate, non est bonum; tertia, purum, ut intentio pura sit, quia si oculus simplex est, totum corpus lucidum est; quarta, discretum, ne quid nimis, aut minus : qui enim recte offert, si non recte dividat, peccat; quinta, firmum, id est, perseverans, quæ omnia claudit, et continet : nullum enim bonum sine perseverantia coronatur. Ut au-

[1] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XIII. — [2] Ibid., lib. XIV, c. XII. — [3] Id., *de op. Monach.*, c. XVII. — [4] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. I, c. XI, sent. 11. — [5] Hieron., *ad Demetr.*, epist. VIII, post med. — [6] Id., *ad Ruf. Monach.*, epist. IV, post med. — [7] Ambros., *in Luc.*, XXII, lib. X. — [8] Cyprian., *de duod. Abus.*, c. VIII. — [9] Bern., *de Præc. et Disp.*, ante med. — [10] Ibid., post med. — [11] Vid. sup., lib. I, c. XI, p. 24. — [12] Bern., *ad Adam Monach.*, ante med. — [13] Ibid., epist. VII, post med. — [14] Id., super *Ecce nos reliq.*, non longe a princ.

tem perseverantiam habeat murus obedientiæ, inhærere sibi debent propugnacula patientiæ. » Idem [1] : « Redde reverentiam et obedientiam prælato : quarum altera cordis, altera corporis est. Nec enim sufficit exterius obtemperare majoribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. » Benedictus, in *Regula* [2] : « Obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure, aut cum responso nolentis efficiatur : quia obedientia, quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. » Idem [3] : « Obedientiæ bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deum. » Glossa interlinearis [4] : « Obedientia est complenda sine mora, et observanda. »

CAPUT XLIV.

De Obedientia inaccepta.

Gregorius, in *Registro* [5] : « Apud nolentis animum, quamvis sit evidens ratio parendi, tamen hoc ipsum (a), quod non vult, obstaculum obedientiæ esse solet. » Idem, in *Moralibus* [6] : « Ille primus inobediens, mox ut superbiendo peccavit, pudenda contexit : quia enim contumeliam spiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invenit. » Idem [7] : « Cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. » Idem [8] : « Ad detrimentum obedientia ducitur, cum mentem, ad suscipienda probra hujus sæculi, nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. » Idem [9] : « Dignum profecto est, ut a Dei beneficiis sit extraneus, cujus nimirum jussionibus non vult esse subjectus. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem* : « Quanto leviora sunt præcepta, tanto majus supplicium his, qui non obediunt. » Augustinus, de *Confessionibus* [10] : « Nemo invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit. » Bernardus, in *Epistola* [11] : « Facere malum, quolibet etiam jubente, constat non esse obedientiam, sed potius inobedientiam. » Idem [12] : « Extorta seu coacta licentia, licentia non est, sed violentia. » Idem : « Non vos felices, » etc., supra, *de Prælatis bonis* [13]. Idem, *super Cantica* [14] : « Non dabit inobedientiæ copiam sui, tantus obedientiæ amator, ut mori, quam non obedire maluerit ; sed neque approbat tuæ contemplationis inane otium, qui dicit per Prophetam [15] : *Laboravi sustinens.* » Idem : « Si in die jejunii, » etc., libro III, *de Voluntate* [16]. Idem : *A mandatis tuis intellexi*, etc., infra, libro IV, *de Gustu* [17]. Idem, *de Præcepto et Dispensatione* [18] : « Imperfecti cordis et infirmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere ; hæsitare ad singula, quæ injunguntur ; exigere de quibusque rationem, et male suspicari de omni præcepto, cujus causa latuerit ; nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut cum non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. » Et infra : « Si, jubente seniore ut sileam, verbum mihi forte per oblivionem elabitur, reum me fateor inobedientiæ, sed venialiter. Si ex contemptu, sciens et deliberans, sponte in verba prorupero, et rupero silentii legem, prævaricatorem me constituo, et criminaliter ; et si impœnitens persevero usque ad mortem, peccavi etiam damnabiliter. » Idem, in *Ser-*

[1] Bern., *in adv. Dom.*, serm. III, ante med. — [2] S. Bened. *Reg.*, c. V, post med. — [3] Ibid., c. LXXI, in princ. — [4] Gloss. interl. in *Gen.*, XVII. — [5] Greg., *ad Bonif. Magnif. Afric.*, lib. III, epist. XLI, col. 1162. — [6] Id., *Moral.*, lib XXVI, c. XIII, circa med. — [7] Ibid., lib. XXXV, c. X, ante med. — [8] Ibid. — [9] Ibid., lib. XI, c. X, ante med. — [10] Aug., *Confess.*, lib. I, c. XII. — [11] Bern., *ad Adam Monach.*, epist. VII, ante med. — [12] Id., *ad Oger. can. reg.*, epist. LXXVIII, ante med. — [13] Vid. sup., lib. I, c. XI, p. 24. — [14] Bern., *super Cant.*, serm. XLVI, circa med. — [15] *Isa.*, I, 14. — [16] Vid. inf., lib. III, c. I. — [17] Vid. inf., lib. IV, c. XXIX. — [18] Bern., *de Præc. et Disp.*, ante med.

(a) *Labb.* ratio, hoc ipsum. *Cæt. edit.* ratio non parendi, tamen hoc ipsum.

monibus[1] : « Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas et perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat : Quid vis, ut faciam tibi ? Non ipsi quærunt[2] : *Domine, quid me vis facere ?* Considerare nempe necesse habet minister et vicarius Christi, quid sibi præcipi velit ; non ipse considerat, quæ sit voluntas præceptoris. » Idem[3] : « Qui vel aperte, vel occulte satagit, ut quod vult ipse, hoc ei prælatus injungat, ipse se seducit, et frustra sibi blanditur de obedientia. Non enim in ea re ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit. » Seneca, in *Epistola*[4] : « Qui imperia libens excipit, partem acerbissimam servitutis effugit, scilicet facere quod nolit. Non qui jussus aliquid facit miser est, sed qui invitus facit. » Multa infra, libro III, *de Stultiloquio* in *murmure*.

CAPUT XLV.

De Oratione accepta.

Gregorius, in *Dialogis*[6] : « Obtineri per orationem nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt : sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur. » Idem, in *Registro*[7] : « Dominico die a labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum : ut, si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem septimum, qui est resurrectionis dominicæ, precibus expietur. » Idem, in *Moralibus*[8] : « Veraciter orare, est amaros in compunctione gemitus, non composita verba resonare. » Idem : « Differre solet, » infra, lib. IV, *de Desiderio*[9]. Idem, in *Homiliis*[10] : « Virtus veræ orationis est celsitudo charitatis. Et tunc quisque, quod recte petit, adipiscitur, cum ejus animus in petitione nec inimici odio fuscatur. » Augustinus, in *Epistola*[11] : « Absit ab oratione multa locutio ; sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui in orando, est rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad Deum, quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur ; plus fletu, quam affatu. Talis enim oratio ponit lacrymas in conspectu Dei, et gemitus noster non est absconditus ab eo. » Idem[12] : « Qui omnia per verbum condidit, in orationibus etiam humana verba non quærit. » Idem : « Qui didicerunt a Domino Jesu Christo mites esse et humiles, corde plus cogitando et orando perficiunt, quam legendo et audiendo. » Idem, in *sermone*[13] : « Dicimus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* O sapientia vera et divina providentia, quæ docuit, et *panem* solum petere, et *hodie* nominare ! Hoc enim dicto, et aviditas cum avaritia tollitur, et humanæ vitæ insinuatur incertum. » Idem : « Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium ? » Idem, in *Meditationibus* : « Obsecro, Domine, amaricatum est cor meum sua desolatione : indulcora illud tua consolatione. Obsecro, Domine, quoniam esuriens incœpi quærere te ; non desinam jejunus : ad te famelicus accessi ; ne recedam impastus : pauper veni ad divitem, miser ad misericordem ; ne redeam vacuus et contemptus ; et si, antequam comedam, suspiro, da, vel post suspiria, quod comedam. » Idem, *de Civitate Dei*[14] : « Quanto est quisque sanctior, et desiderii sancti plenior, tanto est ejus in orando fletus uberior. » Idem[15], *de Ecclesiasticis Dogmatibus* : « Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire ; nullum invitatum salu-

[1] Bern., *in Convers. S. Paul.*, serm. I, post med. — [2] *Act. Apost.*, IX, 6. — [3] Bern., *de trib. or. Eccl.*, serm., circa med. — [4] Senec., *Epist.* LXI. — [5] Vid. inf., lib. III, c. III, §. 7. — [6] Greg., *Dial.*, lib. I, c. VIII. — [7] Id., *ad Civ. Rom.*, lib. XI, epist. III, col. 1512. — [8] Id., *Moral.*, lib. XXIII, c. XXI, circa fin. — [9] Vid. inf., lib. IV, c. XXIV. — [10] Greg., *in Evang.*, hom. XXVII, post med. — [11] Aug., *ad Prob.*, epist. CXXI, c. X. — [12] Ibid., conseq. — [13] *De Tempor.*, serm. CXXVI, al. LXV, n. 3, in append. Op. S. Aug. — [14] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XX, c. XVII. — [15] Imo Gennad., *de Eccl. Dogm.*, c. LVI, inter Op. S. Aug., append. tom. VIII.

tem suam, nisi Deo auxiliante, operari; nullum, nisi orantem, auxilium promereri. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum*[1] : « Sicut thymiamata bene confecta delectant hominem odorantem, sic oratio justi suavis est ante Deum. Vis autem scire dignitatem ejus ? Mox, ut de ore processerit, suscipiunt eam angeli manibus suis, et offerunt ante Deum. » Ambrosius, super *Beati immaculati*[2] : « Pernoctabat in oratione Dominus Jesus, non indigens precationis auxilio, sed statuens tibi imitationis exemplum. » Idem[3] : « *Media nocte,* ait Propheta[4], *surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ*; et tu surge vel media nocte, si non potes tota nocte vigilare. » Isidorus, in *Synonymis*[5] : « Pernocta in oratione, et prece : incumbe nocturnis vigiliis; ad modicum clausis oculis, rursum ora. » Idem[6] : « Omnibus malis prævalet oratio. » Idem, *de Summo Bono*[7] : « Fidei Symbolum, et Dominica Oratio pro tota lege parvulis Ecclesiæ ad cœlorum regna sufficit capessenda : omnis enim latitudo Scripturarum in eadem Oratione Dominica, et Symboli brevitate concluditur. » Idem[8] : « Frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. » Idem[9] : « Oratio cordis est, non labiorum : neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit. Quod si tacite cor oret, et vox sileat, quamvis homines lateat, Deum latere non potest, qui præsens est. » Idem[10] : « Nunquam orandum est sine gemitu. » Idem[11] : « Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare, frequenter et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur ; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. » Idem[12] : « Oratio privatis locis opportunius funditur, magisque obtentum impetrat, dum Deo tantum teste depromitur. » Joannes Damascenus in libro suo[13] : « Oratio est ascensus intellectus ad Deum, vel petitio decentium a Deo. » Bernardus, in *Epistola*[14] : « Oratio est hominis Deo adhærentis affectio, et familiaris quædam et pia allocutio, et statio illuminatæ mentis ad fruendum Deo quandiu licet. » Idem[15] : « Dum manibus pectora, genibus pavimenta tunduntur, votis et devotis precibus altaria cumulantur ; dum sordent genæ lacrymis, gemitibus atque suspiriis mugiunt colla, et pro forensibus causis canticis spiritualibus sacra tecta resultant : nil supernis civibus magis spectare libet, nil Regi summo jucundius exhibetur. » Idem[16] : « Etsi vocis virtus sit opus, et operi tamen, et voci, et gratiam et efficaciam promeretur oratio. » Idem, *super Cantica*[17] : « Credimus angelos sanctos astare orantibus et offerre Deo preces et vota hominum, ubi tamen sine ira et disceptatione levari puras manus perspexerint. » Idem[18] : « Orando bibitur vinum spirituale lætificans cor hominis, vinum scilicet Spiritus sancti, quod inebriat mentem, et carnalium voluptatum infundit oblivionem, humectans interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, et deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansque charitatem, et impinguans mores. » Idem[19] : « Unicum in dubiis remedium seu refugium oratio est, et frequens gemitus ad Deum, et ut quid, quando et qualiter facere nos velit Deus, assidue nobis monstrare dignetur. » Idem, in *Sermonibus*[20] : « Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate debet accedere, a palude sua procedens ranuncula. » Idem[21] : « In omnibus actionibus nostris et obser-

[1] Chrysost., *in Matth.* Op. imperf., hom. XIII, post med. — [2] Ambros., *in Psal.* CXVIII, octonar. VIII. — [3] Ibid. — [4] *Psal.* CXVIII, 62. — [5] Isid., *Synon.*, c. IV. — [6] Ibid. — [7] Ibid., *de Sum. Bon.* lib. I, c. III, sent. 1. — [8] Ibid., lib. III, c. VII, sent. 1. — [9] Ibid, sent. 4. — [10] Ibid., sent. 5. — [11] Ibid, c. VIII, sent. 2. — [12] Ibid., c. VII, sent. 37. — [13] Damasc., *Orthod. Fid.*, lib. III, c. XXIV. — [14] Bern., *de Vit. Solit.*, epist., post med. — [15] Id., *ad Suger. abb.*, epist. LXXVIII, ante med. — [16] Id., *ad Balduin.* epist. CCI, versus fin — [17] Id., *in Cant.*, serm. VII, ante med. — [18] Ibid., serm. XVIII, post med. — [19] Ibid., serm. LVII, post med. — [20] Id., *de qual. mod. orand.*, serm. post med. — [21] Ibid., post pauca.

vantiis, multa opus est animi vigilantia, sed præcipue in oratione. » Idem [1] : « Licet omni hora et omni loco oculi Domini super nos speculentur, maxime tamen in oratione. Licet enim semper videamur, sed tunc etiam præsentamus nos et ostendimus quasi facie ad faciem, cum Domino colloquentes. » Glossa, super illud *Matthæi* [2]: *Et oravit tertio eumdem sermonem*, etc. : « Tribus vicibus Christus oravit, ut et nos a peccatis præteritis veniam, et a præsentibus malis tutelam, et futuris periculis cautelam a Domino oremus. » Seneca, in *Epistola* [3] : « Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat : sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. » Idem [4] : « Audacter roga Deum, nihil illum de alieno rogaturus es. Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi; deinde tunc corporis. » Multa infra, libro IV, *de Desiderio, de Connexione* [5] (*a*).

CAPUT XLVI.

De Oratione inaccepta.

Gregorius, in *Moralibus* [6] : « Gravi mens nostra confusione, orationis suæ tempore, deprimitur, si hanc aut sua operatio adhuc inquinat, aut alienæ malitiæ servatus dolor accusat. » Idem, in *Registro* [7] : « Ut ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilantius studendum est, ut vestræ voces actibus adjuventur. Nam inanis fit oratio, ubi prava est actio. » Augustinus, in *Sermonibus* : « Qua fronte postulas quod promisit Deus, cum non facis quod jussit Deus? Prius audi monitiones, et sic exige promissiones. » Idem : « *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Nec pro eis est efficax oratio, quorum fides sine operibus mortua est; sed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur. » Isidorus, *de Summo Bono* [8] : « Longe a Deo est animus, qui in oratione cogitationibus sæculi fuerit occupatus. » Idem [9] : « Mens qualem se in oratione offert, talem post orationem se conservet. Nam nihil proficit oratio, si denuo culpa committatur, unde jam venia postuletur. » Hieronymus, in *Epistola* [10] : « Nescio qua conscientia ea lingua quis Deum rogat, qua aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. Labia sancta exaudit Deus; et ipsis cito annuit precibus, quas lingua immaculata pronuntiat. » Joannes Chrysostomus, super *Matthæum* [11] : « Qui orat et peccat, non orat Deum, sed illudit eum. » Idem, in *Sermone* : « Tu non audis orationem tuam, et Deum vis audire precem tuam? Flecto, inquis, genua. Curvasti quidem genua intus, sed mens tua foris vagabatur : corpus tuum intus in ecclesia, sed animus tuus foras : os quidem loquebatur, sed mens usuras cogitabat. » Beda, in *Homiliis* : « Est oratio quæ peccatum facit; sed qui bene orat, orando quærit Deum, hic a terrenis ad superiora progrediens verticem curiæ sublimioris ascendit : qui vero de divitiis, aut honore sæculi, aut certe de inimici morte sollicitus obsecrat, ipse in infimis jacens, viles ad Deum preces mittit. » Bernardus, *super Cantica* [12] : « Quærentes aliquid, frustrari solent, cum aut videlicet non in tempore quærunt, aut non sicut oportet, aut ubi oportet. » Idem : « Oratio peccatoris, » etc., infra, libro III, *de Discordia* [13]. Idem [14] : « Miror valde impudentiam aliquorum, qui inter nos sunt, qui cum omnes nos sua singularitate turbaverint, sua impatientia irritaverint, sua inobedientia coinquinaverint; audent nihilominus ad tam fœdum conscientiæ suæ lectulum cum orationum instantia, totius puritatis Deum invitare. Sed, sicut scriptum

[1] Bern., *de Quat. Mod. orandi*, post pauca. — [2] *Matth*, XXVI, 44. — [3] Senec., epist. X, in fin. — [4] Ibid., ante. — [5] Vid. inf., lib. IV, c. XXIV, et c. XLV, § 6. — [6] Greg., *Moral.*, lib. X, c. XI, post med. — [7] Id., *ad Epist. Sicil.*, lib. IX, epist. XLV, col. 1462.

(*a*) *Cæt. edit.* laudatione.

— [8] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. VII, sent. 8. — [9] Ibid., sent. 6. — [10] Hieron., *ad Maur. fil.*, epist. XIV. — [11] Chrysost., *in Matth.* Oper. imper., hom. XV, ante med. — [12] Bern., *in Cant.*, serm. LXXV, ante med. — [13] Vid. inf., lib. III, c. XXII. — [14] Bern., ibid., serm. XLVI, circa med.

est [1] : *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* » Idem, in *Sermone* [2] : « Timida oratio cœlum non penetrat, quia restringit animum timor immoderatus, ut omnino, non dico ascendere, sed nec procedere queat. Tepida vero in ascensu languescit et deficit, eo quod non habeat vigorem. Temeraria ascendit quidem, sed resilit, resistitur enim ei; nec tantum non obtinet gratiam, sed meretur offensam. Quæ vero fidelis, et humilis, et fervens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit, unde certum est quod vacua redire non possit. » Seneca, in *Epistola* [3] : « Tunc scito te omnibus cupiditatibus esse solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare palam possis. Nunc autem quanta dementia est hominum, qui turpissima vota Diis insusurrant, ita ut, si quis aurem admoverit, statim conticescant, et quod scire hominem nolunt, Deo narrant! »

CAPUT XLVII.

De Donis.

Gregorius, in *Moralibus* [4] : « Donum Spiritus, quod in subjecta mente ante alia prudentiam, temperantiam, fortitudinem, et justitiam format, eamdem mentem, ut contra singula quæque tentamenta erudiat, in septem mox virtutibus temperat : ut contra stultitiam, sapientiam; contra hebetudinem, intellectum; contra præcipitationem, consilium; contra timorem, fortitudinem; contra ignorantiam, scientiam; contra duritiam, pietatem; contra superbiam, det timorem. » Idem [5] : « Orandum est, ne sapientia elevet; ne intellectus, dum subtiliter currit, aberret; ne consilium, dum se multiplicat, confundat; ne fortitudo, dum fiduciam præbet, præcipitet; ne scientia, dum novit et non diligit, inflet; ne pietas, dum extra rectitudinem inclinat, intorqueat; ne timor, dum plus justo trepidat, in desperationis foveam mergat. » Idem, *super Ezechielem* [6] : « Est timor in mente. Sed qualis timor est, si cum eo pietas non est? Qui enim misereri proximo ignorat, qui compati ejus tribulationi dissimulat : hujus timor ante omnipotentis Dei oculos nullus est, quia non sublevatur ad pietatem. Sed sæpe pietas per inordinatam misericordiam errare solet, si forte pepercerit quæ parcenda non sunt. Peccata enim, quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ sunt verbere corrigenda. Ut ergo vera et ordinata sit pietas, ad gradum est alium sublevanda, id est, ad scientiam, ut sciat quid ex judicio puniat, vel quid ex misericordia dimittat. Sed quidem si sciat quid agere quisque debeat, virtutem vero agendi non habeat, nihil valet. Scientia ergo nostra crescat ad fortitudinem, ut cum viderit quid agendum sit, hoc agere per mentis fortitudinem possit. Sed sæpe fortitudo, si improvida fuerit, et minus contra vitia circumspecta, ipsa sui præsumptione in cassum ruit. Ascendat ergo ad consilium, ut prævidendo præmuniat omne, quod agere fortiter potest. Sed consilium esse non potest, si intellectus deest: quia qui non intelligit malum quod agentem gravat, quomodo potest bonum dare consilium, quod adjuvet? Itaque a consilio ascendamus ad intellectum. Sed quid, si intellectus magno quidem acumine viget, et moderari se nescit per maturitatem? Ab intellectu ergo ascendatur ad maturitatem. Ascendamus ergo per intellectum ad sapientiam, ut hoc, quod accuratius intellectus invenit, sapientia mature disponat. » Idem [7] : « Per timorem Dei efficimur humiles; per pietatis studium, misericordes; per scientiam, discreti; per mentis fortitudinem, liberi; per consilium, cauti; per intellectum, providi; per sapientiam, maturi. »

[1] *Isa.*, I, 15. — [2] Bern., *de Quadrag.*, serm. IV, prope fin. — [3] Senec., *Epist.* X, prope fin. — [4] Greg., *Moral.*, lib. II, c. XXVII, ante med. — [5] Ibid., lib. I, c. XXIX, al. XXXV. — [6] Id., *in Ezech.*, hom. XIX, ante med. — [7] Ibid., circa med.

Augustinus, *super Matthæum* : « Spiritus sanctus operatione septenaria commendatur, ut sit in nobis spiritus sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris Dei. Huic septenario bono, constitue e contrario septenarium malum, scilicet spiritum stultitiæ et erroris, spiritum temeritatis et ignaviæ, spiritum ignorantiæ et impietatis, et spiritum superbiæ contra timorem Domini. Et ita [1] *alii septem nequiores*. Infra, lib. III, *de Simulatione* [2]. »

CAPUT XLVIII.

De Beatitudine.

Augustinus, *de Moribus Ecclesiæ* [3] : « Beatus, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit; neque qui habet quod amat, si noxium sit; neque qui non amat, quod habet, etiamsi optimum sit. Nam et qui appetit, et adipisci non potest, cruciatur; et qui adeptus est quod appetendum non esset, fallitur; et qui non appetit quod adipiscendum esset, ægrotat. » Idem, *de Libero Arbitrio* [4] : « Sicut tota vita corporis anima est, sic beata vita animæ Deus est. » Isidorus, *de Summo Bono* [5] : « Quia sine fide impossibile est Deo placere, vere beatus est, qui et recte credendo bene vivit, et bene vivendo fidem rectam custodit. » Idem : « Salus inchoantibus, » etc., supra, *de Perseverantia* [6]. Idem, in *Etymologiis* [7] : « Beatus dicitur, quasi *bene auctus*, scilicet ab habendo quod vellet, et non patiendo quod nollet. Ille autem vere beatus est, qui et habet omnia quæ vult bona, et nihil vult male : ex his enim duobus beatus homo efficitur. » Ambrosius, *super Lucam* [8] : « Beatus pauper qui clamavit, et Dominus exaudivit eum : pauper a crimine, pauper a vitiis, pauper in quo princeps mundi hujus nihil invenit, pauper illius pauperis æmulus [9], *qui cum dives esset, propter nos pauper factus est*. Prima ergo beatitudo est, cum deposuero omne peccatum, et exuero omnem malitiam, et simplicitate contentus fuero, inops malorum. Superest igitur, ut mores meos temperem. Quid enim mihi prodest carere sæcularibus, nisi fuero mitis atque mansuetus? Nam qui sequitur viam rectam, sequitur utique illum, qui ait [10] : « *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* » Et infra : « Mitiga affectum tuum, ut non irascaris; aut certe iratus, ne peccaveris, juxta quod scriptum est [11] : *Irascimini, et nolite peccare*. Præclarum est enim motum temperare; nec minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, indignationemque compescere, quam omnino non irasci, cum plerumque illud lenius (*a*), hoc fortius æstimetur. Cum autem hoc feceris, memento quia peccator es, et lugeto peccata tua, et lugeto delicta. Et bene tertia beatitudo est peccata deflentis, quia Trinitas est, quæ peccata condonat. Ablue igitur te lacrymis, lava fletibus : si tu te ipse fleveris, alius non te flebit. Nam si Saul flevisset peccata sua, Samuel eum non flevisset. » Et post pauca subdit : « Deposui peccatum, temperavi mores, delicta deflevi; jam nunc esurire incipio, et sitire justitiam. Æger enim, dum in gravi morbo est, non esurit, quia ægritudinis dolor excludit famem. » Et mox ait : « Qui esurit, utique virium quærit augmentum. Quod autem est majus virtutis incrementum, quam norma justitiæ? Justitiam sequitur misericordia; unde dictum est [12] : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi*. Sed qui misericordiam defert, mercedem amittit, nisi mundo corde misereatur. Nam si jactantiam quærit, nullus est misericordiæ fructus. Emunda igitur interiora tuæ mentis. Sed nisi prius tu interiora tua vacuefeceris ab omni labe peccati, ne

[1] *Luc.*, XI, 26. — [2] Vid. inf., lib. III, c. XXV. — [3] Aug., *de Morib. Eccl.*, c. III. — [4] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. II, c. XVI. — [5] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. II, sent. 2. — [6] Vid. sup., Huj. lib. c. XXXIV, p. 107. — [7] Isid., *Etymol.*, lib. X, verb. *Beatus*. — [8] Ambros., *in Luc.*, VI, lib. V. — [9] II *Cor.*, VIII, 9. — [10] *Matth.*, XI, 29. — [11] *Psal.* IV, 5. — [12] *Psal.* CXI, 9. — (*a*) *Al.* lentius.

dissensiones contentionesque ex affectu tuo prodeant, non potes aliis ferre medicinam. A temetipso igitur pacem incipe, ut cum fueris ipse pacificus, pacem aliis feras. Quomodo enim aliorum corda potes mundare, nisi tuum ante mundaveris ? » Et infra : « Qui autem patitur persecutionem, in ultimo certamine constitutus probatur adversis, ut cum legitime certaverit, coronetur. » Bernardus, in *Sermonibus* [1] : « Videmus pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non adeo pusillanimes invenirentur, utpote reges, et reges cœli. Sed hi sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit; et sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Sunt et alii mites, sed quandiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio. Patebit autem quam longe sint a mansuetudine, si levis oriatur occasio turbationis. Hæc igitur mansuetudo quomodo hereditabit terram promissionis, quæ ante hereditatem deficit? Alios quoque lugentes video; sed si de corde puro et conscientia non ficta procederent illæ lacrymæ, non tam facile solverentur in risum. Nunc autem, cum abundantius otiosa et scurrilia verba profluant, quam prius lacrymæ, lacrymas hujusmodi de his esse non arbitror quibus consolatio divina promittitur; quandoquidem post illas tam facile consolatio vilis admittitur. Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri possint esurire et sitire justitiam : quod quidem verum esset, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem judicium. Sed nunc [2] *pondus et pondus, utrumque abominatio est apud Deum :* nam contra alios tam imprudenter, quam immaniter æstuant; seipsos tam insipienter, quam inutiliter palpant. Sunt alii misericordes de his quæ ad ipsos non pertinent; qui scandalizantur, quod non datur omnibus abundanter, sic tamen ut ipsi nec in modico quidem graventur : qui si vere misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam; et si non possent de terrena substantia, de voluntate saltem bona darent iis, qui contra eos forte peccare viderentur, indulgentiam, darent utique dulce signum, verbum bonum. » Et infra : « Sunt etiam qui peccata sua sic confitentur, ut videri possint ex desiderio mundi cordis id agere, omnia enim in confessione lavantur, nisi quod ea, quæ ipsi dicunt aliis, ab aliis audire patienter non possunt. Sunt etiam alii qui si viderint quempiam vel leviter scandalizatum, valde solliciti sunt quomodo in pacem eum reducere possint, et ob hoc viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si forte contra eos quidquam factum dictumve videbitur, tardius universis poterit difficiliusque sedari : qui nimirum, si vere pacem diligerent, haud dubium, quin eam primo quærerent sibi ipsis. » Seneca, in *Epistola* [3] : « Beatus non is est, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit; sed ille cui bonum omne in animo est, erectum, et excelsum, et mutabilia calcans. »

CAPUT XLIX.

De Eleemosyna accepta.

Gregorius, in homilia super illud *Luc.*, XVI : *Facite vobis amicos*, etc. : « Si cœleste patrimonium eleemosynis emitur, pauperes non sunt audiendi ut egeni, sed ut patroni exorandi. » Idem [4] : « Ad tribuendum pigri cur estis, quando hoc, quod jacenti in terra porrigitis, sedenti in cœlo datis? Dominus ait [5] : *Quidquid fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* » Idem, in *Moralibus* [6] : « Tunc plena est nostri cordis compassio, cum malum inopiæ pro proximo suscipere non metuimus, ut illum a passione liberemus. » Idem [7] : « Rem quamlibet plerumque dat etiam qui non compatitur; nunquam autem qui vere compatitur,

[1] Bern., *in Adv.*, serm. IV, post med. — [2] *Prov.*, XX, 10. — [3] Senec., *Epist.* XLV, post med. — [4] Greg., *in Evang.*, hom. XL, circa fin. — [5] *Matth.*, XXV, 40. — [6] Greg., *Moral.*, lib. XX, c. XXIV, non longe a princ. — [7] Ibid., circa fin.

quod necessarium proximo conspicit, negat. » Idem, in *Pastorali* [1] : « Nonnulli hujus mundi divites, cum fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones. Qui vero indigenti etiam peccatori panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, tribuit, nimirum non peccatorem, sed pauperem justum nutrit. » Isidorus, *de Summo Bono* [2] : « Verum est quod peccata omnia misericordiæ operibus expurgentur; sed si jam caveat peccare, qui misericordiam impartitur. » Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus :* « Melius servatur pecunia, quæ in dextera pauperis collocatur : hanc mihi non calumniator extorquet, non invidus criminatur, non latro auferet, non fur nocturnus diripiet, non servus fugam meditans invadet; sed semper est tuta, semper integra, semper salva. » Idem : « Mentem Deus misericordem requirit, non pecuniæ quantitatem. » Idem, *super Joannem :* « Eleemosyna est, quæ est ab omni eruta injustitia; hæc omnia facit munda; hæc et jejunio melior, et terræ lectulo : et nimirum difficiliora illa et laboriosa; sed hæc lucrabiliter illuminat animam et impinguat, et bonam et speciosam facit. » Idem : « Da indigenti, et non da saltanti, ut non cum tuis pecuniis et tuam animam, et illius perdas : tu enim causa es perditionis illius. » Ambrosius, in *Epistola :* « Misericordia non de meritis judicare consuevit, sed de necessitatibus subvenire; juvare pauperem, non examinare justitiam. » Idem : « Habe, dives, hypothecas inopum sinus, habeas hypothecas viduarum domos, habeas hypothecas ora infantium orphanorum, ut dicatur tibi [3] : *Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem.* » Idem, *de Officiis* [4] : « Perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur : fide, ut prius opereris circa domesticos fidei. » Idem [5] : « Non omnibus debemus misericordiam; sed quia plerique fraude eam quærunt, et confingunt ærumnam, ideo ubi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus urget, largius se debet perfundere misericordia. » Idem [6] : « Affectus divitem collatorem, aut pauperem facit, et pretium rebus imponit. » Idem [7] : « Si peregrinum sub tectum tuum inducas, si suscipias egentem, ille tibi acquirit sanctorum amicitias, et æterna tabernacula. » Idem [8] : « Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, et subveniat in necessitatibus. » Idem, *super Lucam* [9] : « Tu qui putas te manum habere sanam, cave ne avaritia, cave ne sacrilegio contrahatur; extende sæpius eam, extende ad illum pauperem, qui te obsecrat; extende, ut proximum juves, ut viduæ feras præsidium, eripias injuriæ, quem vides injustæ contumeliæ subjacere. » Hieronymus, in *Epistola :* « O quanta beatitudo pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, et habere Dominum Deum debitorem! » Augustinus, *Contra quinque hæreses* [10] : « Obsecutus est Lot angelis, tanquam peregrinis, consuetudine hospitalitatis; liberatus a periculo civitatis, et temporale evasit incendium, et æternum consecutus est præmium. Discite ergo, Christiani, sine discretione exhibere hospitalitatem, ne si forte cui domum clauseritis, cui humanitatem denegaveritis, ipse sit Christus. » Idem, in *Epistola* [11] : « Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam si ei panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat. » Idem, in *Sermone* [12] : « Redime te, homo, dum vivis; redime te ipse, dum potes; redime te, inquam, dum pretium in manibus habes; redime te, ne dum te mors amara prævenerit, et vitam simul et pretium perdas. Sine causa hoc vis dimittere uxori, quæ forsitan alium habebit maritum. » Idem [13] : « Qui sibi aut præmium comparare, aut peccatorum desiderat indul-

[1] Greg., *Pastoral.*, p. III, c. I, admon. 21. — [2] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. XIII, c. LXIV, sent. 7. — [3] *Psal.* VIII, 3. — [4] Ambr., *de Offic.*, lib. I, c. XXX. — [5] Ibid. — [6] Ibid. — [7] Ibid., c. XI. — [8] Ibid., lib. II, c. XXVIII. — [9] Id., *in Luc.*, VI, lib. V. — [10] Aug., *de Quinq. Hæres.*, c. IV. — [11] Aug., *ad Vinc.*, epist. XLVIII. — [12] Inter Op. S. Aug., *de Temp.* serm. CCXIX, al. CCLXXVII, n. 3, in append. tom. VI. — [13] Ibid.

gentiam promereri, redditis decimis de novem partibus studeat eleemosynam dare. » Idem [1] : « Si decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola, quod te pascit ingenium, Dei est : inde decimas expetit, unde vivis : de militia, de negotio, de artificio tuo redde decimas. Aliud enim de terra rependimus, aliud de tonsura ovium, et de lacte. » Idem [2] : « Da (a) pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : non sine thesauro remanebis; sed quod habebis in terra sollicitus, habebis in cœlo securus. » Idem, in *Enchiridio* [3] (b) : « Multa sunt genera eleemosynarum, quas cum facimus, adjuvamur ut dimittantur peccata nostra. Sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. » Leo Papa, in *Sermone :* « Magna est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat, et quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, ut quamvis offensus Deus, quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. » Bernardus, in *Epistola* [4] : « Vere *beatus qui intelligit* non super cupidum, sed [5] *super egenum et pauperem :* illum, inquam, pauperem, qui invite petit, et verecunde accipit, et accipiens glorificat Patrem suum, qui in cœlis est. » Multa infra, lib. IV, *de Connexione virtutum* [6].

CAPUT L.

De Eleemosyna inaccepta.

Gregorius, in *Registro* [7] : « Quidquid in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. » Idem, in *Moralibus* [8] : « Quisquis super eum, cui aliquid tribuit, fastu se elationis extollit, majorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quam, extrinsecus largiendo, mercedem acquirit. » Isidorus, in *Synonymis* [9] : « Nihil proficit, alterum inde reficis, unde alteri maciem facis : condemnat misericordia ista, non propitiatur. » Idem, *de Summo Bono* [10] : « Non est eleemosyna, quæ gloriæ magis causa, quam misericordiæ impartitur intuitu : quali enim intentione ab unoquoque largitur, taliter et apud Deum recipitur. » Augustinus, *de Civitate Dei* [11] : « Sicut non fratri suo dicit : *Fatue,* qui cum hoc dicit, non ipsi fraternitati, sed peccato ejus infensus est, alioquin reus erit gehennæ ignis; ita e contrario, qui porrigit eleemosynam Christiano, non Christiano porrigit, si non in eo diligit Christum. » Idem [12], *super Psalmos :* « Qui dat eleemosynam ut careat tædio interpellantis, non ut reficiat viscera indigentis, et rem, et meritum perdit. » Ambrosius, *super Lucam :* « Hospitalem esse propter remunerationem, effectus avaritiæ est. » Idem : « Qui misericordiam defert, » etc., supra, *de Beatitudine* [13]. Joannes Chrysostomus, *super Matthæum :* « Non gaudent martyres, quando ex illis pecuniis vel eleemosynis honorantur, de quibus pauperes plorant. » Idem : « Qualis est ista justitia, munerare mortuos, et spoliare viventes; de sanguine miserorum tollere, et Deo offerre? Illud non est Deo offerre, sed violentiæ suæ socium facere Deum : ac si Deus oblatam sibi pecuniam de peccato libenter accipiat, et consentiat peccato. » Bernardus, *super Cantica* [14] : « Non recipit Deus eleemosynam de manu raptoris, seu fœneratoris; sed nec de hypocritæ quidem, qui cum facit eleemosynam, facit tuba cani ante se, ut glorificetur ab hominibus. »

[1] Aug., *de Temp.*, serm. CCXIX, al. CCLXXVII, n. 3, in append. — [2] Ibid., serm. L. al. LX, n. 7. — [3] Id., *Enchirid.*, c. LXXII. — [4] Bern., *ad Roger. Sic. reg.*, epist. CVII. — [5] *Psal.* XL, 2. — [6] Vid. inf., lib. IV, c. XLV, § 4, 6, 7. — [7] Greg., *ad Syagr.*, etc., lib. VII, p. II, epist. CXI, col. 1172. — [8] Id., *Moral.*, lib. XXI, c. XIV, post med. — [9] Isid., *Synon.*, c. XVIII, post med. — [10] Id., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. LXIV, sent. 7. — [11] Aug., *de Civil. Dei*, lib. II, c. XXVII. — [12] Id., *in Psal.* XLII, n. 8. — [13] Vid. sup., c. XLVIII, p. 121. — [14] Bern., *in Cant.*, serm. XI, post med.

(a) *Cœl. edit.* Idem de. — (b) Item *Enchiridione.*

LIBER TERTIUS

IN QUO

DE PERICULOSIS AGITUR

CAPUT PRIMUM.

De Voluntate.

Gregorius, in *Moralibus* [1], super illud *Job* [2] *: Involutæ sunt semitæ gressuum eorum*, etc. : « Reprobi recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala recurrunt. » Et infra : « Bona quidem cupiunt, sed a malis nunquam recedunt. Esse quidem humiles, sed sine despectu; esse contenti propriis, sed sine necessitate; pauperes esse volunt, sed sine defectu ; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patientes, sed sine contumeliis volunt. Cumque adipisci quærunt virtutes, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud, quam et belli certamina in campo nesciunt, et triumphare in urbibus de bello concupiscunt? » Idem [3] : « Nequaquam homo ad pravam delectationem rapitur, nisi prius per voluntarias mentis tenebras infirmetur. » Idem [4] : « Cum quis adhuc ex timore bona agit, a malo penitus non recessit : quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si inulte potuisset. » Idem [5] : « Non intuetur Dominus quantum quisquam mali valeat facere, sed quantum velit; et cum deest potestas male faciendi foris, apud se tamen tyrannus est, cui iniquitas dominatur intus. » Hieronymus, in *Epistola* : « Tantum virtuti adjicies, quantum propriæ voluntati subtraxeris. » Augustinus, *de Libero Arbitrio* [6] : « Voluntas aversa ab incommutabili et communi bono, et conversa ad proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat. Ad proprium bonum convertitur, cum suæ potestatis vult esse; ad exterius autem, cum aliorum propria, vel quæcumque ad se non pertinent, cognoscere studet; ad inferius, cum voluptatem corporis diligit, atque ita homo superbus, et curiosus, et lascivus effectus, excipitur ab illa vita, quæ in comparatione superioris vitæ mors est. » Idem : « Voluntas mala, » etc., infra, *de quatuor affectionibus inordinatis* [7]. Idem, de *Confessionibus* [8] : « Ex voluntate perversa facta est libido : et dum servitur libidini, facta est consuetudo : et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. » Idem, in *Epistola* [9] : « Nimis perverse se amat, qui alios vult errare, ut error suus lateat. » Idem, *de Vera Religione* [10] : « Nunc usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. » Idem, *de Trinitate* [11] : « Mala voluntate, vel sola, miser quisque efficitur : sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis adimpletur. » Idem, *de Catechizandis Rudibus* [12] : « In hac vita homines magnis laboribus requiem quærunt et securitatem; sed pravis cupiditatibus seducti, non inveniunt. Volunt enim requiescere in rebus inquietis : nam si in divitiis velit homo requiescere, magis superbus efficitur, quam securus. » Idem, *de Verbis Domini* [13] : « Deus amissus, mors

[1] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. XII. — [2] *Job*, VI, 18. — [3] Greg., *Moral.*, lib. IV, c. XV, circa med. — [4] Ibid., lib I, c. XI. — [5] Ibid, lib. XII, c. XX. — [6] Aug., *de Lib. Arb.* lib. II, c. X — [7] Vid. inf., huj. lib. c. XLI. — [8] Aug., *Confess.*, lib. VIII, c. X. — [9] Id., *ad Marcell.*, epist. VII. — [10] Id., *de ver. Relig.*, c. XIII. — [11] Id, *de Trinit.*, lib. XIII, c. V.— [12] Id., *de Catech. Rudib.*, c. XVI. — [13] Id., *de verb. Dom.*, serm. VI, al. LXII, n. 2.

animæ est : anima amissa, mors corporis est : mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria. » Joannes Chrysostomus, *de Militia spirituali*[1] : « Scito, quia te non vincet natura corporis, neque strangulabit invitum : neque enim te obnoxium et servum faciet ex libero, nisi voluntaria tua declinatio. » Idem, *super Joannem :* « Electionis, et propriæ voluntatis est omnis malitia hominis. » Bernardus, *super Cantica*[2] : « Si in die jejunii mei invenitur voluntas mea, non tale jejunium elegit Sponsus; nec sapit ille jejunium meum, quod non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis decoxit. Ego ergo non solum de jejunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni observatione monachi, ubi invenitur voluntas sua in ea, et non obedientia magistri, idipsum sentio. » Idem, *de Libero Arbitrio*[3] : « Duo sunt, quæ injustam comprobant voluntatem : vel cum peccare, vel cum impune peccasse libet. » Idem, in *Sermonibus*[4] : « Quid odit, aut quid punit Deus, præter propriam voluntatem ? Cesset voluntas propria, et infernus jam non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in voluntatem propriam? » Idem[5] : « Unde sunt scandala, et unde perturbatio, nisi quod propriam sequimur voluntatem, et temere, quod voluerit ipsa, in corde nostro definientes, siquo modo id prohiberi contingat, continuo in impatientiam, et murmurationem, et scandalum proni sumus? »

CAPUT II.

De Remorsu conscientiæ.

Gregorius, in *Moralibus*[6] : « Dum nulla bonorum operum confidentia fulcitur, intueri summa mens trepidat, quia ipsa se conscientia accusat. » Idem[7] : « Quisquis a præceptis dominicis discordat opere, quoties ea audit, vel legit, corde suo reprehenditur atque confunditur, quia id, quod non fecit, memoratur : nam in quo se errasse considerat, ipsa se latenter conscientia accusat. » Idem, *super Ezechielem*[8] : « Scriptura sacra ei suavis est ad loquendum, cui interius impressa ad vivendum fuerit. Nam sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet. » Isidorus, in *Synonymis*[9] : « Nulla pœna gravior mala conscientia. Vis autem nunquam esse tristis? bene vive. » Idem, *de summo Bono*[10] : « Omnia fugere poterit homo, præter cor suum : non enim potest a se quisquam recedere. Ubicumque enim abierit, reatus sui conscientia illum non derelinquit » Idem[11] : « Abyssus abyssum invocare, est de judicio suæ conscientiæ ire ad judicium damnationis æternæ. » Ambrosius, *de Officiis*[12] : « Quæ pœna gravior, quam interioris vulnus conscientiæ? Nonne hoc magis fugiendum, quam mors, quam dispendium, quam exilium, quam debilitas, quam dolor est? » Bernardus, *de Consideratione*[13] : « Vitiosus vitiosorum conscientias non refugit; et ubi omnes sordent, unius fœtor minime sentitur. » Idem : Annon inflationes, » etc., supra, libro II, *de Intelligentia*[14]. Idem, in *Sermonibus*[15] : « Quis magis mortuus eo, qui portat ignem in sinu, peccatum in conscientia, nec sentit, nec excutit, nec expavescit? » Idem : « Qui conscientias », etc., infra, *de Mutabiltate*[16]. Seneca, in *Epistola*[17] : « Quid prodest recondere se, et oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam advocat, mala, etiam in solitudine, anxia atque sollicita est. Si honesta quæ facis, omnes sciant; si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem! »

[1] Chrysost., *de Milit. Spirit.*, hom. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. LXXI, versus fin. — [3] Id., *de Grat. et Lib. Arb.*, post med. — [4] Id., *de resurr. Dom.*, serm. III. — [5] Id., *Quomodo vol. nostra div. vol. tripl. subj. debeat*, Serm., circa med. — [6] Greg., *Moral.*, lib. XVI, c. IX, circa med. — [7] Ibid., lib. XVIII, c. V, fere in princ. — [8] Id., *in Ezech.*, hom. X, ante med. — [9] Isid., *Synon.*, c. XII, circa med. — [10] Id., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXVI, sent. 2. — [11] Ibid., sent. 3. — [12] Ambros., *de Offic.*, lib. III, c. IV.— [13] Bern., *de Consider.*, lib. I, versus fin.— [14] Vid. sup., lib. II, c. XXIX, p. 101. — [15] Id., *de resurr. Dom.*, serm. II, ante fin. — [16] Vid. inf., huj. lib. c. V. — [17] Senec., *Epist.* XLIII.

CAPUT III.

De Peccatis linguæ (*a*).

§ I.— De Stultiloquio.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : «Stulte contra Deum loquitur, qui inter divinæ animadversionis flagella positus, justificare semetipsum conatur.» Idem [2] : «Duo sunt genera locutionum, importuna valde et noxia generi humano : unum, quod curat etiam perversa laudare; aliud, quod studet semper etiam recta corrigere.» Idem : «Sicut plerique reticent,» etc., infra, *de Credulitate* [3]. Idem [4] : «Apud homines cor ex verbis; apud Deum vero verba pensantur ex corde.» Idem [5] : «Qui verba sua metiri nesciunt, proculdubio ad otiosa dicta dilabuntur, in quibus si se minime reprehendunt, statim ad noxia et contumeliosa prosiliunt.» Idem, in *Dialogis* [6] : «Loquendo cum sæcularibus fit, ut ab otiosis ad noxia, a levibus ad graviora veniamus; et os nostrum ab omnipotenti Domino tanto minus exaudiatur in prece, quanto amplius inquinatur stulta locutione.» Isidorus, *de summo Bono* [7] : «Quadripartita est loquendi ratio : quia vel bonum bene, vel bonum male, seu bonum male, seu malum bene profertur. Bonum quippe bene loquitur, qui ea, quæ recta sunt, humiliter annuntiare videtur. Malum male loquitur, qui quodlibet flagitium persuadere conatur. Bonum male loquitur, qui quodcumque rectum arroganter prædicare sentitur. Malum bene loquitur, qui aliquod narrando vitium detestatur, ut ab eo homines avertantur.» Augustinus, *super Canonicam Jacobi* : «Lingua facilitatem habet motus; in udo posita est, facile in lubrico (*b*) labitur : quanto illa citius et facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus esto.»

[1] Greg., *Moral.*, lib. II, c. XIV. — [2] Ibid., lib. VII, c. XVII, in princ. — [3] Vid. inf., huj. lib. c. XXXI. — [4] Greg., *Moral.*, lib. II, c. VII. — [5] Ibid., lib. XVI, c. I. — [6] Id., *Dialog.*, lib. III, c. XXV, post med. — [7] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXIX, sent. 17 et 18. —

(*a*) Hoc titulo et ea, quæ sequitur, octodecim paragraphorum distinctione, carent Cæl. edit. — (*b*) *L.* lubrica.

§ II. — De Multiloquio.

Gregorius, in *Moralibus* [8] : «Certum est, quod verbosus vir justificari nequeat.» Idem [9] : «Mentis justitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur.» Idem, in *Pastorali* [10] : «Quia murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis; et cum se per multa verba extra semetipsam ejicit, apertam se totam adversario ostendit; quam ille tanto sine labore superat, quanto et hæc eadem, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.» In *Proverbiis* dicitur [11] : *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*» Idem, *super Ezechielem* [12] : «Valde difficile est, ut qui multa loquitur, non etiam mentiatur.» Isidorus, in *Synonymis* [13] : «Loqui multum stultitia est, et vox insipientis in multiplicatione sermonis.» Idem [14] : «Multiloquium non declinat peccatum; fluvius enim exundans cito colligit lutum.»

§ III. — De Nugis.

Gregorius, in *Moralibus* [15] : «Otiosum verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret.» Idem : «Qui verba,» etc., supra, eodem [16]. Ambrosius, super *Beati immaculati* [17] : «Non mediocre periculum est, cum habeas tanta eloquia Dei, et opera, quæ fecit in *Genesi*, in *Exodo*, in *Levitico, Numeris, Deuteronomio, Jesu Nave, Judicum, libro Regum atque Esdræ*, et quæ dixit, et quæ fecit in *Evangelio*, in *Actibus Apostolorum;* si, illis prætermissis, loquaris quæ sæculi sunt, audias quæ vana sunt et otiosa.» Isidorus, in *Synonymis* [18] : «Sermo vanus, vanæ conscientiæ judex est. Mores enim hominis

[8] Greg., *Moral.*, lib. X, c. II. — [9] Ibid., lib. VII, c. XVII, ante med. — [10] Id., *Pastor.*, p. III, admon. 15; et *Moral.*, lib. VII, c XVII. — [11] *Prov.*, XXV, 27. — [12] Id., *in Ezech.*, hom. XII, post med. — [13] Isid., *Synon.*, c. IX, in fine. — [14] Ibid., paulo post. — [15] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. XVII, circa med. — [16] Vid. paulo ante, hac, § 1 ipsa pag. — [17] Ambros., *in Psal.* CXVIII. octon. XXII.— [18] Isid., *Synon.*, c. IX, post med.

lingua pandit; et qualis sermo ostenditur, talis et animus comprobatur. » Idem, *de summo Bono* [1] : « Vani sermones in ore Christiani non debent inveniri. Nam sicut malos mores bona colloquia corrigunt, ita prava colloquia bonos mores corrumpunt. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [2] : « Omnis sermo vanus qui dicitur, immundo spiritu dictante profertur. » Hieronymus, in *Epistola* : « Quidquid non ædificat audientes, in periculum vertitur loquentium. » Bernardus, in *Apologia* [3] : « *Vobis convenientibus in unum*, ut Apostoli verbis utar [4], *jam non est dominicam cœnam manducare :* panem quippe cœlestem nemo est qui requirat, nemo qui tribuat : nihil de Scripturis sacris quisquam loquitur, nihil de salute agitur animarum; sed nugæ, risus, et verba multa proferuntur in ventum. » Idem, *de Præcepto et Dispensatione* [5] : « Stultiloquia et vaniloquia nunquam nisi contra mandata Dei usurpantur. Peccata quippe sunt : et Deus prohibet omne peccatum; et tamen venialia, non criminalia reputantur, excepto, cum per contemptum vertuntur in usum et consuetudinem; et tunc non peccati species, sed peccantis intentio pensatur. » Idem, *de Consideratione* [6] : « Fugienda otiositas mater nugarum, noverca virtutum. Inter sæculares quippe nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ : interdum tamen si incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam : magis interveniendum caute et prudenter nugacitati. » Idem [7] : « Consecrasti os tuum Evangelio; nugis igitur jam os aperire illicitum est; assuescere vero nugas loqui, sacrilegum est. *Labia sacerdotis*, ait Propheta [8], *custodiunt scientiam, et ex ore ejus requirunt legem*, non nugas, aut fabulas. » Idem [9] : « Verbum scurrile ab ore procul sit, et procul ab aure relegandum est. Fœde enim ad cachinnos moveris; sed fœdius alios moves. »

§ IV. — De Jactantia.

Gregorius, in *Moralibus* [10] : « Procaces quique etiam nota jactanter proferunt, ut loquentes docti videantur. » Idem [11] : « Eo ipso superbiens ab integritate salutis corruit, quo jactantia cujuslibet virtutis intumescit. » Idem [12] : « Arrogantes, si non inveniunt voces hominum, quas inhiantes expectant, ipsi scientiam suam laudantes prædicant ». Idem, in *Pastorali* [13] : « Eligit patiens quælibet mala perpeti, quam per ostentationis vitium bona sua occulta foris publice cognosci. At contra eligit arrogans bona de se, vel falsa, jactare, ne mala possit, vel minima, perpeti. » Isidorus, *de Summo Bono* [14] : « Culpabiliter manus ad Dominum expandit, qui facta sua jactanter prodit. » Bernardus, *de duodecim Gradibus* [15] : « Monachus jactator, aut loquetur, aut rumpetur. Plenus est enim sermonibus, et coarctat eum spiritus uteri sui : propterea sitit et allicit (*a*) auditores, quibus suas jactet vanitates. »

§ V. — De Excusatione.

Gregorius, in *Homiliis* [16] : « Sunt multi, qui pravitatem suam ex alienis pravitatibus tuentur. Quia enim alios talia fecisse considerant, eadem facere sibi licenter putant. » Idem, in *Moralibus* [17] : « Usitatum humani generis vitium est, et latendo peccatum committere, et commissum negando abscondere, et convictum defendendo multiplicare. » Idem [18] : « Sunt nonnulli, qui nequaquam deflent quod faciunt, sed etiam laudare et defendere non desistunt. Et nimirum, cum defenditur culpa, geminatur. » Idem [19] : « Su-

[1] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXIX, sent. 5. — [2] Chrysost., *in Matth.* Op. imperf., hom. XI, ante med. — [3] Bern., ad Gulielm. Abb. *Apolog.*, post med. — [4] I *Cor.*, XI, 20. — [5] Bern., *de Præc. et Disp.*, ante med. — [6] Id., *de Consider.*, lib. III, versus fin. — [7] Ibid., paulo post. — [8] *Malac.*, II, 7. — [9] Bern., *de Consider.*, lib. II, circa fin. — [10] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXII, circa med. — [11] Ibid., lib. XXV, c. VIII. — [12] Ibid., lib. XXVI, c. XVIII, post med. — [13] Id., *Pastor.*, p. III, c. I, admon 10. — [14] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. VII, sent. 36. — [15] Bern., *de duod. grad. Humil.*, grad. IV. — [16] Greg., *in Evang.*, hom. VII, ante med. — [17] Id., *Moral.*, lib. XXII, c. IX, fere in princ. — [18] Ibid., lib. IV, c. XIX, fere in princ. — [19] Ibid., lib. XXII, c. IX, ante med.

(*a*) Cæt. edit. *crudelitate*, mend.

perbiæ vitium est, ut quod de se fateri quisque quasi sponte dignatur, hoc sibi dici ab aliis dedignetur.» Hieronymus, in originali super *Oseam* [1] : « Libenter vitiis nostris applaudimus; et superati voluptatibus, obtendimus carnis infirmitatem, aut dura majorum imperia. » Idem : « Nihil omnino agimus, » etc., infra, *de Consolatione* [2]. Isidorus, *de Summo Bono* [3] : « Est quorumdam excusatio perversorum, qui dum pro suis facinoribus arguuntur, verba justorum pro censura declinanda objiciunt, reservantes se divino judicio, quo puniendi sunt durius, dum temporaliter contemnunt judicari ab hominibus. » Bernardus, *super Cantica* [4] : « In animam peccat suam, qui se excusat dum arguitur, repellens proinde a se indulgentiæ medicinam, et sic vitam sibi intercludens æternam. » Idem, *de duodecim Gradibus* [5] : « Multis modis sunt excusationes in peccatis; aut enim dicit, qui se excusat : Non feci, aut : Feci quidem, sed bene feci; aut : Si male, non multum male; aut : Si multum male, non mala intentione. Si autem de illa, velut Adam et Eva, convincitur, aliena suasione excusare se nititur. » Idem, super *Qui habitat* [6] : « Omnes aliquando cadere necesse est, dum in hoc sæculo detinentur; sed alii quidem colliduntur, alii non [7], *quia Dominus supponit manum suam*. Verum hoc interest inter eorum casus, quod justus suscipitur a Domino, ideoque resurgit fortior; injustus autem, cum ceciderit, non adjiciet ut resurgat, imo vero aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit. Aut enim excusat quod fecit, et hic est pudor adducens peccatum; aut fit ei frons meretricis, et jam nec Deum timet, nec homines reveretur. » Ambrosius, in *Apologia* [8] : « Aliqui homines, cum a sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum aggravant, dum negare cupiunt, aut defendere.» Augustinus : « Nonnulli » etc., supra, libro I, *de Militibus* [9]. Glossa : « Malum est peccare, pejus est perseverare; sed perniciosius est, defendendo se, in Deum culpam refundere.

§ VI. — De Accusatione.

Gregorius, in *Moralibus* [10] : « Invidi dum bonum, quod vident, accusare nequeunt, excæcati malitia malum, quod non vident, ad accusationem quærunt. » Isidorus, in *Synonymis* [11] : « Nullum judices suspicionis arbitrio : ante proba, et sic judica. Non enim qui accusatur, sed qui convincitur, reus est. » Augustinus, *de Sermone Domini in monte* [12] : « Accusare vitia, officium est virorum bonorum et benevolorum. »

§ VII. — De Murmuratione.

Gregorius, in *Moralibus* [13] : « Si justa placere Deo scimus, pati autem nulla, nisi quæ Domino placuerint, possumus, justa sunt cuncta quæ patimur. Unde valde injustum est, si de justa passione et afflictione murmuramus. » Idem [14] : « Qui contra superpositam sibi potestatem murmurat, liquet quod illum redarguit, qui eamdem homini potestatem dedit. » Idem, in *Homiliis* [15] : « Regnum cœlorum nullus murmurans accipit, nec ullus qui accipit murmurare potest. » Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus* : « Qui murmurat de periculo tentationis, murmurat de præmio probationis. » Bernardus, *de Consideratione* [16] : « Si is, qui murmurat, secundum animam mortuus est; qui ad murmurandum instigat, quomodo vivit? » Idem, in *Sermonibus* [17] : « Nihil sic horrendum, ut murmur et dissensio in congregatione monachorum. » Idem [18] : « Si moleste cœperis sustinere, si judicare prælatum, si murmurare in corde; etiamsi exterius im-

[1] Hieron., *in Ose.*, x, lib. II. — [2] Vid. inf., huj. lib. c. XIX. — [3] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXXII, sent. 7. — [4] Bern., *super Cant.*, serm. XVI, post med. — [5] Id., *de duod. grad. Humil.*, grad. VIII. — [6] Id., *super Qui habitat.* serm. II, ante med. — [7] *Psal.* XXXVI, 24. — [8] Ambros., *Apol. Dav.*, lib. I, c. I. — [9] Vid. sup., lib. I, c. XLVII, p. 61. — [10] Greg., *Moral.*, lib. V. c. XIII, post med.— [11] Isid., *Synon.*, c. XVI. — [12] Aug., *de serm. Dom. in Monte*, lib. II, c. XXX. — [13] Greg., *Moral.*, lib. II, c. XIII, circa med. — [14] Ibid., lib. XXI, c. ult., circa fin. — [15] Id., *in Evang.*, hom. XIX, circa med. — [16] Bern., *de Consid.*, lib. III, post med. — [17] Id., *Serm. parv.*, serm. LXIII. — [18] Id., *de circumc. Dom.*, serm. III, post med.

pleas quod jubetur, non est virtus patientiæ, sed velamen malitiæ. » Glossa [1] : « Ignis justæ ultionis in futuro illos excruciat, qui lingua inflammata a gehenna murmurant et detrahunt. »

§ VIII. — De Contentione.

Gregorius, in *Moralibus* [2] : « Culpabiliores esse solent hi qui in contentione inchoant, quam qui respondent. » Idem, in *Pastorali* [3] : « Quisquis in seminando jurgia dilectionem proximorum perimit, hosti familiarius servit. » Idem [4] : « Hypocrita, assumpto sanctæ conversationis habitu, filiorum suorum custodiam deserit, et temporalia quæque defendere, etiam jurgiis, quærit. » Augustinus, in *Regula* [5] : « Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam. Sicut enim legistis [6], *Qui odit fratrem suum, homicida est.* » Idem [7] : « Vobis a verbis durioribus parcite : quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera. » Isidorus, in *Synonymis* [8] : « Contentio faces odiorum accendit ; pacem cordis contentio extinguit ; concordiam contentio rumpit. » Seneca, in *Epistola* : « Rixa est inter competitores. »

§ IX. — De Convitiatione.

Gregorius, in *Moralibus* [9] : « Sæpe pravi, dum suæ vitium fortitudinis ignorant, audenter aliorum rectitudinem lacerant : cumque contra bonos sibi auctoritatem increpationis arripiunt, aut ea bona proferunt, quæ non videndo, sed audiendo didicerunt, aut ea mala (*a*) aliis mentientes ingerunt, quæ ipsi committunt. » Idem [10] : « Sæpe qui in potestate sunt, ad subjectorum passim contumelias erumpunt ; et hoc, quod invigilantes regimini serviunt, per linguæ procacitatem perdunt, minori scilicet rectitudine verba judicii (*b*) pensantes, quia qui sine causa fratrem fatuum dixerit, gehennæ se ignibus addicit (*c*). » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione cordis* [11] : « Sive fatuum quis dixerit, sive vanum, sive latronem, sive quolibet alio nomine injuriam vel maledictum fratri ingesserit ; ex quolibet horum vocabulo sub maledicti titulo, gehennæ ignis suppliciis condemnatur. » Augustinus : « Quicumque convitio, » etc., supra, in capite *de Satisfactione*, libro II [12]. Hieronymus, in *Epistola* [13] : « Nec sibi quisquam de corporis castitate supplandat, cum [14] *de verbo otioso, quodcumque locuti fuerint homines, reddituri sint pro eo rationem in die judicii* ; cum etiam homicidii sit reatus convitium in fratrem. » Bernardus, in *Epistola* [15] : « Ego plagis conscientiæ meæ nullum judico accommodatius medicamentum probris et contumeliis : non est proinde, quod pro me movear, homuncio omni opprobrio dignus, et despectione. »

§ X. — De Derisione.

Gregorius, in *Moralibus* [16] : « Timendum est ne etiam nobis cadentibus surgat, qui a nobis stantibus irridetur, quamvis stare jam non noverit, qui non stantem noverit irridere. » Idem [17] : « Illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis pravitatibus vitæ innocentia servat alienum. »

§ XI. — De Maledictione.

Gregorius, in *Moralibus* [18] : « Aliter maledictum profertur prætextu justitiæ ; aliter livore vindictæ. » Idem [19] : « Cum sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad

[1] Gloss. in *Num.*, I. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXVI, c. I. — [3] Id., *Pastor.*, p. II, admon. .. — [4] Id., *Moral.*, lib. XXXI, c. VII, paulo post princ. — [5] Aug., *Reg.* III, c. XXVII. — [6] I *Joan.*, III, 15. — [7] Aug., lib. modo cit., c. XXXIX. — [8] Isid., *Synon.*, c. I., ante med. — [9] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXIII, circa med. — [10] Ibid., lib. V, c. VIII, ante med. — [11] Chrysost., *de Comp. cord.*, lib. I. — [12] Vid. sup., lib. II, c. XX, p. 88. — [13] Hieron., *ad Heliod.*, epist. I, versus fin. — [14] *Matth.*, XII, 36. — [15] Bern., *ad Eug. Pap.*, epist. CCLXXX, ante med. — [16] Greg., *Moral.*, lib. V, c. VIII, circa med. — [17] Ibid., lib. X, c. XV. — [18] Ibid., lib. IV, c. VI. — [19] Ibid. — (*a*) *Cæt. edit. præmitt.* ab. — (*b*) *Al.* judicis. — (*c*) adjicit.

hanc ex voto ultionis, sed ex justitia examinis erumpunt. » Idem [1] : « Qui maledictionibus inimicum impetunt, quid aliud in illo Deum facere volunt, nisi quod ipsi aut facere nequeunt, aut erubescunt? » Idem, in *Registro*, ad quemdam archiepiscopum [2] : « Nil te ostendis de cœlestibus cogitare, sed terrenam te cogitationem habere significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictum anathematis invexisti. » Idem, in *Dialogis* [3], super illud [4] : *Neque maledici regnum Dei possidebunt :* « Pensa quam gravis est culpa, quæ separat a regno cœlestis vitæ. » Augustinus, *de Conflictu vitiorum et virtutum* [5] : « Quid de illis dicendum est, qui furore cæcitatis, usque ad verba prorumpunt maledictionis, nisi hoc quod Apostolus ait : *Neque maledici regnum Dei possidebunt?* » Et in *Proverbiis* [6] : *Maledictum frustra prolatum in quempiam devolvetur :* Interlinearis : « In proferentem. » Ibidem Glossa : « Est aliquid maledictum juxta divinam justitiam, ut excommunicatio. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione* [7] : « Christus orare nos pro calumniantibus jubet; nos autem insidias et dolos etiam amicis concinnamus. Christus male dicentibus benedicere jubet; nos autem e contrario, aut priores maledicimus, aut maledictis alterius multiplicata maledicta restituimus. »

§ XII. — De Detractione,

Gregorius, *super Ezechielem* [8] : « Perversorum derogatio, vitæ nostræ approbatio est : quia jam ostenditur aliquid justitiæ nos habere, si illis displicere incipimus, qui non placent Deo. » Idem : « Ne immoderatis, » etc., infra, *de Infamia* [9]. Isidorus, in *Synonymis* [10] : « Detractio grave crimen est; detractio gravis damnatio est. » Idem [11] : « Nunquam detrahes, si te bene perspexeris. » Idem : « Erit ille apud Deum, » etc., infra, *de Credulitate* [12]. Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus* [13] : « Ad condemnandum cæteros omne vitæ nostræ tempus absumimus : a quo vitio neque sæculi hominem, neque monachum ullum facile invenias liberum. » Hieronymus, in *Epistola* [14] : « Quia homines sumus, et interdum, contra annorum maturitatem, puerorum vitiis labimur; si me vis corrigi delinquentem, aperte increpa, tantum ne occulte mordeas. » Bernardus, *super Cantica* [15] : « Unus est detractor qui loquitur, et unum tantum verbum profert; et tamen illud unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium aures inficit, animas interficit. » Idem, *de Consideratione* [16] : « Detrahere, an detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. » Anselmus, *de Similitudinibus* [17] : « Tria sunt genera homicidii, quæ pari plectuntur pœna; interfectio hominum, detractio proximorum, odium fraternum. » Idem [18] : « Detractio est, quoties quis aliquid ea intentione de aliquo dicit, unde ipse minus amari vel appretiari possit.

§ XIII. — De Adulatione.

Gregorius, in *Dialogis* [19] : « Moris est, ut occupato in multis animo, adulatio valde subrepat, si ab ipso cordis ostio nequaquam fuerit citius repulsa. » Idem, in *Registro* [20] : « Nec novum, nec reprehensibile est in eligendo episcopo, populi se vota in duas partes dividere; sed grave est, quando in hujusmodi causis, non ex judicio, sed ex solo favore adulationis venit electio. » Idem, in *Homiliis* : « Vix pro culpa sua quempiam aperta voce reprehendimus; et adhuc, quod est gravius, aliquando si persona in hoc

[1] Ibid., lib. XXII, circa fin. — [2] Id., *ad Januar. Calar.*, lib. II, epist. XXXIV, col. 1093. — [3] Id., *Dial.*, lib. III, c. XV, circa med. — [4] I *Cor.*, VI, 10. — [5] Aug., *de confl. Vit. et Virt.*, c. IX. — [6] *Prov.*, XXVI, 2. — [7] Chrysost., *de Comp.*, ante med. — [8] Greg., *in Ezech.*, hom. IX, ante med. — [9] Vid. inf., huj. lib. c. XL. — [10] Isid., *Synon.*, c. X. — [11] Ibid., paulo post. — [12] Vid. inf, huj. lib. c. XXXI. — [13] Est apud Chrysost., *de Comp. cord.*, lib. I. — [14] Hieron., *ad Rust.*, epist. IV. — [15] Bern., *in Cant.*, serm. XXIV, ante med. — [16] Id., *de Consider.*, lib. II, prope fin. — [17] Anselm., *de Similitud.*, c. 147. — [18] Ibid., c. 149. — [19] Greg., *Dial.*, lib. II, c. IV, circa med. — [20] Greg., *ad Neapol.*, lib. VIII, epist. L, col. 1416.

mundo potens sit, ejus forsitan et errata laudantur, ne, si avertatur per iracundiam, munus subtrahat, quod impendebat. » Ambrosius, *de Officiis*[1] : « Non est vera amicitia, ubi est fallax adulatio. » Idem[2] : « Prospiciendum est, ne adulantibus aperiamus aurem. Emolliri enim adulatione, non solum fortitudinis non esse, sed etiam ignaviæ videtur. » Augustinus, *de Quæstionibus Veteris et Novi Testamenti*[3] : « Adulator est, qui ideo dat consensum, ne offendat eum, quem optat habere propitium. » Idem, *de Trinitate*[4] : « Si inimicus insultat, ferendus est. Amicus autem, si errat, docendus est; si docet, audiendus. Laudator vero et errans confirmat errorem, et adulans illicit in errorem. » Hieronymus, in Glossa *Matthæi*[5] : « Rigida vita, et prædicatio vera, declinare debet mollium palatia, quæ frequentant mollibus induti adulantes, qui ponunt pulvinaria sub cubito, qui vitam palpant peccantium, non pungunt, ut vel sic aliquid venentur. » Bernardus : « Habet vera, » etc., infra, lib. IV, *de Amicitia*[6]. Glossa super *Psalmos*[7] : « Plus nocet lingua adulatoris, quam manus persecutoris. » Seneca, in *Epistola*[8] : « Illud præcipue nos impedit, quod cito nobis placemus, si invenimus, qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, et non sumus. »

§ XIV. — De Suggestione.

Gregorius, *super Ezechielem*[9] : « Ili qui alios ad iniquitatem suadendo pertrahunt, in semetipsis ministerium dæmonum suscipiunt. » Hieronymus, in *Epistola* : « Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant mali, satagunt, ambiunt, ut de aliis omnibus hoc credatur. » Isidorus, *de Summo Bono*[10] : « Deteriores sunt, qui sive doctrinis, sive exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. »

§ XV. — De Turpiloquio.

Hieronymus, in *Epistola*[11] : « Non flagito linguæ nitorem, sed animæ puritatem. Apud Christianos enim solœcismus est, et magnum vitium, turpe quid vel narrare, vel facere. » Bernardus in *Sermonibus*[12] : « Dum otiosa tanquam minima spernimus, ad turpia interdum et inhonesta dilabimur. »

§ XVI. — De Mendacio.

Gregorius, in *Moralibus*[13] : « Deus mendacio nostro non eget, quia veritas fulciri non quærit auxilio falsitatis. » Idem[14] : « Summopere cavendum est omne mendacium : quamvis nonnunquam sit aliquod genus mendacii culpæ levioris, scilicet, si quisquam beneficium præstando mentiatur. » Idem[15] : « Incaute sunt humiles, qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant; imo mentiendo superbiunt, qui contra veritatem se erigunt, quam relinquunt. » Idem : « Quisquis expositor, » etc., infra, lib. IV, *de Doctrina*[16]. Isidorus, in *Synonymis*[17] : « Cave mendacium in omnibus : mendacio enim fides tollitur, error inducitur, veritas aboletur. Nullum mendacium potest esse justum. » Idem, *de Summo Bono*[18] : « Testis falsidicus tribus est personis obnoxius : primum quidem Deo, quem perjurando contemnit; consequenter judici, quem mentiendo fallit; postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. » Idem[19] : « Nonnunquam pejus est mendacium meditari, quam loqui : nam interdum quisque incautus solet ex præcipitatione loqui men-

[1] Ambros., *de Offic.*, lib. III, c. XVI. — [2] Ibid., lib. I, c. XLII. — [3] *De quæst. Vet. et Nov. Test.*, q. LI, inter Oper. S. Aug., tom. III, append. — [4] Aug., *de Trinit.*, lib. II, n. 1. — [5] Hieron., *in Matth.*, XI. — [6] Vid. inf., lib. IV, c. XV. — [7] In *Psal.* LXIX. — [8] Senec., *Epist.* LX, circa med. — [9] Greg., *in Ezech.*, hom. II, longe ante med. — [10] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXXVIII, sent. 5. — [11] Hieron., *adv. Helvid.*, longe ultra med. — [12] Bern., *de tripl. gen. Cogit.*, serm., prope fin. — [13] Greg., *Moral.*, lib. XI, c. XIII, circa med. — [14] Ibid., lib. VIII, c. IV, non longe a princ. — [15] Ibid., lib. XVI, c. III. — [16] Vid. inf., lib. IV, c. XXXIV. — [17] Isid., *Synon.*, c. XXI, circa princ. — [18] Id., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. LIX, sent. 2 — [19] Ibid., lib. II, c. XXX, sent. 6.

dacium ; meditari autem non potest nisi per studium. » Augustinus, in *Enchiridio*[1] (*a*) : « Utique verba propterea sunt instituta, non per quæ invicem se homines fallant ; sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. » Idem[2] : « Mihi videtur omne mendacium esse peccatum quidem ; sed multum interesse quo animo, et de quibus rebus quisque mentiatur. » Idem[3] : « Omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo, non solum quando scit ipse quid verum sit, sed et si quando errat et fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit, sive illud verum sit, sive putet, et non sit. » Idem, in libro *de Mendacio*[4] : « Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione fallendi. » Idem, *de Vera Religione*[5] : « Inest omni mentienti voluntas fallendi, etiam si ei non credatur. » Idem, *de Doctrina Christiana*[6] : « Nemo mentiens, in eo quod mentitur, servat fidem. Nam hoc vult utique, ut cui mentitur sibi fidem adhibeat, quam tamen ei mentiendo non servat. Omnis autem fidei violator iniquus est. »

§ XVII. — De Juratione.

Augustinus, *de Mendacio*[7] : « *Dico vobis non jurare omnino*[8], ne scilicet, jurando semel, ad facilitatem jurandi veniatur, ex facilitate ad consuetudinem, et ex consuetudine in perjurium decidatur. » Idem, *super Canonicam Jacobi :* « Falsa juratio exitiosa est ; vera juratio periculosa ; nulla secura. » Idem : « Quam grave peccatum est perjurare, compendium tibi dedit Scriptura dicens : *Noli jurare.* » Idem : « Perjurium præcipitium est : qui jurat, juxta est ; qui non jurat, longe est : qui verum jurat, non peccat, sed prope est ad peccatum ; sed qui non jurat, non peccat, et longe est a peccato. » Idem : « Qui juramentum exigit ab alio, multum interest si nescit illum falsum juraturum, an scit. Si enim nescit, et ideo dicit : « Jura mihi, » ut fides ei fiat, non audeo dicere esse peccatum ; tamen humana tentatio est. Si autem scit, et cogit eum jurare, homicida est : ille enim suo perjurio se perimit. » Idem, in *Epistola*[9] : « Sine dubio minus malum est per Deum falsum jurare veraciter, quam per Deum verum jurare fallaciter. Quanto enim, per quod juratur, magis est sanctum, tanto magis est pœnale perjurium. »

§ XVIII. — De Blasphemia.

Gregorius, in *Moralibus*[10] : « Filii in cordibus Deo maledicunt, cum recta nostra opera a non rectis cogitationibus prodeunt ; cum bona in aperto exerunt, sed noxia in occulto moliuntur. » Idem[11] : « Deo quippe maledicunt, cum se et ab illo accepisse vires intelligunt, sed tamen de ejus muneribus propriam laudem quærunt. » Augustinus, *de Vera Religione*[12] : « Blasphemia est, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgo blasphemia est, ubi mala verba de Deo. » Glossa Augustini[13] : « Blasphemia est per quam de Deo ipso falsa dicuntur : et ideo pejus est blasphemare, quam pejerare : quia pejerando falsæ rei adhibetur testis Deus ; blasphemando, de ipso Deo falsa dicuntur. » Idem, *super Joannem*[14] : « Flagellatus est Christus flagellis Judæorum ; sed non minus flagellatur blasphemiis falsorum Chrystianorum. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem :* « Glorificemus Deum, non per fidem solum, sed etiam per vitam ; quia aliter nequaquam erit gloria, sed blasphemia. Non enim ita blasphematur Deus a Gentili existente inquinato, ut a Christiano corrupto. » Bernardus : « Fugienda otiosi-

[1] Aug., *Enchirid.*, c. XXII. — [2] Ibid. c. XVIII. — [3] Aug., *Enchirid.*, c. XXII — [4] Id., *de Mend.*, c. IV. — [5] Id., *de ver. Relig.*, c. XXXIII. — [6] Id., *de Doctr. Christ.*, lib. I, c. XXXVI. — [7] Id., *de Mend.*, c. XV. — [8] *Matth.*, V, 34. — [9] Aug., *ad Public.*, epist. CLIV, al. XLVII, n. 2. — [10] Greg, *Moral.*, lib. I, c. XVIII. — [11] Ibid. — [12] Est apud Aug., *de Morib. Manich.*, c. XI. — [13] Gloss. in *Epist. ad Ephes.*, IV, ex Aug., *ad Consent.*, c. XIX. — [14] Id., *in Joan.*, tract. X n. 4.

(*a*) Edit. Vat. *Enchiridione*. Edit. Ven. et Lugd. *Enchiridion.*

tas, » etc., supra, *de Nugis* [1]. Idem : « Cavete ne quis parva, » etc., supra, lib. II, *de Peccato* [2]. Glossa [3] : Omne peccatum blasphemiæ comparatum, minus est. » Glossa [4] : « Gravius peccat contemptor sedentis in cœlo majestatis, quam crucifixor ambulantis in terra paupertatis. »

CAPUT IV.

De Occupatione.

Gregorius, in *Dialogis* [5] : « Multum est, quod uniuscujusque præsulis mentem curarum densitas devastat; cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad singula; tantoque ei in unaquaque re surripitur, quanto latius in pluribus occupatur. » Idem, in *Registro* [6] : « Sicut toto desiderio debemus curas et occupationem hujus mundi fugere, ita si desit qui prædicet, occupationis onus libenti necesse est humero subire. » Idem [7] : « Qui adhuc valetis, hujus mundi occupationes fugite : quia quanto quisque in eo profecerit, tanto, ut video, ab amore Dei amplius decrescit. » Idem, in *Homiliis* [8] : « Usu terrenæ curæ a cœlesti desiderio obdurescit animus; et dum ipso suo usu durus efficitur, per actionem sæculi ad ea molliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei. » Idem, in *Moralibus* [9] : « Male homo vigilat, quando eum sæcularium negotiorum æstus insolenter inquietat. » Idem : « Plus in hoc mundo, » etc., infra, capitulo *de Honore* [10]. Idem, *super Ezechielem* [11] : « Quibusdam pravis mentibus nihil est laboriosius, quam si eis præcipiatur, ut in hujus mundi actibus non laborent. » Augustinus, *de vera Religione* [12] : « Amici hujus mundi tam timent ab ejus amplexu separari, ut nihil sit eis laboriosius, quam hujus sæculi curis non laborare. » Isidorus, *de summo Bono* [13] : « Quanto quisque curis mundi majoribus occupatur, tanto facilioribus otiis premitur. » Idem [14] : « Mundi amatores non solum ex eo rei sunt, quod infima præ summis appetunt; verum etiam miseri per hoc, quod cum gravi ærumna ad ipsa desiderata pertingunt. » Idem : « Longe a Deo, » etc., supra, lib. II, *de Oratione inaccepta* [15]. Ambrosius, in sermone [16] : « Excitat divitem occupatum cupiditas; excitat cura pervigil aliena rapiendi; torquet invidia; mora vexat, sterilitas proventum infœcunda perturbat, sollicitat abundantia. » Idem, in *Epistola* [17] : « Etsi alii dives videtur, sibi pauper est, qui non utitur eo quod habet, qui adhuc alia rapit, alia desiderat. » Leo Papa [18] : « Diabolus omnium discutit consuetudines, omnium ventilat curas, omnium scrutatur affectus; et ibi causas quærit nocendi, ubi quempiam viderit studiosius occupari. » Bernardus, *de Contemptu* [19] : « Sane ut exercitii spiritualis, et curæ cordis, judicium evidens est contemptus exteriorum; sic eorumdem sollicitudo, certum signum est mentis incultæ. » Seneca, in *Epistola* [20] : « Quisquis se fortuitis multum dedit, ingentem sibi materiam perturbationis, et inexplicabilem facit. Una hæc via est ad tuta vadenti, externa sive fortuita despicere, et honesto contentum esse. » Idem [21] : « Omnia impedimenta dimitte, et vaca bonæ menti. Nemo enim ad illam pervenit, fortuitis occupatus. »

[1] Vid. sup., hoc ipso cap., § 3, p. 128. — [2] Vid sup., lib. II, c. v, p. 69. — [3] Gloss. *in Isa.*, XVIII. — [4] Gloss. *in Psal.* LXVIII. — [5] Greg., *Dial.*, lib I, c. IV. — [6] Id., *ad Cyriac. C. P.*, lib. VI, epist. IV, col. 1252. — [7] Id., *ad Joan. excons.*, lib. I, epist. XXX, col. 1018. — [8] Id., *in Evang.*, hom. XIX, post med. — [9] Greg., *Moral.*, lib. III, c. XII, non longe a princ. — [10] Vid. inf., c. XXXIV. — [11] Id., *in Ezech.*, hom. X, ante med. — [12] Aug., *de ver. Relig.*, c. XXXV. — [13] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XLVIII, sent. 4. — [14] Ibid., c. LXIII, sent. 1. — [15] Vid. sup., lib. II, c. XLVI, p. 119. — [16] Ambros., *de Nabut.*, c. VI. — [17] Id., *ad Simplic.*, lib. IV, epist. XXVII. — [18] Leo, *de Nativ. Dom.*, serm. VII, circa med. — [19] Bern., super *Ecce nos reliq.*, post med. — [20] Senec., *Epist.* LXXIV, ante med. — [21] Id., *Epist.* LIV, post med.

CAPUT V.

De Mutabilitate.

Gregorius, in *Registro* [1] : « Si laudibus aliorum lætamur, et aliorum vituperationibus frangimur, gloriam nostram non in nobis, sed in aliorum ore posuimus. » Idem, in *Moralibus* [2] : « Dum cor in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa, huc illucque quibusdam fluctibus volvitur; ac per modos varios rerum, alternantium mutabilitate versatur. » Augustinus, *de Pastoribus* [3] : « Hominum temerariis judiciis plena sunt omnia; de quo enim multum desperavimus, subito convertitur, et fit optimus; de quo præsumpseramus, subito deficit, et fit pessimus. Nec timor ergo noster certus est, nec amor noster certus est. Quid sit hodie quisque, vix novit ipse homo; si autem utcumque novit ipse quid sit hodie, quid autem cras erit, nec alius, nec ipse. » Idem, in *Meditationibus* : « Heu me tantæ infelicitatis, tantæ perditionis! dum enim, quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ ante sunt me extendere volo, subito nescio qua miseria me relabi ad inania et noxia conspicio. » Bernardus, in *Sermonibus* [4] : « Qui conscientias suas in alienis labiis ponunt, modo magni, modo parvi sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis, vel vituperare placuit, vel laudare. » Seneca, in *Epistola* [5] : « Hoc habent inter cætera boni mores; placent sibi, et permanent. Levis est malitia; sæpe mutatur, non in melius, sed in aliud. »

CAPUT VI.

De Vagatione.

Gregorius, in *Pastorali* [6] : « Interior est custodia cordis, quæ ordinata exterius servat membra corporis. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foras inconstantia motionis fluit; atque exteriore mobilitate indicat, quod nulla interius radice constantiæ subsistat. » Hieronymus, in *Epistola* [7] : « De agmine columbarum crebro accipiter unam separat, quam statim invadat et laceret, cujus carnibus et cruore satietur; et morbidæ oves suum relinquunt gregem, et luporum faucibus devorantur. » Idem, super illud *Genesis*, secundum aliam litteram [8] : *Egressus Cain a facie Domini habitabat in terra Naid, quod interpretatur fluctuatio* [9] : « Quicumque enim a Domino recedit, statim sæculi fluctibus quatitur, et moventur pedes ejus. » Augustinus : « Cohibeat se, » etc., vid. sup., lib. II, *de Continentia visus* [10]. Bernardus : « Nihil turpius, » etc., ut sup., lib. I, *de Monachis malis* [11]. Seneca, in *Epistola* [12] : « Frequens migratio corporis, instabilis animi proprium est. Coalescere otio non potes, nisi desinas circumspicere et errare. » Idem [13] : « Ut animum possis continere, primo corporis fugam siste; deinde remedia continuata plurimum proficiunt. » Idem [14] : « Sine discere oculos tuos, sine aures assuescere sanioribus verbis : quoties processeris, in ipso transitu aliqua quæ renovent cupiditates tuas tibi occurrent. » Idem [15] : « Primum argumentum compositæ vitæ existimo, posse consistere, et secum morari. » Idem [16] : « Non coalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam utile est, quod in transitu prosit. » Idem [17] : « Avarior, ambitiosior, luxuriosior, imo vero crudelior et inhumanior redeo, quia inter homines fui. » Idem [18] : « Nusquam est, qui ubique est. » Idem [19] : « Vitam in peregrinatione agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. »

[1] Greg., *ad Theoct.*, lib. IX, epist. XXXIX, col. 1452. — [2] Id., *Moral.*, lib. XXII, c. X, circa med. — [3] Aug., *de Pastor.*, c. XII. — [4] Bern., *in Nativ. S. Joan. Bapt.*, ante med. — [5] Senec., *Epist.* XLVII, in fin. — [6] Greg., *Pastor.*, p. III, admon. 24, non longe a princ. — [7] Hieron., *ad Demetr.*, epist. VIII, post med. — [8] *Gen.*, IV, 16. — [9] Hieron., *ad Damas.*, epist CXLVI, ante med. — [10] Vid. sup., lib. II, c. XXXVIII, p. 111. — [11] Vid. sup., lib. I, c. XXXII, p. 46. — [12] Senec., *Epist.* LXIX. — [13] Ibid., consequenter. — [14] Ibid. — [15] Id., *Epist.* II. — [16] Ibid. — [17] Id., epist. VII, ante med. — [18] Id., *Epist.* II. — [19] Ibid. conseq.

CAPUT VII.

De Curiositate.

Gregorius, in *Registro :* « Dum incongrua dicentes audire non renuis, non solum opinionem tuam, sed gravas et animam. » Idem, in *Homiliis*[1] : « Grave curiositatis est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscondit, ut aliena sciens se nesciat; et omnis curiosi animus, quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui. » Idem, *super Ezechielem*[2] : « Sicut malus aer, assiduo flatu tractus, inficit corpus; ita perversa locutio, assidue audita, infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis, assiduitate curiosi sermonis. » Idem, in *Moralibus*[3] : « Fit recto retributionis examine, ut qui exteriori oculo negligenter utitur, interiori cordis oculo non injuste cæcetur. » Idem : « Plerumque res, » etc., ut infra, lib. IV, *de Innocentia*[4]. Augustinus, in *Confessionibus*[5] : « Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res quæ cantatur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor; et tunc mallem non audire cantantem. » Idem[6] : « Præter concupiscentiam carnis, quæ inest in delectatione omnium sensuum, et voluptatem, cui servientes depereunt, qui longe se faciunt a te, Domine, inest animæ per eosdem sensus corporis quædam, non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem vana et curiosa cupiditas, nomine cognitionis et scientiæ palliata. » Idem[7] : « Pulchras formas et varias, nitidos et amœnos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam; teneat eam Deus, qui fecit hæc bona valde; sed ipse est bonum meum, non hæc. » Idem, *de Vera Religione*[8] : « Miseri homines, quibus cognita vilescunt, et novitatibus gaudent, libentius discunt, quam norunt, cum tamen cognitio sit finis discendi. » Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus :* « In theatro non solum vides res infaustas; sed et audis spurciloquia, et ex ipso incessu meretricis et habitu molliris : ubi auditu, et cantu diabolico læduntur aures tuæ, et undique percutitur mens tua. » Isidorus, in *Synonymis*[9] : « Noli quærere, quid quisque dicat vel faciat : evita curiositatem, omitte curam, quæ ad causam tuam non pertineat. » Idem[10] : « Oculi, prima tela libidinis; visio, prima concupiscentia mulieris. » Idem, *de Summo Bono*[11] : « Quidam curiosi delectantur audire quoslibet sapientes, non ut veritatem ab eis quærant, sed ut facundiam sermonis eorum cognoscant, more poetarum, qui magis compositionem verborum, quam sententiam veritatis sequuntur. » Bernardus, in *Meditationibus*[12] : « Multi multa sciunt, et seipsos nesciunt; alios inspiciunt, et seipsos deserunt; Deum quærunt per ista exteriora, deserentes interiora sua, quibus interior est Deus. » Idem, *de Duodecim Gradibus*[13] : « O Dina! quid necesse est ut videas mulieres alienigenas? qua necessitate? qua utilitate? an sola curiositate? Etsi otiose vides, non tamen otiose videris. » Idem[14] : « Serva commissum, cave prohibitum, ne perdas concessum. Quid mulierem, tuam mortem, tam intente intueris? quid illuc tam crebro vagantia lumina jacis? » Idem[15] : « Nisi mens minus se curiose servaret, tua curiositas tempus vacuum non haberet. Si culpa non est, culpæ tamen occasio est, et indicium commissæ, et causa committendæ. » Idem[16] : « Monachus, qui sui negligens alios curiose circumspicit, dum quosdam suspicit (a) superiores, quosdam despicit inferiores; et in aliis quidem videt quod invidet, in aliis quod irridet : inde fit ut pro mobilitate oculorum levigatus animus, nulla

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVI, ante med. — [2] Id., *in Ezech.*, hom. IX, post med. — [3] Id., *Moral.*, lib. XXI, c. VI. — [4] Vid. inf., lib. IV, c. V. — [5] Aug., *Confess.*, lib. X, c. XXXIII. — [6] Ibid., c. XXXV, in princ. — [7] Ibid., c. XXXIV. — [8] Id., *de ver Relig.*, c. LII. — [9] Isid., *Synon.*, c. X. — [10] Ibid., c. V. — [11] Id., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXIX, sent. 13. — [12] Bern., *Medit.*, c. I, in princ. — [13] Bern., *de duod. grad. Humilit.*, grad. 1, in princ. — [14] Id., paulo post. — [15] Ibid. — [16] Ibid., grad. 2.

(a) *Al.* suscipit, *mend.*

utique sui cura gravatus, modo per superbiam ad alta se erigit, modo per invidiam in ima se demergit. » Idem[1] : « Ex insolenti corporis motu recens animæ morbus deprehenditur; quandiu enim a sui circumspectione curiosus torpescit, incuriam sui curiosam in alios facit. Qui enim seipsum ignorat, foras mittitur ut hædos pascat. » Anselmus, *de Similitudinibus*[2] : « Curiositas est studium perscrutandi ea, quæ scire nulla est utilitas. » Seneca, in *Epistola*[3] : « Nil tam damnosum bonis moribus, quam in curioso spectaculo residere; tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt. »

CAPUT VIII.

De Negligentia.

Gregorius, in *Moralibus*[4] : « Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, statim audenter etiam majora perpetramus. » Idem[5] : « Plerumque de bonis per incuriæ vitium mala nascuntur. » Idem[6] : « Iniquorum mentes, qui damna sua considerare negligunt, integritatem suam quasi nescientes perdunt. Amittunt namque a corde innocentiam, ab ore veritatem, a carne continentiam, et per accessum temporis ab ætate vitam. » Idem, in *Registro*[7] : « Cum divina præcepta nos moneant, proximos sicut nosmetipsos diligere debere, non parvæ negligentiæ est præcepta Dei despicere, et quod sibi quis metuit, alii non timere. » Idem, in *Pastorali*[8] : « Si a circumspectionis sollicitudine cor destituitur, vulneribus aperitur; quia hostis callidus tanto liberius pectus percutit, quanto nudum a providentiæ lorica deprehendit. » Augustinus, *de Verbis Domini* : « Sic homines negligunt vitam suam, ut nolint habere malam rem nisi ipsam. » Idem : « Tu vulnus, » etc., ut infra, libro IV, *de Taciturnitate*[9]. Idem, *de Natura et Gratia*[10] : « Cum ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem : non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione Cordis*[11] : « Si forte in corpore parum aliquid morbi pulsaverit, statim et medicos adhibemus, et pecuniam profundimus, et omni observantia, quæ competunt, gerimus; nec prius cessatur, quam quæ molesta sunt mitigentur. Anima vero cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur, uratur, præcipitetur, et modis omnibus pereat, nec parva quidem pro ea nos cura sollicitat. » Idem : « Non anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est : qui ergo, quod primum et melius est, negligit, et quod inferius est, extollit, utrumque corrumpit. » Idem[12] : « Certum est, quod omnes pariter corrumpat, et absumat incuria : dum nemo est, qui vel opportuna præbeat, vel importuna prohibeat. » Idem, *super Joannem* : « Omni rei magis parcere debes, quam tempori : aurum enim si contempseris, poteris rursus vel idipsum, vel aliud recuperare; tempus vero si perdideris, difficile id resumes. » Bernardus, in *Meditationibus*[13] : « Quanto diutius nos Deus expectat, ut emendemur; tanto districtius judicabit, si neglexerimus. » Idem, *de Contemptu Mundi*[14] : « Nihil pretiosius tempore; sed, heu! nihil hodie vilius æstimatur : transeunt dies salutis, et nemo recogitat. » Idem, *super Cantica*[15] : « Non curant carnales quærere, quantum desiderant invenire; cupientes consequi, sed non exequi. » Se-

[1] Bern., grad. 1, circa princ. — [2] Anselm., *de Similit.*, c. XXVI. — [3] Senec., *Epist.* VII, ante med.— [4] Greg., *Moral.*, lib. X, c. IX, circa fin. — [5] Ibid., lib. XIII, c. XVIII, post med. — [6] Ibid., lib. V, c. IX, circa med. — [7] Id., *ad Virgil. Arelat.*, lib. IX, epist. XLIX, col. 1464. — [8] Id., *Pastor.*, lib. III, c. I, admon. 33, non longe a princ. — [9] Vid. inf., huj. lib. c. XXXVII. — [10] Aug., *de Nat. et Grat.*, c. XCVII, post med. — [11] Chrysost., *de Comp. cord.*, lib. I, n. 1. — [12] Ibid. — [13] Bern., *Medit.*, c. II, ante med. — [14] Id., super *Ecce nos reliq.*, post med. — [15] Id., *in Cant.*, serm. XXI, ante med.

neca, in *Epistola*[1] : « Nemo se judicat quidquam debere, qui tempus accepit, cum inter multa hoc unum est, cum nec gratus quidem potest reddere. »

CAPUT IX.

De Securitate.

Gregorius, in *Moralibus*[2] : « Nonnunquam ipsis bonis, quæ agimus, ad deterius propinquamus, quia dum lætitiam menti pariunt, quamdam etiam securitatem gignunt; dumque mens secura redditur, in torpore laxatur. » Idem[3] : « Sæpe mens, dum de virtutis suæ securitate resolvitur, insidiante adversario, inopinatæ culpæ telo perforatur. » Idem : « Sæpe quem tentationis, » etc., ut infra, capite *de Remissione*[4]. Idem[5] : « Sæpe nonnullis grave periculum incauta securitas fuit, ut callidi hostis insidias non tentati, sed jam prostrati cognoscerent. » Idem : « Plerumque res, » etc., ut infra, lib. IV, *de Innocentia*[6]. Idem : « Nonnunquam in parva, » etc., ut supra, lib. II, *de Peccato*[7]. Idem[8] : « Quia amoris intimi calorem mens non habet, frigida deorsum jacet; ac miserando modo fit quotidie tanto securior, quanto pejor. » Idem, in *Registro*[9] : « Mater negligentiæ solet esse securitas. » Augustinus, *de Conflictu*[10] : « Loth exercitio malorum probatus inter Sodomitas sanctus fuit; in monte vero, securitate corporis salvatus, cum filiabus peccavit. » Joannes Chrysostomus : « Virtus fidei, » etc., ut supra, lib. II, *de Fide*[11]. Isidorus, *de Summo Bono*[12]: «Neque unquam oportet pœnitentem habere de peccatis securitatem. Nam securitas negligentiam parit; negligentia autem sæpe incautos ad vitia transacta reducit. »

CAPUT X.

De Dijudicatione.

Gregorius, in *Registro*[13] : « Grave est satis et indecens, ut in re dubia certa dicatur sententia. » Idem, in *Moralibus*[14] :« Fit ut, dum ad aliena dijudicanda mens ducitur, proprii judicii lumine privetur; et eo durius contra aliena superbiat, quo sua negligentius ignorat. » Idem : « Hoc proprium, » etc., ut supra, lib. II, *de Superbia*[15]. Idem[16] : « Quisquis superbiæ, vel invidiæ in se tyrannidem captiva mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod, clauso cordis oculo, judicii æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab aliis bene geruntur, displicent; et sola ei, quæ ipse vel prave egerit, placent. » Idem[17] : « Cuncti vanæ gloriæ sectatores, dum se omnibus præferunt, alios quidem de fatuis sensibus, alios autem de indignis meritis reprehendunt, alios enim censent nihil scire, alios non bene vivere. » Idem[18] : « Sancti viri aliena opera etiam prava mirantur; sua vero etiam magna despiciunt. Reprobi vero sua, vel quæ parva sunt, admirantur; et plerumque de suis malis bona æstimant, de alienis autem bonis male sentire non cessant. » Idem : « Stulti cum prudentium, » etc., ut infra, *de Oblivione*[19]. Hieronymus, in *Epstola*[20] : « Periculosum est de servo alterius judicare, et non facilis venia, prava dixisse de rectis. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione*[21] : « In alienis delictis severi et amarissimi judices residemus; nostras autem trabes oculis infixas propriis non videmus, qui aliena etiam minima sollicite perscrutamur. » Idem[22] : « Judicare de alterius mente, summa difficultas est. » Augu-

[1] Senec., *Epist.* I. — [2] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVII, al. XXXIV. — [3] Ibid., lib. IX, c. VII. — [4] Vid. inf., huj. lib. c. XXXVII. — [5] Greg., *Moral.*, lib. XX, c. V, non longe a princ. — [6] Vid. inf., lib. IV, c. V. — [7] Vid. sup., lib. II, c. V, p. 68. — [8] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XXXIV, circa princ. — [9] Id., *ad Gregor. cubicular. Aug.*, lib. VI, epist. XXII, col. 1266, et *Moral.*, lib. XXIV, c. VII, ante med. — [10] Aug., *de Confl. virt. et vit*, c. XIV. — [11] Vid. sup., lib. II, c. XXIII, p. 91. — [12] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXI, sent. 17. — [13] Greg., *ad Const. Mediol.*, lib. VIII, epist. XXX, col. 1409. — [14] Id., *Moral.*, lib. III, c. XVIII, circa med. — [15] Vid. sup., lib. II, c. VI, p. 70. — [16] Greg., *Moral.*, lib. XXXIV, c. XVIII, ante med. — [17] Ibid., lib. XXIII, c. III, non longe a princ. — [18] Ibid., lib. XXVI, c. XXVI. — [19] Vid. inf., huj. lib. c. XXVIII. — [20] Hieron., *ad Asell.*, epist. XCIX, non longe a princ. — [21] Chrysost., *de Compunct.*, lib. I. — [22] Ibid.

stinus, *de Sermone Domini in monte*[1] : « Maxime hi temere judicant de meritis alienis, et aliorum facta facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare et corrigere. Quod quidem vitium, vel superbiæ est, vel invidentiæ. » Bernardus, *de Contemptu*[2] : « Judicent tunc, et præjudicent superbiæ filii, et cum rege suo sedeant, qui sibi latera aquilonis elegit. Exaltentur et eleventur sicut cedrus Libani : transibimus, et ecce non erunt. Opprimant tunc quos possunt, blasphement, congerant maledicta; veniant super nos opprobria exprobrantium Christo, quoniam merces nostra copiosa est in cœlo. »

CAPUT XI.

De Recidivatione.

Gregorius, in *Moralibus*[3] : « In unoquoque lapsu, a minimis semper incipitur, et succrescentibus, ad graviora pervenitur. » Idem[4] : « Sæpe committunt homines mala quæ sciunt; et idcirco permittuntur decipi, ut cadant etiam in mala quæ nesciunt. » Idem[5] : « Auget reatum culpæ sequentis, præconium gloriæ præcedentis. Nam uniuscujusque casus tanto majoris est criminis, quanto, priusquam caderet, majoris potuit esse virtutis. » Idem[6] : « Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur; quia et frustra currit, qui, priusquam ad metas veniat, deficit. » Idem, in *Pastorali*[7] : « Si, quod videtur, bonum gerendum sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum, decrescit. » Idem[8] : « Qui fortiori studio intenderit, retrospicere convincitur, si relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur. » Idem, *super Ezechielem*[9] : « Sicut qui a fide recedit, apostata est, ita qui ad perversum opus, quod deserit, redit, ab omnipotenti Deo absque ulla dubietate apostata deputabitur, etiam si fidem tenere videatur. » Idem, in *Registro*[10] : « Minoris excessus est veritatem non cognoscere, quam in ea agnita non manere. » Augustinus, *de Civitate Dei*[11] : « Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit quando præsumpsit. » Idem, in libro *de Viduitate*[12] : « In viduali et virginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur : qua expetita, et electa, et voti debito oblata, jam non solum capescere nuptias, sed etiam si non nubatur, velle nubere damnabile est. » Idem[13] : « Cum quisque non reddit quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit, tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habet vovendi necessitatem. » Idem[14] : « Plane non dubitaverim dicere lapsas animas a charitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adulteris esse pejores. » Idem, in libro *de Verbis Apostoli*[15] : « Semper adde, semper ambula, semper profice, noli in via retardare, noli retro redire, noli deviare. Remanet enim, qui non proficit; retro redit, qui ad ea relabitur, unde jam recesserat; deviat, qui apostatat. » Hieronymus, in *Epistola*[16] : « De Dei virgine facta es corruptio satanæ : de sponsa Christi, facta es scortum execrabile : de templo Dei, fanum immunditiæ : de habitaculo Spiritus sancti, tugurium diaboli : quæ prius incedebas cum fiducia ut columba, nunc lates in tenebris, ut stellio. » Isidorus, *de Summo Bono*[17] : «Quemadmodum ad virtutum (*a*) tendentes culmen non a summis inchoant, sed a modicis, ut sic sensim ad altiora pertingant; ita et qui dilabuntur ad vitia, non statim a magnis criminibus inci-

[1] Aug., *de serm. Dom. in monte*, lib. II, c. XXXV. — [2] Bern., super *Ecce nos reliq.*, post med. — [3] Greg., *Moral.*, lib. XXI, c. IX. — [4] Ibid., lib. XI, c. VII. — [5] Ibid., lib. XVIII, c. XIX. — [6] Ibid., lib. I, c. ult. in princ. — [7] Id., *Pastoral.*, p. III, c. I, admon. 35, circa med. — [8] Ibid., admon. 28, in fin. — [9] Id., *in Ezech.*, hom. IX, longe ante med. — [10] Id., *ad Sever. Aquilei.*. lib. I, epist. XVI, col. 1036. — [11] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. XIII, in fin. — [12] Id., *de Bon. Viduit.*, c. VIII. — [13] Ibid., c. XI. — [14] Ibid. — [15] Id., *de verb. Apost.*, serm. XV, in fin. — [16] Hieron., *ad Susan. laps.*, epist. XXII, ante med. — [17] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXXVI, sent. 2.

(*a*) *Cæt. edit.* virtutem.

piunt, sed a modicis assuescunt, et sic ad maxima proruunt. » Idem [1] : « Multis argumentis insidiatur diabolus eis, qui renuntiant sæculo, ut ejus se iterum amori substernant : gravius autem illos concupiscentiis sæculi ferit, quos post renuntiationem ad mundi amorem reduxerit. » Bernardus, in *Epistola* [2] : « Habet quidem Christus multos milites, qui fortissime cœperunt, steterunt, vicerunt; paucos autem qui, de fuga conversi, rursus se periculo ingesserint, quod declinaverant, rursusque fugarent hostes, quos fugiebant. » Idem [3] : « Beatus es, si pugnando moriaris, quia mortuus mox coronaberis : væ autem tibi declinando pugnam; perdis enim victoriam simul et coronam. » Idem [4] : « Si proficere currere est, ubi non proficere, ibi et currere desinis : ubi vero non currere, ibi et deficere incipis : hinc plane colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est. » Idem, *super Cantica* [5] : « Septies cadit justus, et septies *resurgit*, si tamen cadit in die, ut se cadere videat, et cecidisse sciat, et resurgere cupiat, et requirat manum adjuvantis, et dicat [6] : *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem : avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* »

CAPUT XII.

De Consuetudine.

Gregorius, in *Homiliis* [7] : « Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur enim, et labitur : quia ubi diu sponte perstitit, ibi, etiam cum noluerit, coacta cadit. » Idem, *super Ezechielem* [8] : « Frontem cordis in impudentiam atterit culpa frequens : ut quo crebrius committitur, eo de illa committentis animus minus verecundetur. » Idem, in *Registro* [9] : « Si pravæ rei aditus, antequam diu patescat, non clauditur, usu fit latior, et erit consuetudine licitum, quod ratione et lege constat esse prohibitum. » Glossa [10] : « Difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit. » Isidorus, in *Synonymis* [11] : « Assiduitas mores facit, et jugis usus in naturam se vertit. » Idem, *de Summo Bono* [12] : « Cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, et consuetudo necessitatem. » Idem [13] : Dum facta quædam non gravia libere ac sine metu committimus, ad pejora scelera, et horrenda, peccati consuetudine labimur. » Augustinus, *de Libero Arbitrio* [14] : « Ratio æstimat luce veritatis, ut recto judicio subdat majora majoribus; usus autem consuetudine commoditatis plerumque inclinatur, ut ea pluris æstimet, quæ veritas minora convincit. » Idem, *contra Julianum* [15] : « Contra istam genitalium concupiscentiam, quæ ingenita nobis est per originale peccatum, vehementius vidua, quam virgo; vehementius meretrix, cum casta esse voluerit, quam quæ semper casta confligit; et tanto amplius in ea superanda voluntas laborabit, quanto majores ei consuetudo vires dedit. » Idem, in Glossa *super Psalmos* : « Facilius est retrahi ab ingressu, quam ab arrepto itinere pravæ consuetudinis revocari. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione cordis* : « Consuetudine contemnendi, dum de præteritis dolor nullus est, facilius supervenientibus malis locum damus. » Ambrosius, *de Officiis* [16] : « Usus cito inflectit naturam. » Seneca, in *Epistola* [17] : « Mali mala sua, quod malorum ultimum est, amant. Tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent; et desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia mores fiunt. »

[1] Isid., *De verb. Apost.*, lib. III, c. XXII, sent. 8. — [2] Bern., *ad Robert*, epist. I, post med. — [3] Ibid., prope fin. — [4] Id., *ad Guarin. abb.*, epist. CCLIII. — [5] Id., *in Cant.*, serm. XVII, ante med.— [6] *Psal.* XXIX, 8, 9. — [7] Greg., *in Evang.*, hom. XXXI post med. — [8] Id., *in Ezech.*, hom. X, longe ante med. — [9] Id., *ad Syagr. Augustod.*, lib. VII, epist. CXX, col. 1383. — [10] Gloss. in *Thren.*, III, et *Joan.*, XI.— [11] Isid., *Synon.*, c. XIII. — [12] Id., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXIII, sent. 3. — [13] Ibid., c. XIX, sent. 1. — [14] Aug., *de Lib. Arbit.*, lib. III, c. V. — [15] Id., *cont. Julian.*, lib. VI, c. VII. — [16] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XX. — [17] Senec., *Epist.* XXXIX, in fin.

CAPUT XIII.

De Obstinatione.

Gregorius, in *Moralibus*[1]: « Pravi audire bona patienter nequeunt; et cum vitæ emendationem negligunt, ad verba se obstinatæ responsionis accingunt. » Idem[2]: « Quos reatus similis sociat, concordi pertinacia etiam defensio perversa constipat, ut de facinoribus suis alterna se invicem defensione tueantur. » Augustinus, *de Agone Christiano*[3]: « Nolentes se, si peccaverint, corrigi, nihil aliud elegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. » Idem, *de Vita Christiana*[4]: « Fit, ut qui homines non timent in delinquendo, in judicio Deum judicem sentiant, et ultorem. » Idem[5], *de Fide ad Petrum:* « Obdurate vivit, sive qui non convertitur, desperans de indulgentia peccatorum suorum, sive qui sic de misericordia Dei sperat, ut usque in finem vitæ suæ in suorum criminum perversitate permaneat. » Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus:* « Peccare humanum est; permanere autem in peccatis diabolicum est. » Bernardus, *de Consideratione*[6]: « Quid est cor durum? Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur: ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula. » Idem, *de Præcepto et Dispensatione*[7]: « Elatio contemnentis, et impœnitentis obstinatio, in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, et convertit in crimen gravis rebellionis nævum levem simplicis transgressionis. » Idem, in *Epistola ad proprios parentes*[8]: « O dira abusio! domus ardet, ignis instat a tergo, et fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi: et hoc ab his, qui in ipso incendio positi sunt, et obstinatissima dementia, ac dementissima obstinatione fugere periculum nolunt. Proh dolor! si contemnitis mortem vestram, cur appetitis et meam? » Idem in *Sermonibus*[9]: « Nonnulli dura cervice et attrita sunt fronte, ut quo magis eis compatimur, tanto magis nostra et compassione, et patientia abutantur. » Idem[10]: « Putasne Filium Dei reputat Jesum, quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is, si fateatur se nosse Deum, factis eum negat? porro fides sine operibus mortua est. » Idem: « Qui imperium dedit ne peccaremus, pœnitentibus statuit ut confiterentur. Excluditur itaque digne a regno Dei non omnis qui peccat, sed qui post peccatum labitur in contemptum. » Glossa[11]: « Carnale est cadere; sed lapideum est jacere. »

CAPUT XIV.

De Desperatione.

Gregorius, in *Registro*[12]: « Diffidentiæ quodammodo genus est, contra hoc quod quisque prædicat torqueri mœstitia. » Idem, in *Moralibus*[13]: « Præsumptio virtutis propriæ tanto gravius in desperatione est, quanto longius ab humilitate. » Idem[14]: « Gravi desperationis telo mens percutitur, cum supernæ iræ tribulationibus premitur, et linguarum foris opprobriis urgetur. » Idem[15]: « Clausis oculis cordis eo anima præcipitatur in infimis, quo obscuratur a summis; et tanto securius mala temporalia perpetrat (a), quanto durius bona æterna desperat. » Idem[16]: « Deus hominem, quem benigne condidit, inique non spernit. Pensan-

[1] Greg., *Moral.*, lib. X, c. III. — [2] Ibid., lib. XXIII, c. XXIV, post med.— [3] Aug., *de Agon. Christ.*, c. XXXI. — [4] Id., *de Vit. Christ.*, c. III. — [5] Imo Fulgent., c. III. — [6] Bern., *de Consider.*, lib. I, ante med. — [7] Id., *de Præc. et Disp.*, ante med. — [8] Id., *ad prop. Parent.*, epist. CXI, circa med. — [9] Id., *de resurr. Dom.*, serm. II, ante med. — [10] Id., *in Octav. Pasch.*, serm. I, ante med. — [11] Gloss. *in Matth.* XIV. — [12] Greg., *ad Areg. Vapinc.*, lib. VII, epist. CXII, col. 1375. — [13] Id., *Moral.*, lib. XXII, c. V, circa fin. — [14] Ibid., *Præf. expos. Job*, c. III, circa fin. — [15] Ibid., lib. XXVI, c. VIII. — [16] Ibid., c. XVI.

(*a*) *Cœl. edit.* penetrat.

dum est igitur, quanti est periculi transacta munera cernere, et futura desperare. » Idem : « Plerumque contingit, » etc., infra, capite *de Argutione* [1]. Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus* [2] : « Utrumque periculosum est, et confidentia perversa, et desperatio. Nam confidentia nimia stantem evertit; et desperatio post lapsum non permittit exsurgere. » Idem : « Diabolus non aliunde, » etc., supra, lib. I, *de Dæmonibus* [3]. Augustinus [4], *de Pœnitentia* : « Qui de Deo non præsumit veniam, non animadvertit plus peccato suo posse Dei clementiam. » Idem : « Inter spem, et desperationem, » etc., infra, in capite *de Morte* [5]. Isidorus, in *Synonymis* [6] : « Non desperes de salute, si ad meliora converteris : qui enim veniam de peccato desperat, plus se desperatione, quam commisso scelere damnat. Desperatio namque auget peccatum, et pejor est omni peccato. »

CAPUT XV.

De Dilatione.

Gregorius, in *Moralibus* [7] : « Sæpe accelerandi boni tarditas consilium putatur; et cum expectatur, ut ex tardatione proficiat, hoc insidians mora supplantat. » Augustinus, de *Confessionibus* [8] : « Non erat quid responderem tibi, Domine, dicenti mihi [9] : *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* : et undique ostendenti te vera dicere, non erat omnino quid responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta et somnolenta : « Ecce modo, sine modo, sine paululum. » Sed *modo* et *modo* non habebat modum, et *sine paululum* in longum ibat. » Idem, *de Verbis Domini* [10] : « Scio ego, et mecum omnis homo, qui paulo attentius consideravit, neminem Deum timentem sub verbis ejus non se corrigere, nisi putat, quia plus habeat vivere : et hæc ipsa res est, quæ multos occidit, cum dicunt : « Cras, cras, » et subito ostium clauditur. Remanebunt foris cum voce corvina, quia non habent gemitum columbinum. Cras, cras, vox corvi est. » Idem, *de Civitate Dei* [11] : « Si propterea quisque objurgandis et corripiendis male agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam et piam erudiendos impediant alios infirmos, et premant atque avertant a fide : non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. » Idem, *de Pœnitentia* [12] : « Quoniam multa sunt, quæ impediunt languentem, et retrahunt; periculosum est, et interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. » Idem [13] : « Purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis, etsi æternus non sit, miro modo est gravis : excellit enim omnem pœnam, quam unquam quis passus est in hac vita. » Bernardus, *super Cantica* [14] : « Instar solis urentis, desiderii ardor peregrinantem in corpore animam decolorat, dum vultui gloriæ inhiantem impatientem facit repulsa, et excruciat amantem dilatio. » Idem, *de Contemptu* [15] : « Numquid in die judicii miseri dicere incipient : Modo, Domine, ecce modo, sine paululum? sic enim nunc dissimulant infelices, et *modo* et *modo* non habent modum, et *sine paululum* in longum vadit. » Idem [16] : « Clama ad Deum, anima mea [17] : *Trahe me post te, in odore unguentorum tuorum curremus* : alioquin, quando eum remorando, tepescendo, pausando consequi speras? [18] *Exultabit ut gigas ad currendam viam.* Hilarem sine dubio diligit secutorem. »

[1] Vid. inf., lib. huj. c. XXXVI. — [2] Chrysost., *de Pœnit.*, hom. X. — [3] Vid. sup., lib. I, c. L, p. 64. — [4] Imo auct. lib. *de ver. et fals. Pœnit.*, c. I, apud Augustin., append. tom. VI. — [5] Vid. inf., huj. lib. c. XLVIII. — [6] Isid., *Synon.*, c. I, post med. — [7] Greg., *Moral.*, lib. XXXII, c. XVII, longe post med. — [8] Aug., *Confess.*, lib. VIII, c. V. — [9] *Ephes.*, V, 14. — [10] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XVI. — [11] Id., *Confess.*, lib. I, c. IX. — [12] Auctor, quisquis ille sit, lib. *de vera et fals. Pœnit.*, c. XVII, inter Op. S. Aug., append. tom. VI. — [13] Ibid., c. XVIII. — [14] Bern., *in Cant.*, prope fin. — [15] Id., *super Ecce nos reliq.*, post med. — [16] Ibid., multo ante. — [17] *Cant.*, I, 3. — [18] *Psal.* XVIII, 6.

CAPUT XVI.

De Voluptate.

Gregorius, in *Moralibus* [1]: « Qui nunc male se voluptatibus dilatat, eum post in suppliciis pœna coangustat. » Idem, in *Registro* [2]: « Si pro luxu animi, atque voluptate carnis, dominico die quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec dominico die prohibemus. » Hieronymus, in *Epistola* [3]: « Miseriæ deliciis, et deliciæ miseriis commutantur. In nostro arbitrio est, vel divitem sequi, vel Lazarum. » Idem [4]: « Difficile, imo impossibile est, ut præsentibus quis, et futuris fruatur bonis: ut hic ventrem, ibi mentem impleat: ut de deliciis transeat ad delicias: ut in utroque sæculo primus sit: ut in cœlo et in terra appareat gloriosus. » Bernardus, *de Contemptu* [5]: « Nunc et trahit sua quemque voluptas, et odorem turpis lucri sectantes, [6] *quæstum æstimant pietatem:* quorum damnatio certa est. » Boetius, *de Consolatione* [7]: « Tristes esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget: quæ si beatos explicare possent, nihil causæ est, quin pecudes quoque beatæ esse dicantur, quarum omnis ad explendam corporalem lasciviam festinat intentio. » Interlinearis [8]: « Nihil voluptuosum, nihil suave placet Deo; sed quod habet aliquid mordacitatis et severitatis: unde pascha cum amaritudinibus manducatur. » Glossa [9]: « Voluptas insatiabilis est, et habita famem, non satietatem parit. » Seneca, in *Epistola* [10]: « Voluptates præcipue exturba, et invisissimas habe: latronum more in hoc nos amplectuntur, ut strangulent. » Multa libro II, in capite *de Luxuria* [11].

[1] Greg., *Moral.*, lib. XIV, c. IV, circa fin. — [2] Id., *ad Civ. Rom.*, lib. XI, epist. III, col. 1511. — [3] Hier., *ad Pammach.*, epist. L, in fin. — [4] Id., *ad Julian.*, epist. XXXIV. — [5] Bern., super *Ecce nos reliq.*, ante med. — [6] I *Tim.*, VI. — [7] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. III, prope fin. — [8] Gloss. interlin. in *Levit.*, II. — [9] Gloss. ord. in *Osc.*, IV. — [10] Senec., *Epist.* LI, in fin. — [11] Vid. sup., lib. II, c. XIII, p. 77-78.

CAPUT XVII.

De Carnalitate.

Gregorius in *Homiliis*: « Unde caro ad tempus suaviter vivit, inde spiritus in æternum interit. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum:* « Quid impinguas, dic mihi, corpus? Numquid enim immolare te habemus? numquid apponere mensæ? » Bernardus, *de Contemptu* [12]: « Nonnulli, cum spiritu cœperint, heu! carne consumantur. » Idem [13]: « Hodie filii hominum animæ curam negligunt, curam autem carnis perficiunt in omni desiderio: neque enim peccare metuunt, sed puniri: nec virtuti cordis datur opera, sed valetudini corporis, imo et voluptati. » Idem, *super Cantica* [14]: « Tu tibimetipsi dispensas misertus tui: suspecta est mihi, fateor, tua ipsius in te dispensatio: vereor tibi illudi, sub tegmine et nomine discretionis, a carnis prudentia. Id te saltem volo admonitum esse, ut si tibi auctoritas Apostoli placet de bibendo vino modico, quod ille adjunxit non prætermittas. » Idem [15]: « Quid vos dicitis, observatores ciborum, morum neglectores, et corruptores animorum? Hippocrates, et sequaces ejus, docent animas salvas facere in hoc mundo; Christus et ejus discipuli perdere. Quemnam vos e duobus magistrum eligitis? At manifestum se facit qui sic disputat: « Hoc oculis, hoc capiti, illud » pectori, vel stomacho nocet. » Profecto unusquisque quod a suo magistro didicit, hoc in medium profert. » Idem in *Apologia* [16]: « Ista charitas destruit charitatem; hæc discretio discretionem confundit; talis misericordia crudelitate plena est: quia videlicet ita corpori servitur, ut anima juguletur. Quæ etenim charitas est carnem diligere, et negligere spiritum? Quæ discretio totum dare corpori, et animæ nihil? Qualis misericordia

[12] Bern., super *Ecce nos reliq.*, ante med. — [13] Ibid., post med. — [14] Id., *in Cant.*, serm. IV, in fin. — [15] Id., multo ante. — [16] Id., *ad Guliel. abb. Apolog.*, post med.

ancillam reficere, et dominam interficere? Nemo pro hujusmodi misericordia speret se consequi misericordiam. » Idem, in *Epistola:* « Quicumque *in carne sunt,* sive præter habitum, sive in habitu religionis, si verax est, imo quia verax est Apostolus [1], *Deo placere non possunt:* multum enim citra perfectum proficit, imo infra imperfectum deficit, cujus gula Deus est. » Idem: « Qui debitorem, » etc., supra, libro I, *de Religiosis malis* [2]. Idem, in *Sermonibus* [3]*:* « *Filii hominum* [4], *usquequo gravi corde*, et pingui corpore? *ut quid diligitis vanitatem*, et veritatem negligitis? Pinguedo carnis, deliciæ corporis, saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illas deseretis: quoniam, inquit Sanctus [5], *cum interierit homo*, *non sumet omnia*, *neque descendet cum eo gloria ejus.* » Seneca, in *Epistola* [6]*:* « Cum tibi feliciter sagina cesserit, et tori creverint, nec vires unquam opimi bovis, nec pondus æquabis. Adjice nunc, quod majore sarcina animus eliditur, et minus agilis est. » Idem [7]: « Stringe corpus, et animo laxa locum; multa sequuntur incommoda corporis deditos curæ. » Idem [8]: « Fateor insitam esse nobis corporis nostri charitatem: fateor, nos hujus gerere tutelam: non nego indulgendum; illi serviendum nego. Multis servit, qui corpori servit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. » Idem [9]: « Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam non possimus sine corpore. »

CAPUT XVIII.

De Prosperitate.

Gregorius, in *Moralibus* [10]*:* « Sancti viri omnem præsentis vitæ copiam, inopiam deputant: quia videlicet nil extra Deum sufficit menti, quæ veraciter Deum quærit.» Idem [11]: « Quamvis quolibet in loco positi, cogitando, loquendo, agendo peccemus; tunc tamen per tria hæc animus effrænatius rapitur, cum mundi hujus sublevatur prosperitate. » Idem [12]: « Non est census in crimine, sed affectus. Cuncta enim quæ Deus condidit, bona sunt. » Idem [13]: « Solet rerum abundantia tanto magis a divino timore mentem solvere, quanto magis hanc exigit diversa cogitare. Nam dum foris per multa spargitur, stare in intimis fixa prohibetur. » Idem [14]: « Qui transeuntia amplectitur, eo ipso ad decursum ducitur, quo decurrentibus implicatur. » Idem [15]: « Multos sua pejus felicitas stravit, multos diuturna pax inertes reddidit; eoque illos inopinatus hostis gravius percutit, quo longo quietis usu negligentes invenit. » Idem, *super Ezechielem* [16]: « Abundantia superbiæ vicina est. » Idem [17]: « Qui a Deo avertitur, et prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto a zelo disciplinæ invenitur alienus. » Idem, in *Registro* [18]*:* « Libere nobis non debet dari donum Dei, quod per (*a*) delectationem sui separat ab amore Dei, ne data danti præferamus; et dum bona percipimus etiam mali, unde crescere in ejus amore debuimus, inde a timore illius disjungamur. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum:* « Ipsa felicitas mundialium rerum, satis magnum impedimentum est animæ ad justitiam faciendam. » Idem [19]: « Qui vult Deum amare, necesse est ut odiat divitias; qui autem voluerit amare divitias, necesse est ut odiat Deum. » Idem, *super Joannem* [20]*:* « Non accuso domos habentes, et agros, et pecunias, et mancipia; sed cum cautela hæc possideri volo, et cum decentia. Quid est *cum decentia*, nisi ut

[1] *Rom.*, VIII, 8. — [2] Vid. sup., lib. I, c. XXVIII, p. 42. — [3] Id., *de verb. Apost. Non est regnum Dei esca*, serm. II. — [4] *Psal.* IV, 3. — [5] *Psal.* XLVIII, 18. — [6] Senec., *Epist.* XV, ante med. — [7] Ibid., paulo post. — [8] Id., epist. XIV, in princ. — [9] Ibid., consequenter. — [10] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c. II, ante med. — [11] Ibid., lib. V, c. VIII, in princ. — [12] Ibid., lib. X, c. XVII, non longe a princ. — [13] Ibid., lib. I, IV, circa med. — [14] Ibid., lib. VIII, c. XXIV, in fin. — [15] Ibid., lib. XXXI, c. XVII, circa med. — [16] Id., *in Ezech.*, hom. XIX, post med. — [17] Ibid., hom. XII, circa med. — [18] Id., *ad Venant. Syrac.*, lib. IX, epist. XXV, col. 1444. — [19] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. XVI, parum a princ. — [20] Id., *in Joan.*, hom. XVIII, post med.

(*a*) *Cæl. edit. deest.* per.

more dominorum, et non servorum, possideant ea, et non possideantur ab eis; ut utantur eis, et non abutantur? » Isidorus, in *Synonymis* [1]: « Divitiæ nunquam sine peccato acquiruntur; nullus res terrenas sine peccato administrat. » Augustinus, in *Epistola* [2]: « Fallax in transitoriis suavitas, et infructuosus labor, et perpetuus timor, et periculosa sublimitas: initium sine providentia, et finis cum pœnitentia. » Idem [3]: « Utaris hoc mundo tanquam non utens, ut ex bonis ejus bona facias, et non malus fias: quia et ipsa bona sunt, et a Deo bona sunt; nec dantur hominibus nisi ab illo, qui habet omnium cœlestium atque terrestrium potestatem. Sed ne putentur mala, dantur et bonis; ne putentur magna, vel summa bona, dantur et malis. Itemque auferuntur et ista bonis, ut probentur; et malis, ut crucientur. » Idem, *super Lucam* [4]: « Amor rerum terrenarum viscus (*a*) est pennarum spiritualium. » Idem, *de verbis Apostoli* [5]: « Aurum materia laborum, periculum possidentium, enervatio virtutum, malus dominus, proditor servus. Aurum nemo tutus habet, nisi qui semper abscondit: in perniciem domini fulget, per tenebras quæritur, per tenebras custoditur. » Idem [6]: « Aurum præbet misericordiæ materiam apud bonos animos, et novo genere lucri tunc magis prodest, quando contemnitur: ut scilicet ipsa sui conditione testetur, quoniam mala est ejus rei possessio, cujus abdicatio fructuosa. » Idem, *de Moribus Ecclesiæ* [7]: « Multo enim mirabilius non inhærere divitiis, quamvis possideas, quam omnino eas non possidere. » Ambrosius, in *Sermonibus* [8]: Merito clamat Propheta [9]: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Quid enim prosunt, si mecum esse post mortem non possunt? Hic acquiruntur; hic relinquuntur. Somnium igitur loquimur, non patrimonium. Unde bene ait Propheta [10]: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Bernardus, in *Epistola*: « Bona temporalia sunt, si non amantur ut illicita: sive autem amentur, sive non amentur, non multum expediunt, quia quadam sui dulcedine cor possidentis cito subvertunt. » Idem, in *Sermonibus* [11]: « Divitiarum amor insatiabilis. Longe enim amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret usu suo: utpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio vero timoris, amissio plena doloris invenitur. » Idem [12]: « Filii Adam, genus avarum et ambitiosum, audite. Quid vobis cum terrenis divitiis, et gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum enim et argentum nonne terra est rubra et alba, quam solus error hominum facit, magis reputat pretiosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed [13] *homo, cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* » Idem: « Fallax felicitas est major infelicitas. » Seneca, in *Epistola* [14]: « Res est inquieta felicitas. »

CAPUT XIX.

De Consolatione.

Gregorius, in *Pastorali* [15]: « Offerenda est eis consolatio, quos caminus paupertatis excoquit, atque illis inferendus est timor, quos consolatio gloriæ temporalis extollit. » Idem: « Habet hoc pravorum, » etc., infra, capite *de Malitia* [16]. Idem: « Mens in qua, » etc., infra, libro IV, *de Fervore* [17]. Hieronymus, in *Epistola* [18]: « Nihil omnino agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus, et ad consolationem nostram, aliena sæpe numerantes vitia, deesse nobis dicimus, quos

[1] Isid., *Synon.*, cap. ult., ante med. — [2] Aug., *ad Lar.*, epist. LXXXII, al. CCIII. — [3] Id., *ad Bonif.*, epist. LXX, al. CCXX, n. 10. — [4] Id., *de verb. Dom.*, serm. XXXIII, n. 6. — [5] Idem, *de verb. Apost.*, serm. XXVIII, ante med. — [6] Ibid., paulo post. — [7] Id., *de Morib. Eccles.*, lib. I, c. XXIII. — [8] Ambros., *de Nabute*, c. VI. — [9] *Psal.* LXI, 11. — [10] *Psal.* LXXV, 6. — [11] Bern., *de Convers. ad Cleric.*, c. XII. — [12] Id., *in Adv.*, serm. IV, circa princ. — [13] *Psal.* XLVIII, 18. — [14] Senec., *Epist.* XXXVI, circa princ. — [15] Greg., *Pastor.*, p. III, c. I, admon. 3, circa princ. — [16] Vid. inf., p. 149. — [17] Vid. inf., lib. IV, c. XXV. — [18] Hieron., *ad Celant.*, epist. XIV, ante med.

(*a*) *Apud ipsum Aug., edit. Gaume*, viscum.

sequi in virtutibus debeamus. » Bernardus, in *Epistola* [1] : « *Si* [2] *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*, carnalibus profecto consolationibus spirituales sociari impossibile est. » Idem : « Funes ceciderunt, » etc., infra, libro IV, *de Gustu* [3]. Idem in *Apologia* [4] : « Fusi sumus exterius, et de regno Dei, quod intra nos est, relictis veris ac perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem de vanitatibus et insaniis falsis; ac jam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. » Idem, super *Qui habitat* [5] : « Si vis habere ministerium angelorum, fuge consolationem sæculi, et tentationibus resiste diaboli : renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. » Idem, in *Sermonibus* [6] : « Vilis est et ad nihilum utilis mundi consolatio; et quod magis est metuendum, etiam veræ ac salubris consolationis est impedimentum. » Idem [7] : « Cujus ad alias consolationes mens inhiat, et non penitus renuit consolari in caducis et transitoriis, ipse sibi profecto cœlestis subtrahit gratiam consolationis : qui si digna devotione, pleno affectu, desiderio vehementi petere, quærere, pulsare satageret, sine dubio petens acciperet, quærens inveniret, pulsanti aperiretur. » Idem : « Alios quoque lugentes, » etc., supra, libro II, in capite *de Beatitudine* [8].

CAPUT XX.

De Ornatu.

Gregorius, in *Moralibus* [9] : « Pravi cum tegendis membris vestimenta quærunt, non solum quæ tegant, sed etiam quæ excolant, expetunt; et contra torporem frigoris non solum quæ per pinguedinem muniant, sed etiam quæ per mollitiem delectent; et non solum quæ per mollitiem tactum mulceant, sed etiam quæ per colorem oculos seducant. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione* : « Nos omne tempus vitæ nostræ consumimus expoliantes dominam, et adornantes ancillam diversis ornatibus. » Augustinus, *super Matthæum* : « Qui immoderato cultu corporis atque vestitus, vel cæterarum rerum nitore præfulget, facile convincitur rebus ipsis pomparum sæculi esse sectator. » Idem, *de Doctrina christiana* [10] : « Quem judicem, mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quam te ipsam quæ videri times? Si pulchra es, quid absconderis? si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam oris habitura ? » Idem Augustinus, *de Doctrina christiana*, loquens de fuco mulierum [11] : « Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt : ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. » Idem, *de Doctrina christiana* [12] : « Monentis Apostoli vox est [13] : *Expurgate vetus fermentum*, etc., *in azymis sinceritatis*, etc. Num sinceritas perseverat et veritas, quando quæ sincera sunt polluuntur, et colorum adulterinis fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dixit [14] : *Non potes facere unum capillum album aut nigrum* : et tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te esse potiorem audaci conatu, et sacrilego contemptu? Crines tuos inficis; malo præsagio futurorum, capillos jam tibi flammeos auspicaris. » Hieronymus, in *Epistola* [15] : « Crimen est caput, post chrismatis sanctificationem, aut croci, aut alterius pigmenti fuco vel pulvere sordidari, aut auro, vel gemmis, cujuscumque terrenæ creaturæ specie comi, quod jam cœlestis ornatus splendore refulget. » Idem [16] : « Quid facit in facie christiana purpurissus et cerussa, quorum alterum ruborem genarum labiorumque

[1] Bern., *ad Guliel. abb. Apolog.*, ante med. — [2] I *Cor.*, XV, 50. — [3] Vid. inf., lib. IV, c. XXIX. — [4] Bern., *ad Guliel. abb. Apolog.*, post med. — [5] Id., super *Qui habitat*, serm. IV, ante med. — [6] Id., *in Vig. Nativ. Dom.*, serm. IV. — [7] Id., super *Ecce nos reliq.*, post med. — [8] Vid. sup., lib. II, c. XLVIII, p. 122. — [9] Greg., *Moral.*, lib. XX, c. XV, ante med. — [10] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. IV, c. XXI, post med., ex Ambros., *de Virgin.*, lib. I, c. VI, n, 28. — [11] Ibid., paulo post, ex eod. Ambrosii loco. — [12] Ibid., ex Cyprian., *de discipl. et habit. Virgin.*, c. VII. — [13] I *Cor.*, V, 7. — [14] *Matth.*, V, 36. — [15] Hieron., *ad Maurit. fil.*, epist. XIV, circa med. — [16] Id., *ad Fur.*, epist. X, ante med.

mentitur, alterum candorem oris et colli, ignis juvenum, fomenta libidinum, impudicitiæ mentis indicia?» Et infra: «Ornatus iste non Domini est, velamen illud Antichristi est.» Idem [1]: «Qua fiducia erigit ad cœlum vultus, quos Conditor non agnoscit?» Ambrosius: «Qui vult audiri,» etc., infra, lib. IV, *de Simplicitate* [2]. Cyprianus, in *Epistola* [3]: «Fugiant castæ virgines, et pudicæ, incestarum cultus, et habitum impudicarum, lupanarium insignia, ornamentum meretricum. Hoc Deus culpat, hoc denotat. Sericum et purpuram indutæ Christum induere non possunt: auro, et margaritis, et monilibus adornatæ, ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt.» Idem [4]: «Parem se in omnibus integritas virginea præstet; nec bonum cordis, corporis cultus infamet. Quid enim ornata virgo, quid compta procedit, quasi maritum habeat, aut quærat? Timeat potius placere, si virgo est, ne periculum sui appetat (*a*), quæ ad meliora et divina se servat.» Bernardus, in *Epistola* [5]: «Filiæ Babylonis, quarum vere gloria in confusione, induuntur purpura et bysso, et subinde conscientia pannosa jacet; fulgent monilibus, et moribus sordent.» Idem, in *Apologia* [6]: «Ex cordis thesauro sine dubio procedit, quidquid foris apparet vitiosum. Vanum enim cor vanitatis notam ingerit corpori, et exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta mollitiem animi indicant: non tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.» Multa supra, libro I, *de Monialibus et Conjugatis* [7].

CAPUT XXI.

De Ingratitudine.

Gregorius, in *Registro*, de imperatore Mauritio [8]: «Valde mihi durum videtur, ut ab ejus servitio milites suos prohibeat, qui et ei omnia tribuit, et dominari eum non solum militibus, sed etiam sacerdotibus concessit.» Joannes Chrysostomus, *super Matthæum*: «Omne bonum quod non ex amore ipsius boni faciunt homines, ingratum est ante Deum.» Augustinus, *de Viduitate* [9]: «Multi habent multa dona, et Deum nesciendo, a quo habent, impia vanitate jactantur. Nemo autem est donis Dei beatus, qui donanti extiterit ingratus.» Idem, *de Pœnitentia* [10]: «Ingratus extitit, qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior.» Idem, *de Spiritu et Littera* [11]: «Erit anima ingrata, si, quod illi ex Deo est, sibi tribuit, præcipueque justitiam.» Bernardus, super *Qui habitat* [12]: «Confitenti humiliter, et devote gratias agenti, non immerito ampliora beneficia promittuntur. Nam qui fidelis invenitur in modico, jure constituitur super multa; sicut e contrario accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus.» Idem, *super Cantica* [13]: «Ingratus reputabitur, cum discussio venerit, qui non poterit dicere cum David [14]: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.*» Idem [15]: «Numquid non perit, quod datur ingrato? Ingratitudo enim inimica est gratiæ, perditio animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio.» Idem [16]: «Ingratitudo ventus est urens, fontem siccans pietatis, rorem misericordiæ, et fluenta omnis gratiæ.» Idem: «Quid est cor durum,» etc., supra, capite *de Obstinatione* [17]. Idem: «Absque confessione,» etc., supra, libro II, *de Confessione* [18]. Idem, in

[1] Hieron., *ad Fur.*, epist. x, conseq. — [2] Vid. inf., lib. IV, c. XIII. — [3] Cyprian., *de discipl. et hab. Virg.*, c. VI. — [4] Cypr., *de discipl. et hab. Virg.*, c. VI. — [5] Bern., *ad Soph. Virg.*, epist. CXIII, circa med. — [6] Id., *ad Guliel. abb.*, *Apolog.*, post med. — [7] Vid. sup., lib. I, c. XXXVII et XL. — [8] Greg., *ad Theod. med.*, lib. II, epist. LXV, col. 1136. — [9] Aug., *de Bon. Viduit.*, c. XVI. — [10] Imo auctor, quisquis ille sit, lib. *de ver. et fals. Pœnit.*, c. XIV. — [11] Auctor lib. *de Spir. et Litt.*, c. XI, inter Op. S. Aug., tom. VI. — [12] Bern., super Psal. *Qui habitat*, serm. IV, in princ. — [13] Id., *in Cant.*, serm. I, post med. — [14] *Psal.* CXVIII, 54. — [15] Bern., *in Cant.*, serm. LI, post med. — [16] Ibid., consequenter. — [17] Vid. sup., huj. lib. c. XIII, p. 141. — [18] Vid. sup., lib. II, c. XIX, p. 87. — (*a*) *Leg.* oppetat.

Sermone [1] : « Ingratitudo vias obstruit gratiæ, et ubi fuerit illa, gratia accessum non invenit, locum non habet. Hinc mihi, carissimi, dolor continuus est, multaque tristitia cordi meo, quod nonnullos tam pronos ad levitatem, ad risum, ad verba otiosa et scurrilia video, ut pertimescam valde, ne forte plus quam expediat divinæ misericordiæ immemores et ingrati super tam multis beneficiis suis, aliquando deserantur a gratia, quam non habent ut gratiam. » Idem [2] : « Omnino nos sola a profectu conversationis impedit ingratitudo nostra : dum quodammodo perditum reputans qui dedit, quod ingratus accepit, cavet sibi de cætero ne tanto plura amitteret, quanto plura ingrato conferret. » Seneca, in *Epistola* [3] : « Quisquis de accipiendo semper cogitat, oblitus accepti est; nec ullum habet malum cupiditas majus, quam quod ingrata est. »

CAPUT XXII.

De Discordia.

Gregorius, in *Registro* [4] : « Dubium non est, bonos pravorum odia sustinere, divinisque intentos operibus, perversorum adversitatibus lacerari. » Idem [5] : « Quoties res aliqua pluribus agenda committitur, dum quisque dissentit ab altero, dispendiis potius quam utilitatibus aditus reseratur. » Idem [6] : « Mihi inimicitiam facio, si fratrum meorum jura perturbo. » Idem [7] : « Discordia consuevit scandala generare. » Idem, in *Moralibus* [8] : « Solet inter fratres major substantia, discordiæ fieri gravioris causa. » Idem [9] : « Evenire plerumque solet, ut non amissa charitate, et inimici nos ruina lætificet, et rursum ejus gloria sine invidiæ culpa nos contristet : dum et ruente eo quosdam bene erigi credimus, et proficiente eo plerosque injuste opprimi formidamus. » Idem, in *Pastorali* [10] : « Discordes, etsi boni operis fructus in suis actionibus proferunt, profecto nulli sunt, quia non ex unitate charitatis oriuntur. » Idem [11] : « Sæpe dum quosdam major scientia erigit, a cæterorum societate disjungit : et quasi quo plus sapiunt, eo a concordiæ virtute desipiunt. » Idem, in *Dialogis* [12] : « Pravis moribus semper gravis est vita bonorum. » Idem, in *Homiliis* [13] : « Quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam testis est, quia bonus non est. Abel enim esse renuit, quem Cain malitia non exercuit. » Hieronymus, in *Epistola* [14] : « Nihil tam contrarium, nihil tam execrabile Deo, quam aliquem velle lædere, vel odisse; nihil tam probabile, quam omnes amare. » Idem, in *Homiliis* [15] : « Quomodo concordia parvæ res crescunt, sic discordia maximæ collabuntur. » Simile, in Glossa *Eccle.*, I. Idem, in originali *super Michæam* [16] : « Ubique insidiæ, ubique fraudulentia; innoxius sanguis effunditur præ avaritia et libidine; germanitas ignoratur. » Augustinus, *de Verbis Domini* [17] : « Non poterit habere concordiam cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. » Idem [18] : « Quid tibi discordia, Christiane? quid simultates amas, quæ Deo tuo non placent? In initio namque inimicitias in protoplastum dum serpens exerit, interficitur; dum homini invidet, ipse prosternitur; dum Adam cupit decipere, ipse primitus jugulatur. » Idem, in *Epistola* [19] : « Facile est atque proclive malos odisse, quia mali sunt; rarum autem et pium eosdem diligere, quia homines, ut in uno eodemque simul et culpam improbes, et naturam probes. » Idem, *de Confessione* [20] : « Sicut amici adu-

[1] Bern., *de sept. Miseric.*, serm. II, circa princ. — [2] Id., *cont. Ingratit.*, serm. ante fin. — [3] Senec., epist. LXXIII, statim a princ. — [4] Greg., *ad Columb.*, lib. VI, epist. II, col. 1231. — [5] Ibid., *ad Vianens.*, lib. I, epist. LXXVIII, col. 1074. — [6] Greg., *ad Natal. Salon.*, lib. II, ind. X, epist. XXXVII, col. 1096. — [7] Ibid., *ad Neapol.*, epist. III, col. 1078. — [8] Id., *Moral.*, lib. I, c. IV, circa fin. — [9] Ibid., lib. XXII, c. VI, non longe a princ. — [10] Id., *Pastor.*, p. III, c. I, admon. 24, non longe a princ. — [11] Ibid., admon. 13, non mult. a princ. — [12] Id., *Dial.*, lib. II, c. III. — [13] Id., *in Evang.*, hom. XXXVIII, ante med. — [14] Hier., *ad Maurit. fil.*, epist. XIV, post med. — [15] Id., *in Matth.*, XII, ante med. — [16] Id., *in Mich.*, lib. II, c. VII. — [17] Aug., *de verb. Dom.*, serm. LVI. — [18] Ibid. — [19] Id., *ad Maced.*, epist. LIII. — [20] Id., *Confess.*, lib. IX, c. VIII.

lantes pervertunt, sic et inimici litigantes plerumque corrigunt. » Ambrosius, *de Virginitate*[1] : « Quot homines, tot sententiæ. » Isidorus, in *Synonymis*[2] : « Odium a regno Dei separat, a cœlo subtrahit, a paradiso ejicit; nec passione adimitur, nec martyrio expiatur.» Idem, *de Summo Bono*[3] : « Amicitia in rebus tantum bonis habenda est. Nam qui ea in malo utuntur, non sibi amici, sed inimici existunt. » Joannes Chrysostomus, in *Sermone* : « Zelantur mansuetum invidi, modestum superbi, probum improbi, mitem tumidi inimica æmulatione lacessunt.» Idem, *super Matthæum*[4] : « Malos qui monet, offendit; incurrit odium, qui arguit criminosos. » Idem : « Inimicus manifestus, » etc., infra, *de Simulatione*[5]. » Idem : « Si inimicitiæ semel, » etc., infra, *de Crudelitate*[6]. Bernardus, in *Epistola*[7] : « Veritas nonnunquam odium et discordiam parit. » Idem, *super Cantica*[8] : « Oratio peccatoris execrabilis erit; frustra quoque offert munus suum ad altare, qui conscius est sibi, quod frater suus habet aliquid adversum se. Denique non respexit Dominus ad Cain munera, eo quod non recte ambularet cum fratre suo. » Glossa[9] : « In perpetuum cum Cain damnabitur, qui hoc genere homicidii tenetur, ut discordet a fratribus. » Ibidem : « Omnis homicida est, qui vel ferro percutit, vel odio insequitur. » Boetius, *de Consolatione*[10] : « Quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimicum. Quæ vero pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus? » Multa supra, libro II, *de Ira*[11].

CAPUT XXIII.

De Malitia.

Gregorius, in *Dialogis*[12] : « Sunt nonnulli, qui idcirco bona facere student, ut gratiam alienæ operationis obnubilent; nec pascuntur bono, quod faciunt, sed laude boni, qua cæteros premunt. » Item[13] : « Malitia remanentium meretur, ut hi qui prodesse poterant, festine subtrahantur; et cum mundi finis appropinquat, electi tolluntur, ne deteriora videant. » Idem, in *Moralibus*[14] : « Iniquorum hominum mentes cum quædam a proximis bene gesta conspiciunt, in extenso livoris sui equuleo torquentur, et gravem malitiæ suæ pœnam sustinent, cum bona in aliis tabescendo vident. » Idem[15] : « Ab Omnipotenti munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. » Idem[16] : « Habet hoc pravorum malitia, ut cum vera in se flere mala renuit, fingat aliena. Nam quasi solatio facinoris utitur, si falsis vocibus et vita corripientis inquinetur. » Idem[17] : « Mens prava semper in laboribus est : quia aut molitur prava quæ inferat, aut metuit ne sibi ab aliis inferantur. » Idem, in *Pastorali*[18] : « Frustra indignatio, clamor et blasphemia ab exterioribus tollitur, si in interioribus vitiorum mater malitia dominatur. Et incassum foras nequitiæ ramus inciditur, si surrectura multiplicius intus in radice reservatur. » Ambrosius, *de Fuga sæculi*[19] : « Ubi inimicitiæ sunt, ibi discordia est, nocendique studium; ubi nocendi studium, ibi ponitur malitia. » Augustinus, in *Sermone*[20] : « Benefacere Deus semper paratus est, sed hominum malitia prohibetur : quia a Domino Deo sibi dari vult omnia, et non vult de his, quæ possidere videtur, offerre. » Hieronymus, in originali *super Oseam*[21] : « Prudentia absque bonitate malitia est, et simplicitas absque ratione stultitia nominatur. » Bernardus, *de Amore Dei* : « Malitia est sapor mali. » Idem, in

[1] Ambros., *de Virginib.*, lib. II, c. VI, n. 39.— [2] Isid., *Synon.*, c. VIII, in fin. — [3] Id., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXXI, sent. 1. — [4] Chrysost., ex var. loc. *in Matth.*, hom. XVI, n. 7. — [5] Vid. inf., huj. lib., c. XXV. — [6] Vid. inf., c. XXXI, p. 157.— [7] Bern., *ad Suger.*, epist. LXXIII, post med. — [8] Id., *in Cant.*, serm. LXXI, post med. — [9] Gloss. in 1 *Joan.*, III. — [10] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. III, pros. 5, in fin. — [11] Vid. sup., lib. II, c. IX, p. 73-74. — [12] Greg., *Moral.* lib. I, c. X, circa med. — [13] Ibid., lib. IV, c. XXXVII.— [14] Ibid. lib. VI, c. III, circa med. — [15] Ibid., lib. II, c. VII. — [16] Ibid., lib. X, c. III. — [17] Ibid., lib. XXII, c. XXI, circa princ. — [18] Id., *Pastor.*, p. III, c. 1, admon. 10, circa princ. — [19] Ambros., *de Fug. Sæc.*, c. VII, n. 43. — [20] Aug, *de Temp.*, serm. CCXIX, al. CCLXXVII, n. 2, Append. tom. V. — [21] Hieron., *in Ose.*, VII, lib. II.

Sermonibus [1] : « Alius supra se ambulat in magnis et mirabilibus ; alius extra se inutili curiositate vagatur ; alius sub se in carne ambulat, et non potest placere Deo ; alius contra se diligens iniquitatem, et odio habens animam suam. Omnis enim qui sævit in proximum, magis lædit seipsum, eo quod longe pejus sit inferre violentiam, quam sufferre. »

CAPUT XXIV.

De Crudelitate.

Gregorius, in *Registro* [2] : « Valde iniquum est, ut qui te plus amaverunt, ipsi te sine causa atrociorem contra se sentiant. » Idem, in *Moralibus* [3] : « Plerumque dissoluta remissio quasi mansuetudo ac pietas reputatur, et dum plus quam decet delinquentibus temporaliter parcitur, ad æterna supplicia crudeliter reservantur. » Augustinus, in *Epistola* [4] : « Molestus est et crudelis videtur medicus furenti frenetico, et pater indisciplinato filio : ille ligando, ille cædendo ; sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, et perire permittant, ista potius falsa mansuetudo, vera crudelitas est. » Idem [5] : « Ut constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu remaneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem* [6] : « Sicut oleum non utique parit lapis, ita nec crudelitas misericordiam : cum enim talem habuit radicem, non ultra eleemosyna est, quod tale est.» Idem :« Cum nos ignoremus (*a*) esurientem Christum, ignorabit nos et ipse misericordia indigentes : et juste, quia crudeles fuimus in idipsum (*b*). » Bernardus, super *Qui habitat* [7] : « Quantum ego compatiar, et si quid solatii possem impendere, quam libenter id facerem, novit ille quem nihil latet. Verumtamen si de pœnarum diminutione solatium præbere voluero, crudelis et immisericors ero : quantum enim subtraham de pœna, tantum de corona furabor : tantum defraudabo fructus, quantum de semente subtraxero : siquidem modica seminis detractio, non modicum est messis detrimentum. » Seneca, in *Epistola* [8] : « Quid opponitur clementiæ? nonne crudelitas, quæ nihil aliud est, quam atrocitas animi in pœnis exigendis? Crudeles enim vocantur, qui puniendi causam habent, modum non habent. »

CAPUT XXV.

De Simulatione.

Gregorius, *de Moralibus* [9] : « Omnis hypocrita, quia vitam justitiæ simulans justorum sibi laudem arripit, alienum est profecto quod tollit. » Idem [10] : « Omnes hypocritæ, dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctæ conversationis habent, sed veritatem sanctæ actionis non habent. » Idem, in *Pastorali* [11] : « Inter hypocritas jure deputatur, qui simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis. » Hieronymus, in *Epistola* [12] : « Fictam humilitatem fugiens, illam sectare, quæ vera est, quam Christus docuit humilitatem, in qua non sit superbia inclusa. Multi enim hujus virtutis umbram, veritatem pauci sequuntur. Perfacile est aliquem vestem habere contemptam, salutare submissius, manus et genua deosculari, inclinato in terram capite oculisque dejectis humilitatem ac mansuetudinem polliceri, lenta voce tenuique sermones infringere, suspirare crebrius, et ad omne verbum peccatorem ac miserum se clamare. Sed si vel levi sermone offensus fuerit, continuo vide-

[1] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXV, post med. — [2] Greg., *ad Maximian.*, lib. XII, epist. XXVI, col. 1563.— [3] Id., *Moral.*, lib. XXXII, c. XVII, longe post med.— [4] Aug., *ad Bonif.*, epist. L, al. CLXXXV, n. 7.— [5] Ibid. n. 45.— [6] Chrysost., *in Joan.*, hom. XII, al. XIII, n. 4. [7] Ultima verba hujus auctoritatis Bernardi reperiuntur in præfatione super *Qui habitat.* — [8] Senec., *de Clement.*, lib. II, c. IV. — [9] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XVI.— [10] Ibid., lib. XXXI, c.V, paululum a princ. — [11] Id., *Pastor.*, p. II, c. VI. — [12] Hieron., *ad Demetr.*, epist. — (*a*) *Leg.* ignoraverimus. — (*b*) in ipsum.

bis attollere supercilium, levare cervicem, et delicatum illum oris sonum insano clamore repente mutare. » Idem [1] : « Sancta magis esse, quam videri stude : quia nihil prodest æstimari quod non sis, et duplicis peccati reatus est, non habere quod creditur, et quod non habeas simulare. » Idem, in originali *super Matthæum :* « Nunc rara fides est : aliud in labiis, aliud in corde versatur : venenum animæ linguæ mella contegunt. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [2] : « Dic, hypocrita, si bonum est esse malum, ut quid non vis apparere, quod es? Si autem melius est bonum esse, ut quid non vis esse quod vis apparere? » Idem [3] : « Inimicus manifestus melior est, quam amicus fictus. Ille dum timetur, facile vitatur; iste dum non cognoscitur, prævalet. » Idem : « Osculum pacis, » etc., supra, libro II, *de Ira* [4]. Isidorus, *de Summo Bono* [5] : « Sæpe per simulationem amicitia colitur, ut qui non potuit aperte decipere, decipiat fraudulenter. » Idem [6] : « Per adversa magis, quam per prospera comprobatur, si Deus et proximus vere diligatur : quia dum adversa provenerint, tunc amicus fraudulentus detegitur. » Idem : « Qui crucem portat, » etc., infra, libro IV, *de Cruce spirituali* [7]. Augustinus, *de Virginitate* [8] : « Simulatio humilitatis major superbia est. » Idem : « Simulatio dicit, » etc., supra, libro II, *de Conflictu* [9]. Idem, *super Matthæum :* « Malus spiritus, spiritus stultitiæ; alter pejor, simulatio sapientiæ. Spiritus malus, spiritus erroris; alter pejor, simulatio veritatis. Spiritus malus, spiritus temeritatis; alter pejor, simulatio consilii. Spiritus malus, spiritus ignaviæ; alter pejor, simulatio fortitudinis. Spiritus malus, spiritus ignorantiæ; alter pejor, simulatio scientiæ. Spiritus malus, spiritus impietatis; alter pejor, simulatio pietatis. Spiritus malus, spiritus elationis; alter pejor, simulatio timoris. » Idem : « Cautus sit pœnitens, » etc., supra, libro II, *de Confessione* [10]. Bernardus, *super Cantica* [11] : « Intendere quasi in Deum, sed non propter Deum, hypocritæ plane animæ est : cujus etsi una facies decora videtur, quod ad Deum qualicumque intentione respiciat; ipsa tamen simulatio omne in ea decorum exterminat, et magis per totum ingerit fœditatem. » Idem [12] : « Minus semper malitia palam nocuit; nec unquam bonus, nisi simulatione boni deceptus est. » Idem, in *Epistola :* « Nemo magis iram meretur, quam amicum simulans inimicus. » Idem [13] : « Non dicit hypocrita : *Gloria mea* [14] *testimonium conscientiæ meæ :* quia etsi judicantium secundum faciem, verbo, vultu, et habitu simulatorio, eludat opinioni, sed non ejus, qui scrutatur renes et corda, fallit vel evadit judicium. » Glossa : « Ira justa est, » etc., infra, libro IV, *de Zelo bono* [15]. Seneca, in *Epistola* [16] : « Omnia vitia in aperto leviora sunt. Morbi quoque tunc ad sanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt, atque vim suam proferunt. Avaritiam itaque et ambitionem, et cætera mala mentis humanæ, tunc perniciosissima scias esse, cum simulata sanctitate subsistunt. »

CAPUT XXVI.

De Familiaritate.

Gregorius, in *Dialogis* [17] : « Qui corpus suum continentiæ dedicant, habitare cum feminis non præsumant : ne ruina menti tanto repentina subrepat, quanto ad hoc, quod male concupiscitur, etiam præsentia (*a*) concupitæ formæ famulatur. » Idem, in *Registro* [18] : « Legitur, quod beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit, dicens :

[1] Hieron., *ad Maurit. fil.*, epist. XIV, post med. — [2] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. XLV, circa princ. — [3] Ibid., hom. XLII, ante med. — [4] Vid. sup., lib. II, c. IX, p. 74. — [5] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXIX, sent. 2. — [6] Ibid., sent. 3. — [7] Vid. inf., lib. IV, c. X. — [8] Aug., *de S. Virgin.*, c. XLIII. — [9] Vid. sup., lib. II, c. XV, p. 79. — [10] Vid. sup., lib. II, c. XIX, p. 87. — [11] Bern., *in Cant.*, serm. XL, circa med. — [12] Ibid., serm. LXVI, non longe a princ. — [13] Id., *ad Henr. Senon.*, epist. XLII, post med. — [14] II *Cor.*, I, 12. — [15] Vid. inf., lib. IV, c. XIX. — [16] Senec., epist. LVII, post med. — [17] Greg., *Dial.*, lib. III, c. IX, non longe a princ. — [18] Id., *ad Rom.* lib. VII, epist. XXXIX, ind. 2, col. 1329.

(*a*) *Cæt. edit.* præsentiæ.

« Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. » Docti ergo viri cautela, magna debet nobis esse instructio : nam vitium præsumptionis est, quod fortis pavet, minus validum non timere. » Idem, *super Ezechielem*[1] : « Sicut perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quia et eos sæpe ad rectitudinem trahunt, et ipsi ad perversitatem nunquam trahuntur; ita infirmi quique societatem debent declinare malorum, ne mala, quæ frequenter aspiciunt, et corrigere non valent, delectentur imitari. » Ambrosius, *super Lucam*[2] : « Quam religiosum videtur, ut commemorationem christianæ feminæ non recuses! Sed crebra inde tentatio : si attentos Deo viderit diabolus, suggerit ut decipiat. Sed tu quamvis de proposito præsumas, cave tentationem, sciens naturam. » Idem, *de Virginibus*[3] : « Teritur officiis pudor, audacia emicat, risus obrepit, modestia solvitur, dum affectatur urbanitas. » Isidorus, in *Synonymis*[4] : « Sæpe familiaritas implicat; sæpe occasio peccandi voluntatem facit. » Idem[5] : « Melius est habere malorum odium, quam consortium. » Idem : « Sicut multa bona habet communis vita sanctorum, sic plurimum mali societas affert malorum. » Augustinus, *de Singularitate Clericorum*[6] : « Diabolus, sicut de simplici charitate amorem conflat illicitum, sic per societatem clerico et mulieri inducit interitum : dum autem contentus est cedere, sic valet fortius occupare : et dum submissius patitur semetipsum præbere devictum, sic plenius devincere gloriatur. » Idem[7] : « De clericis familiaribus erga mulieres Apostolus ait[8] : *Gloria in turpitudine* (*a*) *eorum*. Sed dilectio est, inquiunt. O dilectio, quæ invidet (*b*) sibi! O charitas, quæ cupit se in vituperatione laudari! Grande miraculum, ut virginum charitas virgines faciat velut conjuges credi, et conjugum charitas conjuges faciat velut virgines æstimari. » Idem[9] : « Conversatio parilitatis non nisi corruptionem seminat, vitia pullulat, lasciviam pascit, cupidinem concipit, ignominiam parit, rabiem concitat, furiam porrigit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas ædificat. » Idem[10] : « Semel dixerim, omnis inconveniens sodalitas mulierum; gluten est delictorum, et viscus toxicatus, quo diabolus homines aucupatur. » Hieronymus, in *Epistola*[11] : « Si pudicitiam servare quæris, feminam quam bene videris conversantem mente dilige, non corporali frequentia. » Idem[12] : « Germinant feminæ spinas cum viris habitantes, et arcana mentium acuto mucrone percutiunt. » Idem[13] : « Nec Davide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. » Idem : « Janua diaboli, » etc., supra, *de Muliere*[14], lib. I. Bernardus, *super Cantica*[15] : « Cum femina semper esse, et non cognoscere feminam, nonne plus est, quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes; et quod majus est, vis credam tibi? Quotidie latus tuum ad latus juvenculæ in mensa; lectus tuus ad lectum ejus in camera; oculus tuus ad oculos ejus in colloquio; manus tuæ ad manus ipsius in opere : et continens vis putari? Esto ut sis, sed ego suspicione non careo. »

CAPUT XXVII.

De Propinquitate.

Gregorius, in *Moralibus*[16] : « Sæpe ad avaritiam cor parentis illicit fœcunditas prolis : eo enim ad ambitum congregandæ hæreditatis accenditur, quo multis hæredibus fœcundatur. » Idem[17] : « Ille scire Deum familiarius appetit, qui præ amore pietatis,

[1] Greg., *in Ezech.*, hom. VIII, post med. — [2] Ambr., *in Luc.*, lib. IV, c. IV. — [3] Id., *de Virg.*, lib. III, c. IV. — [4] Isid., *Synon.*, c. V, post med. — [5] Ibid., c. IX, post med.— [6] Est apud Cyprian., *de Singular. Cleric.*, c. IX, post med., edit. Pamel. — [7] Ibid., c. XVIII, circa med. — [8] *Philip.*, III, 19. — [9] *De Singular. Cleric.*, c. XXII. — [10] Ibid., c. VII. — [11] Hieron., *ad Ocean.*, *de vit. Clericorum*, tom. IX. — [12] Ibid., post med. — [13] Id., *ad Nepotian.*, epist. II, ante med. — [14] Vid. sup., lib. I, c. VIII, p. 21. — [15] Bern., *in Cant.*, serm. LXV, ante med. — [16] Greg., *Moral.*, lib. I, c. IV, in princ. — [17] Ibid., lib. VII, c. XIV, ante med.

(*a*) Vulg. *Confusione*. — (*b*, *Cat. edit.* invadet

nescire desiderat, quos carnaliter scivit. » Idem[1] : « Gravi damno scientia divina minuitur, si cum carnis notitia partitur. Extra cognatos ergo quisque ac proximos debet fieri, si vult parenti omnium verius jungi. » Hieronymus, in *Epistola*[2] : « Licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat; percalcato patre perge, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Veniet postea dies ille, quo victor revertaris in patriam. » Idem, in *Homiliis*[3] : « Hic ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios. Si autem necessitas venerit, ut amor parentum ac filiorum Dei amori comparetur, et non possit uterque servari, odium in suos, pietas in Deum est. » Joannes Chrysostomus, in *Homiliis*[4] : « Dico tibi, monache, quid quæris matrem? Aut christiana est mater, aut non est christiana; aut sancta est, aut peccatrix. Si sancta est, gaudet, quia servis Domino; si peccatrix, dimitte illam, quia mortua est. » Idem[5] : « Qui habet Jesum, habet et patrem, habet matrem, habet filios, habet omnem propinquitatem. Quid quæris mortuos? sequere vivum, et dimitte mortuos, ut sepeliant mortuos suos. » Isidorus, *de Summo Bono*[6] : « Multi dum propinquorum utilitates procurant, a Dei amore se separant. Vir autem spiritualis ita prodesse debet suæ propinquitati, ut dum illis gratiam carnis præstare studet, ipse a spirituali proposito nequaquam declinet. » Idem : « Multi monachorum, » etc., supra, lib. I, *de Monachis malis*[7]. Idem[8] : « Noveris non prohiberi pietatis officium, sed negari carnalitatis affectum : proximis enim carnaliter præstatur, quod extraneis pie impenditur. » Augustinus, in *Epistola*[9] : « Carnalem affectum, et in nobis, et in nostris, militia christiana ut perimamus hortatur; nec tamen ita ut ingratus sit quisque parentibus, et eadem ipsa beneficia, quibus in hanc vitam editus, susceptus atque nutritus est, enumerata derideat : servet potius ubique pietatem. Habent hæc locum, ubi majora non vocant. Mater Ecclesia, mater est etiam matris tuæ. » Idem, *de Viduitate*[10] :« Nec ideo laudanda es, quia filios habes; sed quia eos pie nutrire atque educare studes. Ut enim tibi nascerentur, fœcunditatis; ut vivant, felicitatis est; ut et instituantur sic voluntatis est atque potestatis. » Bernardus, in *Epistola*[11] : « Ecclesia jubetur, ut concupiscat rex decorem ejus, oblivisci populum suum et domum patris sui. Puer Jesus inter cognatos et notos quæritur, nec invenitur. Fuge fratres tuos et tu, si tuam vis invenire salutem. Fuge, inquam, de medio Babylonis, fuge a facie gladii aquilonis. » Idem[12] : « O dirum patrem! o sævam matrem! o parentes crudeles et impios! imo non parentes, sed peremptores, quorum dolor salus pignoris, quorum consolatio mors filii est, qui me malunt perire cum eis, quam regnare sine eis. » Idem[13] : « Configat carnes tuas divinus timor, ne decipiat carnalis amor. Blanditur, sed sub lingua ejus labor et dolor : lacrymatur, sed insidiatur, ut rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum. » Idem[14] : «Fidelis sermo et omni acceptione dignus : etsi impium est contemnere matrem, contemnere propter Christum piissimum est. Nam qui dixit[15] : *Honora patrem et matrem*, ipse etiam dixit[16] : *Qui amat patrem et matrem plusquam me, non est me dignus.* » Glossa[17] : « Perfecta est conversio, ubi, cum cupiditate rerum, carnalis quoque rumpitur dilectio. »

[1] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. XIV. — [2] Hieron., *ad Heliod.*, epist. I. — [3] Id., *in Matth.*, X. — [4] Chrysost., hom. XVIII, ex var. loc. *in Matth.* — [5] Ibid., paulo ante. — [6] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XI, sent. 3 et 4. — [7] Vid. sup., lib. I, c. XXXII, p. 45. — [8] Isid., loc. cit., sent. 5. — [9] Aug., *ad Læt.*, epist. XXXVIII, al. CCXLIII, n. 10. — [10] Id., *de Viduit. Bono*, c. XIV. — [11] Bern., epist. CVII, in fin. — [12] Id., epist. CXII, ante med. — [13] Id., *ad Fulc.*, epist. II, post med. — [14] Id., *ad Mag. Galt.*, epist. CV. — [15] *Exod.*, XX, 12. — [16] *Matth.*, X, 37. — [17] Gloss. *in Matth.*, IV.

CAPUT XXVIII.

De Oblivione.

Gregorius, in *Homiliis*[1] : « Nulla nos prosperitas blandiens seducat : quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliviscitur ire quo debet. » Idem, in *Moralibus*[2] : « Stulti cum prudentium facta conspiciunt, hæc eis esse omnia reprehensibilia videntur : quia suæ imperitiæ et infirmitatis obliti, tanto intensius de alienis judicant, quanto sua profundius ignorant. » Idem[3] : « In istis visibilibus quæ intuetur cor nostrum, extra se spargitur ; et quid de se intrinsecus agatur obliviscitur, dum extrinsecus occupatur. » Idem, in *Registro*[4] : « Sincera in dilectione, nec vires absentia, nec locum habet oblivio. » Idem, in *Pastorali*[5] : « Sæpe nonnulli, velut obliti quod fratribus animarum causa prælati sunt, toto cordis annisu sæcularibus causis inserviunt. » Idem[6] : « Ex se debet unusquisque colligere, qualiter alienæ hunc oporteat imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi, si ad increpationis vocem ferventius rapiatur, oblitus sui esse videatur. » Idem : « Sæpe nonnulli, » etc., supra, lib. I, *de Religiosis malis*[7]. Augustinus, *de Libero arbitrio*[8] : « Melior est animus, cum obliviscitur sui, præ charitate incommutabilis Dei, vel seipsum penitus in illius comparatione contemnit. » Idem, de *Confessionibus*[9] : « Quis dabit, Domine, mihi, ut venias in cor meum, et inebries illud, ut obliviscar mala mea, et unum bonum meum amplectar te ? » Idem, in *Sermone :* « Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui, dum viveret, oblitus est Dei. » Idem : « Væ qui derelinquunt te ducem, » etc., infra, capite *de Sapientia mala*[10]. Ambrosius, in *Apologia :* « Sentire vitalis vigoris ac muneris est : unde et ille qui errorem suum non cognoscit, insanit, furit, desipit. » Bernardus, super *Missus est*[11] : « Videas plerosque in Ecclesia Dei de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos subito, intumescere, pristinæ oblivisci abjectionis, genus quoque suum erubescere. » Idem, *super Cantica*[12] : « Parum est nostris vigilibus, quod non servant nos, nisi et perdant : alto quippe demersi oblivionis somno, ad nullum dominicæ comminationis tonitruum expergiscuntur, ut suum ipsorum periculum expavescant. Inde est, ut non parcant suis, qui non parcunt sibi, perimentes pariter, et pereuntes. » Idem, in *Sermone*[13] : « Quantos videmus quasi oblitos sui, et peccatorum suorum, Dei quoque et beneficiorum ejus immemores, sic non redimere, sed amittere tempus, ut de moribus et affectionibus suis ultima apud ipsos vix mentio fiat ! »

CAPUT XXIX.

De Ignorantia.

Gregorius, in *Moralibus*[14] : « Nescire, ignorantia est ; sed scire noluisse, superbia. » Idem[15] : « Quo nosipsos minus agnoscimus, eo illos, quos reprehendere nitimur, plus videmus. Communia hæc mala sunt, quæ sæpe a subditis in prælatos, sæpe a prælatis in subditos committuntur. » Idem[16] : « Nemo bene judicat, qui ignorat. » Idem[17] : « Sæpe committunt, » etc., supra, *de Recidivatione*[18]. Idem : « Seclusum ab internis gaudiis genus humanum, exigente culpa, mentis oculos perdidit ; et quo meritorum passibus gradiatur, nescit. Sæpe enim est donum gratiæ, quod iram deputat : et sæpe divinæ districtionis ira est, quod gratiam

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XIV, circa fin. — [2] Id., *Moral.*, lib. XI, c. XIII, circa med. — [3] Id., lib. XXV, c. VII, circa med. — [4] Id., *ad Areg. Vapinc.*, lib. IX, epist. LXII, col. 1476. — [5] Id., *Pastoral.*, p. II, c. VII, paulo a princ. — [6] Ibid., c. X, ante med. — [7] Vid. sup., lib. I, c. XXVIII, p. 41. — [8] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. III, c. XXV. — [9] Id., *Confess.*, lib. I, c. V. — [10] Vid. inf., huj. lib. c. XXXII. — [11] Bern., super *Missus est*, hom. IV, post med. — [12] Id., *in Cant.*, serm. XVII, ante med. — [13] Id., *Cont. ingrat.*, serm. ante med. — [14] Greg., *Moral.*, lib. XXV, c. XI, circa med. — [15] Ibid, c. XIV, circa fin. — [16] Ibid., lib. XXVII, c. I, in fin. — [17] Ibid., lib. IX, c. VII, in princ. — [18] Vid. sup., huj. lib. c. XI, p. 139.

putat.» Idem, in *Registro* [1] : « Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit? » Idem [2] : « Quotiescumque tam de baptismo aliquorum, vel de confirmatione, quam de ecclesiarum consecratione dubium habetur, et nec scriptis nec testibus certa ratio habetur, utrum baptizati, vel confirmati, sive ecclesiæ consecratæ sint : baptizentur tales ac confirmentur, atque ecclesiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat : quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [3] : « Non potest eis esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas. Nam si veritas salus est et vita cognoscentium se, magis debet quæri, quam quærere. » Isidorus, in *Synonymis* [4] : « Ignorantia mater errorum est; ignorantia vitiorum nutrix. » Augustinus, *super Matthæum* [5] : « Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. » Idem : « Cum ubique sit præsens, » etc., supra, *de Negligentia* [6]. Idem, *de Gratia et Libero Arbitrio* [7] : « Ideo divina præcepta data sunt, ut homo excusationem de ignorantia non haberet. » Idem, *de Trinitate* [8] : « Error est, pro alio, alterius approbatio. » Idem : « Rem prorsus ignotam amare, omnino nullus potest. » Idem, *de Vita beata* [9] : « Recte dicimus eorum animos, qui nullis disciplinis eruditi sunt, nihilque bonarum artium hauserunt, jejunos atque famelicos esse. » Idem, *de Conjugiis adulterinis* : « Sunt peccata ignorantium, quamvis minora peccatis scientium. » Idem [10] : « Certe nullius crimen maculat nescientem. » Et est interlinearis (*a*) *Gen.*, cap. XXI, 26 : *Nescivi.* Bernardus, *de Contemptu* [11] : « Quando excusare ignorantia possit hominem, qui se magistrum infantium, et doctorem insipientium profitetur? Ignorans utique ignorabitur, et multos ignorare faciet, et ignorari. » Idem, *super Cantica* [12] : « Dico omnes ignorare Deum, qui nolunt converti ad eum : neque enim ob aliud proculdubio renuunt, nisi quia gravem et severum imaginantur, qui pius est; durum et implacabilem, qui misericors est; ferum et terribilem, qui amabilis est. Et mentitur iniquitas sibi. » Idem, *de Duodecim Gradibus* [13] : « Frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui, ut liberius peccent, libenter ignorant; vel infirmantur. » Idem, in *Epistola* [14] : « Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi : et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem. » Idem : « Multi multa sciunt, » etc., supra, *de Curiositate* [15]. Idem, *de Consideratione* [16] : « Noveris licet omnia mysteria, noveris lata terræ, alta cœli, profunda maris; si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento ruinam, non structuram. » Boetius, *de Consolatione* [17] : « Humanæ naturæ ista conditio est, ut si se nosse desierit, infra bestias redigatur; si vero cum cæteris rebus semetipsum agnoscat, excellat easdem. Nam cæteris animantibus, sese ignorare, natura est; hominibus, vitio venit. » Seneca, in *Epistola* [18] : « Non est extrinsecus malum nostrum, sed intra nos est, in visceribus sedet, et ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus.

[1] Greg., *ad Joan. C. P.*, lib. II, epist. LII, ind. II, col. 1125. — [2] Ibid., *ad Felic. Messan.*, lib. XII, ind. 7, epist. XXXII, col. 1580. — [3] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. XLIV. — [4] Isid., *Synon.*, c. XIV. — [5] Aug., *de verb. Apost.*, serm. XXII, ante med. — [6] Vid. sup., huj. lib. c. VIII, p. 137 — [7] Aug., *de Grat. et Lib. Arb.* — [8] Aug., *de Trin.*, lib. X, c. I. — [9] Id., *de Vit. beat.*, disp. 1, ante med. — [10] Id., *ad Vinc.*, epist. XLVIII, al. XCIII, n. 15. — [11] Bern., super *Ecce nos reliq.*, ante med. — [12] Id., *in Cant.*, serm. XXXVIII, ante med. — [13] Id., *de duod. Grad.*, post med. — [14] Id., *ad Hug. de S. Vict.*, epist. LXXVII, ante med. — [15] Vid. sup., huj. lib. c. VII, p. 136. — [16] Id., *de Consider.*, lib. II, ante med. — [17] Boet., *de Consolat.*, lib. II, pros. 5, circa fin. — [18] Senec., *Epist.* L, ante med. — (*a*) *Suppl.* in.

CAPUT XXX.

De Stultitia.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : « Incautis sæpe ad peccati finem vertitur etiam hoc, quod pro solo studio mercedis inchoatur. » Idem [2] : « Quantalibet doctrina mens polleat, gravis ejus imperitia est velle docere meliorem. » Idem [3] : « Sæpe reprobi, per hoc quod unum vel minimum bonum suum incaute conspiciunt, mala multa et gravia, in quibus demersi sunt, non agnoscunt. » Idem [4] : « Quia, testante Paulo [5], *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum,* tanto quisque amplius intus stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri. » Idem, in *Registro* [6] : « Ego et minores meos, quos ab illicitis prohibéo, in bonis imitari paratus sum. Stultus enim est, qui in eo se primum æstimat, ut bona, quæ viderit, discere contemnat. » Augustinus, *de libero Arbitrio* [7] : « Stultitia est, rerum appetendarum et vitandarum, non quælibet, sed vitiosa ignorantia. » Idem : « Si prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, ut differant mortem, et vivant paucos dies; quam stulti sic vivunt, ut perdant æternam vitam ? » Idem, *de Octoginta tribus quæstionibus* [8] : « Quidquid casu fit, temere fit. » Idem, *de Vita beata* [9] : « Major et miserabilior egestas nulla est, quam egere sapientia; et qui sapientia non eget, nulla re omnino egere potest. Est ergo animi egestas nihil aliud, quam stultitia. » Idem, *de Ordine disciplinæ* : « Quisquis ea sola novit, quæ corporis sensibus attingit, non solum cum Deo non esse mihi videtur, sed nec secum quidem. » Isidorus : « Neminem stultorum, » etc., supra, lib. I, *de Judicibus* [10]. Bernardus, *de Consideratione* [11] : « In his stulto labore consumeris, quæ non sunt nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ. » Idem, *super Cantica* [12] : « Stultus quod vivit, mortem potius quam vitam esse censuerim. Quomodo vita cum sterilitate ? » Seneca, in *Epistola* [13] : « Inter cætera mala hoc quoque habet stultitia proprium : semper incipit vivere. Quid est autem turpius, quam senex vivere incipiens? » Idem : « Omnis stultitia laborat fastidio sui. » Idem [14] : « Nihil stultitia pacati habet : tam superne illi metus est, quam infra. Utrumque trepidat latus : sequuntur pericula, et occurrunt : ad omnia pavet, imparata est, et ipsis terretur auxiliis »

CAPUT XXXI.

De Credulitate.

Gregorius, in *Moralibus* [15] : « Error, cum virtus creditur, difficilius emendatur. » Idem [16] : « Sicut plerique reticent ex timore, et tamen tacere se æstimant ex humilitate ; ita nonnulli loquuntur per impatientiam elationis, et tamen loqui se credunt per libertatem rectitudinis. » Idem : « Majora crimina, » etc., infra, lib. IV, *de Æquitate* [17]. Idem [18] : « Arrogantes grave se damnum perpeti judicant, si scientiam suam loquendi brevitate constringunt. Tanto enim semetipsos credunt doctiores ostendere, quanto se poterunt multiplicitate loquacitatis aperire. » Idem, in *Registro* [19] : « Nos ignotis hominibus passim credere non debemus. » Idem [20] : « Ex te aliorum causas æstima, et in quorumdam adversitates falsis suspicionibus non ducaris. » Isidorus, *de summo Bono* [21] : « Erit ille apud Deum condemnatus,

[1] Greg., *Moral.*, lib. III, c. x, post med. — [2] Ibid., lib. VI, c. xviii, circa fin. — [3] Ibid., lib. XXXIV, c. xvii, post med. — [4] Ibid., lib. XVIII, c. xxv, fere in princ. — [5] I *Cor.*, iii, 19. — [6] Greg., *ad Joan. Syrac.*, lib. VII, ind. 1, epist. lxiv, col. 1348. — [7] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. III, c. xxiv. — [8] Id., *de* LXXXIII *Quæst.*, q. xxix. — [9] Id., *de Vit. beat.*, Disp. iii. — [10] Vid. sup., lib. I, c. xlv, p. 60. —

[11] Bern., *de Consider.*, lib. I, ante med. — [12] Id., *in Cant.*, serm. iii, ante med. — [13] Senec., *Epist.* xiii, circa fin. — [14] Senec., *Epist.* lix, ante med. — [15] Greg., *Moral.*, lib. XXXII, c. xvii, longe post med. — [16] Ibid., lib. XXXIV, c. xviii, circa med. — [17] Vid. inf., lib. IV, c. xxxix. — [18] Ibid., lib. XXVI, c. xviii. — [19] Id., *ad Joan. Syrac.*, lib. VII, epist. lxv, col. 1349. — [20] Ibid., lib. VIII, epist. xii, *ad Gudisc.*, col. 1400. — [21] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. lix, sent. 6.

qui adversus innocentem falsum testimonium, vel dicit, vel dicentibus credit. Nam non solum reus est, qui falsum de aliquo profert, sed is qui cito aurem criminibus præbet. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione*[1] : « Si inimicitiæ semel occupaverint homines, omnia quæ fiunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita accipiuntur et intelliguntur, ut ad majores et longiores proficiant inimicitias. Si quid enim boni dicatur de inimico, non creditur ; si quid autem mali, hoc solum creditur, hoc confirmatur. » Augustinus, *de Baptismo parvulorum*[2] : « Si est ulla humanitas in rebus humanis, puto nos justius posse reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ulla testificatione demonstrant, nocentes potius quam innocentes crediderimus. » Bernardus, in *Epistola*[3] : « Error est humanæ mentis, non modo bonum putare malum, et malum bonum, aut verum falsum, et e converso, sed etiam certa recipere pro dubiis, dubia pro certis. » Idem, *de Consideratione*[4] : « Facilitas credulitatis est, cujus callidissimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi satis cavisse versutias : inde ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens abdicatio, inde præjudicia in absentes. » Idem : « Arrogans de omni alia, » etc., supra, libro II, *de Superbia*[5]. Seneca, in *Epistola*[6] : « Utrumque vitium est, et omnibus credere, et nulli ; sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius. »

CAPUT XXXII.

De Sapientia mala (*a*).

Gregorius, in *Moralibus*[7] : « Ad veram sapientiam venire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia decipiuntur. » Idem[8] : « Valde difficile est, ut is, qui se sapientem æstimat, mentem ad humilitatem reducat. » Idem : « Quia testante, » etc., supra, *de Stultitia*[9]. Idem[10] : « Sapientia hujus mundi infidelis est, quia mansura post mortem non est. » Idem, in *Pastorali*[11] : « Quo quisque melius sapit, eo deterius delinquit, et idcirco inexcusabiliter meretur supplicium, quia prudenter, si voluisset, potuit vitare peccatum. » Idem : « Sæpe dum, » etc., supra, *de Discordia*[12]. Idem, in *Registro*, de quodam monacho[13] : « Sunt bona, quæ in eo placent ; sed hoc est in illo vehemens vitium, quia valde sibi sapiens esse videtur. » Augustinus, *de Libero Arbitrio*[14] : « Væ qui derelinquunt te ducem, et oberrant in vestigiis tuis ; qui nutus tuos pro te amant, et obliviscuntur quid innuas. O suavissima lux purgatæ mentis sapientia ! non enim cessas innuere nobis, quæ et quanta sis, et nutus tui sunt omne creaturarum decus. » Idem, *de Quantitate animæ*[15] : « Odore ac sapore mire dijudicare pulmenta, et quo lacu piscis captus sit, vel quod tenue vinum sit, nosse dicere, quædam est miseranda peritia ; et his artibus cum quasi crevisse anima videtur, quæ neglecta mente defluxit in sensus, nihil aliud, quam tumuisse, vel etiam contabuisse judicanda est. » Idem, *de Civitate Dei*[16] : « Philosophiam si vere ac fideliter amasses, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam cognovisses, nec ab ejus saluberrima humilitate, tumore inflatus vanæ scientiæ, resilisses. » Idem[17] : « Ineruditos liberalibus disciplinis, et omnino quantum ad philosophorum attinet doctrinas impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, piscatores cum retibus fidei ad mare hujus sæculi paucissimos misit,

[1] Chrysost., *de Compunct.*, lib. I, ante med. — [2] Aug., *de unico Bapt. cont. Petil.*, c. XVI. — [3] Bern., epist. LXXXV, *ad Vic. abb.* — [4] Id., *de Consideratione*, lib. II, in fin. — [5] Vid. sup., lib. II, c. VI, p. 71. — [6] Senec., *Epist.* III, post med. — [7] Greg., *Moral.*, lib. XIII, c. XIV. — [8] Ibid., lib. XVI, c. XVII, in fin. —
(*a*) Cæt. edit. omitt. *mala*.

[9] Vid. sup., huj. lib. c. XXX, p. 156. — [10] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XX, circa med. — [11] Id., *Pastor.*, p. III, c. I, admon. 23, ante med. — [12] Vid. sup., c. XXII, p. 148. — [13] Greg., lib. VII, epist. XCII, *ad Fortunat. Nea.*, col. 1362. — [14] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. II, c. XVI, n. 43. — [15] Id., *de Quant. Anim.*, c. XIX, n. 33. — [16] Aug., *de Civit. Dei*, lib. X, c. XXVIII. — [17] Ibid., lib. XXII, c. V.

atque ita et ex omni genere tam multos pisces, et tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos philosophos cœpit. » Idem, *de Ordine disciplinæ* : « Astrologia est magnum religiosis argumentum, tormentumque curiosis. » Ambrosius, *de Virginitate*[1] : « Nemo potest vestitus amictu philosophiæ, habitu scilicet sapientiæ sæcularis, Christum videre. » Hieronymus, in originali *super Isaiam* : « Omnis pompa structuraque verborum et argumenta dialectica, redigentur ad nihilum. » Idem, in *Epistola*[2] : « Dæmonum cibus est carmina poetarum, sæcularis sapientiæ vanitas, rhetoricorum pompa verborum : hæc sua omnes vanitate delectant, et dum aures versibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, et peccatoris interna devincunt. » Bernardus, *de Duodecim Gradibus*[3] : « Sapere malum, sapere non est, sed desipere. » Idem, *de Contemptu mundi*[4] : « Quantos mundi sapientia maledicta supplantat, et conceptum in eis extinguit spiritum, quem voluerat vehementer Dominus accendi ! Noli, inquit, præcipitanter agere ; diu considera, diligenter intuere. Magnum est quod proponis, et opus egens multa deliberatione : experire quid possis, amico consule, ne post factum pœnitere contingat. » Idem[5] : « Sapientia mundi, terrena, animalis, diabolica est, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ Deo solet vomitum provocare. » Idem, *super Cantica*[6] : « Philosophorum ventosa loquacitas non bonus est imber, qui sterilitatem magis intulit terris, quam fertilitatem. » Idem[7] : « Vinum sæcularis scientiæ inebriat quidem, sed curiositate, non charitate ; implens, non nutriens ; inflans, non ædificans ; ingurgitans, non confortans. » Seneca, in *Epistola*[8] : « Liberalium artium ostentatio, molestos, intempestivos, verbosos, sibi placentes facit. »

CAPUT XXXIII.

De Doctrina.

Gregorius, in *Moralibus*[9] : « Sæpe viri ferventes ingenio, dum congrua inveniunt, arroganter intumescunt ; et quod per elationis vitium plerumque contingit, eisdem acutis sensibus, quibus hostem feriunt, prosternuntur : dum in his quæ recte de Deo sentiunt, non Dei, sed suam gloriam quærunt. » Idem[10] : « Perversi, cum vera sapiunt, recta quidem et rectis rationibus loquuntur : non ut alios audientes doceant, sed ut ipsi quanta doctrina polleant, innotescant. » Idem : « Quantalibet doctrina, » etc., supra, *de Stultitia*[11]. Idem, *super Ezechielem*[12] : « De prædicationis labore laudem transitoriam quærere, quid est aliud, quam rem magnam vili pretio venundare ? » Idem[13] : « Necesse est, ut semper sermo prædicantis cum auditorum debeat qualitate formari ; ne aut verecundis aspera, aut impudentibus levia loquatur. » Ambrosius, *super Lucam*[14] : « Vita verbum exigit, et acquirit ; sermo autem sine vita non dicitur sermo. » Augustinus, *de Vera Religione*[15] : « Quid adhuc oscitamus crapulam hesternam, et in mortuis pecudibus divina eloquia perscrutamur, si, quando ad disputationem venitur, platonico nomine ora crepitantia, quam pectus vero Deo plenum magis habere gestimus ? » Bernardus, *super Cantica*[16] : « Væ, bene de Deo et sentire, et eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem ; si convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperant erogandum ; si alta sapientes humilibus non consentiant ; paveant

[1] Ambros., *de Virginib.*, lib. III, post med. — [2] Hieron., *ad Damas.*, epist. CXLVI, ante med. — [3] Bern., *de duod. grad. Humilit.*, grad. 1, ante med. — [4] Id., super *Ecce nos reliq.*, circa med. — [5] Ibid., conseq. — [6] Id., *in Cant.*, serm. LVIII, post med. — [7] Ibid., serm. IX, post med. — [8] Senec., *Epist.* LXXXVIII, post med. — [9] Greg., *Moral.*, lib. III, c. III, circa med. — [10] Ibid., lib. X, c. III, circa fin. — [11] Vid. sup., huj. lib. c. XXX, p. 156. — [12] Greg., *in Ezech.*, hom. XXI, post med. — [13] Ibid., hom. XI, post med. — [14] Ambr., in *Luc.*, VI, lib. V. — [15] Aug., *de Ver. Relig.*, c. III. — [16] Bern., *in Cant.*, serm. XLI, versus fin.

quod in Propheta legitur, dicente Domino : *Dedi enim aurum meum,* » etc.

CAPUT XXXIV.

De Honore.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : « Plus in hoc mundo honor, quam despectio occupat; magis prosperitatis sublimitas, quam necessitatis adversitas gravat. » Idem [2] : « Transit, quod extollitur; permanet, quod punitur; et qui honoratur in via, in perventione damnabitur; et quasi per amœna prata ad carcerem pervenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. » Idem [3] : « Tantorum pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis hoc mundo principatur. » Idem [4] : Tumoris elatio, non ordo potestatis in crimine est. Potentiam enim Deus tribuit, elationem vero potentiæ malitia nostræ mentis invenit. » Idem [5] : « Numerari culpæ nequeunt, quæ habendæ potestatis amore perpetrantur. » Idem, in *Pastorali* [6] : « Penset quisque quid subjectus egerit, et repente cognoscet si prælatus bona agere, quæ proposuerit, possit : quia nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus non desiit superbire. » Idem [7] : « Sæpe suscepta cura regiminis cor per diversa intuendo diverberat; et impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. » Idem : « Cum rerum necessitas, » etc., infra, lib. IV, *de Dignitate* [8]. Idem, in *Registro* : « In alto loco positis, sæpe dum exterius ab hominibus honor tribuitur, ad ima animus mergitur, quia curis discerpentibus gravatur. » Idem [9] : « Nec cuilibet, favente gratia, ultra quam meretur, impartior : nec ulli hoc, quod sui juris est, ambitu stimulante denegabo (*a*); sed fratres meos honorare per omnia cupio, sicque studeo honore singulos subvehi, dum non sit quod alteri jure ab altero possit opponi. » Idem [10] : « Nec honorem reputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. » Idem : « Minorem major præcedit, sicut honore, ita et crimine. » Isidorus, *de Summo Bono* [11] : « Sæpe per honores quorumdam mutantur et mores; et quos ante conglutinatos charitate habuerunt, postquam ad culmen honoris venerint, amicos habere despiciunt. » Idem [12] : « Non debet honoris ducatum suscipere, qui nescit subditos tramite vitæ melioris præire. Nequeenim quisque ad hoc præficitur, ut subditorum culpas corrigat, et ipse vitiis serviat. » Idem : « Qui regimen, » etc., supra, *de Ambitiosis*, lib. I [13]. Idem, ibidem : « Qui ad hoc conversionem, » etc., supra, ibidem (*b*) Augustinus, in *Epistola* [14] : « Non cogito in ecclesiasticis honoribus tempora ventosa transigere; sed cogito me Principi pastorum omnium rationem de commissis ovibus redditurum. » Idem, *de Pastoribus* [15] : « Quisquis ita præpositus est, ut in eo quod præpositus est, gaudeat, et honorem suum quærat, et commoda sua sola respiciat; se pascit, non oves. » Bernardus, in *Epistola* [16] : « Potestate accepta malle in malo quam in bono uti, abuti est. » Idem [17] : « Non dignum est, ut inde exigas honorem, unde refugis laborem. » Idem, *super Cantica* [18] : « Fratres, revereamur episcopos, sed vereamur labores eorum. Si labores pensamus, non affectamus honores. » Idem : « O perversitas, » etc., supra, lib. I, *de Ambitiosis* [19]. Glossa [20] : « Quanto gradus altior, tanto casus gravior. »

[1] Greg., *Moral.*, lib. V, c. I. — [2] Ibid., lib. VI, c. IV. — [3] Ibid., lib. IX, c. X, in princ. — [4] Ibid., lib. XXVI, c. XIX, in fin. — [5] Ibid., lib. XXIV, c. XVI. — [6] Id., *Pastoral.*, p. I, c. IX. — [7] Ibid., c. IV, in princ. — [8] Vid. inf., lib. IV, c. XXXV. — [9] Greg., lib. II, epist. XXXIX, *ad Dominic. Carth.*, ind. 10, col. 1098. — [10] Ibid., *ad Eulog. Alex.*, epist. XXX, lib. VII, ind. 1, col. 1308. — [11] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXV, sent. 6. — [12] Ibid., c. XXXIV, sent. 2. — [13] Vid. sup., lib. I, c. XXIV, p. 36. — [14] Aug., *ad Max. episc. Donatist.*, epist. CCIII, post med. — [15] Id., *de Pastorib.*, c. XV. — [16] Bern., *ad Eug.*, epist. CCXLV, prope fin. — [17] Id., *ad Oger.*, epist. LXXXVII, post med. — [18] Id., *in Cant.*, serm. XII, post med. — [19] Vid. sup., lib. I, c. XXIV, p. 38. — [20] Gloss. in *Psal.* XXXVI.

(*a*) *Labb. Conc.* derogo. — (*b*) *Cæt. edit. deest* supra, ibidem.

CAPUT XXXV.

De Zelo.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : « Apud misericordem judicem nequaquam sine venia culpa relinquitur, cum per fervorem zeli ex ejus amore peccatur. » Idem, in *Pastorali* [2] : « Exasperatus rector, cum subditorum mentem plus se quam debuit percussisse considerat apud se, ad pœnitentiam semper recurrat, ut per lamenta veniam in conspectu veritatis obtineat ex eo etiam, quod per zeli ejus studium peccat. » Isidorus, *de Summo bono* [3] : « Nimia pietas dissolutionem disciplinæ parturit, et zeli studium, dum plus est quam oportet, in iracundiæ vitium transit. » Bernardus, *super Cantica* [4] : « Zelus minus absque scientia efficax, minusque utile invenitur ; plerumque autem et perniciosus valde sentitur. Quo zelus fervidior, vehementior spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus est scientia, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. » Idem, *de Consideratione* [5] : « Vides omnem ecclesiasticum zelum fervere sola pro dignitate tuenda : honoribus totum datur, sanctitati nihil. » Idem : « Alii tam vehementer, » etc., supra, lib. II, *de Beatitudine* [6].

CAPUT XXXVI.

De Arguitione.

Gregorius, in *Pastorali* [7] : « Correpti mens ad odium repente proruit, si hanc immoderata increpatio plus, quam debuit, addicit. » Idem [8] : « Plerumque contingit, ut dum culpa subditorum cum magna invectione corripitur, magistri lingua usque ad excessus verba pertrahantur : cumque increpatio immoderate accenditur, corda delinquentium in desperatione deprimuntur. » Idem, in *Moralibus* [9] : « Furentem, qui per invectionem carpit, quasi ei, qui non sentiat, ebrio plagas imponit. » Idem : « Justo timendum non est, » etc., infra, lib. IV, *de Timore* [10]. Idem : « Sæpe qui in potestate, » etc., supra, *de Stultiloquio*, in *Convitiatione* [11]. Idem [12] : « Qui semper increpare appetunt, et nunquam fovere, multa plerumque increpando mentiuntur. » Isidorus, *de Summo Bono* [13] : « Non debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus inservit : improbum est enim arguere quidquam in alio, quod adhuc reprehendit in semetipso. » Augustinus, in *Epistola* [14] : « Obsecro te per mansuetudinem Christi, ut si læsi te, dimittas mihi, nec me vicissim lædendo malum pro malo reddas : lædes autem me, si mihi tacueris errorem meum, quem forte inveneris in factis vel dictis meis. Nam si ea in me reprehendis, quæ reprehendenda non sunt, te lædis magis, quam me. » Idem, in *Regula* [15] : « Quando (*a*) necessitas disciplinæ, in moribus corrigendis, dicere vos dura verba compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut a vobis subditis veniam postuletis : ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed petenda est venia ab omnium Domino, qui novit eos, quos plus justo corripitis, quanta benevolentia diligatis. » Idem, super illa verba : *Si peccaverit in te frater tuus*, etc., [16] : « Quare illum corripis? quia doles quod peccaverit in te? absit : si amore tuo id facis, nihil facis ; si amore illius facis, optime facis. » Bernardus, *super Cantica* [17] : « Inhumane eorum redarguis opera, quorum onera

[1] Greg., *Moral.*, lib. X, c. v. — [2] Id., *Pastor.*, p. II, c. x, post med. — [3] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. xxxiv, sent. 4. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. xlix, post med — [5] Bern., *de Consider.*, lib. IV, ante med. — [6] Vid. sup., lib. II, c. xlviii, p. 122. — [7] Greg., *Moral.*, lib. X, c. v, et *Pastoral.*, p. II, c. x, circa fin. — [8] Id., *Pastor.*, p. II, c. x, circa med. — [9] Id., *Moral.*, lib. XXX, c. vii. — [10] Vid. inf., lib. IV, c. xli. — [11] Vid. sup., huj., lib. c. iii, § 9, p. 130. — [12] Greg., *Moral.*, lib. XXIII, c. x. — [13] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. xxxii, sent. 1. — [14] Aug., *ad Hieron.*, epist. xv, al. lxxiii, n. 3. — [15] Id., *Reg.* III, c. xl. — [16] Id., *de verb. Dom.*, serm. xvi. — [17] Bern., *in Cant.*, serm. xii, post med. — (*a*) *Cæt. edit.* quanto.

refugis : temerarie objurgat virum de prælio revertentem mulier nens in domo. »

CAPUT XXXVII.

De Remissione.

Gregorius, in *Registro* [1] : « Cum in subjecto peccatum non corrigitur, in eos qui præsunt sententia retorquetur. » Idem [2] : « Qui emendare potest, et negligit, participem se proculdubio delicti constituit. » Idem [3] : « Satis grave est, si illic contingat habere pravam actionem refugium, unde disciplinæ decet prodire censuram. » Idem : « Consentire videtur erranti, qui corrigenda ut resecari debeant non occurrit. » Idem, in *Moralibus* [4] : « Sæpe quem tentationis certamen superare non valuit, sua deterius securitas stravit. Nam dum lassum se quisque in otio remittit, dissolutam mentem corruptori prostituit. » Idem [5] : « Zeli iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. » Idem : « Plerumque dissoluta, » etc., supra, *de Crudelitate* [6]. Idem [7] : « Dum moderari lingua otiosa verba negligit, more inolitæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit : et dum gulæ incumbitur, ad levitatis protinus insaniam proditur. » Idem, in *Pastorali* [8] : « Si inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc, quod operatum est, pugnat. » Idem, *super Ezechielem* [9] : « Super ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus : quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus. » Isidorus, *de Summo Bono* [10] : « Multos remissa conversio in pristinos errores reducit, ac vivendi tepore resolvit. Horum ergo exempla quisque conversus evita, ne cum timorem Dei a tepore incipis, rursus mundanis erroribus immergaris. » Augustinus, in *Sermone :* « Qui errantem non corripuerit, de negligentia judicabitur; qui autem clam pro eo non oraverit, de pernicie condemnabitur. » Idem, in *Regula* [11] : « Magis innocentes non estis, si fratres vestros, quos judicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. » Idem [12] : « Tu vulnus fratris contemnis; tu eum vides perire, et negligis; pejor es tacendo, quam ille convitiando. » Idem, in *Epistola :* « Sicut non est beneficentiæ adjuvando efficere, ut bonum quod majus est amittatur, ita non est innocentiæ parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur. » Idem [13] : « Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur. » Idem, *de Civitate Dei* [14] : « Illud est culpabile, quod hi, qui dissimiliter vivunt, et a malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ dedocere aut objurgare deberent. » Ambrosius, *super Beati immaculati :* « Remissas excubias callidus insidiator irrumpit. » Bernardus, *de Consideratione* [15] : « Mira res satis superque : episcopi ad manum habent quibus animas credant, et cui suas committant facultates non inveniunt : optimi videlicet æstimatores, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerant. Sed ut liquido datur intelligi, patientius ferimus Christi jacturam, quam nostram. » Idem [16] : « De pretio escarum et numero panum cum ministris quotidiana discussio est; rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit asina, et est qui sublevet eam : perit anima, et nemo qui reputet : nec mirum, cum nec nostros assiduos sentiamus defectus. » Idem [17] : « Impunitas, incuriæ

[1] Gregor., *ad Nobil. Sardin.*, lib. III, epist. XXIII, col. 1150. — [2] Id., *ad Brunich.*, lib. IX, epist. LXIV, col. 1477. — [3] Id, *ad Rom. exarch.*, lib. IV, epist. XVIII, col. 1173. — [4] Id., *Moral.*, lib. II, c. XXVII, circa med. — [5] Ibid., lib. V, c. XXXI, post med. — [6] Vid. sup., huj. lib. c. XXIV, p. 150. — [7] Greg., *Moral.*, lib. X, c. IX. — [8] Id., *Pastor.*, p. II, c. I, admon. 35. — [9] Id., *in Ezech.*, hom. XI, ante med. — [10] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. X, sent. 1. — [11] Aug., *Reg.* III, c. XXIII. — [12] Id., *de verb. Dom.*, serm. XVI, ante med. — [13] Id., *ad Marcell.*, epist. V, al. CXXXVIII, n. 14. — [14] Id., *de Civit. Dei*, lib. I, c. IX. — [15] Bern., *de Consider.*, lib. IV, post med. — [16] Ibid., post pauca. — [17] Ibid., lib. III, circa fin.

soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum est nutrix : et beatus, si omni satagas cura malorum omnium primam parentem cavere incuriam. » Idem [1] : « Impunitas ausum parit, ausus excessum. »

CAPUT XXXVIII.

De Acceptione personæ.

Gregorius, in *Homiliis* [2] : « Judicare digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. » Idem, in *Moralibus* [3] : « Quia ab internis atque invisibilibus oculos claudimus, et visibilibus pascimur, plerumque hominem non ex eo quod ipse est, sed ex his quæ circa ipsum sunt, veneramur : cumque non intuemur quid ipse sit, sed quid possit, in acceptione personarum, non ex personis, sed ex rebus adjacentibus ducimur. » Isidorus, *de Summo Bono* [4] : « Judices iniqui errant a veritate sententiæ, dum intendunt in qualitate personæ; et exulcerant sæpe justos, dum improbe defendunt iniquos. » Idem [5] : « Dives muneribus cito corrumpit judicem; pauper autem, dum non habet quod offerat, non solum audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. » Idem : « Quatuor modis, » etc., supra, lib. I, *de Judicibus* [6]. Hieronymus, in Glossa *Malachiæ* [7] : « Inter omnia peccata sacerdotum, quasi maximum notatur, quod non causas, sed personas considerant, et, despecto justo paupere, injustos divites honorant. » Idem, in Glossa *Isaiæ*, super illud [8] : *Quare atteritis :* « Nostri principes, cum pauperes delinquentes publice arguant et confundant, divitibus pejora peccantibus nec nutum faciunt, in quorum domibus rapina pauperum, dum Ecclesiæ opes sibi thesaurizant, et eas in delicias abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur, et sibi reservant, vel propinquis distribuunt, et aliorum inopias, suas vel suorum divitias faciunt. » Idem, in homilia super *Amos* [9] : « Quicumque aut consanguinitate aut amicitia, et e contrario, vel hostili odio, vel inimicitiis in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia. » Ambrosius, *de Officiis* [10] : « Gratia absit, causæ merita discernantur : nihil sic opinionem, imo fidem gravat, quam si in judicando potentiori dones causam inferioris, vel pauperem innocentem arguas et divitem excuses reum culpæ. » Idem [11] : « Pronum genus hominum favere honoratoribus. » Bernardus, *de Consideratione* [12] : « Non parvi te reum peccati æstimes, si facies peccatorum sumis, et non potius causas judicas meritorum. » Seneca, in *Epistola* [13] : « Hoc laboramus errore, sic nobis imponitur, quod neminem æstimamus eo quo est, sed etiam adjicimus illi et ea, quibus adornatus est. Atqui cum voles veram hominis æstimationem inire, et scire qualis sit, nudum inspice : ponat patrimonium, ponat honores, et alia fortunæ mendacia; corpus ipsum exuat; animum intuere, qualis, quantusque sit, alieno, an suo magnus. »

CAPUT XXXIX.

De Scandalo.

Gregorius, *super Ezechielem* [14] : « In quantum sine peccato possumus vitare proximorum scandalum, debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. » Idem, in *Pastorali* [15] : « Scire Prælati debent, qui si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. » Idem [16] : « Nemo amplius in Ec-

[1] Bern., *de Considerat.*, lib. IV, prope fin. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. XXVI, ante med. — [3] Id., *Moral.*, lib. V, c. I. — [4] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. LVII, sent. 2. — [5] Ibid., c. LVIII, sent. 4. — [6] Vid. sup., lib. I, c. XLV, p. 60 — [7] Hieron., *in Malach.*, II. — [8] *Isa.*, III, 15. — [9] Hieron., *in Amos*, VI. — [10] Ambros., *de Offic.*, lib. II, c XXIV. — [11] Ibid. — [12] Bern., *de Consider.*, lib. II, circa fin. — [13] Senec., *Epist.* LXXVI, post med. — [14] Greg., *in Ezech.*, hom. VII, ante med. — [15] Id., *Pastoral.*, p. III, c. I, admon. 5, non longe a princ. — [16] Ibid., p. I, c. II.

clesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. » Isidorus, de *summo Bono*[1] : « Deteriores sunt, qui sive doctrina, sive exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. » Augustinus, *de Pastoribus :* « Parum est malis pastoribus, » etc., supra, lib. I, *de Prælatis malis*[2]. Idem[3] : « Qui in conspectu populi male vivit, quantum in illo est, eum, a quo attenditur, occidit. » Idem, *de Singularitate Clericorum*[4] : « Eleazarus maluit vitam suam tormentis objicere, quam cuiquam magister perditionis existere; et nos, ubi nulla tormenta sunt, fluxibus solis nolumus anteponere fratres salvandos, nec contenti sumus sine ullis cruciatibus tam nobis prodesse, quam cæteris. » Idem : « Cum Christus agnus, » etc., supra, lib. I, *de Clericis*[5]. Idem : « Sicut quod ait Apostolus, » etc., supra, lib. I, *de Continentia gustus*[6]. Joannes Chrysostomus, *super Joannem :* « Omnia agamus ne scandalizetur proximus; vita etenim etsi valde recta fuerit, scandalum aliis præbens, omne perdit. » Bernardus, in *Epistola*[7] : « Constat, ubi veritas deest, et ubi veritas necessaria in causa non est, nec licite scandalum quod a quolibet posse committi, nec juste præcipi, nec innoxie consentiri. » Idem[8] : « Cum carpuntur vitia, et inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit quod argui debeat, non ille qui arguit. » Idem[9] : « Libenter carebo quantolibet etiam spirituali quæstu, qui non possit acquiri, nisi cum scandalo. Ubi enim scandalum, ibi proculdubio charitatis est detrimentum; ubi autem diminutio charitatis, miror quod vel quale possit spiritualis exercitii sperari lucrum. » Idem, in *Sermonibus*[10] : « Si Dominus proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem sustinere ab eo persecutionem, qui suggestione mala, exemplo pernicioso, scandali occasione, avertit ab eo animas quas redemit, quam ab illo, qui sanguinem suum fudit ? » Idem[11] : « Is qui exemplo suo ad remissius agendum cæteros provocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia sua et murmuratione molestat, aut quocumque modo contristat spiritum Dei, qui est in eis, scandalizans unum de minimis istis credentibus in eum, nonne et hic manifeste persequitur Christum ? »

CAPUT XL.

De Infamia.

Gregorius, in *Registro*[12] : « Habet hoc proprium antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum actuum perpetratione, Deo sibi resistente, superare non valet, opiniones eorum, falsa (*a*) ad præsens simulando, dilaceret. » Idem, in *Moralibus*[13] :« Sicut bonus odor ex virtute est, sic fœtor ex vitio. » Idem[14] : « Gravis est iniquitas, quando is, qui perversus est, ostendere et alios perversos molitur, ut inde et ipse quasi sanctus appareat, quod alios sanctos non esse docuerit. » Idem[15] :« Ne immoderatis laudibus elevemur, plerumque miro Redemptoris nostri moderamine, etiam detractionibus lacerari permittitur, ut cum nos vox laudantis elevat, lingua detrahentis humiliet. » Augustinus, *de Vita communi Clericorum*[16] : « Quærentes licentiam male faciendi, quærunt sibi exempla male viventium; et mul-

[1] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXXVIII, sent. 5. — [2] Vid. sup., lib. I, c. XII, p. 25. — [3] Aug., *de Pastor.*, c. IV. — [4] *De Singular. Cleric.*, c. V, circa med.; est apud Cyprian., edit. Pamel. — [5] Vid. sup., lib. I, c. XXII, p. 34 — [6] Vid. sup., lib. II, c. XXXVI, p. 108. — [7] Bern., *ad Adam Monach.*, epist. VII, ante med. — [8] Id., *ad Guliel*, epist. LXXVIII, post med. — [9] Id., *Epist.* LXXXI, ante med. — [10] Id., *in Conver. S. Paul.*, serm. I, ante med. — [11] Ibid., post multum. — [12] Greg., *ad Justin. Presby*, lib. II, epist. XXIII, col. 1086. — [13] Greg., *Moral.*, lib. XIV, c. XXVI, circa med. — [14] Ibid., lib. XII, c. XXV, post med. — [15] Ibid., lib. XXII, c. V, circa med. — [16] Aug., *de vit. Cleric.*, *ad frat. in Eremo*, serm. LIII.

(*a*) *Labb.* falsas.

tos infamant, ut socios invenisse videantur. » Idem[1] : « Quia, ut ait Apostolus[2], *spectaculum facti sumus mundo, et angelis et hominibus*, qui nos amant, quærunt quid laudent in nobis; qui autem nos oderunt, detrahunt nobis. Nos autem in medio constituti, adjuvante Domino Deo nostro, et vitam nostram et famam sic custodire debemus, ut non erubescant detractoribus laudatores. » Idem, *de Singularite clericorum*[3] : « Pejus est quam mœchia, continentiam ducere criminosam; et infamem facere sanctimoniam, blasphemiam ingerit religioni. » Ambrosius, *super Lucam*[4] : « Judicia hominum sæpe falluntur, ut et injustis justitiæ gratiam frequenter ascribant, et justum aut odio persequantur, aut mendacio decolorent. » Idem, in *Epistola*[5] : « Quid est quod magis publicum sit, quam offensa pudoris, et defloratio virginitatis? Nihil profecto, quod magis se prodat, quam castitatis dispendium. »

CAPUT XLI.

De quatuor affectionibus.

Gregorius, in *Moralibus*[6] : « Mens nostra a secreti interioris securo gaudio exclusa, modo spe decipitur, modo pavore vexatur, modo deficiendo dolore dejicitur, modo falsa hilaritate relevatur. » Idem[7] : « Quamvis Trinitatis imaginem in natura servemus, vanis tamen delectationis motibus perturbati, in conversatione nostra delinquimus : ut modis nos semper alternantibus cupido concutiat, metus frangat, lætitia mulceat, dolor affligat. » Augustinus, de *Libero Arbitrio* : « Voluntas mala, sive cupiditate rapiatur, sive timore revocetur, sive lætitia diffundatur, sive tristitia contrahatur, atque in his omnibus perturbationibus animi, quæcumque sunt, aliis vel eo tempore graviora contemnat et perferat, potest etiam sine alterius spiritus instinctu se ipsa decipere. » Ambrosius, in *Epistola*[8] : « Sapiens non metu frangitur, nec potestate mutatur; non attollitur prosperis, nec tristibus mergitur. Ubi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia, ibi fortitudo. » Idem, *de Virginitate*[9] : « Sunt animæ, velut quatuor equi, quatuor affectiones : ira, cupiditas, voluptas, timor : quibus furentibus cum cœperit agi, nequaquam se ipsa cognoscit. » Hieronymus, in originali super *Joelem*[10] : « Cavendum est, ne ægritudo, quasi *eruca*, nos comedat, ne *locusta* vastet, gaudio huc illucque volitans, et gestiente lætitia per diversa se jactans; ne *bruchus*, id est pavor et futurorum metus, radices sapientiæ devoret; ne *rubigo*, scilicet desiderium futurorum, res inutiles concupiscat, et nos perferat ad ruinam. » Boetius, *de Consolatione*[11] :

Vivere si vis
Tramite recto,
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.

CAPUT XLII.

De Timore.

Gregorius, in *Moralibus* : « Sæpe nonnulli, dum temporalia adversa pertimescunt, districtionis æternæ animadversionem abjiciunt. » Idem[12] : « Quisquis præsentem gloriam quærit, profecto despectum metuit : qui semper ad lucra inhiat, semper videlicet damna formidat. » Idem[13] : « Magna est securitas cordis, nil concupiscentiæ habere sæcularis. Nam si ad terrrena concupiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest : quia aut non habita concupiscit, ut habeat; aut habita metuit, ne amittat. » Idem[14] : « Multos sæpe vidimus vi-

[1] Aug., *de vit. Cleric., ad frat. in eremo*, serm. LIII. — [2] I *Cor.*, IV, 9. — [3] *De Singular. Cleric.*, c. V, ante med.; est apud Cyprian., edit. Pamel. — [4] Ambros, *in Luc.*, lib. I, n. 18.— [5] Id., *Epist.* lib. VI, epist. XLVI. — [6] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XX, circa med. — [7] Ibid., lib. X, c. IX, circa med. — [8] Ambros., *ad Simplician., in Psal.* CIV. — [9] Id., *de Virgin.*, lib. III, post med. — [10] Hieron., *in Joel*, I, 4. — [11] Boet., *de Consol. philos.*, lib. I, metr. 9. — [12] Greg., *Moral.*, lib. X, c. XII, post med. — [13] Ibid., lib. XXII, c. X, circa med. — [14] Ibid., lib. XXX, c. XII, ante med.

tam quidem sanctæ conversationis appetere; sed ne hanc assequi valeant, modo irruentes casus, modo futura adversa formidare. Qui incerta mala dum quasi cauti conspiciunt, in peccatorum suorum vinculis incauti retinentur. » Idem, in *Pastorali*[1]: « Plerumque utilius apud pusillanimes proficimus, si eorum bene gesta memoramus. » Idem[2]: « Ignorat mens gratiam libertatis, quam ligat servitus timoris. » Augustinus, *de Libero Arbitrio*[3]: « Nulla re fruitur anima cum libertate, nisi qua fruitur cum securitate. Nemo autem securus est in his bonis, quæ potest invitus amittere. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione*: « Multa inhonesta et indigna committere, non paupertas, sed pusillanimitas facit. Joannes Chrysostomus, super *Matthæum*[4]: « Facile deviat a justitia, qui in causis non Deum, sed hominem formidat. Huic peccandi differt facultatem, sed non aufert voluntatem. » Isidorus, *de Summo Bono*[5]: « Multi cupiunt convolare ad gratiam Dei, sed timent carere oblectamentis mundi: provocat quidem eos amor Christi, sed revocat eos cupiditas sæculi. » Idem[6]: « Qui metu potestatis veritatem occultat, ejusdem veritatis iracundiam sibi cœlitus provocat; quia plus pertimescit hominem, quam divinam metuat indignationem. » Idem: « Multi sacerdotes, » supra, libro I, *de Sacerdotibus malis*[7]. Cassiodorus, super illud Psalmi[8]: *Illic trepidaverunt timore:* « Sicut cautela est opportune timere, ita ignavia est inepte trepidare. » Bernardus, in *Epistola*[9]: « Quæso te, quod memoriale virtutis, quæ laus disciplinæ, quis scientiæ profectus, vel artis fructus, trepidare timore, ubi non est timor, et timorem Domini derelinquere? Quam salubrius disceres Dominum Jesum Christum, et hunc crucifixum! quam utique scientiam haud facile, nisi qui mundo crucifixus est, apprehendit. » Idem[10]: « Sicut sanctis et electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit; sic damnandis et reprobis tribulatio parit e contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, et illa interimit. » Idem, *de Contemptu*[11]: « Vocat magni consilii Angelus; quid opus est, ut aliena consilia præstoleris? quis enim fidelior, quisve sapientior illo? Deduc me, Domine, et deducar; fortior esto, et invalesce. » Idem[12]: « O si cognovissetis, miseri, et vos! Mutatis, non effugitis pœnitentiam: nam malum impunitum esse non potest. Quod non punitur hic propria voluntate, punietur alibi sine fine. Misera sane et extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, et paratum diabolo stridorem eligere sempiternum. » Idem: « Videmus pauperes aliquos, » etc., supra, libro II, *de Beatitudine*[13]. Seneca, in *Epistola*[14]: « Plura sunt quæ nos terrent, quam quæ premunt; et sæpius opinione, quam re laboramus. » Idem[15]: « Expavescimus dubia pro certis; non servamus modum rerum; statim in timore venit scrupulus. » Idem[16]: « Delicati timent mortem, cui vitam suam fecere similem. » Idem[17]: « Quemcumque ex illis felicibus elegeris, multa trahentibus, multa portantibus, videbis illum comiti onerique timentem. »

CAPUT XLIII.

De Dolore.

Gregorius, in *Moralibus*[18]: « Sæpe gravitatem cordis, quasi subjuncta ex latere, tristitia sequitur, atque omne opus, quod mens bona intentione inchoat, hæc velamine

[1] Greg., *Pastoral.*, p. III, c. 1, admon. 9, circa med. — [2] Ibid., admon. 14, non procul a princ. — [3] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. II, c. XIV. — [4] Chrysost., *in Matth.*, hom. XVI. — [5] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXII, sent. 3. — [6] Ibid., c. XXIX, sent. 7. — [7] Vid. sup., lib. I, c. XXI, p. 33. — [8] *Psal.* XIII, 10. — [9] Bern., *Epist.* CVIII, ante med. — [10] Id., *Epist.* XXXII, ante med. — [11] Id., super *Ecce nos reliq.*, ante med. — [12] Ibid., ante med. — [13] Vid. sup., lib. II, c. XLVIII, p. 122. — [14] Senec., *Epist.* XIII, ante med. — [15] Ibid., post med. — [16] Id., *Epist.* LXXXII, ante med. — [17] Id., *Epist.* LVII, versus fin. — [18] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XIX, ante med.

mœroris obumbrat. » Idem [1] : « Fructum non habent lamenta, quæ student cum gemitu desiderare peritura. » Idem [2] : « Unde ille lucet, qui potestatem suscipit, inde perversus quisque, qui corrigi metuit, in tristitia tenebrescit. » Joannes Chrysostomus, super *Matthæum :* « Animal invidia vulneratum, non solum causa idonea, sed etiam levis occasio excitat in dolorem. » Bernardus, in *Epistola* [3] : « Non plane bonus color, si sanctorum quispiam anxie ferre abjectionem suam videatur, de qua etiam non gaudere et non gloriari minus est a perfecto. » Idem in *Sermone :* « Omnino, quantum in se est, inhonorat eum, a quo vocatus est, quisquis in ejus servitio in tristitia permanet et rancore : ea, dico, tristitia quæ secundum sæculum est, et mortem operatur. » Seneca, in *Epistola* [4] : « Quædam nos magis torquent, quam debent; quædam ante torquent, quam debent; quædam torquent, cum omnino non debent : sic aut augemus dolorem, aut præoccupamus, aut fingimus. »

CAPUT XLIV.

De Confidentia.

Gregorius, in *Moralibus* [5] : « Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere, est in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare. » Augustinus, *de Singularitate Clericorum* [6] : « Adversa est confidentia, quæ in periculis vitam suam quasi pro certo commendat; et lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. » Isidorus, *de Summo Bono* [7] : « Qui male agere non desistunt, vana spe indulgentiam de Dei pietate requirunt, quam quidem recte requirerent, si ab actione prava cessarent. » Idem : « Qui hic de bono laudem appetit, spem perdit, et gloriam mercedis in futuro non recipit. » Bernardus, *super Qui habitat* [8] : « Sunt qui sperant in Domino, sed frustra, quia sic de misericordia ejus sibi ipsis blandiuntur, ut a peccatis non emendentur. Vana est omnino spes ista; et hæc confundit, eo quod charitas desit. » Idem in *Sermonibus* [9] : « Est infidelis fiducia, solius utique maledictionis capax, cum videlicet in spe peccamus. » Seneca, in *Epistola* [10] : « Vitate quæ vulgo placent, quæ casus tribuit; ad omne fortuitum bonum suspiciosi pavidique subsistite : nam fera et piscis, spe aliqua oblectante, decipitur. »

CAPUT XLV.

De Lætitia.

Gregorius, in *Moralibus* [11] : « A veritatis pabulo jejuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur. » Idem : « Quisquis in se gaudere appetit, eo ipso jam in luctu est, quo a vera lætitia recessit. » Idem [12] : « Sæpe se bono operi lætitia immoderata subjungit; cumque plus mentem, quam decet, hilarescere exigit, ab actione bona omne pondus gravitatis repellit. » Idem [13] : « Prænuntia tribulationis est lætitia satietatis. » Idem, in *Homiliis* [14] : « Si qua est præsentis temporis, ita est agenda lætitia, ut nunquam amaritudo sequentis judicii recedat a memoria. » Idem [15] : « Nemo potest et hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Domino. » Augustinus, de *Confessionibus* [16] : « Volentes gaudere extrinsecus, facile evanescunt, et effunduntur (*a*) in ea quæ videntur et temporalia sunt, et imagines eorum famelica cogitatione lambunt; et o si fatigentur inedia, et dicant [17] : *Quis ostendet nobis bona?* » Idem : « Cur ambulamus, » etc., supra, *de Continentia auditus*, lib. II [18]. Idem

[1] Greg., *Moral.*, lib. XI, c. v, in fin. — [2] Ibid., lib. XVI, c. xxv, post med. — [3] Bern., *Epist.* ccxlix, ante med. — [4] Senec., *Epist.* xiii, ante med. — [5] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c, ii, non longe a princ. — [6] *De Singul. Cleric.*, c. ii; est apud Cyprian., edit. Pamel. — [7] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. iv, sent. 3. — [8] Bern., in Psal. *Qui habitat*, serm. i, circa med. — [9] Id., *in Annunt. Dom.*, serm. iii. — [10] Senec., *Epist.* viii, ante med. — [11] Greg., *Moral.*, lib. V, c. vii, non longe a princ. — [12] Ibid., lib. I, c. xix, ante med. — [13] Ibid., lib. II, c. ix, non longe a princ. — [14] Id., *in Evang.*, hom. xxxix, ante med. — [15] Ibid., hom. xi, circa fin. — [16] Aug., *Confess.*, lib. IX, c. iv. — [17] *Psal.* iv, 6. — [18] Vid. sup., lib. II, c. xxxix, p. 111. — (*a*) *Cœl. edit.* offenduntur.

in *Sermonibus* : « Frequenter ridens æger, ploratur a sanis. » Idem : « Ut quid animi, » etc., supra, lib. II, *de Conflictu* [1]. Idem super *Lucam* [2] : « Sæculi lætitia est impunita nequitia. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [3] : « Non dat Dominus ludere, sed diabolus. » Idem [4] : « En agon instat nobis difficilis, et ad invisibiles nobis virtutes colluctatio instat, ad spiritualia nequitiæ est prælium, ad principatus et potestates est bellum, et amabile (*a*) est, studentes, et vigilantes, et erectos, posse sylvestrem illum exercitum sustinere. Si ergo riserimus, et luserimus, et desides fuerimus ante certamen, propria cademus pigritia. » Basilius, in *Regula* : Jocus remissam efficit animam, et negligentem erga Dei præcepta; nec delicta sua potest ad memoriam revocare : sed obliviscens ea, non se instigat ad pœnitentiam, et ita paulatim omnibus bonis privatur. » Bernardus, *de Duodecim Gradibus* [5] : « Inepte lætum, aut raro, aut nunquam gementem audies, lacrymantem videbis : putes, si attendas, aut sui oblitum, aut ablutum a culpis. In signis scurrilitas, in fronte hilaritas, vanitas apparet in incessu, pronus ad jocum, facilis ac promptus in risu. » Idem, in *Epistola* [6] : « Eia, lætare, juvenis, in adolescentia tua, ut decedente pariter cum ætate temporali lætitia, succedat, quæ te absorbeat, æterna tristitia. » Idem [7] : « Patriæ est, non exilii, frequentia gaudiorum, et numerositas festivitatum cives decet, non exules. » Seneca, in *Epistola* [8] : « Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac profusoriam voluptatem, et quodcumque inventitium gaudium est, fundamento caret. »

CAPUT XLVI.

De Vita.

Gregorius, in *Moralibus* [9] : « Hoc ipsum nostrum vivere quotidie a vita transire est, quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem, in cursu vitæ præsentis ipsis suis augmentis ad detrimenta impellitur. » Idem [10] : « Carnales mentes idcirco præsentia diligunt, quia vita carnis quam fugitiva sit, minime perpendunt : nam si velocitatem transitus ejus aspicerent, hanc etiam prosperantem minime amarent. » Idem [11] : « Hi vitam carnis quasi permanentem diligunt, qui quanta sit vitæ sequentis æternitas non attendunt; dumque soliditatem perennitatis non considerant, exilium patriam, tenebras lumen, cursum stationem putant. » Idem, in *Registro* [12] : « Vita nostra naviganti similis est : is namque qui navigat, stet, sedeat, jaceat, vadit, quia impulsu navis ducitur. Ita ergo et nos sumus, quia sive vigilantes, sive dormientes, sive jacentes, sive ambulantes, sive volentes, sive nolentes, per momenta temporum, quotidie ad finem ducimur. » Augustinus, *de Verbis Domini* : « Scio ego, » etc. supra, capite *de Dilatione* [13]. Idem, *super Psalmos* [14] : « Omnis malus, aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur. » Idem, *de Verbis Domini* [15] : « Non sunt mali dies, quos agimus in corruptela hujus carnis, inter tantas difficultates, ubi falsa voluptas, nulla gaudii securitas, timor torquens, cupiditas avida, tristitia arida? Ecce quam mali dies, et tamen rogant Deum homines, ut diu vivant. Quid est autem diu vivere, nisi diu torqueri? » Idem : » Dicimus : *Panem,* » etc., supra, lib. II, *de Oratione accepta* [16]. Seneca, in *Epistola* [17] : « Nemo quam bene vivat,

[1] Vid. sup., lib. II, c. xv, p. 81. — [2] Id., *de verb. Dom.*, serm. xxxvii, al. clxxi, n. 4. — [3] Chrysost., *in Matth.*, hom. vi, n. 6. — [4] Ibid., n. 7. — [5] Bern., *de duod. grad. Humilit.*, grad. 3, circa med. — [6] Bern., *ad Fulc.*, epist. ii, non longe a fin. — [7] Id., *Epist.* clxxiv, post med. — [8] Senec., *Epist.* xxxiii, ante med — [9] Greg., *Moral.*, lib. XI, c. ult., circa fin. — [10] Ibid., lib. IX, c. vi, circa fin. — [11] Ibid., c. viii, in princ. — [12] Id., *ad Andræam. schol.*, lib. VI, epist. xxvi, col. 1271. — [13] Vid. sup., huj. lib. c. xv, p. 142. — [14] Aug., *Enarr. in Psal.* liv. — [15] Id., *de verb. Dom.*, serm. xvii, al. lxxxiv, n. 2. — [16] Vid sup., lib. II, c. xlv, p. 117. — [17] Senec., *Epist.* xxii, in fin.

(*a*) *Cæt. edit.* admirabile. *Chrysost. ipse* ἀγαπητὸν.

sed quandiu, curat : cum omnibus possit contingere ut bene vivant; ut diu, nulli. » Idem [1] : « Non vivere bonum est, sed bene vivere. Itaque sapiens vivit quantum debet, non quantum potest; videbit ubi victurus sit, » etc., infra, lib. IV, cap. *de Sapientia.*

CAPUT XLVII.

De Miseria.

Gregorius, in *Homiliis* [2] : « Fastidio nostro tabescimus, et longa inediæ peste fatigamur; et quia gustare intus nolumus paratam dulcedinem, amamus foras miseri famem nostram. » Idem, in *Moralibus* [3] : « O miseri, qui affectantes laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum; cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt! » Idem [4] : « Quod hoc, nisi humanæ vitæ miseria est, quod amissa cœlesti patria repulsus homo delectatur exilio, gravatur curis, et tamen cogitare dissimulat, quam grave sit, quia multa cogitantur? » Idem, *super Ezechielem* [5] : « Necesse est, ut peccantes tunc quoque consideremus amplius miseros, quando eos inspicimus in culpa sua sine flagello derelictos. » Augustinus, *de Libero Arbitrio* [6] : « Quid tam opus habens misericordia, quam miser? et quid tam indignum misericordia, quam superbus miser ? » Idem, *de Trinitate* : « Magna hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. » Idem, *de Civitate Dei* : « Qui perverse amat cujuslibet naturæ bonum, etiamsi adipiscatur, ipse fit in bono malus, et miser, meliore privatus. » Isidorus: « Mundi amatores, » etc., supra *de Occupatione* [7]. Hieronymus : « Miseriæ deliciis, » etc., supra, *de Voluptate* [8]. Ambrosius, *de fide Resurrectionis* [9] : « Quid nobis miserius, qui tanquam spoliati et nudi projicimur in hanc vitam corpore fragiles, corde lubrico, imbecillo animo, anxii ad sollicitudines, desidiosi ad labores, proni ad voluptates ? » Auctor *de Spiritu et Anima* [10] : « Jugi meditatione animum nostrum exerceamus, et consideremus miserias et necessitates nostras, labores et dolores. Lugentes enim in hanc vitam intravimus, cum labore vivimus, cum dolore et timore exituri sumus. » Bernardus, *de Libero Arbitrio* [11] : « Nulla verior miseria, quam falsa lætitia. » Idem : « Quotquot degimus, » etc., supra, lib. I, *de Homine* [12]. Idem : « Oramus quotidie, » etc., supra, lib. II, *de Tentatione* [13]. Seneca, in *Epistola* [14] : « Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, tamen miser est. » Idem [15] : « Quid eo miserius, cui beneficia excidunt, hærent injuriæ? Joannes Chrysostomus, super *Matthæum* [16] : « O miserrimus mundus, et miserrimi qui eum sequuntur! Semper homines mundi alta opera excluserunt a vita. » Multa in capite *de Renunciatione*, lib. IV [17].

CAPUT XLVIII.

De Morte.

Gregorius, in *Homiliis* [18] : « Horam ultimam Dominus noster idcirco nobis voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta : ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. » Idem, in *Moralibus* [19] : « Nil sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, mortuum penset. » Idem : « Malitia remanentium, » etc., supra, *de Malitia* [20]. Idem, *super Ezechielem* [21] : « Esse

[1] Senec., *Epist.* LXX, ante med. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVI, non multum a princ. — [3] Id., *Moral.*, lib. VIII, c. XXX, ante med — [4] Ibid, lib. XI, c. VI, ante med.— [5] Id., *in Ezech.*, hom. XII, ante med. — [6] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. III, c. X. — [7] Vid. sup., huj. lib. c. IV, p. 134. — [8] Ibid. sup. c. XVI, p. 113. — [9] Ambros., *de Fide resurr.* — [10] *De Spir. et Anim.*, c. XLIX, inter Op. *Aug.*, append. tom. VI. — [11] Bern., *de Lib. Arb.*, ante med. — [12] Vid. sup., lib. I, c. VII, p. 19. — [13] Vid. sup., lib. II, c. I, p. 65. — [14] Senec., *Epist.* IX, versus fin. — [15] Id., *Epist.* LXXXI, post med. — [16] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. XLI. — [17] Vid. inf., lib. IV, c. XVII. — [18] Greg., *in Evang.*, hom. XIII, post med. — [19] Id., *Moral.*, lib. XVI, c. ult. — [20] Vid. sup., huj. lib. c. XXIII, p. 149. — [21] Id., *in Ezech.*, hom. XVII, ante med.

nobis Conditor noster diem mortis nostræ incognitum voluit, ut dum semper ignoratur, semper esse proximus credatur; et tanto quisque sit ferventior in operatione, quanto et incertus est de vocatione. » Ambrosius, *de Fide Resurrectionis* [1] : « Una est mors spiritalis, alia naturalis, tertia pœnalis. » Augustinus, *de Verbis Domini* [2] : « Agnoscat se homo mortalem, ut frangat elationem : cætera nostra, et bona, et mala, incerta sunt; sola mors certa est. » Idem, *super Joannem* [3] : « Inter spem et desperationem fluctuat anima. Quid ergo egit Deus cum periclitantibus utroque morbo? Propter illos, qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum ; propter illos, qui spe periclitantur, fecit diem mortis incertum. » Bernardus, in *Meditationibus* [4] : « Certum est quod morieris, et incertum est quando, aut quomodo, aut ubi. Quoniam ubique te mors expectat, tu quoque, si sapiens fueris, ubique eam expectabis. » Idem, in *Epistola* [5] : « O quam beati mortui, qui in Domino moriuntur, audientes a spiritu, ut requiescant jam a laboribus suis! Non hoc solum autem, sed succedit jucunditas de novitate, de æternitate securitas. » Idem [6] : « Bona mors justi propter requiem; melior propter novitatem; optima propter securitatem. Contra mors peccatorum pessima. Et audi unde pessima : mala siquidem in amissione mundi; pejor in separatione carnis; pessima in vermis ignisque duplici contritione. » Idem [7] : « In hac vita, quandiu durat, compara tibi illam, quæ semper durat. Dum vivis in carne, morere mundo, ut, post mortem carnis, Deo vivere incipias. Quid enim, si consciderit mors saccum corporis tui, dum te subinde circumdet lætitia? O quam beati mortui, qui in Domino moriuntur! » Idem, in *Sermonibus* [8] : « Quid in rebus humanis certius morte? quid hora mortis incertius invenitur? non miseratur inopiam, non reveretur divitias, non generi cujuslibet, non moribus, non ipsi denique parcit ætati ; ubique senibus est in januis, juvenibus in insidiis. » Interlinearis [9] : « Non debet extolli in his quæ agit, qui nescit quo modo huc venit, vel quando, et quo modo exibit. » Seneca, in *Epistola* [10] : « Junior es; non refert : non dinumerantur anni ; incertum est, quo te loco mors expectat : itaque tu illam omni loco expecta. » Idem [11] : « Percepit sapientiam, si quis tam securus moritur, quam nascitur : nunc vero trepidamus, cum periculum accesserit, non animus nobis, non color constat, lacrymæ nihil profuturæ cadunt. Quid est turpius, quam in ipso limine securitatis esse sollicitum? Causa autem hæc est, quod inanes omnium bonorum sumus. »

CAPUT XLIX.

De Judicio.

Gregorius, in *Registro* [12] : « Ecce mora non erit, et ardente cœlo, ardente terra, coruscantibus elementis, cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cum principatibus et potestatibus tremendus judex apparebit. » Idem, *super Ezechielem* [13] : « Quæ mens erit hominis, æterni judicis sententiam non formidantis? Ibi enim tunc simul cuncta peccata ante oculos redeunt : ibi omnia, quæ cum delectatione acta sunt, ad memoriam cum pavore revocantur. Idem [14] : « Redemptor humani generis cum judex apparuerit, et speciosus justis, et terribilis erit injustis. Quem enim mansuetum aspicient electi, hunc eumdem pavendum atque terribilem conspicient reprobi. » Idem, in *Moralibus* [15] : « Ille postmodum cum Deo judex veniet, qui hic ei

[1] Ambros., *de Fid. resurr.* — [2] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XXI, al. LXXXVII, n. 2, 3.— [3] Id., *in Joan.*, tract. XXXIII, n. 8. — [4] Bern., *Medit.*, c. III, post med. — [5] Id., *ad Rom. subd.*, epist. CV. — [6] Ibid., conseq.— [7] Ibid., paulo ante.— [8] Id., *de Convers. ad Cleric.*, c. XIV. — [9] Gloss. interlin. in *Job*, XXXVIII.— [10] Senec., *Epist.* XXV, post. med. — [11] Id., *Epist.* XXII, versus fin. — [12] Greg., *ad Mauric. Aug.*, lib. II, epist. LXII, indict. 11, col. 1134. — [13] Id., *in Ezech.*, hom. II, post med. — [14] Id , hom. VII, longe post med. — [15] Id., *Moral.*, lib. XI, c. XIII, non longe a princ.

modo in prece familiaris extiterit. » Idem [1] : « Quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, in judicio procul dubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit. » Idem [2] : « Tunc cum Deo judices veniunt, qui nunc pro Deo injuste judicantur. » Augustinus, in *Epistola* [3] : « Cum venerit Dominus, et illuminaverit abscondita tenebrarum et manifestaverit cogitationes cordis, tunc nihil latebit proximum in proximo, nec erit quod suis quisque aperiat, et abscondat alienis. » Idem, *de Civitate Dei* [4] : « In illo judicio, vel circa illud judicium, has res didicimus esse venturas : Heliam Thesbitem, fidem Judæorum, Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque discretionem, mundi conflagrationem, ejusdemque renovationem. » Idem, *de Catechizandis rudibus* [5] : « Jubentur servi christiani et boni fideles, dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque servire : quos judicaturi sunt, si usque in finem iniquos invenerint; aut cum quibus æqualiter regnaturi sunt, si et illi ad verum Deum conversi fuerint. » Hieronymus, in originali *super Joelem* [6] : « Mœrorem diei judicii, et tormenta pereuntium, ne Sol quidem et Luna, astraque cætera poterunt intueri, sed retrahent fulgorem suum, et severitatem judicantis, reddentis unicuique secundum opus suum, in caput suum aspicere non audebunt : non quo clementiora sunt Dei judicia, sed quo omnis creatura, in tormentis aliorum, de suo judicio pertimescat. » Idem : « Etiam qui sancti sunt, præsentiam Dei absque formidine non videbunt. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [7] : « In illo die nihil est quod respondeamus, ubi cœlum et terra, aqua, Sol et Luna, dies et noctes, et totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum; et si omnia taceant, tamen ipsæ cogitationes nostræ et ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros, accusantes nos ante Deum, dicente Apostolo [8] : *Cogitationibus invicem accusantibus*, » etc. Ambrosius, *super Lucam* [9] : « Væ mihi est, si non peccata mea deflevero : væ mihi est, si non media nocte surrexero ad confitendum tibi, Domine : væ mihi, si dolum proximo meo fecero : væ mihi, si non locutus fuero veritatem. Ad radicem securis posita est : faciat fructum qui potest gratiæ, qui debet pœnitentiæ : adest Dominus, qui fructum requirat, fecundos vivificet, steriles reprehendat (*a*). » Isidorus, *de Summo Bono* [10] : « Duæ sunt differentiæ, vel ordines hominum in judicio, hoc est, electorum et reproborum, qui tamen dividuntur in quatuor. Perfectorum ordo unus est, qui cum Domino judicat; et alius, qui judicatur : utrique tamen cum Christo regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duobus, dum qui intra Ecclesiam sunt mali, judicandi sunt et damnandi; qui vero extra Ecclesiam inveniendi sunt, non sunt judicandi, sed tantum damnandi. » Bernardus, *de Contemptu* [11] : « Non unius civitatis, aut populi, aut regionis unius, sed universitatis judices habent præsidere cum Christo : non solum homines, sed etiam ipsos angelos judicabunt, qui parentem ad modicum vaporem præsentis gloriæ dedignantes et exsufflantes, improperium Christi universis præposuerunt titulis dignitatum [12] : *Nolite timere, pusillus grex, quoniam complacuit Patri dare vobis regnum.* » Idem, in *Epistola* [13] : « Veniet, veniet dies judicii, ubi et plus valebunt pura corda, quam astuta verba, et conscientia bona, quam marsupia plena, quandoquidem judex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis. » Idem, *super Cantica* [14] : « Quid in Babylone tutum, si Hierusalem manet scru-

[1] Greg., *Moral.*, lib. X, c. ult, circa princ.— [2] Ibid. — [3] Aug., *ad Ital.*, epist. VI, al. XCII, n. 2.— [4] Id., *de Civit. Dei*, lib. XX, c. XXX. — [5] Id., *de Catech. Rud.*, c. XX, n. 37.— [6] Hieron., *in Joel.*, III.— [7] Chrys., *in Matth.*, Op. imperf., hom. XIX. — [8] *Rom.*, II, 15. — [9] Ambros., *in Luc.*, III, lib. II, n. 76.— [10] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. I, c. XXX, sent. 10. — [11] Bern., super *Ecce nos reliq.*, post med. — [12] *Luc.*, XII, 32. — [13] Bern., *ad Robert.*, epist. I, circa med.— [14] Id., *in Cant.*, serm. LV, ante med.— (*a*) *Cæt. edit.* deprehendat.

tinium? » Idem, *de Duodecim Gradibus* [1] : « Cognoscetur recte Dominus justitiam faciens, qui nunc ignoratur misericordiam quærens. » Idem, in *Sermonibus* [2] : « Nudi stabunt ante tribunal Christi, ut audiant vocem judicii, qui ad vocem consilii obduraverunt aures suas. Quid enim loquitur Deus? *Agite pœnitentiam*, inquit. Multi tamen dissimulant, multi continent aures suas, et dicunt : *Durus est hic sermo.* Non sic impii, non sic, cum intonuerit sermo durus, et verbum asperum : *Ite, maledicti, in ignem æternum.* » Anselmus, in libro *Meditationum* : « O lignum aridum et inutile, æternis ignibus dignum, quid respondebis in illa die, cum exigetur a te, usque ad ictum oculi, omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter fuerit a te expensum? Tunc quippe condemnabitur quidquid fuerit inventum in te, operis vel otii, sermonis et silentii, usque ad minimam cogitationem, etiam quod vixisti, si non fuerit ad voluntatem Dei directum. » Idem : « O angustia! hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex, intus urens conscientia, foris ardens mundus; et si justus vix salvabitur, peccator sic depressus, in quam partem se premet constrictus? Ubi latebo? ubi apparebo? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. » Idem : « Dies iræ, dies illa, etc. Quid dormitas, anima tepida et digna evomi? Qui non expergiscitur, qui non tremit ad tantum tonitruum, non dormit, sed mortuus est. »

CAPUT L.

De Damnatione.

Gregorius, in *Moralibus* [3] : « Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu : quia et mors vivit, et finis semper incipit, et deficere defectus nescit : mors perimit, et non extinguit : dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat : flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit. » Idem [4] : « In inferno ignis non lucet ad consolationem; et tamen, ut magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt : quatenus, qui eorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amarunt, ipsorum quoque interitus eos in augmentum suæ damnationis affligat. » Idem [5] : « Sicut *in domo Patris mansiones multæ sunt* pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subjicit disparilitas criminis. » Idem, in *Homiliis* [6] : « Ut peccatores in supplicio amplius puniantur, et eorum vident gloriam, quos contempserunt, et de illorum etiam pœna torquentur, quos inutiliter amaverunt. » Hieronymus, in originali super *Isaiam* : « In consummatione mundi, præteritarum deliciarum recordatio erit materia cruciatuum. « Augustinus, in *Sermonibus* [7] : « Quare in inferno mors quæritur, et non invenitur? quia quibus in hoc sæculo vita offertur, et nolunt accipere, in inferno quærent mortem, et non poterunt invenire. » Idem, in *Enchiridio* (*a*) [8] : « Mitissima sane omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt; et in cæteris, qui addiderunt, tanto ibi quisque tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem. » Idem, *de Catechizandis rudibus* [9] : « Sicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inveniri gaudio vitæ æternæ, quam sancti accepturi sunt; ita nullus cruciatus pœnarum temporalium potest sempiternis iniquorum cruciatibus comparari. » Idem, *de Natura boni* [10] : « Peccantes in suppliciis ordinantur. Quia ordinatio eorum naturæ non competit, ideo pœna est, sed quia cul-

[1] Bern., *de duod. Grad. hum.*, post med. — [2] Id., *de verb. Habac.*, serm. ante fin. — [3] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XXXIX, circa med. — [4] Ibid. — [5] Ibid., ante med. — [6] Id., *in Evang.*, hom. XL, post med. — [7] Aug., *de Temp.*, serm. CCLII, al. CCXXIX, n. 4, in app. — [8] Id., *Enchirid.*, c. XCIII. — [9] Id., *de Catech. Rud.*, c. XXII. — [10] Id., *de Nat. Bon.*, c. VII.

(*a*) Cæt. edit. *Enchiridion.*

pæ competit, ideo justitia est. » Idem [1] : « Melius ordinatur natura, ut juste doleat in supplicio, quam ut impune gaudeat in peccato. » Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus* : « Excludi a bonis æternis, et alienum effici ab his, quæ præparata sunt sanctis, tantum generat cruciatum, tantum dolorem, ut etsi nulla extrinsecus pœna torqueret, hæc sola sufficeret. » Idem : « Non putemus, quia suppliciorum nimietas ipsa dabit finem dolorum; sed peccata quidem pœnas accendent, incorruptio vero animæ et corporis nullum suppliciis terminum dabit. » Isidorus, in *Synonymis* [2] : « Intende animo quascumque sæculi pœnas, quoscumque tormentorum dolores, quascumque dolorum acerbitates, compara hoc totum gehennæ, et leve est omne, quod pateris. » Fulgentius, in *Epistola* : « Principalia sunt duo tormenta in inferno : ibi frigus intolerabile, et calor ignis inextinguibilis. Unde in Evangelio legitur [3] : *Illic erit fletus et stridor dentium :* fletus namque in liquefactione oculorum de calore nascitur ; stridor vero dentium de frigore oritur. » Bernardus, in *Epistola* [4] : « Ob hoc proculdubio inflexibilis et obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum, quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate. » Idem, in *Sermonibus* : « Singulis excessibus, singulis et membris, quæ arma fuerant iniquitatis, sua debetur pœna pro qualitate, vel quantitate commissi. In quo autem membro Creator amplius offenditur, peccator gravius torquebitur. » Anselmus, *de Similitudinibus* [5] : « Partes miseriæ sunt turpitudo, ponderositas, imbecillitas, servitus, infirmitas, anxietas, vitæ brevitas, insipientia, discordia, dedecus, impotentia, timor, tristitia. » Auctor *de Spiritu et Anima* [6] : « Quædam animæ in eisdem locis, in quibus culpam commiserunt, puniuntur; quædam vero abditis receptaculis usque ad ultimam resurrectionem continentur, sicut unaquæque digna est requie et miseria. »

[1] Aug., *de Nat. Bon.*, c. IX. — [2] Isid., *Synon.*, c. I, ante med. — [3] *Matth.*, VIII, 12. — [4] Bern., *ad Guarin. abb.*, epist. CCLIII. — [5] Anselm., *de Similit.*, c. XLIX. — [6] *De Spir. et Anim.*, inter Op. S. Aug., append. tom. VI.

LIBER QUARTUS

IN QUO

DE GRATIOSIS AGITUR

CAPUT PRIMUM.

De Voluntate.

Gregorius, in *Homiliis*[1] : « Ante Dei oculos nunquam est vacua manus a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. » Hieronymus, in *Epistola*[2] : « Certe Christus pro animi voluntate omnia in acceptum refert. Nemo apostolis pauperior fuit, et nemo tantum pro Domino dereliquit. » Augustinus, *de vera Religione*[3] : « Tales servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent. » Idem, *de Spiritu et Littera*[4] : « Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem ; sed consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis est. » Idem, *Contra quinque hæreses*[5] : « Ad compellendum non potest esse molestus exactor, cum ad reddendum devotus est debitor. » Idem : « Nemo aliquid, » etc., supra, libro II, *de Charitate*[6]. Idem[7], *de Ecclesiasticis Dogmatibus* : « Nullus sanctus et justus caret peccato ; nec tamen ex hoc desinit esse justus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. » Idem, *de Viduitate*[8] : « Nostrum est velle ; sed voluntas ipsa et admonetur ut surgat, et sanatur ut valeat, et dilatatur ut capiat, et impletur ut habeat. » Idem, *de Soliloquiis*[9] : « Quanto augetur spes videndæ illius, cui vehementer æstuo, pulchritudinis, tanto ad illam totus amor voluntasque convertitur. » Idem, *de Agone Christiano*[10] : « Omnis creatura, velit, nolit, uni Deo et Domino suo subjecta est : sed hoc admonemur, ut tota voluntate serviamus Domino Deo nostro : quoniam justus liberaliter servit ; injustus autem compeditus servit. » Joannes Chrysostomus, super *Matthæum*[11] : « Voluntates bonæ sic suaves sunt apud Deum, quemadmodum apud homines odoriferi flores. » Idem[12] : « Sicut peccatum opus sine voluntate non facit, ita et justitia ex opere non consummatur, nisi et voluntas affuerit. » Idem : « Illa est gloriosa, » etc., supra, libro II, *de Continentia tactus*. Idem[13] : « Debet voluntas, » etc., supra, libro II, *de Gratia*[14]. » Bernardus, *de Libero Arbitrio*[15] : « Ordinatio est omnimoda conversio voluntatis ad Deum, et ex tota se voluntaria devotaque subjectio. » Idem, in *Epistola* : « *Regnum Dei intra nos est.* Quid est hoc regnum ? sana et libera voluntas hominis, ita se conformans voluntati Dei, ut nihil velit quod sciat ei displicere, nihil nolit quod sciat ei placere. » Anselmus, *de Similitudinibus*[16] : « Voluntas bona est, quæ Dei voluntati subjecta est, quando id vult, quod Deus vult illam velle debere ; et justa sive recta dicitur, quando id, quod Deus vult illam velle debere, amplectitur. » Idem[17] : « Non semper velle debemus quod

[1] Greg., *in Evang.*, hom. v, circa med. — [2] Hieron., *ad Exuper.*, epist. xxxv. — [3] Aug., *de ver. Relig.*, c. xiv. — [4] Id., *de Spir. et Litt.*, c. xxxiv — [5] Id., *cont. quinq. Hæres.*, c. i. — [6] Vid. sup., lib. II, c. xxv, p. 94. — [7] Imo Gennad., *de Eccl. Dogm.*, c. lxxxv. — [8] Aug., *de Viduit. Bon.*, c. xvii. — [9] Id., *Solil.*, lib. I, c. x. — [10] Id., *de Agon. Christ.*, c. vii. — [11] Chrysost.. *in Matth.*, Op. imperf., hom. xxxix. — [12] Ibid., hom. xxxii. — [13] Vid. sup., lib. II, c. xxxvii, p. 140. — [4] Vid. ibid., c. xvi, p. 83. — [15] Bern., *de Lib. Arb.*, ante med. — [16] Anselm., *de Similit.*, c. clviii. — [17] Ibid., c. clix.

Deus vult; sed hoc velle debemus, quod Deus vult nos velle debere. »

CAPUT II.

De Tranquillitate.

Gregorius, in *Registro*[1] : « Nullius vos ibi lingua implicet, ubi conscientia non accusat. Quem enim conscientia defendit, et inter accusatores liber est; et liber, vel sine accusatione, esse non potest, si sola, quæ interius audit, conscientia accusat. » Idem, in *Moralibus*[2] : « Piorum conscientiæ grande sibi conferri præmium credunt, cum de quibusdam modo suis illicitis actionibus arguuntur. Proponunt (a) enim ante oculos cordis, quia districtum Dei judicium tanto verius tunc super eos mitigabitur, quanto nunc acrius homine arguente prævenitur. » Augustinus, *de Catechizandis Rudibus*[3] : « Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam Christianis promittitur, quæris, etiam hic eam inter amarissimas vitæ hujus molestias suavem gustabis, si ejus, qui eam promisit, præcepta dilexeris. Cito enim senties dulciores esse fructus justitiæ, quam iniquitatis; et verius atque jucundius gaudebis de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias. » Idem, *super Genesim ad litteram*[4] : « Etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ paradisus est. Unde et Ecclesia in sanctis temperanter, et pie, et juste viventibus paradisus recte dicitur, pollens affluentia gratiarum castisque deliciis. » Ambrosius : « Bene sibi conscius, » etc., supra, lib. II, *de Constantia*[5]. Isidorus, *de Summo Bono*[6] : « Semper conscientia servi Dei, humilis esse debet et tristis : ut scilicet per humilitatem non superbiat, et per humilem mœrorem cor ad lasciviam non dissolvat. » Bernardus, super *Cantica*[7] : « Sufficit adversum os loquentium iniqua, opinio bonorum cum testimonio conscientiæ. » Idem[8] : « Omnis gloria sanctorum intus, non foris est; hoc est, non in flore fœni, aut in ore vulgi, sed in Domino. » Idem, *de Consideratione*[9] : « Perfecta cuique et absoluta excusatio est, testimonium conscientiæ suæ. Mihi enim pro minimo est, ut ab illis judicer, qui dicunt bonum malum, et malum bonum. » Idem : « Magnæ divitiæ, bona conscientia. Et revera, quid ditius in rebus, aut quid dulcius, quid in terra quietius, atque securius? Bona conscientia damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quippe quæ et morte ipsa magis erigitur quam dejicitur. » Idem : « Bona bonæ conscientiæ revirescunt in laboribus, non arescunt; nec in morte evanescunt, sed reflorescunt; lætificant viventem, morientem consolantur, reficiunt mortuum, nec deficiunt in æternum. » Seneca, in *Epistola*[10] : « Sapiens nunquam sine gaudio est; gaudium autem hoc non nascitur nisi ex virtutum conscientia. »

CAPUT III.

De Taciturnitate.

Gregorius, in *Moralibus*[11] : « Discrete vicissitudinum pensanda sunt tempora : ne aut, cum restringi debet lingua, per verba se inutiliter solvat; aut, cum loqui utiliter potest, semetipsam pigra restringat. » Idem[12]: « Si ab increpatione idcirco reticemus, quia contra nos insurgere derisoris odia formidamus; non jam lucra Dei quærimus, sed nostra. » Idem : « Proximorum mala, » etc., supra, lib. II, *de Consensu*[13]. Idem[14] : « Quoties auditores nostri nostra volunt quasi laudando cognoscere, non autem sua perversa

[1] Greg., *ad Constant. Mediolan.*, lib. VI, epist. XIV, col. 1261. — [2] Id., *Moral.*, lib. XXVI, c. II. — [3] Aug., *de Catech. Rudib.*, c. XVI. — [4] Id., *de Genes. ad litt.*, lib. XII, c. XXXIV. — [5] Vid. sup., lib. II c. XXXII, p. 104. — [6] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XX, sent. 3. — [7] Bern., *in Cant.*, serm. XXIV, ante med. — [8] Ibid., serm. XXV, post med. — [9] Id., *de Consider.*, lib. II, ante med. — [10] Senec., *Epist.* LIX, prope fin. — [11] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XVII, circa fin. — [12] Ibid., lib. XX, c. XVII, circa fin. — [13] Vid. sup., lib. II, c. IV, p. 67. — [14] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c. XXII, paulo post princ.

(a) *Cæt. edit.* præponunt.

mutare, omnia taceamus: ne si ostentationis studio verbum Dei loquimur, et illorum culpa, quæ erat, esse non desinat, et nostra, quæ non erat, fiat. » Idem, in *Homiliis*[1]: « Imitatione Dei, gloriosius est tacendo injuriam fugere, quam respondendo superare. » Idem, super *Ezechielem*[2]: « Quasi quoddam nutrimentum verbi est censura silentii; et recte per excrescentem quoque gratiam sermonem accipit, qui ordinate antea per humilitatem tacet. » Idem[3]: « Sicut mali ideo Deum exasperant, quia loquuntur et faciunt mala; ita nonnunquam boni exasperant, quia reticent bona. » Idem, in *Pastorali*[4]: « Qui proximi mala respiciunt, et tamen silentio linguam premunt, quasi conspectis vulneribus, usum medicaminis subtrahunt, et eo mortis auctores fiunt, quo minus, quem poterant, curare volunt (*a*). » Hieronymus, in *Epistola*[5]: « Nunquam de mulierum formis disputes; nec quid in cujusquam domo agitur, alia domus per te noverit. » Augustinus, *de Mendacio*[6]: « Licet vel dissertori, ac disputatori, ac prædicatori rerum æternarum, vel narratori atque pronunciatori rerum temporalium, ad ædificandam religionem atque pietatem pertinentium, occultare in tempore quidquid occultandum videtur; mentiri autem, nunquam. » Idem, *de Baptismo parvulorum*[7]: « Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. » Idem : « Magis innocentes, » etc., supra, lib. III, *de Remissione*[8]. Idem, ibidem[9]: « Tu vulnus, » etc. Isidorus, in *Synonymis*[10]: « Tempore congruo loquere; tempore congruo tace; non loquaris, nisi interrogatus fueris; non dicas, priusquam audias. » Idem[11]: « Ab otioso sermone compesce linguam; cave fabulas ineptas; aniles fabulas non requiras; inania verba non garrias. » Idem[12]: « Vis virtutes tuas augere? prodere noli. » Idem[13]: « Fuge videri quod esse meruisti : quod manifestando potes amittere, tacendo custodi. » Ambrosius, super *Lucam*[14]: « Rarior tacendi virtus, quam loquendi. » Idem, *de Officiis*[15]: « Quamplures vidi loquendo in peccatum incidisse; vix quemquam tacendo : ideoque tacere nosse, quam loqui, difficilius est. » Idem[16]: « Quando nobis aliquis conviciatur, lacessit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat; tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. » Bernardus, *de Consideratione*[17]: « Utilis semper custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat. Ergo ubique frænanda lingua præceps, maxime autem in convivio. » Idem: « Nemo fratres, » etc., infra, *de Correptione*[18]. Glossa in *Leviticum*[19]: « Quod gula peccavit, jejunium corrigat: quod garrulitas admisit, silentium deleat; et similiter contrariis curentur contraria. »

CAPUT IV.

De Exercitio.

Gregorius, in *Registro*: « Apud Dominum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. » Idem[20]: « Qui ecclesiasticis famulantur obsequiis, ecclesiastica, ut possibilitas exigit, debent adipisci subsidia. » Idem[21]: « Justitiam, quam mente geritis, oportet coram hominibus luce operum demonstretis. » Idem, in *Moralibus*[22]: « Cum opus crescit, præmii fiducia proficit; cum vero opus torpuerit, spes a

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XVIII, post med. — [2] Id., *in Ezech.*, hom. XI, ante med. — [3] Ibid., hom. IX, longe post med. — [4] Id., *Pastor.*, p. III, c. I, admon. 15. — [5] Hieron., *ad Nepotian.*, epist. II. — [6] Aug., *de Mend. ad Consent.*, c. X. — [7] Id., *de Bapt. parvul.*, al. *de Peccator. merit. et remiss.*, lib. II, c. XXXVI. — [8] Vid. sup., lib. III, c. XXXVII, p. 161. — [9] Vid. ibid. — [10] Isid., *Synon.*, c. IX. — [11] Ibid., paulo ante. — [12] Ibid., c. X. — [13] Ibid., post pauca. — [14] Ambros., *in Luc.*, XIX, lib. IX, n. 10. — [15] Id., *de Offic.*, lib. I, c. II. — [16] Ibid., c. V. — [17] Bern., *de Consider.*, lib. IV, versus fin. — [18] Vid. inf., c. XXXVIII. — [19] Gloss. *in Levit.*, XXV. — [20] Greg., *ad Gaudent. Nol.*, lib. IV, epist. XXVI, col. 1176. — [21] Id., *ad Theod.*, lib. I, c. XLVI, col. 1161. — [22] Id., *Moral.*, lib. VIII, c. III, circa fin.

(*a*) *Al.* nolunt.

remuneratione lassescit. » Idem [1] : « Iste in hac vita justorum labor est, ut semetipsos inveniant; invenientes flendo atque corrigendo ad meliora perducant. » Idem [2] : « Sicut malis securitas præsens labor est, ita bonis præsens labor perpetuam securitatem parit. » Idem [3] : « Sancti viri minime exultant cum cognoscunt quæ faciant, sed cum faciunt quæ cognoverunt : et si intelligendo congaudent muneri largitoris, mœrentes tamen considerant debitum operis. » Idem, *super Ezechielem* [4] : « Activa vita est panem esurienti tribuere, verbum sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, et commissi nobis qualiter subsistere valeant, dispensare. » Idem [5] : « Considerandum nobis est opus nostrum quale sit, quæ cogitatio in opere, quæ intentio in cogitatione. » Idem [6] : « Quid jam de Scriptura sacra didiceris, et quantum proximum tacitus ames, in latitudine boni operis ostendes. » Idem, in *Dialogis* [7] : « Opus ex dono est, non donum ex opere. Omne quippe opus dona præveniunt, quamvis ex subsequenti opere ipsa etiam dona succrescunt. » Isidorus, in *Synonymis* [8] : « Præcave otium ; non diligas otium; non ducas vitam in otio: fatiga corpus laboribus; exerce operis cujuslibet studium. » Idem [9] : « Gravius libido urit, quem otiosum invenerit. Cedit autem libido rebus, cedit operi, cedit industriæ et labori. » Idem, *de Summo Bono* [10] : « Nihil juvat, quod inter bonum et malum sensu prudentiore discernimus, nisi opere aut male cogitata caveamus, aut bona inchoata faciamus. » Idem [11] : « Dei servum sine intermissione legere, orare, et operari oportet, ne forte mentem otio deditam spiritus fornicationis surripiat. Cedit enim labori voluptas; animum autem vacantem cito præoccupat. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [12] : « Qui habent spiritum Dei, non sunt contenti sedere otiosi; sed ipse spiritus, qui est in eis, urget eos aliquod bonum apprehendere. » Idem, *de Compunctione* [13] : « Merces major tibi augetur, quando non spe mercedis operaris, sed studio placendi. » Augustinus, in *Sermone* [14] : « Noli esse piger in opere, cujus mercedem desideras. Si quem et tu ipse mercenarium conduxisses, non ante mercedem numerares, quam in opere exerceres. » Idem, *de Baptismo parvulorum* [15] : « Propter hoc de paradiso emissus Adam contra Eden habitavit, id est contra sedem deliciarum, ut significaret, quod in laboribus, qui sunt deliciis contrarii, erudienda est caro peccati. » Idem, *de Opere monachorum* [16] : « Nullo modo decet, ut in ea vita, ubi senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi; et quo veniunt, relictis deliciis, qui fuerunt prædiorum domini, ibi sint rustici delicati. » Idem, in glossa super *1 Tim.*, v : « Qui ad pedes fratrum inclinatur, in corde vel excitatur, vel, si jam inerat, confirmatur humilitatis affectus. « Idem : « Vis desideriorum, » etc., infra, in c. *de Desiderio* [17]. Bernardus, *de Consideratione* [18] : « Si labor terret, merces invitet : unusquisque enim secundum suum laborem mercedem accipiet. » Idem, in *Epistola* [19] : « Non ex foliis, non ex floribus, sed ex fructu arbor bona, malave cognoscitur : denique [20] : *A fructibus eorum cognoscetis eos :* opera ergo, et non verba, discernunt inter filios Dei, et filios diffidentiæ. » Idem, *de Amore Dei :* « Quamvis adhuc non videat oculus, non cesset operari manus : ut qui proficere vult in magno, fidelis sit in minimo; et in eo, quod ex Conditoris largitate jam prærogatum habet, vis potestatis officium exhi-

[1] Greg., *Moral.*, lib. XI, c. XXI. — [2] Ibid., lib. X, c. XII, post princ. — [3] Ibid., lib. XXII, c. III, post med. — [4] Id., *in Ezech.*, hom. XIV, circa med. — [5] Ibid., hom. XX, longe post med. — [6] Ibid., hom. XVII, ante med. — [7] Id., *Dial.*, lib. I, c. IV, ante med. — [8] Isid., *Synon.*, c. V. — [9] Ibid., paulo ante. — [10] Id., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXV, sent. 10. — [11] Ibid., lib. III, c. XX, sent. 5. — [12] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. V. — [13] Id., *de Compunct.*, lib. II. — [14] Aug., *de Temp.*, serm. CCXLV, al. XXXVIII, n 4. — [15] Id., *de Peccat. merit. et remiss., et de Bapt. parvul.*, lib. II, c. XXXIV. — [16] Id., *de Oper. Monach.*, c. XXV. — [17] Vid. inf., c. XXIV. — [18] Bern., *de Consider.*, lib. II, ante med. — [19] Id., *Epist.* CVII, circa princ. — [20] *Matth.*, VII, 16.

beat bonæ voluntatis. » Idem : « Miserere animæ, » etc., supra, lib. II, *de Contritione* [1]. Seneca, in *Epistola* [2]: « Satis multum temporis sparsimus, incipiamus vasa in senectute colligere : in freto viximus, moriamur in portu. »

CAPUT V.

De Innocentia.

Gregorius, in *Moralibus* [3] : « Plerumque res quælibet innocenti mente conspicitur, sed ipso conspectu animus concupiscentiæ gladio confoditur. Non enim David Uriæ conjugem ideo studiose respexit, quia concupiverat ; sed ideo potius concupivit, quia incaute respexit. » Idem [4] : « Nil simplici corde felicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est, quod pati ab aliis formidet. » Idem [5] : « Illum facit humana derisio Deo proximum, quem ab humanis pravitatibus vitæ innocentia servat alienum. » Idem [6] : « Si mentis innocentia custoditur, etiam si qua foris infirma sunt, quandoque roborantur. » Idem, in *Registro* [7]: « Sicut multorum jam experimento didicimus, in damno expenditur, quidquid cum peccato congregatur. Si igitur vultis nihil injuste perdere, summopere studete de injustitia nihil habere. In terrenis enim rebus, semper causa damni est origo peccati. » Idem [8] : « Vosmetipsos ita, ante conspectum omnipotentis Domini, in bonis operibus debetis exhibere, ut inveniri in vestra actione nequeat, quod ab eodem Deo judice percuti, vel homine insidiante valeat accusari. » Idem, in *Pastorali :* « Fit plerumque Deo gratior amore ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia. » Ambrosius, *de Officiis:* « Hoc est innocentem esse, ignorare quod noceat; et si circumscribitur ab aliquo de omnibus, tamen bene judicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur. » Idem [9] : « Beatam vitam efficiunt tranquillitas conscientiæ, et securitas innocentiæ. » Idem, *de Pœnitentia* [10] : « Facilius inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam. » Hieronymus, in *Epistola* [11] : « Malitiam, odium, atque invidiam, quæ vel maxima, vel sola semina sunt nocendi, christiana a se anima propellat : neque manu tantum aut lingua, sed corde quoque custodiat innocentiam. » Idem [12] : « Tum demum lætare de innocentiæ conscientia, si cum potes adjuvare non desistas. » Joannes Chrysostomus, in *Sermone :* « Gaude, innocentia, et exulta; gaude, inquam, quia ubique illæsa es, ubique secura. Si tentaris, proficis : si humiliaris, erigeris : si pugnas, vincis : si occideris, coronaris. » Augustinus, *super Psalmos* [13] : « Duobus modis nocet homo ; si facit miserum, vel si deserit miserum. Innocens vero est, qui nec sibi, nec aliis nocet. » Idem, *de Civitate Dei* [14]: « Absit a mente christiana, quæ in Deo suo spe posita, cujus adjutorio innititur, ut mens talis cujuslibet carnis voluptatibus ad consensum turpitudinis cedat. Quod si illa concupiscentia, vel inobedientia, quæ in membris habitat, præter nostræ voluntatis legem quasi sua lege movetur, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis ! » Idem [15] : « Pertinet ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum : ut aut ipse, qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. » Idem : « Sicut non est beneficentiæ, » etc., supra, *de Remissione* [16]: Idem ibidem : « Magis innocentes [17], » etc. Idem, *de Vita christiana* [18] : « Nihil Deo dignius, nihil carius

[1] Vid. sup., lib. II, c. XVIII, p. 86. — [2] Senec., *Epist.* XIX, circa princ. — [3] Greg., *Moral.*, lib. XXI, c. VI. — [4] Ibid., lib. XII, c. XXI, in princ. — [5] Ibid., lib. X, c. XV, in fin. — [6] Ibid., lib. V, c. XXXI, post med. — [7] Id., *ad Brunichild.*, lib. IX, c. LVII, col. 1470. — [8] Id., *ad quosd. episc. Sicil.*, lib. XI, c. XXII, col. 1523. — [9] Ambros., *de Offic.*, lib. II, c. I. — [10] Id., *de Pœnit.*, lib. II, c. X. — [11] Hieron., *ad Celant.*, epist. XIV, ante med. — [12] Ibid., post pauca. — [13] Aug., Enarr. *in Psal.* c.— [14] Id., *de Civit. Dei*, lib. I, c. XXV.— [15] Ibid., lib. XIX, c. XVI.— [16] Vid. sup., lib. III, c. XXXVII, p. 161. — [17] Vid. ibid. — [18] Aug., *de Vit. Christ.*, c. X.

esse potest, quam ut innocentia tota observatione teneatur. Licet enim quis in aliis operibus devotus appareat, si illam non habuerit, sibi frustra blanditur. » Cassiodorus, in libro *de Anima* [1]: « Vir fixus, purus, innocuus omnes laudat, se semper accusat: ut complaceat universis, sibi soli displicet. » Bernardus, *de Consideratione* [2]: « Non eris innocens, si aut punias eum, cui fortasse parcendum esset; aut parcas ei, qui fuerat puniendus. Anselmus, *de Similitudinibus* [3]: « Si hinc peccati pudorem, et illinc cernerem inferni horrorem, et necessario uni eorum haberem immergi, prius me in infernum immergerem, quam peccatum in me immitterem. Mallem enim purus a peccato, et innocens, gehennam intrare, quam sorde pollutus cœlorum regna tenere: cum constet solos malos in inferno torqueri et solos bonos in cœlesti beatitudine foveri. »

CAPUT VI.

De Excusatione.

Gregorius, in *Moralibus* [4]: « Justus, etsi quid unquam delinquendo loquitur, tamen dignum non est, ut ab injustis et prave viventibus judicetur. » Idem: « Cum quoslibet, » etc., supra, lib. I, *de Pauperibus* [5]. Augustinus, in *Epistola* [6]: « Discamus in similitudine operum discernere animos operantium, ne clausis oculis calumniemur, et benevolos pro nocentibus accusemus. » Idem, *de* (*a*) *Sermone Domini in monte* [7]: « Ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretamur. » Idem: « Non reprehendamus ea, quæ nescimus quo animo fiant, neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem. » Bernardus, *super Cantica* [8]: « Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex. Etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic judices proximum; magis autem excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dicito apud teipsum: Vehemens fuit tentatio; quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem? » Idem [9]: « Si is qui de claustro est, eum qui versatur in populo interdum minus discrete sese agere deprehendat, verbi gratia, in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in judicio; non ad judicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum [10]: *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier.* Nam tu quidem in tua custodia vigilans benefacis; sed qui juvat multos, et melius facit, et virilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est absque quadam inæqualitate vitæ et conversationis suæ, memento quia [11] *Charitas operit multitudinem peccatorum.* » Seneca, in *Epistola* [12]: « Sapiens non vertit omnia in pejus, sed nec quærit cui imputet casum: et peccata ad fortunam potius refert; non calumniatur, nec verba, nec vultus: quidquid accidit, benigne interpretando levat. » Idem [13]: « Semper, quidquid dubium est, humanitas inclinet in melius. »

CAPUT VII.

De Discussione.

Gregorius, in *Moralibus* [14]: « Justi viri, cum districtionem venturi judicis contemplantur, peccata sua ad memoriam reducunt: deflent, quæ commiserunt: districte se judicant, ne judicentur. » Idem [15]: « Dominum tanto quis securius expectat, quanto quotidie viam suam suspectus examinat. »

[1] Cassiod., *de Anim.*, c. XVIII, circa princ. — [2] Bern., *de Consider.*, lib. II, post med. — [3] Anselm., *de Similit.*, c. CXC. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XVII, c. XVII. — [5] Vid. sup., lib. I, c. XLII, p. 56. — [6] Aug., *ad Vinc*, epist. XLVIII, al. XCIII, n. 7. — [7] Id., *de serm. Dom. in Monte*, lib. II, c. XXVIII. — [8] Bern., *in Cant.*, serm. XL, prope fin. — [9] Ibid., serm. XII, post med. — [10] *Eccli.*, XLII, 14. — [11] *Jac.*, V, 20. — [12] Senec., *Epist.* LXXXI, post med. — [13] Ibid., post pauca. — [14] Greg., *Moral.*, lib. XI, c. XVIII. — [15] Ibid., lib. V, c. V.

(*a*) Al. *in*.

Idem [1] : « Electi intra sinum cordis adversum se, quidquid se impugnat, enumerant : ibi ante oculos suos omne, quod defleant, coacervant : ibi quidquid per iram districti judicis discerni possit, intuentur : ibi tot patiuntur supplicia, quod pati timent ; nec deest in hoc judicio mente concepto omne ministerium, quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat. » Idem [2] : « Qui semetipsum prius non judicat, quid in alio recte judicet, ignorat. » Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus* [3] : « Quando accubueris super stratum tuum, et neminem infestum pateris, antequam veniat tibi somnus, profer in medium codicem conscientiam tuam, et reminiscere peccata tua, si quid in verbo seu in facto, vel in cogitatione peccasti. » Augustinus, *de vera Religione* [4] : « *Spiritualis homo omnia judicat* [5], quia super omnia est, quando cum Deo est : cum illo est autem, quando purissime intelligit, et tota charitate, quod intelligit, diligit. » Idem : « Non facile, » etc., supra, libro I, *de Judicibus* [6]. Idem, *de Verbis Domini :* « Nihil est, quod sic quisque cogitare debeat, nisi ut in semetipsum oculos convertat, se discat, se discutiat, se inspiciat, se quærat, et se inveniat : quod displicet, necet ; et quod placet, optet et plantet. » Bernardus, *super Cantica* [7] : « *Spiritualis homo omnia dijudicat, et ipse a nemine judicatur :* judicabo proinde mala, judicabo et bona. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire jejuniis, cæterisque sanctæ laboribus disciplinæ. In bonis de me sentiam humiliter, et juxta præceptum Domini, servum me inutilem reputabo. » Idem [8] : « Babyloniorum manifesta sunt peccata præcedentia judicium, et non egent scrutinio sed supplicio : mea autem, qui videor monachus et hierosolymita, peccata certe occulta sunt, nomine et habitu monachali obumbrata : et idcirco necesse erit subtili ea investigari discussione. » Multa supra, libro II, *de Prudentia, de Intelligentia* [9]. Seneca, in *Epistola* [10] : « Quod homines de aliis libentissime faciunt, de te apud te male existima. Assuesce et dicere verum, et audire. » Idem [11] : « Clamo mecum ipse : Numera annos tuos, et pudebit eadem velle, quæ volueras puer. Hoc denique tibi citra mortis diem præsta : moriantur ante te vitia. »

CAPUT VIII.

De Mortificatione.

Gregorius, in *Moralibus* [12] : « Tanto mens melius ad superna appetenda componitur, quanto ab illicitis arctius corpus edomatur. » Idem, in *Homiliis* [13] : « Nisi quis a semetipso deficiat, ad eum, qui supra ipsum est, non appropinquat ; nec valet apprehendere quod supra ipsum est, qui nescit mactare quod est. » Augustinus, in *Regula* [14] : « Carnem vestram domate jejuniis, et abstinentia escæ et potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest jejunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. » Idem, *de Viduitate* [15] : « Facilius concupiscentia refrenatur, quæ nulla expectatione succenditur. » Idem, *de Singularitate Clericorum* [16] : « Amputanda sunt omnia nobis, quæcumque igniferi fomitis, sulphurantibus flammis scatens, fornax ebullientis carnis exæstuat ; ne, vel tenuis quidem scintilla servata, majora conflet incendia. » Isidorus, *de Summo Bono* [17] : « Mori oportet hominem in carne mundo, ne moriatur in anima Christo. Nam tunc quisque vivere dicitur, si

[1] Greg., *Moral.*, lib. V, c. VI. — [2] Ibid., lib. XIV, c. XIII, circa med. — [3] Chrysost., *in Psal.* L, hom. II. — [4] Aug., *de ver. Relig.*, c. XXXI — [5] I *Cor.*, II, 15. — [6] Vid. sup, lib. I, c. XLV, p. 60. — [7] Bern., *in Cant.*, serm. LV, post. med. — [8] Ibid., paulo ante. — [9] Vid. sup., lib II, c. XXVII, XXIX, p. 98 et 100. — [10] Senec., *Epist.* LXVIII, ante med. — [11] Id., *Epist.* XXVII, ante med. — [12] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII, ante med. — [13] Id., *in Evang.*, hom. XXXII, ante med. — [14] Aug., *Reg.* III, c. XI et XII. — [15] Id., *de Bon. Viduit.*, c. XX. — [16] *De Singular. Cleric.*, c. XXI ; est apud Cyprian., edit. Pamel. — [17] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. LXV, sent. 6.

secundum sæculum moriens, in solo Deo vivere delectetur. » Cassiodorus, *de Anima* [1] : « Væ carni quæ hic superata non fuerit. Nam quæ in hac conversatione vincitur, illic sine dubio coronabitur. » Bernardus, in *Epistola* [2] : « Durius tractandum quidem est corpus, ne rebellet, ne insolescat; sic tamen ut servire sufficiat, quia ad serviendum spiritui datum est : nec sic habendum est tanquam propter illud vivamus, sed tanquam sine quo vivere non possumus. » Seneca, in *Epistola* [3] : « Vetas me cœlo interesse, id est, jubes me vivere capite demisso? Major sum et ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis : quod quidem non aliter aspicio, quam vinculum aliquod libertati meæ circumdatum. » Idem [4] : « Contemptus sui corporis, certa libertas est. » Idem [5] : « Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est; agatur ejus diligentissime cura, ita tamen ut, cum exiget ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum sit in ignes. » Idem : « Hanc sanam et salubrem formam vitæ tenere, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est; durius etiam tractandum est, ne animo male pareat. »

CAPUT IX.

De Disciplina.

Gregorius, in *Registro* [6] : « Cum sit proprium disciplinæ ab illicitis prohibere, et excessus culparum salubriter resecare, studiose ejus servanda censura est. Nam si negligitur, cuncta in confusionem deveniunt, dum unus destruit, quidquid eam custodiendo alter ædificat. » Idem : « Sic nos, » etc., supra, libro I, *de Prælatis bonis* [7]. Idem, in *Moralibus* [8] : « Sancti viri, cum hujus mundi potestate fulciuntur, tanto sub majorem mentis disciplinam se redigunt, quanto sibi per impatientiam potestatis suaderi illicita quasi licentius sciunt. » Idem [9] :« Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando et a licitis caute restringit. « Idem [10] : « Intentioni animæ, si exterior evagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quo extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eo super se intendere per profectum potest; quia et in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos distendi prohibetur. » Idem [11] : « Mens mutabilitatis suæ pondere ad aliud semper impellitur, quam est; et nisi in statu suo arcta custodiæ disciplina teneatur, semper in deteriora dilabitur. » Idem : « Sancti viri, » etc., supra, libro II, *de Continentia visus* [12]. Idem [13] : « Tanto apud Dominum obligatiores sumus, quanto apud homines inulte peccamus. Disciplina autem nostra subditos divino judicio tanto liberiores reddit, quanto hic eorum culpas sua vindicta non deserit. » Idem : « Peccata quæ feriri, » etc., supra, libro II, *de Donis* [14]. Ambrosius, in Epistola [15]. « Non natura servum facit, sed insipientia; nec manumissio liberum, sed disciplina. » Idem [16] : « Si quæris vitam sapientiæ et disciplinæ : colere Deum atque ei subditum esse, sapientia est; abstinere autem a peccato, disciplina est. » Idem, *de Viduis* [17] : « Prima institutionis est disciplina, culpam avertere; et secunda, virtutem infundere. » Cyprianus, *de Duodecim Abusionibus* [18] :« Disciplina est ordinata morum correctio, et majorum præcedentium regularis observatio. » Bernardus, in Epistola [19] : « O quam compositum reddit omnem puellaris corporis statum, nec non mentis habitum disciplina! cervicem submittit, deponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cohibet cachinnos, moderatur linguam, frenat gulam,

[1] Cassiod., *de Anim*, c. XVIII. — [2] Bern., *de Vit. Solit.*, epist, aute med. — [3] Senec., *Epist.* LXV, post med. — [4] Ibid., post pauca. — [5] Id., *Epist.* XIV. — [6] Greg., *ad Chrysant. Spolet.*, lib. VII, epist. XXXV, col. 1327. — [7] Vid. sup., lib. I, c. XI, p. 23. — [8] Greg., *Moral.*, lib. V, c. VIII, non longe a princ. — [9] Id., ibid. — [10] Ibid., lib. XXX, c. IX, post med. — [11] Ibid., lib. XI, c. XXVI, post med. — [12] Vid. sup., lib. II, c. XXXVIII, p. 111.— [13] *Moral.*, lib. XXVI, c. XIX, post med. — [14] Vid. sup., lib. II, c. XLVII, p. 120. — [15] Ambros., *ad Simplician.*, *in Psal.* CIV. — [16] Id., lib. III, epist. XX. — [17] Id., *de Vid.* — [18] Cyprian., *de duod. Abusion.*, c. XI. — [19] Bern., *ad Soph. Virg.*, epist. CIII.

sedat iram, format incessum. Talibus decet pudicitiæ vestem distingui margaritis. » Idem : « Non oportet, » etc., supra, *de Providentia*, libro II [1].

CAPUT X.

De Cruce spirituali.

Gregorius, in *Homiliis* [2] : « Crux a cruciatu dicitur. Et duobus modis crucem Domini bajulamus, cum aut per abstinentiam carnem affligimus, aut per compassionem proximi necessitatem illius nostram putamus. » Idem, in *Moralibus* [3] : « Quia Paulus nec mundi gloriam quærebat, nec a mundi gloria ipse quærebatur, et se mundo, et mundum sibi, crucifixum esse gloriabatur. » Idem [4] : « Cum vitiis et concupiscentiis carnem crucifigimus, si sic gulam restringimus, ut jam de mundi gloria nil quæramus. Nam qui corpus macerat, sed honoribus anhelat, crucem carni intulit, sed mundo per concupiscentiam pejus vivit. » Augustinus, in Glossa, *Gal.*, v, super illud : *Qui Christi sunt,* etc. : « Congruit nostræ devotioni, ut qui Domini crucifixi passionem celebramus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis faciamus. » Idem, in Sermonibus : « Tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux atque martyrium est. » Hieronymus : « Licet sparso crine, » etc., supra, libro III, *de Propinquitate* [5]. Ambrosius, *super Lucam* [6] : « Non amanti divitias, non amanti honores, non amanti quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi ; non amanti quæ videntur, sed quæ non videntur ; non cupido vitæ, sed ei qui festinat dissolvi et cum Christo esse, crucifixus est mundus. Hoc est enim crucem tollere, et sequi Christum, ut et nos commoriamur, et sepeliamur cum eo. » Isidorus, *de Summo Bono* : « Qui crucem portat, debet et mundo mori : nam ferre crucem, mortificare seipsum est ; ferre et non mori, simulatio hypocritarum est. » Bernardus, *de Floribus* : « Mira res : nihil formidolosius homini, quam crucem pati. Sed quare timent homines crucem ? quia latrones sunt. Si latrones non essent, crucem non timerent. » Idem : « Circumire possum, Domine, cœlum et terram, et mare, et aridam, et nusquam te inveniam nisi tantum in cruce : ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie. Crux enim tua fides est, cujus latitudo charitas, longitudo longanimitas, altitudo spes, profundum timor. In hac cruce te invenit, quicumque te invenit. In hac cruce anima suspenditur a terra, et dulcia poma de ligno vitæ decerpit. » Idem, in *Apologia* [7] : « Væ portantibus crucem non, sicut Salvator, suam, sed, sicut ille Cyrenæus, alienam. Væ citharœdis citharizantibus, non, ut illi de *Apocalypsi*, in citharis suis, sed vere, ut hypocritæ, in alienis. » Idem [8] : « Væ semel, et væ iterum pauperibus; væ, inquam, semel, et væ iterum portantibus crucem Christi, et non sequentibus Christum : quia nimirum cujus passionibus participant, humilitatem sectari negligunt. Duplici quippe contritione conterentur, qui hujusmodi sunt, cum et hic pro temporali gloria se affligant, et in futuro pro interna superbia ad æterna supplicia pertrahentur. » Idem, in Sermonibus [9] : « Neminem audiamus, fratres, non carnem et sanguinem, non spiritum quemlibet descensum a cruce suadentem : persistamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. »

CAPUT XI.

De Certamine.

Gregorius, in *Dialogis* [10] : « Sine laboris certamine, non est palma victoriæ. » Idem [11] : « Nonnunquam Dominus eis etiam, quibus

[1] Vid. sup., p. 102.— [2] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVII, ante med. — [3] Id., *Moral.*, lib. V, c. III, circa fin. — [4] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXVI, post med.— [5] Vid sup., lib III, c. XXVII, p. 153. — [6] Ambros., *in Luc.*, VIII, lib VI, c. VIII. — [7] Bern, *ad Gulielm. abb. Apolog.*, non longe a princ. — [8] Ibid., conseq. — [9] Ibid., *in S. Diem Pasch.* serm. 1, ante med.— [10] Greg., *Dial.*, lib III, c. XIX. — [11] Ibid., c. XIV, post med.

magna dona tribuit, parva quædam reprehensibilia relinquit : ut semper habeant, contra quod bella gerant; et devictis magnis hostibus, mentem non erigant, quando eos adhuc adversarii etiam minimi fatigant. » Idem : « Vos qui viam, » etc., infra, *de Religione* [1]. Idem, in *Moralibus* [2] : « Semper est ad certamen adversarii erigendus animus; semper contra occultas insidias cautela providenda. » Idem [3] : « Scio quia per infirmitatis verecundiam plerumque gravioris est certaminis commissa peccata prodere, quam non admissa vitare, et unumquodque malum, quamvis robustus videtur, tamen humilius proditur. » Idem [4] : « Labor protrahitur pugnæ, ut crescat corona victoriæ. » Idem : « Minor est, » etc., supra, lib. II, *de Clementia* [5]. Idem [6] : « In iniquitate concepti, et in delicto editi, per insitæ corruptionis molestias, pugnam nobiscum huc deferimus, quam cum labore vincamus. » Idem : « Excitatur hostis in provocationem certaminis, cum jus amiserit perversæ damnationis. » Augustinus, in *Epistola* [7] : « Non debet, cum præliatur, infringi, qui vult post prælium coronari, vires illo subministrante certantibus, qui præparat ineffabilia dona victoribus. » Idem : « Contra istam genitalium, » etc., supra, lib. III, *de Consuetudine* [8]. Idem, *de Verbis Domini* : « Ecce baptizati sunt, omnes justificati sunt a peccatis : restat tamen lucta cum carne, cum mundo, et cum diabolo. Qui autem luctatur, aliquando ferit, aliquando percutitur, aliquando vincit, aliquando perimitur. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione* [9] : « Nostri agonis tempus, in quo adscripti videmur, pro risu pœnam habet, laudem vero pro luctu, et pro tribulationibus salutem confert. » Idem, *super Matthæum* : « Incipe resistere desideriis tuis, et tunc intelliges quam fortes sunt spiritus desideriorum malorum, qui te persequuntur. Hæc est pugna periculosa, et hæc est gloriosa victoria, qui potuerit odisse quod amat, et amare quod odit. » Ambrosius, *super Lucam* [10] : « Corona proposita est; subeunda certamina sunt. Nemo potest, nisi vicerit, coronari : nemo potest vincere, nisi ante certaverit; ipsius quoque coronæ major est fructus, ubi major est labor. » Leo Papa, in Sermone : « Vim sibi factura est anima, ut palmam laborum, quam sibi subtrahi multis inimicis adversantibus sentit, viribus contendat eripere. » Isidorus, *de Summo Bono* [11] : « Nequaquam in senectute continentes vocandi sunt, qui in juventute luxuriose vixerunt. Tales non habent præmium, quia laboris certamen non habuerunt : eos enim expectat gloria, in quibus fuerunt laboriosa certamina. » Hieronymus, in Epistola [12] : « Quis sanctorum sine certamine coronatus est? Solus in deliciis Salomon fuit, et ideo forsitan corruit. » Bernardus, *super Cantica* [13] : « Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebusæus; subjugari potest, non exterminari. » Idem : « Solet inter primordia, » etc., supra, lib. I, *de Incipientibus* [14].

CAPUT XII.

De Humilitate.

Gregorius, in *Moralibus* [15] : « Magna quæ agimus, quasi minima ducimus, cum fortiorum exempla pensamus. Sed tunc apud Deum crescunt per meritum, cum apud nosmetipsos per humilitatem decrescunt. » Idem [16] : « Quia prima stultitia angeli elatio cordis fuit, vera sapientia efficitur hominis humilitas suæ æstimationis. Quam quisquis,

[1] Vid. inf., c. XIX, p. 191. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XX, c. V, non longe a princ. — [3] Ibid., lib. XXII, c. X, circa med. — [4] Ibid., lib. XXVI, c. XV. — [5] Vid. sup., lib. II, c. XL p. 112. — [6] Greg., *Moral.*, lib. XXVIII, c. IX, longe post med. — [7] Aug., *ad Italic.*, epist. CXXXV. — [8] Vid. sup., lib. III, c. XII, p. 140. — [9] Chrysost., *de Componct.*, lib. II. — [10] Ambros., *in Luc.*, IV, lib. IV, c. IV. — [11] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXXIX, sent. 25. — [12] Hier., *ad Eustoch.*, epist. XXII. — [13] Bern., *in Cant.*, serm. LVIII, post med. — [14] Vid. sup., lib. I, c. XXXIII, p. 47. — [15] Greg., *Moral.*, lib. XXX, c. IX. — [16] Ibid., lib. XXVIII, c. III.

vel magna sapiendo, deserit, eo ipso vehementer desipit, quo seipsum nescit. » Idem [1]: « Electi, ne invite curventur in morte, sponte curvantur in humilitate. » Idem, *super Ezechielem* [2] : « Ad hoc nobis cuncta de meritis nostris incerta sunt, ut unam certam gratiam teneamus humilitatem. » Idem, in Homiliis [3] : « Miranda actio cum elatione non elevat, sed gravat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, in vento pulverem portat; et unde aliquid ferre cernitur, inde deterius cæcatur. » Idem, in *Dialogis* [4] : « Mens quæ divino spiritu impletur, habet evidentissime signa sua, virtutes scilicet et humilitatem : quæ si utraque in una mente perfecte conveniunt, liquet quod de præsentia sancti Spiritus testimonium ferunt. » Idem : « Qualis quisque, » etc., infra, *de Lætitia* [5]. Idem, in *Registro* [6] : « Non grande est his non esse humiles, a quibus honoramur, quia et hoc sæculares quilibet faciunt, sed his maxime esse humiles debemus, a quibus aliqua patimur. Nam Psalmista dicit[7]: *Vide humilitatem meam de inimicis meis.* » Idem [8]: « Ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sum ; et solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam, ante apparitionem districti judicis, meæ maculas mentis tergo. » Idem [9]: « Nolo, dum in hac carne sum, si qua me dixisse contigerit, ea facile hominibus innotesci. » Idem [10] : « Omnes fratres sumus, unius imperatoris potestate conditi, et sanguine redempti ; et idcirco fratres nostros quoslibet pauperes et abjectos in nullo despicere debemus. » Hieronymus, in originali *super Isaiam :* « Non statim multitudinis acquiescamus judicio ; sed electi in principatum, noverimus mensuram nostram, et humiliemur sub potenti manu Dei, quia Dominus [11] *superbis resistit, humilibus dat gratiam.* » Augustinus, *de Virginitate* [12] :« Humiliter ad humilem venite, si amatis ; et ne discedatis ab illo, ne cadatis. Qui enim timet ab illo discedere, rogat et dicit [13] : *Non veniat mihi pes superbiæ.* » Idem [14] : « Pergite viam sublimitatis pede humilitatis : ipse exaltat humiliter sequentes, quem descendere non piguit ad jacentes. » Idem [15] : « Existimate aliquos in occulto superiores, quibus estis in manifesto meliores. » Idem, *de Civitate Dei* [16] :« Qui vera pietate in Deum, quem diligit, credit et sperat, plus intendit in ea, in quibus sibi displicet, quam in ea, si qua in illo sunt, quæ non tam ipsi, quam veritati placent. Neque id tribuit, unde jam placere potest, nisi ejus misericordiæ, cui metuit displicere, de his sanatis gratias agens, de illis sanandis preces fundens. » Idem, *de Conflictu* [17] : « Christus [18] *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Si ergo tanta humilitate se deprimit divina majestas, superbire in aliquo audet aut debet humana infirmitas ? » Idem, in *Epistola :* « Absit, ut non cum gratiarum actione lucris meis deputem, si fuero te docente instructus, aut emendante correctus. » Idem, *de Trinitate* [19] : « Magis optabo a quolibet reprehendi, quam sive ab errante, sive ab adulante laudari. » Isidorus, *de Summo Bono :* « Superflua est humilitas eorum, qui se gessisse accusant, quod non admiserunt ; qui vero sine arrogantia bona facta sua pronuntiant, proculdubio nequaquam peccant. » Idem, in *Synonymis* [20] :« Descende, ut ascendas ; humiliare, ut exalteris, ne exaltatus humilieris. Qui enim extollitur, humiliatur ; qui exaltatur, dejicitur ; qui elevatur, prosternitur ; qui inflatur, alliditur. » Idem [21] « Esto parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei. Tanto enim eris apud Deum pretiosior,

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXV, c. II, circa med. — [2] Id., *in Ezech.*, hom. XII, ante med. — [3] Id., *in Evang.*, hom. VII, circa fin. — [4] Id., *Dialog.*, lib. I, c. I. — [5] Vid. inf., c. XLIV. — [6] Greg., *ad Euseb. abb.*, lib. II, p. I, epist. XXIV, col. 1087. — [7] *Psal.* IX, 14. — [8] Greg., *ad Natal. Salon*, lib. II, p. I, epist. XXXVII, col. 1095. — [9] Id., *ad Joan. subd.*, lib. X, epist. XXII, col. 1493. — [10] Id., *ad Theoct.*, lib. IX, epist. XXXIX, col. 1455. — [11] *Jac.*, IV, 6. — [12] Aug., *de Virginit. Sanct.*, c. LII. — [13] *Psal.* XXXV, 12. — [14] Aug., loc. cit. — [15] Ibid. — [16] Id., *de Civit. Dei*, lib. V, c. XX. — [17] Id., *de Confl vit. et Virt.*, c. II. — [18] *Philip.*, II, 8. — [19] Aug., *de Trinit.*, lib. II, n. 1. — [20] Isid., *Synon.*, c. VI, ante med. — [21] Ibid., post pauca.

quanto fueris ante oculos tuos despectior. » Joannes Chrysostomus, in *Epistola* [1] : « Humilitas non tantum illa laudatur, quæ de conscientia peccatorum evenit; sed et illa, quæ ex virtute descendit, Deo cara est. Et quia in ea requiescit Dominus, ideo omnibus dominatur. » Idem, *super Matthæum* [2] : « Humilis a nulla capitur passione : non ira hunc molestare potest, non gloriæ cupido, non æmulatio, non zelotypia. Idem, *de Compunctione* [3] : « Hoc vere magnum et mirabile est, quia is, qui vere magnus est, nihil de se magni sentit, aut loquitur, sed omnium se ultimum judicat, et saltem de sola misericordia Dei sperat. » Cassiodorus, *de Anima* [4] : « Ad te, Domine sancte, nemo se erigendo pervenit, sed potius humiliatus ascendit : cum altissimus sis, proximior redderis supplicatione curvatis. » Bernardus, *super Cantica* [5] : « Oportet humiliter sentire de se, nitentem ad altiora; ne, dum supra se attollitur, cadat. » Idem [6] : « In anima non est plane timenda quantalibet humiliatio : horrenda autem, nimiumque pavenda vel minima temere præsumpta erectio. Quamobrem noli te, homo, comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. » Idem [7] : « Appetere de humilitate laudem, humilitatis non est virtus, sed subversio. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari : gaudet contemptu sui, hoc solo plane superbus, quod laudes contemnit. » Idem, in *Epistola* [8] : « Ut castitas sive charitas detur, humilitas meretur, quoniam humilibus Deus dat gratiam; servat acceptas, quia non requiescit spiritus, nisi super quietum et humilem; et servatas consummat, nam virtus in infirmitate, hoc est in humilitate, perficitur; et inimicam gratiæ, omnisque initium peccati, debellat superbiam. » Idem [9] : « Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam, si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. » Idem [10] : « Nescio quo pacto familiarius semper humilitati propinquare solet Divinitas. Denique ipsa se induit, ut appareret hominibus; substantiam, formam, habitumque gestavit humilem, ipsius nobis commendans virtutis excellentiam, quam speciali sui voluit honorare præsentia. » Idem [11] : « Sapientis est consilium [12] : *Quanto major es, humilia te in omnibus*. Sapientiæ vero præceptum [13] : *Qui major est vestrum, fiet sicut minor*. Idem, *de duodecim Gradibus* [14] :« Humilitatis talis potest esse diffinitio : Humilitas est virtus qua homo vera cognitione sui ipse sibi vilescit. » Idem [15] : « Humilitatis primus gradus corde est et corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus. Secundus, ut pauca, et rationabilia verba loquatur, non clamosa voce. Tertius, ut non sit facilis aut promptus in risu. Quartus, taciturnitas usque ad interrogationem. Quintus, tenere quod communis habet monasterii regula. Sextus, credere et pronuntiare se omnibus viliorem. Septimus, ad omnia indignum et inutilem se confiteri et credere. Octavus, confessio peccatorum. Nonus, pro obedientia in duris et asperis patientiam amplecti. Decimus, ut omni obedientia subdat se majori. Undecimus, ut voluntatem propriam non delectetur implere. Duodecimus, ut Deum (a) timeat, et memor sit omnium quæ præcepit. » Anselmus, *de Similitudinibus* [16] : « Primus gradus humilitatis est, quandoque cognoscere contemptibilem se esse. Et quia sunt quidam, qui contemptibiles se esse cognoscunt, sed inde non dolent; secundus est, dolere contemptibilem se esse.

[1] Chrysost., *ad Theodor. Monach.*, epist. VI. — [2] Id., *in Matth.*, hom. LXVI, al. LXV, n. 5. — [3] Id., *de Compunctione*, lib. II. — [4] Cassiodorus, *de Anim.*, c. XIX, versus fin. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. XXXIV, ante med. — [6] Ibid., serm. XXXVII, versus fin. — [7] Ibid., serm. XVI, post med. — [8] Id., *ad Henric. Senon.*, epist. XLII, ante med. — [9] Id., *ad Oger.*, epist. LXXXVII, post med. — [10] Id., *ad Henric. Senon.*, epist. modo cit., post med. — [11] Id., epist. XLII. — [12] *Eccli.*, III, 20. — [13] *Luc.*, XXII, 26. — [14] Bern., *de duod. grad. Humilit.*, non longe a princ. — [15] Ex S. Bened. *Regula*, c. VII. — [16] Anselm., *de Similit.*, c. X et seq.

(a) *Cæt. edit.* eum.

Quia vero sunt alii, qui se contemptibiles dolent, sed confiteri nolunt; tertius est, confiteri se contemptibilem esse. At vero, quia rursus sunt alii, qui se contemptibiles confitentur, sed nolunt ut ita credatur; quartus est, persuadere contemptibilem se esse. Sed quia quidam contemptibiles quidem volunt credi, sed hoc sibi nolunt dici; quintus est, patienter pati ut contemptibilis dicatur. Sed quia quidam patiuntur ut contemptibiles dicantur, sed tamen pati nolunt ut contemptibiliter tractentur; sextus est, pati ut contemptibiliter tractetur. Sed quoniam et hoc quidam inviti patiuntur; septimus est, amare ut contemptibiliter tractetur: ubi postquam quis ascenderit, clara est in luce, id est in perfecta sui cognitione.» Idem: «Alterius virtutem,» etc., infra, *de Ascensione* [1].» Glossa in *Matthæum*: «Perfecta humilitas habet tres gradus. Primus est subdere se majori, et non præferre se æquali; hic vocatur sufficiens, quia sufficit aliquem sic humiliari, et iste gradus omni justo est necessarius. Secundus gradus est subdere se æquali, nec præferre se minori; hic dicitur abundans. Tertius est subesse minori; in quo est omnis justitia.»

CAPUT XIII.

De Simplicitate.

Gregorius, in *Homiliis* [2]: «Si abjectio vilis indumenti virtus non esset, Evangelista vigilanter de Joanne non diceret [3]: *Erat indutus pilis camelorum.*» Augustinus, in *Regula* [4]: «Non sit notabilis habitus vester; nec affectetis vestibus placere, sed moribus.» Idem: «In incessu,» etc., supra, libro II, *de Modestia* [5]. Idem, *super Matthæum*: «Resistit Deus superbis et calamistratis; et pannosis humilibus dat gratiam.» Idem, in *Epistola* [6]: «Verus ornatus, maxime Christianorum et Christianarum, non tantum fucus mendax, verum ne auri quidem vestisque pompa; sed mores boni sunt.» Idem [7]: «Auri circumpositio, et intorsio crinium, et cætera hujusmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram formæ adhiberi solent, merito reprehensa sunt. Sed est quidam pro modulo personæ habitus matronalis, a viduali veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis salva religionis observantia convenire.» Et infra: «Quid enim est absurdius, quam mulierem de humili veste, viro prohibente, superbire? cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quam nigellis vestibus repugnare.» Idem, *de Viduitate* [8]: «Interiore pulchritudine Christo placete: hanc pulchritudinem studiosa cura et sollicita cogitatione componite. Non amat ille fallaciarum fucos; veris veritas delectatur, et ille, si quod legisti agnoscis, veritas vocatur.» Ambrosius, *de Officiis* [9]: «Non sit affectatus decor corporis; sed naturalis, sed simplex, neglectus magis quam expeditus, non pretiosis et albentibus adjutus vestimentis, sed communibus, ut honestati vel utilitati nihil desit, nihil accedat nitori.» Idem [10]: «Qui vult audiri, inclinare se debet, amota pompa, ut misericordiam Domini provocet. Habitus enim superbus nec impetrat, nec recta de se credi facit.» Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [11]: «Omne vestimentum ad tres pertinet causas: aut ad speciem visionis, seu ad vanam gloriam; aut ad delectationem corporis; aut ad tegumentum nuditatis. Ad speciem visionis habere vestimentum, servis Dei non convenit; similiter ad delectamentum corporis, Deo servientibus non est aptum; sed quod tantum ad tegumentum nuditatis.» Hieronymus, in *Epistola* [12]: «Sordes vestium candidæ mentis indicia sunt: vilis tunica contemptum sæculi probat, ita duntaxat, ut animus non tumeat, nec habi-

[1] Vid. inf., c. XXVII. — [2] Greg., *in Evang.*, hom. XL, ante med — [3] *Marc.*, I, 6. — [4] Aug., *Regul.* III, c. XVIII. — [5] Vid. sup., lib. II, c. XLI, p. 113.— [6] Id., *ad Possid.*, epist. LXXXIII, al. CCXLV, n. 1. — [7] Id., *ad Ecdiciam*, epist. CXCIX, al. CCLXII, n. 9. — [8] Id., *de Bon. Viduit.*, c. XIX. — [9] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XIX. — [10] Id., vel sub ejus nomine, in I *ad Tim.*, II, post med. — [11] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. III. — [12] Hieron., *ad Rustic. Monach.*, epist. IV.

tus sermoque dissentiat. » Bernardus, in *Epistola*[1] : « Pauperior cultus in aliis frænat concupiscentiam, in aliis circa amorem paupertatis afficit conscientiam. » Idem[2] : « *Si dederit*, inquit Jacob, *mihi Dominus panem ad manducandum* (a), *et vestimentum quo operiar* (b). Nota : *quo operiar*. Sic ergo et nos contenti simus vestimentis, quibus operiamur, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis similari vel placere studeamus. Idem, *super Cantica*[4] : « Simplicitas candor est. Probamus a contrario : nam nævus duplicitas. Parum dixi, macula est. »

CAPUT XIV.

De Verecundia.

Gregorius, in *Moralibus*[5] : « Sæpe cum nos a sancti desiderii exercitatione torpescere superna pietas cernit, exempla se sequentium nostris obtutibus objicit, ut mens per otium remissa, quo in aliis vigilantiam profectus considerat, eo in se pigritudinem torporis erubescat. » Idem[6] : « Nonnunquam quidam in Dei servitio ex anteacta acrius debilitate roborantur, eosque ad custodienda mandata, et futurorum trahit desiderium, et impellit memoria præteritorum : ut hinc ad ventura amor provocet, illinc de præteritis verecundia instiget. » Idem[7] : « Boni eo magis ignescunt ad desiderium requirendæ pietatis Dei, quo magis erubescunt memoriam iniquitatis suæ. » Idem[8] : « Facile culpa corrigitur, qua erubescitur. » Idem[9] : « Cunctos vitia ad ima pertrahunt; sed tamen quidam eo ab his facilius redeunt, quo se in eis corruisse altius erubescunt. » Idem[10] : « Qui adhuc actibus carnalibus incumbit, necesse est ut instruere spiritualiter proximorum mentes erubescat. » Idem, *super Ezechielem*[11] : « Erubescere malum, sapientiæ est; bonum vero erubescere, fatuitas. » Idem[12] : « Qui erubescit pœnitendo mala quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit. » Ambrosius, in *Sermonibus*[13] : « Solet citius mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur. In omni ergo culpa ante flendum est, quam precandum. » Idem : « Pulchra virtus, » etc., supra, libro I, *de Juvenibus*[14]. Idem, *de Officiis*[15] : « In ipso genere canendi, prima disciplina verecundia est; imo etiam in omni usu loquendi : ut sensim quis aut psallere, aut canere, aut postremo loqui incipiat, ut verecunda principia commendent processum. » Idem[16] : « Est etiam in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia : habitus enim mentis in corporis statu cernitur. » Isidorus : « Peccati pudore, » etc., supra, libro II, *de Continentia visus*[17]. Idem : « Quisquis peccatorum, » etc., supra, libro II, *de Memoria*[18]. Augustinus, *de Vita et moribus Clericorum*[19] : « Fateor vobis, de pretiosa veste erubesco, quia non decet hanc professionem. » Idem[20] : « Quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo fit dignus misericordia. Unde patet, quia quanto pluribus confitebitur, in spe veniæ, turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur gratiam remissionis. » Hieronymus, in *Epistola*[21] : « Ornet prudentiam verecundia; et, quod præcipuum in feminis semper fuit, cunctas in te virtutes pudor superet. » Idem : « Omnino pudor, » etc., infra, *de Connexione*[22]. Bernardus, in Epistola[23] : « Nec sterilis verecundia grata est, nec humilitas præter veritatem laudabilis. » Idem, *super Cantica*[24] : « Verecundia specialis gloria conscientiæ est, famæ custos,

[1] Bern., *de Vita solit.*, epist., ante med. — [2] Id., *ad Fulcon.*, epist. II, versus fin. — [3] *Gen.*, XXVIII, 20. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. LXXI, ante med. — [5] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XXXIV. — [6] Ibid., lib. XXVIII, c. XV. — [7] Ibid. — [8] Ibid., lib. XXXII, c. XVII, longe post med. — [9] Ibid., lib. V, c. VII, circa fin. — [10] Ibid., lib. VII, c. XVI. — [11] Id., *in Ezech.*, hom. X, post med. — [12] Ibid. — [13] Ambros., vel quicumque ille sit inter ipsius opera, serm. XLVII, *de Tempore*, post med. — [14] Vid. sup., lib. I, c. XXX, p. 44. — [15] Ambr., *de Offic.*, lib. I, c. XVIII. — [16] Ibid. — [17] Vid. sup., lib. II, c. XXXVIII, p. 111. — [18] Item c. XXVIII, p. 99. — [19] Aug., *ad fratr. in Erem.*, serm. LI. — [20] Imo auctor, quisquis ille sit, lib. *de ver. et fals. Pœnit.*, c. X, inter Op. S. Aug., Append. tom. VI. — [21] Hier., *ad Celant.*, epist. — [22] Vid. inf., c. XLV. — [23] Bern., *ad Bald. abb.*, epist. CCI. — [24] Id., *in Cant.*, serm. LXXXVI, ante med.

(a) Vulg. *vescendum*. — (b) Item *ad induendum*.

vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, et insigne totius honestatis. » Idem [1] : « Nolo repente fieri summus, paulatim proficere volo. Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum pœnitentis verecundia placet. Citius placas eum, si mensuram tuam servaveris, et altiora te non quæsieris. » Idem : « Quid amabilius, » etc., supra, libro I, *de Juvenibus* [2]. Idem : « Humilis et verecunda, » etc., supra, lib. II, *de Satisfactione* [3]. Idem, in Sermonibus [4] : « Credo, considerantes quanta sustinuit illa majestas pro inutilibus servis, erubescamus non sustinere vel parva pro nobis. » Glossa in *Apocalypsim* [5] : « Melius est hic erubescere coram paucis, quam in futuro coram omnibus. » Glossa : « Est quædam, » etc., supra, libro II, *de Satisfactione* [6]. »

CAPUT XV.

De Amicitia.

Gregorius, in *Moralibus* [7] : « Cum quis in prosperitate diligitur, incertum est valde, utrum prosperitas, an persona diligatur; amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis. » Idem [8] : « Qui ex adversitate proximum despicit, aperte convincitur, quod hunc in prosperis non amavit. » Idem, *in Dialogis* [9] : « Inter amantes se amicos, magnum charitatis familiaritas ausum præbet. » Idem, in *Pastorali* [10] : « Ab illo, qui summe rectus est, eo ipso jam discrepat, quo perversorum amicitiis vita nostra concordat. » Idem, in *Registro* [11] : « Amicorum amissio nos tanto debet tolerabilius contristare, quanto amissuros nos illos conditio mortalis exposcit. » Idem [12] : « Ut aliquid sæcularis auctoritatis loquar, cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis. » Idem [13] : « Nemo potest diligere, quos non vult videre. » Isidorus, *in Etymologiis* [14] : « Amicus, quasi *animi* vel *amicitiæ* custos per derivationem, dictus autem proprie amicus ab *hamo*, id est a catena charitatis. » Idem, *de Summo Bono* [15] :« Non sunt fideles in amicitia, quos munus, non gratia copulat : hi cito deserunt, nisi semper acceperint. Dilectio enim, quæ munere glutinatur, eo suspenso dissolvitur. » Idem : « Sæpe per honores, » etc., supra, libro III, *de Honore* [16]. Augustinus, in *Epistola* [17] :« Nemo potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis : quod si gratis non fiat, nullo fieri pacto potest. » Idem, *de Catechizandis Rudibus* [18] :« Nulla est major ad amorem invitatio, quam prævenire amando. Et nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, noluit rependere. » Idem, in *Soliloquiis* [19] :« Illam amicitiæ legem justissimam esse arbitror, qua præscribitur, ut non minus, ita nec plus quis amicum, quam seipsum diligat. » Idem [20] : « Tanto magis amo amicos meos, quanto magis bene utuntur anima rationali, vel certe quantum desiderant ea bene uti. » Ambrosius, *de Officiis* [21] :« Pietatis custos amicitia est, et æqualitatis magistra, ut superior inferiori se exhibeat æqualem, et inferior superiori fidelem. » Idem [22] :« Amicitia nescit superbiam. » Idem [23] : « Virtus est amicitia, non quæstus : non pecunia paratur, sed gratia : non pollicitatione pretiorum, sed concertatione benevolentiæ. Joannes Chrysostomus, *de Compunctione* [24] : « Ubi amicitia permanet, nihil facile creditur, nil facile recipitur, quod dissidium possit operari. » Hieronymus, in epistola [25] :« In amicis non res quæritur, sed

[1] Bern., *in Cant.*, serm. III, post med. — [2] Vid. sup., lib. I, c. XXX, p. 44. — [3] Item lib. II, c. XX, p. 88. — [4] Bern., in Psal. *Qui habitat*, serm. VI, ante med. — [5] Gloss. in *Apoc.*, III. — [6] Vid. sup., lib. II, c. XX, p. 88. — [7] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. X, ante med. — [8] Ibid. — [9] Id., *Dialog.*, lib. III, c. XXXVII. — [10] Id., *Pastoral*, p. III, c. III, admon. 23, post med. — [11] Id., *ad Clementin. patric.*, lib. I, epist XI, col. 1034. — [12] Id., *ad Venant. Cancell.*, lib. I, epist. XXXIII, col. 1051. — [13] Id., *ad Rustician.*, lib. VII, part. I, epist. XXIII, col. 1300. — [14] Isid., *Etymol.*, verbo *Amicus*.— [15] Id., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXX, sent. 2.— [16] Vid. sup., lib. III, c. XXXIV, p. 159. — [17] Aug., *ad Maced-*, epist. LII.— [18] Id., *de Catech. Rudib.*, c. IV — [19] Id., *Solil.*, lib. I, c. III. — [20] Ibid , c. II. — [21] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XVI. — [22] Ibid. — [23] Ibid.— [24] Chrysost., *de Compunct.*, lib. I, ante med. — [25] Hieron., *ad Cast.*, epist. XXXIII.

voluntas; quia alterum et ab inimicis sæpe præbetur, alterum sola charitas tribuit. » Idem[1]: « Vera illa necessitudo est, et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola et palpans adulatio, sed Dei timor, et divinarum Scripturarum studia conciliant. » Idem, in originali *super Michæam*[2]: « Delicata est amicitia, quæ amicorum felicitatem et divitias sequitur. » Bernardus, in epistola[3]: « Habet vera amicitia nonnunquam objurgationem, adulationem nunquam. » Glossa *in Ecclesiasticum*[4]: « Plena et perfecta amicitia inter perfectos viros, ejusdemque virtutis, perseverare potest, et ad hanc quibusdam gradibus pervenitur. Primus est mundanorum contemptus. Secundus, ne quis se sapientem et consultum judicans, sibi quam amico credere malit. Tertius, ut omnia, quæ utilia et necessaria æstimat, bono charitatis et pacis proponat. Quartus, ut omnino desinat ab ira. Quintus, ut iram fratris etiam irrationabilem sedare cupiat : quia alterius tristitia perniciosa est, sicut propria, nisi eam, quantum in te est, etiam de fratris mente depellas. Postremus gradus est omnium vitiorum peremptorius, ut de hoc mundo credas te quotidie migraturum. » Seneca in epistola[5]: « Qui utilitatis causa assumptus est, tandiu placebit, quandiu utilis erit. Hac re florentes amicorum turba circumsidet; circa eversos solitudo est, et inde amici fugiunt ubi probantur. » Idem[6]: « Amicum paro, ut habeam pro quo mori possim; ut habeam quem in exilium sequar; cujus me morti et opponam, et impendam. Detrahit amicitiæ majestatem suam, qui illam parat ad bonos casus. » Idem : « Amicos optime res secundæ parant; adversæ certissime probant. »

CAPUT XVI.

De Concordia.

Gregorius, in *Registro*[7]: « Quisquis patris heres esse desiderat, filius existere pacem custodiendo non renuat. Nam qui locum præbet discordiæ, ipse profecto tanti se muneris exortem esse constituit. » Idem[8]: « Pacem tunc veraciter tenemus, cum superborum culpas charitate et justitia simul insistente persequimur; cum eos diligimus, et eorum vitia odio habemus. » Idem[9]: « Manifestum bonitatis esse liquet indicium, in unius electione cunctorum convenire consensum. » Idem[10]: « Laudabile et studio est religioso conveniens, terrenis gratam Deo pacem præferre compendiis, et ex rebus transitoriis mansura charitatis semper lucra mercari. » Idem, in *Moralibus*[11] : « Sicut noxium esse solet, si unitas desit bonis; ita perniciosum est, si non desit malis. Perversos quippe unitas corroborat, dum concordat; et tanto magis incorrigibiles, quanto unanimes facit. » Idem, *super Ezechielem*[12]: « Ita bona facere opera debemus, ut per hæc quoque cum his, cum quibus vivimus, unanimitatem, in quantum recte possumus, conservemus. » Augustinus, *de verbis Domini*[13]: « Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. » Idem[14]: « Pax cunctis est placida, non quærit alienum, nihil deputat suum, docet amare, quæ odisse non novit, nescit inflari. Hanc ergo qui accepit, teneat; qui perdidit, repetat; qui amisit, requirat : quoniam qui in ea non fuerit inventus, abdicatur a Patre, exheredatur a Filio, nihilominus a Spiritu sancto efficitur alienus. Respuit enim munus oblatum, qui datæ legis contempserit bonum; nec poterit ad hereditatem Domini pervenire, qui testamentum noluerit observare. » Idem, *de Ovi-*

[1] Hieron., *ad Paulin.*, epist. CIII. — [2] Id., *in Mich.*, VII, lib. II, c. VII. — [3] Bern., *ad Rom.*, epist. CCXLIII, post med. — [4] Gloss. *in Eccli.*, IX. — [5] Senec., *Epist.* IX. — [6] Ibid , post pauca. — [7] Greg., *ad Euseb. Thess.*, lib. VI, p. II, epist. VI, col. 1313. — [8] Id., *ad Euloy. et Anast.*, lib. IV, epist. XXXVI, c. 1188. — [9] Id., *ad Leon. episc.*, ibid., epist. VIII, col. 1165. — [10] Id., *ad Ant. et Dom.*, lib. VII, p. II, epist. XXVII, col. 1323. — [11] Id., *Moral.*, lib. XXXIII, c. XXIII, post med. — [12] Id., *in Ezech.*, hom. XXI, circa med. — [13] Aug., *de verb. Dom.*, serm. LVII. — [14] Ibid., conseq.

bus [1]: « Testamentum Dei et hereditas pax est, ut a concordibus consortibus possideatur, non a litigantibus dividatur. » Idem, *de Quæstionibus Veteris ac Novi Testamenti* [2]: « Qui pacem suscipit Salvatoris, inimicitiam contrahit mundi. Nisi enim discordaverit a Diabolo, pacem non habebit cum Christo. » Idem, *de Civitate Dei* [3]: « Tantum est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri. » Idem [4]: « Pacem constat belli esse optabilem finem. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione:* « Ubi pax est, ibi omnia prosperabuntur; ubi sobrietas lucet, ubi unanimitas, abstinentia coronatur. » Idem, *super Joannem* [5]: « Est et mala concordia; est et bona dissonantia. » Ambrosius, *super Lucam* [6]: « Fuge contentiones, dissensiones, strepitus, tumultus discordiæ, ne per portas mortis ingressus intereas. » Idem : « Sed nisi prius tu, » etc., supra, libro II, *de Beatitudine* [7]. Isidorus, *de Summo Bono :* « Pax plebis sanitas, gloria sacerdotis, et patriæ lætitia, et terror hostium, sive visibilium, sive invisibilium. » Idem : « Pax cum bonis, et bellum cum vitiis semper habendum est: mala siquidem hominum impiorum odio habenda. » Bernardus, *super Cantica* [8]: « Pacem habete, et vos nolite lædere invicem, non facto, non verbo, non signo qualicumque : ne quis forte exacerbatus, et præoccupatus a pusillanimitate spiritus et tempestate, Deum interpellare cogatur adversus eos qui se læserint et contristaverint, et prorumpere in verbum grave contingat [9]: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*. Idem, in sermonibus [10]: « Nisi in unitate opus tuum feceris, Deo, qui unus est, acceptus esse non poteris. Scriptum quippe est [11]: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* » Idem: « Est homo pacatus, » etc., supra, libro II, *de Patientia* [12]. Idem: « Sunt etiam alii qui si viderint, » etc., supra, libro II, *de Beatitudine* [13].

CAPUT XVII.

De Renuntiatione.

Gregorius, in *Dialogis* [14]: « Despiciendus a nobis hic mundus foret, etiamsi blandiretur, si rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tanta adversitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur, clamat? » Idem, in homiliis [15]: « Fructus mundi ruina est. Ad hoc enim crescit, ut cadat; ad hoc germinat, ut quodcumque germinaverit, cladibus consumat. » Idem [16]: « Si nihil in hoc mundo tam amando possidetis, etiam possidendo cuncta reliquistis. » Hieronymus: « Licet sparso crine, » etc., supra, *de Propinquitate*, libro III [17]. Isidorus, in *Synonymis* [18]: «Semper interna quiete frueris, si te a strepitu terrenarum actionum subtraxeris. » Idem : « Nullus sapientiam, » infra, *de Sapientia* [19]. Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [20]: « Sicut difficile est arborem juxta viam positam fructus suos usque ad maturitatem servare, sic difficile est virum fidelem juxta istum mundum viventem, in actibus ejus justitiam immaculatam usque ad finem tenere. Recede de via, et plantare in loco secreto, ut nec mundus tecum habeat aliquid commune, nec tu cum mundo. » Idem, *super Joannem :* « Qui pecuniarum concupiscentiam deriserunt, hi maxime sunt qui Deum, ut oportet, diligunt. » Augustinus, in epistola [21]: « Vincula hujus mundi habent

[1] Aug., *de Ovib.*, c. XIII. — [2] Id., *de Quæst. Vet. et Nov. Test.*, q. XCII. — [3] Id., *de Civit. Dei*, lib. XVIII, c. XI. — [4] Ibid., c. XII. — [5] Chrysost., *in Joan.*, hom. LVI, al. LVII, n. 2.— [6] Ambros., *in Luc.*, IX, lib. VI. — [7] Vid. sup., lib. II, c. XLVIII, p. 121. — [8] Bern., *in Cant.*, serm. XXIX, ante med. — [9] *Cant.*, I, 5. — [10] Bern., *in Assumpt. B. Mar.*, serm. V, post med. —

[11] *Psal.* XIII, 2.— [12] Vid. sup., lib. II, c. XXXIII, p. 106. — [13] Vid. ibid., c. XLVIII, p. 122.— [14] Greg., *Dialog.*, lib. III, c. XXXVIII. — [15] Id., *in Evang.*, hom. I, circa med. — [16] Ibid., hom. XXVII, circa fin. — [17] Vid. sup., lib. III, c. XXVII, p. 153.— [18] Isid., *Synon.*, c. XVIII, ante med.— [19] Vid. inf., c. XXXIII. — [20] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. XXXIX, ante med. — [21] Aug., *ad Licent.*, epist. XXXIX, al. XXVI, n. 2.

asperitatem veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. » Idem [1]: « Quid prodest acquirere in hoc sæculo quodlibet temporale et transitorium, sive sit pecunia, sive sit voluptas ventris et gutturis, sive sit honor in laude humana? Nonne omnia fumus et ventus? Nonne omnia transeunt et currunt? Et væ his, qui hæserint transeuntibus; quoniam simul transeunt. » Idem [2]: « Utilius terrena opulentia tenetur humiliter, quam superbe relinquitur. » Idem [3], *de Pœnitentia:* « In omnibus dolens, aut sua relinquat, aut saltem illa quæ sine admixtione mali non sunt administrata, ut mercatura, et militia, et alia quæ utentibus sunt nociva, ut administrationes sæcularium potestatum, nisi his utatur ex obedientiæ licentia. » Idem : « Recedat amor, » etc., infra, *de Gloria* [4]. Bernardus, in epistola [5]: « Voci Dei, tu, dulciori super mel et favum, si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito et vacante interno sensu, dicas tu cum Samuele [6]: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* » Idem [7]: « Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum, desine jam et ea sequi, quæ et consequi miserum est. Beatus, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. » Idem [8]: « Generositas sanguinis, proceritas corporis, forma elegans, juvenilis decor, prædia, palatia, immensa supellex, infulæque dignitatum, adde et sapientiam mundi, de mundo sunt hæc, et mundus, quod suum est, diligit. Sed quousque? Non solum enim non semper, ut qui non semper erit; verum nec diu quidem. Diu siquidem ista in te mundus habere non poterit, et te quidem ipsum in brevi non habiturus. Nam [9] *breves dies hominis sunt.* » Idem [10]: « Subito procedenti de umbra ad solem, de otio ad laborem, grave cernitur omne quod incipit. Sed cum ab his dissuescere, et ad illa se paulisper assuescere cœperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile esse, quod difficile antea putavit. » Idem : « Falleris, o fili, » etc., supra, libro I, *de Studentibus* [11]. Idem : « Vigilias times, » etc., infra, *de Meditatione* [12]. Idem, *de Contemptu* [13]: « *Ecce nos reliquimus omnia.* Bene, optime, et non ad insipientiam tibi. Nam et mundus transit, et concupiscentia ejus; et relinquere hæc magis expedit, quam ab eis relinqui. » Idem [14]: « *Secuti sumus te* : nimirum quia [15] *exultavit ut gigas ad currendam viam suam.* Nec currentem sequi poteras oneratus; sed nec inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse : *omnia* sane dixerim : non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, et eas maxime. » Idem, in sermonibus [16] : « Convolate ad urbes refugii, ubi possitis et de præteritis agere pœnitentiam, et in præsenti obtinere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non vos retardet conscientia peccatorum, quia ubi illa abundaverit, superabundare gratia consuevit. Non potentiæ austeritas ipsa deterreat : neque enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur; non ad præsentem consolationem, quæ immittitur; non ad futuram gloriam, quæ promittitur. » Idem [17]: « Quid, si periclitaretur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam sæculo? Fugite de medio Babylonis; fugite, salvate animas vestras. » Idem [18]: « Nil credentibus impossibile; nil amantibus difficile; nil asperum mitibus; nil humilibus arduum reperitur : quibus et gratia confert auxilium, et obediendi devotio lenit imperium. »

[1] Aug., *in Joan.*, tract. x, n. 6. — [2] Id., *ad Paul.*, epist. xxxiv, al. xxxi, n. 6. — [3] *De ver. et fals. Pœnit.*, c. xv, apud August., append. tom. VI. — [4] Vid. inf., c. l. — [5] Bern., epist. cvii, versus fin. — [6] I *Reg.*, iii, 10. — [7] Bern., epist. ciii, post med. — [8] Id., epist. vii, circa princ. — [9] *Job*, xiv, 5. —

[10] Bern., *ad Robert.*, epist. i, prope fin. — [11] Vid. sup., lib. I, c. xxv, pag. 39. — [12] Vid. inf., c. xxvi. — [13] Bern., super *Ecce nos reliquimus* circa princ. — [14] Ibid., conseq. — [15] *Psal.* xviii, 6. — [16] Bern., *de Convers. ad Cleric.*, c. xxx. — [17] Ibid. — [18] Ibid.

CAPUT XVIII.

De Solitudine.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : « Qui mortificare se appetit, valde ad inventam requiem contemplationis hilarescit, ut exterius mundo lateat, et cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat. » Idem [2] : « Prodest solitudo corporis, si solitudo est mentis. Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis ? Qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se inserit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, et tamen nullos sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. » Idem : « Quælibet occulta, » etc., supra, libro II, *de Gratia* [3]. Idem : « Vos qui viam, » etc., infra, *de Religione* [4]. Hieronymus, in *Epistola* [5] : « Mihi oppidum carcer est, et solitudo paradisus. » Idem [6] : « Infinita eremi vastitas te terret ? Sed paradisum mente deambula. Quotiescumque illuc mente conscenderis, toties in eremo non eris. » Idem [7] : « Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas et virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. » Idem [8] : « Bonus honor in Ecclesia, si a consortio clericorum longe sint fœminæ. Monachum, vel clericum, solitudo facit, non publicum. » Augustinus, *de Singularitate Clericorum* [9] : « Strages pessimæ conversationis nemo prosternit, nemo calcat, nemo funestat, nisi singularis castitas sola, quæ munimen invictum est sanctimoniæ, et expugnatio fortis infamiæ, fortitudinis firmitas, et lasciviæ petulantis infirmitas, probitatis præsidium, et improbitatis excidium, animæ victoria, et corporis præda, ubertas gratiarum, et sterilitas criminum. » Idem [10] : « Non est sine filiis cum claritate, nisi singularitas sola, quam non solum concupiscentia sua nullis sordibus maculat, sed etiam nullæ opiniones suspectæ pluralitatis infamant. Nam si castitas, quod est difficile, masculum et feminam pariter in virginitate conservet, non habet claritatem, quoniam communitas ipsa non potest nisi quibusdam probrositatum tenebris obscurari. » Bernardus, in *Epistola* [11] : « Cum quo Deus est, nunquam minus est solus, quam cum solus est. Tunc enim libere fruitur gaudio suo ; tunc ipse suus est ; ibi ad fruendum Deo in se, et se in Deo ; tunc in luce veritatis, et in sereno mundi cordis, ultro patet sibi pura conscientia, et libere se infundit de Deo memoria ; et illuminatur intellectus, et bono suo fruitur affectus, vel libere seipsum deflet humanæ fragilitatis defectus. » Idem, *super Cantica* [12] : « Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum ; alioquin nec, si solus corpore es, solus es. » Cassiodorus, *de Anima* [13] : « Nimia turba vitiorum sine certamine vincitur, quando solitudo gratiæ suffragatur. » Seneca, in *Epistola* [14] : « Subducendus est a populo animus tener, et parum tenax recti : facile transitur ad plures. Socrati, et Platoni, et Lælio, excutere morem suum dissimilis multitudo potuisset. »

CAPUT XIX.

De Religione.

Gregorius, in *Registro* [15] : « Vos, qui viam vitæ præsentis extra hominum frequentiam

[1] Greg., *Moral.*, lib. V, c. v, post med. — [2] Ibid., lib. XXX, c. XII, ante med. — [3] Vid. sup., lib. II, c. XVI, p. 81 — [4] Vid. inf., c. XIX.— [5] Hieron., *ad Rust. Mon.*, epist., ante med. — [6] Id., *ad Heliod.*, epist. I, ultra med.— [7] Id., *ad Nepotian.*, epist. II, ante med. — [8] Id., *ad Ocean.*, *de vit. Cleric.*, epist. post med. — [9] *De Singular. Cleric.*, c. XXII, est apud Cyprian., edit. Pamel. — [10] Ibid., c. XXIII, ante med. — [11] Bern., *de vit. solit.*, epist., longe ante med. — [12] Id., *in Cant.*, serm. XL, prope fin. — [13] Cassiod., *de Anima*, c. XVIII, post med.— [14] Senec., *Epist.* VII, circa med. — [15] Greg., *ad Secundin.*, lib. VII, p. II, epist. LIV, col. 1338.

ducitis, tanto majora certamina pati necesse est, quanto ad vos ipse magister tentationum accedit. » Idem [1] : « Melius est de ovili dominico morbosam ovem ejicere, quam unius vitio sanas amittere. » Idem [2] : « Cura est sollicitudinis adhibenda, ut quæ pro quiete religiosæ conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. » Idem [3] : « Multi sunt qui possunt religiosam vitam etiam cum sæculari habitu ducere; et plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. » Idem [4] : « Religiosam vitam eligentibus congrua nos oportet consideratione prospicere, ne cujusdam necessitatis occasio, aut desides faciat, aut robur, quod absit, conversationis infringat. » Idem [5] : « Sicut studii nostri esse condecet, a litigiis foralibus monachos submovere, ut divinis ministeriis pie ac solerter invigilent; ita necesse est nostra provisione, quemadmodum negotia eorum disponi debeant, ordinare, ne distenta mens per varias causarum curas effluat, et ad celebrandum opus consuetum enervata torpescat. » Isidorus, in *Etymologiis* [6] : « *Religio* appellata est, eo quod per eam uni Deo religemus animas nostras, ad cultum divinum vinculo serviendi. » Augustinus [7], *de Ecclesiasticis Dogmatibus* : « Secreta satisfactione solvi crimina non negamus; sed mutato prius sæculari habitu, et confesso religionis studio per vitæ correctionem, et in jugi, imo perpetuo luctu, miserante Deo, ita duntaxat, ut contraria pro his, quæ pœnitet, agat. » Idem, *de Quantitate animæ* [8] : « Omnibus subventum velle debemus, etiam qui nos læserunt, aut lædere, aut omnino lædi volunt. Hæc est vera, hæc perfecta, hæc sola religio. » Idem [9] : « Est religio vera, qua (*a*) se uni Deo anima, unde se peccato velut abruperat, conciliatione religat. » Idem : « Nullo modo decet, » etc. supra, *de Exercitio* [10] : Idem [11] : « Non debent velle omnes, quod paucos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere, ne contingat detestanda perversitas, ut in monasterio, ubi, quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati. » Idem : « Melior est, qui quamvis, » etc., supra, libro II, *de Ira* [12]. Ambrosius [13], in epistola : « Præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea est enim vera pietas, quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* : « Fides nunquam senescit, et religio fatigationem non sentit. » Bernardus, *de Consideratione* [14] : « Nos in monasteriis recipimus omnes spe meliorandi; at curia bonos facilius recipere, quam facere consuevit. » Idem, in epistola [15] : « Ubi non timetur reprehensor, securius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conventu vero, bona si quæ facis, nemo prohibet; malum autem facere si vis, non licet. Mox enim a pluribus comperitur, arguitur, emendatur : sicut e contrario bonum cum omnes vident, mirantur, venerantur, imitantur. » Idem : « Ordo noster, » etc., supra, libro I, *de Monachis bonis* [16]. Idem [17] : Moriens vix unquam aliquis a cella in infernum descendit, quia vix unquam, nisi cœlo prædestinatus, in ea usque ad mortem persistit. » Idem : « Experto credite, quia hæc via quanto arctior, quanto molestior videtur in ingressu, tanto latior, tanto jucundior invenitur in progressu. » Idem : « Qui debitorem, » etc., supra, libro I, *de Religiosis malis* [18]. Idem, in Sermonibus :

[1] Greg., *ad Euseb. Thess.*, lib. IX, epist. LXIX, col. 1480. — [2] Id., *ad Virgil. Arel.*, lib. VII, p. II, epist. CXVI, col. 1380. — [3] Id., *ad Mauric. Aug.*, lib. II, p. II, epist. LXII, col. 1133.— [4] Id., *ad Gratios. subd.*, ibid., epist. XVII, col. 1108. — [5] Id., *ad Petr. subd.*, lib. I, epist. LXVII, col. 1069. — [6] Isid., *Etym.*, lib. VII, c. II. — [7] Imo Gennad., *de Eccles. Dogm.*, c. LIII.— [8] Aug., *de Quant. anim.*, c. XXXIV.— [9] Ibid., c. XXXVI. — [10] Vid. sup., huj. lib. c. IV, p. 176. — [11] Aug, *Regul.* 11, c. XV. — [12] Vid. sup., lib. II, c. IX, p. 73.— [13] Imo auctor (forsan Euseb. Emiss.) comment. in *epist. ad Rom.*, annotat. in exord., apud Ambros. — [14] Bern., *de Consider.*, lib. IV, circa med.— [15] Id., epist. CXV, circa med. — [16] Vid. sup., lib. I, c. XXXI, p. 45.— [17] Bern., *de vit. solit.*, epist. multo ante med. — [18] Vid. sup., lib. I, c. XXVIII, p. 42.— (*a*) *Al.* quia.

« Qui est in mundo, fugiat ad claustrum negotiaturus; et qui in claustro est, non dormitet, nec torpescat per acediam, tanquam piger servus et nequam. Vita enim confert meritum; locus non facit beatum. » Idem [1] : « Minus damnabile est in sæculo perire, quam in monasterio. » Idem [2] : « Felix domus, et beata semper congregatio, ubi de Maria conqueritur Martha; nam Mariam Marthæ æmulari, indignum prorsus est. » Idem : « Regio australis est claustrum, vel eremus, in quo Christus suos abscondit a contradictione linguarum, postmodum admixturus consortio angelorum. » Idem : « Claustralis paradisus ad suavem spirantis austri clementiam quasi tot floribus vernat, quot virtutibus abundat. » Idem [3] : « Sicut bonum noscere, sic et velle solum perfecta religio vel religiosa perfectio est. » Idem [4] : « Nihil sic horrendum, ut murmur, et dissensio in congregatione. »

CAPUT XX.

De Sufficientia.

Gregorius, in *Registro* [5] : « Non delectamur xeniis. » Idem, in *Moralibus* [6] : « Mira securitas est cordis, aliena non quærere, sed uniuscujusque diei sufficientia contentum manere. Ex qua videlicet securitate etiam perennis requies nascitur, quia a bona et tranquilla cogitatione ad gaudia æterna transitur. » Idem, *super Ezechielem* [7] : « Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid, unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. » Idem [8] : « Ille pauper est, qui eget eo quod non habet. Nam et qui non habens, habere non appetit, dives est. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. » Idem [9] : « Discamus esurire, ut nobis, propter abundantiam sequentem, nostra hic inopia placeat. Nec nos ventris necessitas ad culpam trahat, nec peccatum menti indigentia suggerat. » Augustinus, *de Soliloquiis* [10] : « Sive de cibo, sive de potu, sive de balneis, cæteraque corporis voluptate nihil interroges; tantum ab eo pete, quantum valetudini opem conferre potest. » Idem, *de Vita beata* [11] : « Nullus perfectus aliquo eget; et quod videtur corpori necessarium, sumet, si affuerit; si non affuerit, non eum istarum rerum franget inopia. Omnis namque sapiens fortis est. » Idem, *de Vera Religione* [12] : « Quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat; et quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo funditus adhæreat. » Bernardus, in epistola [13] : « Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, move brachia, complosas explica manus, exercitare in aliquo; et statim senties sola te appetere, quæ famem tollant, non fauces demulceant. Reddet quidem sapores cibis exercitium, quos tulit inertia multa; quæ respuis otiosus, post laborem sumes vel desiderio. » Seneca, in epistola [14] : « Magni animi est magna contemnere, ac mediocria malle, quam nimia. Illa enim utilia vitaliaque sunt; at hæc, eo quod superfluunt, nocent : sic segetem nimia sternit ubertas, et (a) rami onere franguntur. » Glossa : « Perfecta humilitas, » etc., supra, capite *de Humilitate* [15].

CAPUT XXI.

De Communitate.

Gregorius, in *Registro* [16] : « Nullus vestrum, neglecta utilitate communi, suo lucro prospiciat. » Idem [17] : « Si me participem ope-

[1] Bern., *in fest. S. Mich.*, serm. II, ante med. — [2] Id., *in fest. Assumpt. B. Mar.*, serm. III, ante med. — [3] Id., *in fest. Ascens. Dom.*, serm. III, ante med. — [4] Id., in *Sermonib. parv.*, serm. LXIII. — [5] Greg., *ad Felic. Messan.*, lib. I, epist. LXIV, col. 1068. — [6] Id., *Moral.*, lib. XV, c. XIII, post med. — [7] Id., *in Ezech.*, hom. XIX, post med. — [8] Ibid., hom. XVIII, post med. — [9] Ibid., hom. XIX, longe post med. — [10] Aug., *Soliloq.*, lib. I, c. X. — [11] Id., *de Vit. Beat.*, disp. III. — [12] Id., *de ver. Relig.*, c. XLVIII. — [13] Bern., *ad Robert. nep.*, epist., post med. — [14] Senec., *Epist.* XXXIX. — [15] Vid. sup., huj. lib. c. XII, p. 185. — [16] Greg., *ad Cler. Mediol.*, lib. II, p. II, epist. XXIX, col. 1113. — [17] Id., *ad Eulog. Alex.*, lib. VI, epist. XXXVII, col. 1281. — (a) *Edit. Nisard*, sic.

ratio non facit laboris vestri, me participem charitas facit : quia, sicut existimo, bonum proximi etiam otioso commune fit, qui de alterius actibus gaudere communiter scit. » Idem : « Melius est de ovili, » etc., supra, *de Religione* [1]. Idem : « Summa militiæ, » etc., supra, lib. I, *de Militibus* [2]. Idem, in *Moralibus* [3] : « Pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum, ut et ad sua singulis congruat, et tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat. » Joannes Chrysostomus, in Sermonibus : « Omne quod nostrum est, tunc magis nostrum erit, si sit nobis commune cum fratribus. » Idem, *super Joannem* : « Qualiter est imitatores fieri Christi, ad communem utilitatem omnia negotiantes, et non quæ nostra sunt quærentes. » Ambrosius, *de Officiis* [4] : « Sic Deus generari jussit omnia, ut partus omnibus communis esset, et terra foret omnium quædam communis possessio. Natura ergo jus commune generavit ; usurpatio jus fecit privatum. » Idem [5] : « Qui perfecte sapit, nescit sua spectare commoda, sed ad illud quod æternum est, quod decorum, atque honestum, toto affectu intendit, quærens non quod sibi utile est, sed quod omnibus. » Idem [6] : Nihil judicandum utile, nisi quod in commune prosit : quomodo enim potest uni prodesse, quod omnibus nocet? Mihi crede, non videtur, qui inutilis est omnibus, sibi utilis esse posse. » Idem : « Non sit affectatus, » etc., supra, *de Simplicitate* [7]. Idem, *super Lucam* [8] : « Verum est causam inopiæ nostræ videri avaritiam; etenim volatilibus cœli idcirco sine labore pabuli usus exuberat, quod fructus, sibi communes ad escam datos, speciali quodam nesciunt vendicare dominatu. » Idem [9] : « Qui justus est, non negat quod est ad usum omnibus communiter datum. » Augustinus, super *Actus Apostolorum* [10] : « Melior est fraternitas Christi fraternitate sanguinis : fraternitas sanguinis interdum sibi inimica est ; Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est : illa inter se communia dividit cum æmulatione ; hæc autem sua communicat cum gratulatione. » Idem, in *Regula* [11] : « Omnia opera vestra in unum fiant, majori studio, et frequentiori alacritate, quam si vobis singulis feceritis propria; charitas enim, de qua scriptum est [12] : *Non quærit quæ sua sunt,* sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit; et ideo quanto amplius rem communem, quam propria vestra curaveritis, tanto vos amplius proficere noveritis. » Bernardus, *de Consideratione* [13] : « Quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. » Idem, *de Duodecim Gradibus* [14] : « Singularis ad omnia sua strenuus, ad communia piger, vigilat in lecto, dormit in choro. » Idem : « Observandus est, » etc., supra, lib. II, *de Continentia gustus* [15]. Idem, in Sermonibus [16] : « Dominus communi disciplina, communi vita, communibus studiis delectatur. Usquequo, miser, diverticula captas, et consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore mendicas? Et quid faciam? inquis. *Ejice* [17] *ancillam et filium ejus.* » Beda, in Glossa : « Qui ita vivunt, ut sint omnia communia in Domino, cœnobitæ vocantur : quæ vita tanto felicior est, quanto statum sæculi futuri imitatur, ubi omnia communia, quia Deus est omnia in omnibus, et quia ibi summa pax et securitas, civitas in qua ty-

[1] Vid. sup., huj. lib. c. XIX, p. 192. — [2] Vid. sup., lib. I, c. XLVII, p. 61. — [3] Greg., *Moral.*, lib. XXX, c. III, al. IV, n. 12. — [4] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XXVIII, ante med. — [5] Ibid., lib. III, c. II. — [6] Ibid., c. IV. — [7] Vid. sup., huj. lib. c. XIII, p. 185. — [8] Ambros., *in Luc.*, XII, lib. VII, n. 124. — [9] Ibid., VI, lib. V, n. 62. — [10] August., *de verb. Apost.*, serm. XXVII. — [11] Id., *Regul.*, III, c. XXVII. — [12] I *Cor.*, XIII, 5. — [13] Bern., *de Consider.*, lib. III, post med. — [14] Id., *de duod. Grad.*, grad. 5. — [15] Vid. sup., lib. II, c. XXXVI, p. 109. — [16] Bern., *in Ascens. Dom.*, serm. VI, post med. — [17] *Gal.*, IV, 30.

pus hujus vitæ præcessit, Hierusalem, id est visio pacis dicta est. » Seneca, in epistola [1] : « Non potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit. Alteri vivas oportet, si tibi vis vivere. » Idem : « In hoc gaudeo aliquid dicere, ut doceam, nec me ulla res delectabit, licet sit eximia et salutaris, quod mihi uni sciturus sum. » Idem, in *Proverbiis* : « Quietissime viverent homines, si duo verba tollerentur : *meum* et *tuum*. »

CAPUT XXII.

De Societate.

Gregorius, in *Moralibus* [2] : « Hoc uniuscujusque esse proprium solet, ut qualis ipse fuerit, tales sibi conjungi et alios velit, ut diversitatem vitæ refugiat, atque hoc imitandum imprimat, quod amat. » Idem [3] : « Sicut gravioris culpæ est, inter bonos non esse bonum, ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos extitisse. » Idem [4] : « Cum in itinere comes jungitur, via quidem non detrahitur, sed tamen de societate comitis labor itineris leviatur. » Idem, *super Ezechielem* [5] : « Qui sancto viro adhæret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis accipit, ut accendatur in amorem veritatis : peccatorum suorum tenebras fugat, in desiderio lucis exardescit. » Idem, in *Registro* [6] : « Qui assistunt judicibus, et sinceris erga eos dilectionibus astringuntur (*a*), illa eis suadere debent atque suggerere, quæ animam salvant, et opinioni non derogant (*b*). » Augustinus in epistola [7] : « Si paupertas angit, si luctus mœstificat, si dolor corporis inquietat, si ulla calamitas vexat, adsint boni homines, qui non solum gaudere cum gaudentibus, verum etiam flere cum flentibus norunt, et salubriter alloqui, et colloqui sciunt. Per hos plurimum illa aspera leniuntur, relevantur gravia, superantur adversa. » Isidorus, *de Summo Bono* [8] : « Tenenda est cum sanctis viris unitas charitatis; et quantum se quisque subtrahit mundo, tanto opus est ut se associet bonorum consortio. » Idem, in *Synonymis* [9] : « Bonorum societatem require : si fueris socius conversationis, eris et virtutis eorum. » Ambrosius, *de Officiis* [10] : « Ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam et ductu vitæ colorat mores adolescentium, et velut murice probatis inserit. » Bernardus, *de Consideratione* [11] : « Interest gloriæ sanctitatis tuæ, ut quos præ oculis habes, ita ordinati sint, ita informati, quatenus totius honestatis et ordinis ipsi sint speculum, ipsi sint forma. » Idem [12] : « Ne te dixeris sanum, dolentem latera; hoc est : ne te dixeris bonum, malis innitentem. » Idem, in epistola [13] : « Inter bonos bonum esse, salutem habet; inter malos vero, et laudem. Illud tantæ facilitatis est, quantæ est securitatis; hoc tantæ virtutis, quantæ et difficultatis. Quale nempe est illud : tangere picem, et non inquinari ab ea; in igne sine læsione versari? » Idem [14] : « Omnia fac cum consilio, nec tamen omnium, aut quorumcumque, sed tantum bonorum. Bonos in consilio, bonos in obsequio, et bonos habeas contubernales, qui vitæ et honestatis tuæ custodes sint et testes. » Idem [15] : « Omnes juxta Domini præceptum etiam inimici diligantur; sed ad consilium soli eligantur, qui et prudentes esse videantur, et benevoli. » Idem : « Ubi non timetur, » etc., supra, *de Religione* [16]. « Seneca, in epistola [17] : « Nullius boni sine socio jucunda possessio est. » Idem : « Cum his conversare, qui te meliorem facturi sunt.

[1] Senec., *Epist.* XLI, ante med. — [2] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXXIX. — [3] Ibid., lib. I, c. I. — [4] Ibid., lib. V, c. XV, ante med. — [5] Id., *in Ezech.*, hom. V, ante med. — [6] Id., *ad Sever. scholast.*, lib. IV, epist. XXIX, col. 1177. — [7] Aug., *ad Prob.*, epist. CXXI, al. CXXX, n. 4. — [8] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. III, sent. 6. — [9] Id., *Synon.*, c. IX, post med. — [10] Ambr., *de Offic.*, lib. I, c. XLIII. — [11] Bern., *de Consider.*, lib. IV, non procul a princ. — [12] Ibid., ante med. — [13] Id., *Epist.* XXV, ante med. — [14] Id., *Epist.* XXVIII, post med. — [15] Id., *Epist.* XLIV, non longe a princ. — [16] Vid. sup., huj. lib. c. XIX, p. 192. — [17] Senec., *Epist.* VI, circa med.

(*a*) *Labb.* obstringuntur. — (*b*) *Item* et animam salvent, et opinioni non derogent.

Illos tecum admitte, quos tu poteris meliores facere. Mutuo ista fiunt; et homines, dum docent, discunt. »

CAPUT XXIII.

De Bonitate.

Gregorius, *super Ezechielem*[1] : « Omne bonum, quod agimus, per intentionem semper ad cœlestia levemus. » Idem[2] : « Hi veraciter boni sunt, qui in bonitate persistere etiam inter malos possunt. « Idem, in *Registro*[3] : « Quantum vos in bono profecistis, tantum bona etiam de alienis sentitis. » Idem : « Bona Deo accepta non sunt, quæ ante oculos ejus malorum admixtione maculantur. » Idem : « Bona quæ hominibus innotescunt, sine periculo vix esse possunt. » Idem, in *Dialogis*[4] : « Multa videntur bona, sed non sunt, quia bono animo non fiunt. » Idem[5] : « Vitæ vera æstimatio in virtute est operum, non in ostensione signorum. Nam sunt plerique, qui et signa non faciunt, signa tamen facientibus dispares non sunt. » Idem, *super Ezechielem* : « Bonum valde est quod justus tribuit, quando male agentibus libera voce contradicit. » Idem, in *Registro*[6] : « Bonarum mentium est, et ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est. » Idem[7] : « Vestrum sine dubio bonum facitis, si bona volentibus opem fertis. » Augustinus, *de Verbis Domini*[8] : « Potes aurum perdere et nolens, potes domum, potes honores, potes ipsam casu salutem; bonum vero, quo vere bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis. » Idem in epistola[9] : « Quis est in hac vita sine aliquo peccato? Sed eum dicimus bonum, cujus prævalent bona; illumque optimum, qui peccat minimum. » Idem, *de Natura Boni*[10] : « Et omne bonum a Deo est : omnis ergo natura a Deo est : » Idem[11] : « Omnia quanto magis moderata, speciosa, ordinata sunt, tanto magis bona sunt; quanto autem minus moderata, minus speciosa, minus ordinata sunt, minus bona sunt. » Idem, *de Virginitate*[12] : « Aliquando alter fructuosus est donis paucioribus, sed potioribus; alter inferioribus, sed pluribus. » Idem, *de Libero Arbitrio*[13] : « Bonum est aliquid homo : et melius quam pecus, ex eo quod præcepti capax : et hoc melius, cum præceptum jam cepit : rursum hoc melius, cum præcepto paruit : et his omnibus melius, cum æternæ lumine sapientiæ beatus est. » Joannes Chrysostomus, *de Militia Christiana*[14] : « Non agamus similem infidelibus vitam; sed a quibus fide discernimur, ab eorum studiis, etiam et moribus dividamur. » Idem in *Sermonibus*[15] : « Pietati hoc proprium est, ut in tenebris fulgeat; impietas autem, etsi in lumine fuerit, tenebrescit. » Bernardus, in epistola[16] : « Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult; et ubi incipis nolle fieri melior, ibi desinis etiam esse bonus. » Idem, *super Cantica*[17] : « Non mediocris titulus profecto virtutis, inter pravos vivere bonum, et inter malignantes innocentiæ retinere candorem et morum lenitatem. » Seneca, in epistola[18] : « Tranquillitas animi, et expulsis erroribus absoluta libertas, quæris quæ sit ista? Non homines timere; non turpia velle, nec nimia; in seipsum maximam habere potestatem : inæstimabile bonum est suum fieri. » Idem[19] : « Nulla sine Deo mens bona est. » Idem[20] : « Pars magna bonitatis est velle fieri bonum. » Idem : « Animus nunquam major est, quam ubi aliena seposuit, et fecit sibi pacem nihil timendo, fecit sibi divitias nihil concupiscendo. »

[1] Greg, *in Ezech.*, hom. IV, ante med. — [2] Id., *Moral.*, lib. XX, c. XXIX, post med. — [3] Id., *ad Anast. Ant.*, lib. VI, epist. XXIV, col. 1269. — [4] Id., *Dialog.*, lib I, c. X, ante med. — [5] Ibid., c. XII, circa med. — [6] Id., *ad Augustin.*, lib. XII, epist. XXXI, col. 1573. — [7] Id., *ad Virgil. et Syag.*, lib. VII, epist. CXIX, col. 1583. — [8] Aug., *de verb. Dom*, serm. XII. — [9] Id., *ad Maced.*, epist LIV, al. CLIII, n. 12. — [10] Id., *de Nat. Bon.*, c. XIX — [11] Ibid., c. III. — [12] Id., *de Virginit. sanct.*, c. XLIX. — [13] Id., *de Lib. Arb.*, lib. III, c. XXIV. — [14] Chrysostomus *de Milit. Christ.*, homil. — [15] Id., *de Cruc. et Latron.*, homil. — [16] Bern., epist. XCI, post med. — [17] Id., *in Cant.*, serm XLVIII, ante med. — [18] Senec., *Epist.* LXXV, ante med. — [19] Id., *Epist.* LXXIII, versus fin. — [20] Id., *Epist.* XXXIV.

CAPUT XXIV.

De Desiderio.

Gregorius, in *Moralibus*[1] : « Sæpe nostra desideria, quia celeriter non fiunt, exaudiuntur, et quod impleri concite petimus, ex ipsa melius tarditate prosperatur. » Idem[2] : « Valentiores voces, apud sacratissimas aures Dei, non faciunt verba nostra, sed desideria. » Idem[3] : « Differre solet omnipotens Deus desideria petentium, ut crescant; quatenus eo magis exaudiuntur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum. » Idem[4] : « Quisquis in solo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur : dum nil habet in mundo, quod appetat; nil est de mundo, quod pertimescat. » Idem, *super Ezechielem*[5] : « Vulnerata charitate ego sum. Mala salus est cordis, quæ dolorem hujus vulneris nescit. Cum vero anhelare in cœlesti desiderio jam et sentire vulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute. » Idem, in homilis[6] : « Sancta desideria dilatione crescunt. Si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. » Idem[7] : « Augent spirituales deliciæ desiderium in mente, dum satiant; quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod avidius ametur. » Idem[8] : « Habere hic possunt et justi bona, nec tamen hæc in recompensatione recipere : quia dum meliora, id est, æterna appetunt; eorum judicio, quælibet bona affuerint, cum sanctis desideriis æstuant, bona minime videntur. » Augustinus in epistola[9] : « Quod dicit Apostolus[10] : *Sine intermissione orate*, quid est aliud quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo, qui illam dare solus potest, sine intermissione desiderare? Semper hanc a Domino Deo desideremus, et semper oremus. » Idem[11] : « Tanto illius, quod valde magnum est; quod nec oculus vidit; quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis illud debet ascendere, sumus capaciores, quanto id, quod fidelius credimus, et speramus firmius, et desideramus ardentius. » Idem[12] : « Diu orare cum vacat, id est, cum alia bonarum et necessariarum actionum non impediunt officia, quamvis et in eis desiderio semper orandum sit, non est improbum nec inutile. Neque enim ut nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. » Idem[13] : « Hierusalem futuram desideramus utique : et quanto impatientius desideramus ipsam, tanto patientius sustinemus omnia propter ipsam. » Idem, *de Patientia*[14] : «Vis desideriorum facit tolerantiam laborum et dolorum : et nemo, nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. » Idem, *de Pœnitentia*[15] : « Nemo vitam æternam incorruptibilem immortalemque desiderat, nisi eum hujus vitæ temporalis, corruptibilis mortalisque pœniteat. » Idem, in *Meditationibus*[6] : « Quando venies, consolator meus quem expecto? o si quando videbo gaudium meum, quod desidero! o si satiabor, cum apparuerit gloria ejus (*a*), quam esurio! o si inebriabor ab ubertate domus tuæ, ad quam suspiro! » Idem, *de Verbis Domini* : « Servat tibi Deus quod non vult cito dare, ut et tu discas magna magne desiderare. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem* : « Sicut ex otio desidia gignitur, ita ex actione desiderium generatur. » Bernardus, *super Cantica*[7] : « Accepi, fateor, meritis potiora, sed prorsus inferiora votis. » Idem[16] : « Subtractio rei, quam amas, augmentatio desiderii est; et quod ardentius desideras,

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXVI, c. XV, non longe a princ. — [2] Ibid., lib. XXII, c. XIII, ante med. — [3] Ibid., lib. XX, c. XXII, circa fin. — [4] Ibid., lib. X, c. XII, post med. — [5] Id., *in Ezech.*, hom. XV, longe ante med. — [6] Id., *in Evang.*, hom. XXV, longe aute med. — [7] Ibid., hom. XXXVI, non longe a princ. — [8] Ibid, hom. XL, aute med. — [9] Aug., *ad Prob.*, epist. CXXI, al. CXXX, n. 18. — [10] I *Thess.*, V, 17. — [11] Aug., epist. cit., c. VIII. — [12] Ibid., c. XX. — [13] Id., *ad Paulin.*, epist. XXXII, al. XXVII, n. 1.— [14] Id. *de Patient.*, c. IV. — [5] Est apud eumd., hom. L, al. CCCLI, n. 3 — [16] *Medit.*, c. XLI, apud Aug., Append. tom. VI. — [7] Bern., *in Cant.*, serm. IX, circa princ.— [18] Ibid., serm. LI, prope princ. — (*a*) *Leg.* tua.

cares ægrius. » Idem[1] : « Oportet ut sancti desiderii ardor præveniat faciem Dei ad omnem animam, ad quam est ipse venturus; qui omnem consumat rubiginem vitiorum, et sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima quam juxta est Dominus, cum se senserit igne illo succensam. » Idem, super illud[2] : *Nolite me considerare*, etc. : « Urentis solis instar, » etc., supra, lib. III, *de Dilatione*[3]. Idem[4] : « *Modicum, et non videbitis me*[5]. O modicum longum, pie Domine! Modicum dicis, quod non videmus te. Salvum sit verbum Domini mei, longum est et multum valde : verumtamen utrumque verum, et modicum meritis, et longum votis. » Idem, in epistola[6] : « Sicut fides ducit ad plenam cognitionem, sic desiderium ad perfectam dilectionem. Sicut dicitur[7] : *Nisi credideritis, non intelligetis* (*a*); sic dici æque non absurde potest : Si non desideraveritis, non perfecte amabitis. » Auctor *de Spiritu et Anima*[8] : « Anima, per odium mundi et sui, proficit in amorem Dei et proximi; et per contemptum temporalium et inferiorum, crescit in desiderium æternorum et superiorum. » Glossa[9] : « Desiderium est orare; nec unquam desinit orare, qui non desinit amare. Charitas enim clamor est. »

CAPUT XXV.

De Fervore.

Gregorius, in *Moralibus*[10] : « Sæpe electorum conversio plus finiendo peragit, quam inchoando proponit : et si tepidius (*b*) prima inchoat, ferventius extrema consummat; videlicet semper inchoare se æstimat, et idcirco infatigabiliter in novitate perdurat. » Idem[11] : « Ili quos fortasse despicimus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. » Idem, *super Ezechielem* : « Mens in qua anima per amorem invisibili sponso jungitur (*c*), nullam præsentis sæculi consolationem recipit (*d*); sed ad illam, quam diligit, medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur; vilis ei fit salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris. » Idem : « Nisi mentis intentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam semper anima ad ima revocatur. » Idem : « Esse nobis, » etc., supra, lib. III, *de Morte*[12]. Idem : « Tanto hostis, » etc., supra, lib. I, *de Dæmonibus*[13]. Augustinus : « Tanto illius, » etc., supra, *de Desiderio*[14]. Idem : « Absit ab oratione, » etc., supra, lib. II, *de Oratione accepta*[15]. Bernardus, *super Cantica*[16] : « Virtus discretionis absque charitatis fervore jacet; et fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. » Idem : « Fervorem novitiorum, » etc., supra, lib. I, *de Novitiis*[17]. Idem in *Sermonibus*,[18] : Si quis devotus, si quis sollicitus est, si quis spiritu fervens, caveat sibi, ne suis fidat meritis, ne suis operibus innitatur : alioquin nec hujusmodi animum intrat gratia, nimirumqui plenus est, nec in eo jam invenit gratia locum sibi. » Idem[19] : « Opera nostra in fervore agenda sunt et desiderio cordis, ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris. » Idem, *de Contemptu* : « Tu si videris hominem in bonis operibus strenuum, et fervore conversationis hilarem, vivere in eo fidem ne dubites, indubia tenens vitæ illius argumenta; sed nonnulli, cum spiritu cœperint, heu! carne consummantur. » Idem[20] : « Ut vigoris esse dignoscitur nequaquam cedere tribulationi, sed pro justitia tribulationem sustinere; sic fervori vi-

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XXXI, ante med. — [2] *Cant.*, I, 6. — [3] Vid. sup., lib. III, c. XV, p. 142. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. LXXIV, ante med. — [5] *Joan.*, XVI, 16. — [6] Bern., epist. XVIII, circa med. — [7] *Isa.*, VII, 9, juxta LXX. — [8] *De Spir. et Anim.*, c. IV, apud Aug., app. tom. VI. — [9] Gloss. *in Psal.* XXXVII. — [10] Greg. *Moral.*, lib. XIX, c. XVI. — [11] Ibid., lib. V, c. VIII, circa med. — [12] Vid. sup., lib. III, c. XLVIII, p. 168-169. — [13] Vid. sup, lib. I, c. L, p. 63. — [14] Vid. cap. præc., p. 197. — [15] Vid. sup., lib. II, c. XLV, p. 117. — [16] Bern., *in Cant.*, serm. XXIII, circa med. — [17] Vid. sup., lib. I, c. XXIX, p. 43. — [18] Bern., *in Annunt. Dom.*, serm. III, prope fin. — [19] Id., *in Purif. B. Mar.*, serm. II, circa med. — [20] Id., super *Ecce nos reliq.*, ante med.

(*a*) *Vulg.* non permanebitis. — (*b*) *Cæt. edit.* tepidus. — (*c*) *Item* injungitur. — (*d*) *It.* recepit.

detur attribuendum, nullis capi voluptatibus, nullis illecebris enervari. »

CAPUT XXVI.

De Meditatione.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : « Solerter animus ante actionis suæ primordia cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, et quidquid acciderit providus superet, et quidquid non accesserit lucrum putet. » Idem [2] : « Vita nostra, dum lacrymis lavatur, dum bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur. » Idem, in *Registro* [3] : « Stude, quæso, et quotidie Creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires, ut mens tua ad cœlestia gaudia majoribus desideriis accendatur. Tanto enim tunc major ei erit requies, quanto modo ab amore Conditoris sui requies nulla fuerit. » Idem, in *Homiliis* [4] : « Meditetur mens in proximo quod exhibeat Deo, ut perfecte mereamur in Deo gaudere cum proximo. » Isidorus, *de Summo Bono* [5] : « Omnis profectus ex lectione et meditatione procedit : quæ enim nescimus, ex lectione discimus, meditationibus conservamus. » Idem, in *Etymologiis* [6] ; « Philosophia est meditatio mortis : quod magis convenit Christianis, qui sæculi ambitione calcata, conversatione disciplinabili, similitudine futuræ vitæ vivunt. » Augustinus, *de Meditationibus* [7] : « Quanto magis homo mala sua intelligit, tanto amplius suspirat et gemit. Meditatio siquidem parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio commendat orationem. » Idem : « Considera, o homo, quid tibi erat, et quid tibi factum sit ; et pensa, qui tibi hoc fecit, quanto amore dignus sit. » Idem, *de Virginitate* [8] : « Virginalis integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fecunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis. » Idem, *de Conflictu* [9] : « Avaritiæ morbus nunquam melius compescitur, nisi cum dies mortis sine oblivione meditatur. » Basilius, in *Regula* : « Tunc aviditate cœlesti anima flagrans Christi amori copulatur, cum, in terris degens, de cœlestibus et supernis jugiter meditatur. » Bernardus, *super Cantica* [10] : « Quid tam efficax ad curandum conscientiæ vulnera, nec non ad purgandum mentis aciem, quam vulnerum Christi sedula meditatio ? » Idem, in epistola [11] : « Vigilias times, et jejunia, manuumque laborem; sed hæc levia sunt meditanti flammas perpetuas. Recordatio deinde tenebrarum exteriorum (*a*) facit non horrere solitudinem (*b*); si futuram cogitas de verbis otiosis discussionem, non valde displicebit silentium : flatus æternus, et stridor ille dentium ante cordis oculos reductus, pares tibi reddet et mattam et culcitram. » Idem [12] : « Juge silentium, et ab omni strepitu sæcularium perpetua quies, cogit cœlestia meditari. » Glossa [13] : « *Egredimini*, etc. Non debemus in desideriis carnis mollescere, et segnes in bono esse, sed in meditatione legis et exercitio virtutum strenui. » Auctor *de Spiritu et Anima :* « Meditatio siquidem parit scientiam, » etc., supra, in eodem. Idem [14] : « Meditatio est occultæ veritatis studiosa investigatio, et contemplatio est perspicuæ veritatis jucunda admiratio. Illam itaque divina revelatio illuminat, ut veritatem cognoscat : istam divi-

[1] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XXXI, post med. — [2] Ibid., lib. XIX, c. XXVI, post med. — [3] Id., *ad Theod. med.*, lib. IV, epist. XL, col. 1195. — [4] Id., *in Evang.*, hom. XXX, circa fin. — [5] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. VIII, sent. 3. — [6] Id., *Etymol.*, lib. II, c. XXV, circa med. — [7] *De Spir. et Anim.*, c. XLIX et L, apud Aug., append. tom. VI. — [8] Id. *de Virginit. sanct.*, c. XIII. — [9] *De Conflict. virt. et vit.*, c. XVI, apud Aug., App. tom. VI. — [10] Bern., *in Cant.*, serm. LXXII, post med. — [11] Id., *ad Robert. nep.*, epist. V, post med. — [12] Id., *ad Sug. abb.*, epist. LXXVIII, ante med. — [13] Gloss. *in Jerem.*, LI, 45. — [14] *De Spir. et Anim.*, c. XXXII apud Aug., append. tom. VI.

(*a*) *Cæt. edit.* exterior. — (*b*) *Item* solicitudinem.

na inspiratio inflammat, ut eam diligat. » Seneca, in *Epistola* : « Nihil est tam difficile et arduum, quod humana mens non vincat, et in familiaritatem perducat assidua meditatio. » Idem : « Hoc quotidie meditare, ut possis æquo animo vitam relinquere. »

CAPUT XXVII.

De Ascensione spirituali.

Gregorius, in *Homiliis* [1] : « In cunctis, quæ agitis, radicem boni operis humilitatem tenete; nec quibus jam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis aspicite; ut dum meliora vobis exempla propositis, ad majora semper ascendere ex humilitate valeatis. » Idem, in *Registro* [2] : « Tanto verius intus ascenderem, quanto per convallem lacrymarum foris humilius jacerem : at nunc multum me deprimit honor onerosus. » Isidorus, *de Summo Bono* [3] : « Qui prius in activa proficit, ad contemplationem bene ascendit : merito enim ista sustollitur, qui in illa utilis invenietur. » Bernardus, in *Epistola* [4] : « Multo facilius reperies multos sæculares converti ad bonum, quam unumquempiam de religiosis transire ad melius : rarissima avis in terris est, qui de gradu quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendat. » Idem : « Qui ascensiones in corde suo disponunt, qui de virtute in virtutem eunt, videre Deum Deorum in Sion eo facilius merentur in retributione, quo summo bono familiarius adhærere studuerunt, puriori conversationis ordine. » Idem [5] : « Aut ascendas necesse est, aut descendas : si attentas stare, ruas necesse est. » Idem : « Ab exterioribus, » etc., supra, lib. II, *de Intelligentia* [6]. Idem, *de Amore Dei* [7] : « Cogitationes, intentiones, voluntates, affectiones, et omnia interiora mea, venite, ascendamus in montem, ubi Dominus videt, vel videtur. Curæ, sollicitudines, anxietates, pœnæ, servitutes, expectate me hic cum asino corpore isto, donec ego cum puero, ratio scilicet cum intelligentia, usque illuc properantes, revertamur ad vos. Revertemur enim, et, heu ! revertemur quam cito. » Idem, in *Sermonibus* [8] : « *Scienti legem, et non facienti, peccatum est illi* [9] : propterea sciens quia in oratione datur bona voluntas, cum videris quæ agenda sunt, ut convalescas ad agendum quæ videris, ascende tu ad orationem, ora instanter, ora perseveranter. » Idem [10] : « Sub te sit appetitus tuus, et tu domineris illius. Nam ut in cœlum ascendas, prius necesse est levare te super te, carnalia calcando desideria, quæ in te militant adversum te. » Idem [11] : « Perseverate in disciplina quam suscepistis, ut per humilitatem ad sublimitatem ascendatis; quia hæc est via, et non est alia præter ipsam; qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit, quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam. » Auctor *de Spiritu et Anima* [12] : « Quia bona exteriora diu stare non possunt, jussus est homo ab exterioribus ad superiora ascendere : tantæ enim dignitatis est humana conditio, ut nullum bonum præter summum ei sufficere possit. » Idem [13] : « Qui interius intrans, et intrinsecus penetrans, seipsum transcendit, ille veraciter ad Deum ascendit. » Anselmus, *de Similitudinibus* [14] : « Tria necessaria sunt ascendenti; innocentia, beneficium, prælatio. Innocentia talis esse debet, ut nulli noceat; beneficium, ut omnibus prosit : prælatio, ut se omnibus inferiorem judicet. Unde Apostolus [15] : « *In humilitate superiores invicem arbitrantes.* Hæc tria debet unusquisque aliis impendere, et nihil horum sibi fieri ex debito exigere. » Idem [16] : « Alterius virtutem, non vitium ;

[1] Greg., *in Evang*, hom. VIII, in fin. — [2] Id., lib. VII, epist. CXXVI, *ad Leand. Hispal.*, col. 1387. — [3] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XV, sent. 3. — [4] Bern., epist. XCVI. — [5] Id., epist. XCI, post. med. — [6] Vid. sup., lib. II, c. XXIX, p. 101. — [7] Bern., *de Amore Dei*, c. I, in princ. — [8] Id., *in Ascens. Dom.*, serm. IV, post med. — [9] *Jac.*, IV, 17. — [10] Bern., serm. cit. — [11] Id., serm. II, post med. — [12] *De Spir. et Anim.*, c. XIV, apud Augustin., append. tom. VI. — [13] Ibid., paulo post. — [14] Anselm., *de Similit.*, c. CXVI. — [15] *Philip*, II, 3. — [16] Anselm., lib. cit., c. CX.

suumque vitium, non virtutem attendere debet, quisquis ad culmen humilitatis ascendere studet. »

CAPUT XXVIII.

De Contemplatione.

Gregorius, *super Ezechielem* [1] : « Contemplativa vita est, charitatem quidem Dei et proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quiescere, soli desiderio Conditoris inhærere : ut nihil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat : ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere. » Idem [2] : « Primus contemplationis gradus est, ut mens se ad se colligat; secundus, ut videat, qualis est collecta; tertius, ut super semetipsam surgat, ac se contemplationi auctoris invisibilis intendendo subjiciat. Sed se ad se nullo modo colligit, nisi prius didicerit terrenarum atque cœlestium imaginum phantasmata ab oculis mentis compescere, quidquid de visu, quidquid de auditu, quidquid de odoratu, quidquid de tactu et gustu corporeo cogitationi ejus occurrerit, respuere atque calcare; et se talem quærat intus, qualis sine istis est. » Isidorus : « Sancti viri funditus, » etc., supra, *de Religiosis bonis*, lib. I [3]. Bernardus, *de Consideratione* [4] : « Potest contemplatio diffiniri : Verus intuitus animi de quacumque re, seu apprehensio veri non dubia. » Idem [5] : « Contemplationis species quatuor sunt. Prima et maxima contemplatio est admiratio divinæ majestatis. Hæc requirit cor purgatum, ut a vitiis liberum, atque exoneratum peccatis, facile ad superna levet, interdum quoque per aliquas morulas stupore et ecstasi suspensum teneat admirantem. Secunda autem necessaria est huic : est enim intuens judicia Dei, quo sane pavido aspectu dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat sapientiam, humilitatem servat. Virtutum siquidem bonum quoddam et stabile fundamentum, humilitas nempe, si nutet, illa virtutum aggregatio non nisi ruina est. Tertia contemplatio occupatur vel potius otiatur circa memoriam beneficiorum; et ne dimittat ingratum, sollicitat amantem ad amorem benefactoris. De talibus dicit Propheta [6] : « *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.* Quarta, quæ retro sunt obliviscens in sola requiescit expectatione promissorum, quæ cum sit meditatio æternitatis, siquidem quæ promittuntur æterna sunt, longanimitatem animi, et perseverantiæ dat vigorem. Puto, jam facile est quatuor nostra hæc illis quatuor Apostoli [7] assignare : dum *longitudinem* comprehendit meditatio promissorum; *latitudinem*, recordatio beneficiorum; *sublimitatem*, contemplatio majestatis; *profundum*, inspectio judiciorum. » Idem, in *Meditationibus* : « Viscus contemplationis est amor possessionum, affectus cognationis, cupiditas honoris et voluptas carnis : quibus anima inviscatur et irretitur, ut non pennis contemplationis per plateas supernæ Sion discurrere possit. » Idem, *super Cantica* [8] : « Excedente anima, et si non vita, certe vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur. *Quis* ergo [9] *dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam?* Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis! » Seneca in *Epistola* [10] : « Quantum potes, propera, quo (*a*) diutius frui emendato animo et composito possis : frueris quidem, dum emendas, etiam dum componis; alia tamen illa voluptas est, quæ percipitur a contempla-

[1] Greg., *in Ezech.*, hom. XIV circa med. — [2] Ibid., hom. XVII, ante med. — [3] Vid. sup., lib. I, c. XXVII, p. 40. — [4] Bern., *de Consideratione*, lib. II, ante med. — [5] Ibid., lib. V, prope fin. — [6] *Psal.* CXLIV, 7. — [7] *Ephes.*, III, 18. — [8] Bern., *in Cant.*, serm. LII, circa med. — [9] *Psal.* LIV, 7. — [10] Senec., *Epist.* IV, in princ.

(*a*) *Cæt. edit.* quod.

tione mentis ab omni labe puræ et splendidæ. » Idem [1] : « Subsilire in cœlum ex angulo licet : exsurge modo, et te quoque dignum Deo finges, et non auro, non argento : non potest ex hac materia imago Deo exprimi similis.

CAPUT XXIX.

De Gustu.

Gregorius, in *Moralibus* [2] : « Superiora amare, jam sursum ire est : dumque magno desiderio mens ad cœlestia inhiat, miro modo hoc ipsum, quod accipere quærit, degustat. » Idem, *super Ezechielem* [3] : « Dulce est esse in rebus humanis, sed ei qui adhuc de cœlestibus gaudia nulla gustavit : quia quanto minus æterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requiescit. » Idem [4] : « Si quis jam cordis ore gustaverit quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum, qui illi hymnidici chori angelorum, quæ incomprehensibilis visio Trinitatis; huic quanto illud dulce fit quod intus videt, tanto in amaritudinem vertitur omne, quod foris sustinet. » Idem [5] : « Contemplativa major est quam activa : quia hæc in usu præsentis operis laborat; illa vero sapore intimo venturam jam requiem degustat. » Augustinus, in *Sermone* : « Cætera creatura vilescat, ut Creator in corde dulcescat. » Idem, de *Meditationibus* : « Fac, precor, me, Domine, gustare per amorem, quod gusto per agnitionem : sentiam per affectum, quod sentio per intellectum : plus tibi debeo, quam meipsum totum. Sed nec plus habeo, sed nec hoc ipsum per me totum possum reddere : trahe, Domine, in amorem tuum vel hoc ipsum quod sum. » Idem, *de Vera Religione* : « Quandiu sumus in corpore et peregrinamur a Domino, gustemus saltem quam suavis est Dominus, qui dedit nobis pignus spiritus, in quo sentiamus ejus dulcedinem, et desideremus ipsum vitæ fontem : ubi sobria ebrietate inundemur et irrigemur [6] *sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.* » Idem : « Tu qui veram, » etc., supra, *de Tranquillitate* [7]. Auctor *de Spiritu et Anima :* « Hæc est requies cordis nostri, cum in Dei amore per desiderium figitur : hæc est vita cordis nostri, cum Deum suum contemplatur, et ipsa sua contemplatione suaviter reficitur. » Idem [8] : « Anima prius sanatur, sanata introducitur, introducta reficitur. » Idem [9] : « Mentis visio est intelligentia, gustus sapientia : illa contemplatur, ista delectatur. » Bernardus, *de Duodecim Gradibus* [10] : « Primus cibus est humilitatis, purgatorius cum amaritudine. Secundus charitatis, consolatorius cum dulcedine. Tertius contemplationis, solidus cum fortitudine. » Idem, *de Diligendo Deo* [11] : « Ex occasione frequentium necessitatum, crebris necesse est interpellationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari, quoniam suavis est Dominus. » Idem, *de Amore Dei* [12] : « Stans in domo solitudinis, quasi onager solitarius, et habitaculum habens in terra salsuginis, et attrahens ventum amoris mei, os meum aperio ad te, Domine, et attraho spiritum. Et nonnunquam, Domine, quasi clausis oculis ad te inhianti, mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidem sentio, dulcedinem adeo confortantem, ut si perficeretur in me, nihil ultra quærerem. » Idem, *super Cantica* [13] : « Si quem forte nostrum aliqua hora sic rapi, et sic abscondi contigerit, ut minime avocet, aut perturbet, aut sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel certe ea quæ difficilius amoventur irruentia imaginationum corporearum phantasmata, poterit quidem hic, cum ad nos redierit, glo-

[1] Senec., *Epist.* XXXI, prope fin. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XV, c. XXVII, in fin.— [3] Id., *in Ezech.*, hom. X, longe post med. — [4] Ibid.— [5] Ibid., hom. III, longe ante med. — [6] *Psal.* I, 2. — [7] Vid. sup., huj. lib. c. II, p. 174.— [8] *de Spir. et Anima.*, c. XI, apud Aug., append. tom. VI. — [9] Ibid., c. XI. — [10] Bern., *de duod. grad. Humilit.*, ante med. — [11] Id., *de dilig. Deo*, post med. — [12] Id., *de Amore Dei*, circa med. — [13] Id., *in Cant.*, serm. XXIII, versus fin.

riari et dicere[1] : *Introduxit me rex in cubiculum suum* (*a*). » Idem[2] : « *A mandatis tuis intellexi*, inquit[3], ut scias, nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum penitus non deberi. Non ergo putes de proprio amore quietis, sanctæ obedientiæ actibus, seniorumve traditionibus præjudicium ullatenus faciendum. » Idem, in *Epistola*[4] : « *Funes ceciderunt mihi in præclaris*[5], cœlestisque *hereditas præclara est mihi;* et terrena adulatur promissio, blanditur consolatio carnis; gustato spiritu, necesse est desipere carnem : affectanti cœlestia, terrena non sapiunt : æternis inhianti, fastidio sunt transitoria. » Idem, in *Sermone*[6] : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*[7]. Quid aliud est hæc consolatio, quam procedens de spe veniæ gratia devotionis, et suavissima delectatio boni, et gustus sapientiæ licet exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam ? At gustus ille nihil aliud est, quam irritamentum desiderii, et incentivum amoris, sicut scriptum est[8] : *Qui edunt me, adhuc esurient* , » etc. Idem : « Ubi sane in spirituali, » etc., supra, *de Proficientibus*, lib. I[9]. Seneca, in *Epistola*[10] :« Tunc animus noster habebit quo gratuletur sibi, cum emissus his tenebris in quibus volutatur, non tenui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit, et redditus cœlo suo fuerit : cum receperit locum, quem occupavit sorte nascendi sursum. Illum vocant initia sua; erit autem illic etiam antequam hac custodia exsolvatur, cum vitia devicerit, purusque ac levis in cogitationes divinas emicuerit. » Idem : « Philosophia animum a terrenis admittit ad divina; hæc libertas ejus est, hæc evagatio subducit interim se custodiæ in qua tenetur, et cœlo reficitur. »

CAPUT XXX.

De Consolatione.

Gregorius, in *Registro*[11] : « In summa tribulatione positis, sola est consolatio misericordia Creatoris. » Idem[12] :« In Dei causis occupatus, consolatione fulciri debet, non amaritudine deprimi. » Idem : « Est mihi, bone vir, hoc ex Dei munere in magna consolatione, quod opus sanctum, quod in me non habeo, diligo in te. » Idem[13]: « Facilis erit consolatio, si inter flagella quæ patimur, quæcumque (*b*) fecimus ad memoriam delicta revocamus, atque hæc non flagella, sed dona cognoscimus (*c*). » Idem, de quodam episcopo : « Valde contristabar, quod de illo quædam superba cognoveram; sed quia mores suos ipse correxit, meam tristitiam, simul meipsum vincendo, consolatus sum. » Idem, in *Moralibus*[14] :« Magna consolatio in rerum amissione est, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos contigit res, quas perdidimus, non habuisse. » Idem[15] : « Magna est consolatio in eo quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui non nisi justum placet. » Idem[16] : « Laborantem consolari, est pariter in labore persistere, quia sublevatio laboris est visio collaborantis. » Idem[17] : « Minus tentat probatio, quam remuneratio consolatur. » Idem : « Gravis mœror, » etc., infra, *de Dolore*[18]. Idem[19] : « Festina consolatio bonorum, est consideratio finis malorum : quia dum ex eorum interitu conspiciunt malum quod evadunt, leve æstimant quidquid in hac vita patiuntur adversum. » Idem, in *Pastorali*[20] : « Non flendo flere, est sic exteriora adversa plangere, ut tamen mens noverit de æternæ spei consolatione gaudere. » Isidorus, *de Summo Bo-*

[1] *Cant.*, I, 3. — [2] Bern., ibid., serm. XL, ante med. — [3] *Psal.* CXVIII, 104. — [4] Bern., *Epist.* CXI, post med. — [5] *Psal.* XV, 6. — [6] Bern., *in fest. Omn. Sanct.*, serm. I, post med. — [7] *Matth.*, V, 5. — [8] *Eccli.*, XXIV, 29. — [9] Vid. sup., lib. I, c. XXXIV, p. 48. — [10] Senec., *Epist.* LXXIX, post med. — [11] Greg., lib. VIII, epist. XXXI, *ad Libertin. expræf.*, col. 1410. — [12] Id., lib. XII, epist. XXX, *ad Petr. subd.*, col. 1566. — [13] Id., lib. VII, epist. CXXVI *ad Leand. Hispal.*, col. 1388. — [14] Id., *Moral.*, lib. II, c. XII. — [15] Ibid., c. XIII. — [16] Ibid., lib. V, c. V, non longe a princ. — [17] Ibid., lib. XXXV, c. VIII. — [18] Vid. inf., c. XLII. — [19] Greg., *Moral.*, lib. XXI, c. IV, in princ. — [20] Id., *Pastor.*, p. III, c. I, admon. 28, ante med.— (*a*) Vulg. *cellaria sua.* — (*b*) *Cæt. edit.* quæque fecimus, quæque. — (*c*) *Al.* esse conspicimus.

no [1] : « Qui vitæ futuræ præmia diligenter excogitat, mala omnia vitæ præsentis æquanimiter portat, quoniam, ex illius dulcedine, hujus amaritudinem temperat. » Idem, in *Synonymis* [2] : « Intende miserias eorum, quibus acerbe aliquid accidit : dum aliena pericula memoras, mitius tua portas; aliorum enim exempla dolorem relevant; alienis malis facilius consolatur homo. » Ambrosius, *de Viduis* [3] : « Paratus est mœstitudini animæ fletus : oculorum miseriam conciliat, laborem minuit, dolorem alleviat, pudorem servat, nec jam miseria sibi videtur, quæ consolationem in lacrymis habet. » Bernardus, super *Qui habitat* [4] : « In quo horum omnium speras solatii aliquid, vel auxilii invenire? Si quæras intra te, aruit cor tuum, et oblivioni datum te reperis tanquam mortuum a corde ; si infra te, corpus quod corrumpitur, aggravat animam ; si circa te, terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Quære ergo supra te ; sed cautus esto ventosa agmina transilire. » Idem, *de Contemptu* [5] : « Pretiosa divina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. » Idem, in *Sermonibus* [6] : « Mentior, quod ad consolationem vestram dico, si non, ex manibus hujus peccatoris, monachorum novitiorum et conversorum animæ ad cœlorum gaudia volaverunt tam libere, quam liberatæ de carcere nostræ mortalitatis. » Idem : « *Beati, qui lugent,* » etc., supra, *de Gustu* [7].

CAPUT XXXI.

De Regratiatione.

Gregorius, in *Registro* [8] : « Rectæ mentis est, Deum non solum in prosperis benedicere, sed etiam in adversitatibus collaudare. » Idem ad Episcopum exponentem grammaticam [9] : « In uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt. » Augustinus, in Enchiridio (*a*) [10] : « *Misericordiam et judicium cantabo, tibi Domine* [11], quia nisi per indebitam misericordiam nemo liberatur, et nisi per debitum judicium nemo condemnatur. » Idem, *de Verbis Domini :* « Felix sit mundus, evertatur mundus; benedicam Dominum, qui fecit mundum : secundum carnem bene sit, secundum carnem male sit; benedicam Dominum in omni tempore. » Idem : « Hæc in unoquoque, » etc., supra, lib. II, *de Justitia* [12]. Idem, in *Epistola* [13] : « Qui est orandus ut faciat, illi est actio gratiarum reddenda, cum fecerit. » Idem [14] : « Ex his quæ habes, gratias age Deo, tanquam fonti bonitatis, unde habes; atque in omnibus bonis actibus tuis illi da claritatem, tibi autem humilitatem. » Idem, *de Confessionibus* [15] : « Tu, Domine, excitas, ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. » Idem, *de Spiritu et Littera* [16] : « Illa est sapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur [17] *Pater luminum,* a quo est *omne datum optimum et omne donum perfectum* : colitur autem sacrificio laudis actionisque gratiarum, et cultor ejus non in semetipso, sed in illo glorietur. » Idem, *de Meditationibus :* « Gratias agamus de acceptis ; et quod nondum accepimus, eo ipso quod de acceptis ingrati non sumus, nos accepturos esse confidamus. » Idem, *de Catechizandis Rudibus* [18] : « Quidquid homo fecerit, laudabilem in suis factis invenit Deum. Si recte egerit, laudabilem invenit per justitiam præmiorum; si peccaverit, laudabilem invenit per justitiam suppliciorum ; si peccata confessus ad recte vivendum redierit, lau-

[1] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. LXII, sent. 5. — [2] Id., *Synon.*, c. I, ante med. — [3] Ambros., *de Viduis*, n. 36. — [4] Bern., in Psal. *Qui habitat*, serm. XVI, post med. — [5] Id., super *Ecce nos reliquimus*, post med. — [6] Id., *de Quadrupl. Deb.*, ante med. — [7] Vid., c. præc., p. 203. — [8] Greg., lib. VIII, epist. XXXI, *ad Libertin. expræf.*, col. 1410. — [9] Id , lib. IX, c. XLVIII, *ad Desid. episc.*, col. 1463. — [10] Aug., *Enchirid.*, c. XCIV. — [11] *Psal.* C, I. — [12] Vid. sup., lib. II, c. XLII, p. 113. — [13] Aug., *ad Vital.*, epist. CVII, al. CCXVII, n. 29, quod sensum. — [14] Id., *ad Bonif.*, epist. CCV, al. CLXXXIX, n. 8. — [15] Id., *Conf.*, lib. I, c. I. — [16] Id., *de Spir. et Litt.*, c. XIV. — [17] *Jac.*, I, 17. — [18] Aug., *de Catech. Rudib.*, c. XXXVIII.

(*a*) Cæt. edit. *Enchiridione.*

dabilem invenit per misericordiam indulgentiarum. » Hieronymus, in *Epistola* [1] : « Cum psalmum dicis, cujus verba loqueris, agnosce : et in compunctione magis animi, quam in tinnulæ vocis dulcedine delectare ; lacrymas psallentis Deus magis, quam vocis gratia comprobat. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem* : « Glorificemus Deum, et per fidem, et per opera : nulla enim utilitas nobis in salutem dogmatum sanorum, corrupta nobis vita. » Idem : « Rapuit ille, gratias egisti tu pro injustitia ? et glorificasti Deum, et finitas per gratiarum actiones multas fructificasti mercedes. » Bernardus, *super Cantica* [2] : « Nil aliud, dum psallitis, quem quod psallitis, cogitetis : nec solas dico vitandas cogitationes vanas et otiosas, vitandæ sunt et illæ duntaxat, illa hora, et illo loco, quas officiales fratres, pro communi necessitate, quasi necessario frequenter admittere compelluntur : sed ne illa quidem profecto recipere consuluerim, quæ forte paulo ante in codicibus legeratis. » Idem [3] : « Moneo vos, dilectissimi, pure ac strenue divinis interesse laudibus : strenue quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis ; non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus, muliebre quiddam balba de nare sonantes ; sed virili, ut dignum est, sonitu et affectu voces sancti Spiritus depromentes. » Idem [4] : « Disce, in referendo gratias, non esse tardus, aut segnis : disce ad singula dona gratias agere : *Diligenter*, inquit [5], *considera*, *quæ tibi apponuntur*, ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla : denique jubemur [6] colligere fragmenta, ne pereant. » Idem [7] : « Omnis de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis, referatur ad ipsum laus, laudabilium siquidem universorum auctorem et largitorem ; idque non ficte, quemadmodum ab hypocritis, nec sola consuetudine, sicut a sæcularibus, sed nec necessitate quidem, ut jumenta ferendis oneribus applicantur : sed, sicut decet sanctos, sinceritate fida, devotione sollicita, hilaritate grata, non tamen dissoluta. » Idem [8] : « Immolantes hostias laudis, et reddentes vota nostra de die in diem, curemus omni vigilantia jungere sensum usui, affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi, humilitatem gravitati, libertatem humilitati, quo interim liberis purgatæ mentis passibus procedamus, et excedamus per inusitatas quasdam affectiones, spiritales lætitias, invisibiles amœnitates in lumine Dei, in suavitate, in Spiritu sancto. » Idem : « In quotidianis exercitiis et bellis, quæ nulla hora pie in Christo viventibus desunt a carne, a mundo, a diabolo, sicut militiam vitam hominis esse super terram incessanter experimini in vobismetipsis, quotidiana necesse est cantica pro assecutis victoriis immolari. » Idem, in *Sermonibus* : « Non tantum verbo, et lingua, sed opere, et veritate, exhibeamus nos non ingratos : non enim gratiarum dictionem, sed gratiarum actionem exigit a nobis Dominus Deus noster. » Idem [9] : « Oportet hominem gratiosum et devotum esse : quia libenter dona multiplicantur, si priora bene salva videntur. »

CAPUT XXXII.

De Lectione.

Gregorius, in *Registro* [10] : « Si ad consolationem nostram sacra Scriptura parata est, tanto magis debemus legere, quanto nos conspicimus sub tribulationum fasce lassari. » Idem [11] : « Idcirco pictura in ecclesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, sal-

[1] Hieron., *ad Maur. fil.*, epist. XIV, non longe a fin. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. XLVII, prope fin. — [3] Ibid., paulo ante. — [4] Ibid., serm. LI, post med. — [5] *Prov.*, XXIII, 1.— [6] *Joan.*, VI, 12. — [7] Bern., *in Cant.*, serm. XIII post med.— [8] Ibid., conseq. — [9] Id., *de Evang. sept. pan.*, ante med. — [10] Greg., lib. II, p. I, epist. XXXVII, *ad Natal. Solon.*, col. 1096. — [11] Id., lib. IX, epist. IX, *ad Seren. Massil.*, col. 1437.

(a) Vulg. *attende quæ apposita sunt tibi.*

tem in parietibus videndo, legant, quæ legere in codicibus non valent. » Idem : « Stude, quæso, » etc., supra, *de Meditatione* [1]. Idem, in *Moralibus* [2] : « Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus ; ibi sentimus quantum proficimus ; ibi docemur a profectu quam longe distamus. » Idem [3] : « Scriptura narrat gesta sanctorum, et ad imitationem provocat corda infirmorum ; dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat. » Idem [4] : « Quasi quædam fit lectio mentis nostræ, species considerata creaturæ. » Idem [5] : « Plerumque res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa. » Ambrosius, *de Officiis* [6] : « Cur non illa tempora, quibus ab ecclesia vacas, lectioni impendas ? cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias ? Illum alloquimur, cum oramus ; illum audimus, cum divina legimus oracula. » Idem, in *Hexaemeron* : « Scriptura divina salutem suggerit, vitæ odorem fragrat, ut suavitatem legens capias, non præcipitii crimen incurras. » Idem : « Non mediocre, » etc., supra, lib. III, *de Nugis* (*a*) [7]. Hieronymus, in originali *super Joannem* [8] : « Difficile homines potentes, et nobiles, et divites, et multo his difficilius eloquentes credunt Deo : obcæcatur enim mens eorum divitiis, et opibus, atque luxuria ; et circumdati divitiis, non possunt videre virtutes simplicitatemque Scripturæ. » Idem, in Epistola [9] : « Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. » Idem [10] : « Orationi lectio, lectioni succedat oratio ; et breve videbitur omne tempus, quod tantis dierum varietatibus occupatur. » Isidorus, *de Summo Bono* [11] : « Sanctarum Scripturarum altitudo quasi montes pascuæ sunt, ad quos dum quisque justorum conscenderit, pascuæ indeficientis refectionem invenisse se gaudebit. » Idem [12] : « Geminum confert bonum sanctarum lectio Scripturarum : sive quia intellectum mentis erudit, sive quia a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. » Isidorus, in *Synonymis* [13] : « Lectio docet quid caveas, lectio ostendit quo tendas, lectione sensus augetur, et intellectus. » Augustinus, in *Epistola* [14] : « Tanta est christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem* : « Non propterea datæ sunt Scripturæ, ut in libris eas habeamus solum, sed ut in cordibus conglutinemus eas. » Idem : « Si turpiloquium sordidat, et dæmones vocat, manifestum est quoniam spiritualis lectio sanctificat, et Spiritus affert gratiam : divinæ enim sunt incantationes (*b*) Scripturæ. » Bernardus, *super Cantica* [15] : « Ante carnem disciplinæ studiis edomitam, et emancipatam Spiritui, ante spretam et abjectam sæculi pompam et sarcinam, indigne ab impuris lectio sacræ Scripturæ præsumitur : quomodo nempe lux incassum circumfundit oculos cæcos vel clausos, ita [16] *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* »

CAPUT XXXIII.

De Sapientia.

Gregorius, in *Moralibus* [17] : « Neque hoc est sapere, quod intelligere ; quia multi æterna quidem sapiunt, sed hæc intelligere

[1] Vid. sup., c. XXVI, p. 199. — [2] Greg., *Moral.*, lib. II, c. I. — [3] Ibid. — [4] Ibid., lib. XXVI, c. VIII. — [5] Ibid., lib. III, c. XVI, fere in princ. — [6] Ambr., *de Offic.*, lib. I, c. XIX. — [7] Vid. sup., lib. III, c. III, p. 127. — [8] Hieron., *in Jon.*, III. — [9] Id., *ad Rustic.*, epist. IV. — [10] Id., *ad Læt.*, epist. VII, post med. — [11] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. I, c. XVIII, sent. 2. — [12] Ibid., lib. III, c. VIII, sent. 4. — [13] Id., *Synon.*, c. V, prope fin. — [14] Aug., *ad Volus.*, epist. III, al. CXXXVII, n. 3. — [15] Bern., *in Cant.*, serm. I, ante med. — [16] I *Cor.*, II, 14. — [17] Greg., *Moral.*, lib. II, c. XVI.

(*a*) *Cæl. edit.* de Stultiloquio. — (*b*) incarnationes.

nequaquam possunt. » Idem, in *Registro* [1] : « Sapienter illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis. » Augustinus, *de Libero Arbitrio* [2] : « Nemo sine sapientia beatus est : nemo enim beatus est nisi summo bono, quod in ea veritate, quam sapientiam vocamus, cernitur et tenetur. » Idem : « Væ, qui derelinquunt, » etc., supra, libro III, *de Sapientia* [3]. Idem, *de Ordine Disciplinæ* : « Quisquis omnem philosophiam fugiendam putat, nihil nos vult aliud, quam non amare sapientiam. » Idem : « Duplex est via quam sequimur : cum rerum nos obscuritas movet, aut ratione, aut certe auctoritate. Philosophia rationem promittit. » Idem : « Tria sunt genera rerum, in quibus rationabile apparet; unum est in factis ad aliquem finem relatis; alterum in discendo; tertium in delectando. Primum nos admonet nihil temere facere; secundum, recte docere; ultimum, beate contemplari. » Idem, *de Civitate Dei* [4] : « Non est vera sapientia, quæ intentionem suam, in his quæ prudenter discernit, gerit fortiter, cohibet temperanter, justeque distribuit, non ad illum dirigit finem, ubi erit Deus omnia in omnibus, æternitate certa, et pace perfecta. » Isidorus, in *Etymologiis* [5] : « Sapiens dictus est a *sapore*, quia sicut aptus est gustus ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscentiam rerum atque causarum, quo unumquodque dignoscat, atque sensu veritatis discernat. » Idem, *de Summo Bono* [6] : « Nullus sapientiam Dei plene recipit, nisi qui se ab omnium abstrahere actionum cura contendit. » Ambrosius, in *Epistola* [7] : « Nihil peccare solius Dei est; sapientis est, et corrigere erratum, et pœnitentiam agere peccati. » Idem [8] : « Sola est sapientia libera, quæ divitibus pauperes præficit (*a*), et quæ servos propriis fœnerari dominis facit. » Idem : « Sapiens non metu, » etc., supra, libro III, *de quatuor Affectionibus* [9]. » Idem : « Ille vere sapit, cujus animus in Christo est, et cujus interior oculus erigitur ad superna. » Bernardus, *de Consideratione* [10] : « Quid prodest, si universum mundum lucreris, te unum perdens? Etsi sapiens aliis sis, deest tibi sapientia, si tibi non fueris. » Idem, *super Cantica* [11] : « Nescitis, quia angelus satanæ multoties transfigurat se in angelum lucis? Sapientia est Deus, et vult se amari non solum dulciter, sed et sapienter. » Seneca, in *Epistola* [12] : « Sapiens videbit ubi victurus sit, cum quibus, quo, quid acturus : cogitat semper qualis vita, non quanta sit. » Idem [13] : « Sapiens omnia examinabit secum, quid acceperit, a quo, quantum, ubi, quemadmodum. » Idem [14] : « Sapiens bonorum rector, est malorum victor. » Idem [15] : « Facere docet Philosophia, non dicere; et hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat, ne orationi vita dissentiat. » Idem [16] : « Rogo atque hortor, ut philosophiam in præcordia ima (*b*) demittas, et experimentum profectus tui capias, non oratione, nec scripto, sed animi firmitate, cupiditatum diminutione, verba rebus proba. » Idem [17] : « Affectator sapientiæ adhæret quidem in corpore suo; sed optima sui parte abest, et cogitationes suas ad sublimia intendit. » Idem : « Ad philosophiam te confer, si vis salvus esse, si securus, si beatus, denique si vis esse, quod maximum est, liber. » Idem [18] : « Non est philosophia populare artificium, nec ostentatione paratum; nec in verbis, sed in rebus est; nec ad hoc adhibetur, ut cum aliqua oblectatione consumatur dies, ut dematur otio nausea : animum format et fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda et omittenda demonstrat. »

[1] Greg., *ad Rom.*, etc., lib. VII, p. II, epist. XXXIX, col. 1329. — [2] Aug., *de lib. Arbit.*, lib. II, c. IX. — [3] Vid. sup., lib. III, c. XXXII, p. 157. — [4] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XX. — [5] Isid., *Etymol.*, lib. X, verbo *Sapientia*. — [6] Id., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. I, sent. 6. — [7] *Annot. in Levitic. ad Simplic.*, apud Ambros. — [8] *In Psal.* CIV, apud eumd. — [9] Vid. sup., lib. III, c. XLI, p. 164. — [10] Bern., *de Consider.*, lib. II, ante med. — [11] Id., *in Cant.*, serm. XIX, prope fin. — [12] Senec., *Epist.* LXX, ante med. — [13] Id., *epist.* LXXXII, non ante med. — [14] Id., *epist.* LXXXV, versus fin. — [15] Id., *epist.* XX, circa princ. — [16] Ibid. — [17] Id., *epist.* LXV, post med. — [18] Id., *epist.* XVI, ante med.

(*a*) *Cæt. edit.* præfecit. — (*b*) *Item* imo.

CAPUT XXXIV.

De Doctrina.

Gregorius, *super Ezechielem* [1] : « Quisquis expositor in explanatione sacri eloquii, ut fortasse auditoribus placeat, aliquid mentiendo componit, sua, et non Dei, verba loquitur, si tamen placendi, vel seducendi studio mentiatur. Nam si in verbis dominicis virtutem requirens, ipse aliter quam is, per quem prolata sunt, senserit, etiam si sub intellectu alio ædificationem charitatis requirat, Domini sunt verba quæ narrat : quia ad hoc solum Deus per totam nobis sacram Scripturam loquitur, ut nos ad suum et proximi amorem trahat.» Idem [2] : « Pensare debet doctor, quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, et quantum loquatur. Si enim unum horum defuerit, locutio apta non erit. » Idem [3] : « Loqui de Deo, quietæ valde et liberæ mentis est. Tunc namque bene dirigitur lingua in sermone, cum secure sensus quievit in tranquillitate. » Idem, in *Pastorali* [4] : « Clavis apertionis est sermo correctionis : quia increpando culpam detegit, quam sæpe nescit ipse etiam qui perpetravit. » Idem, in *Moralibus* [5] : « Qui peccatori prædicat, tanta dispensatione componere prædicationem debet, ut non de relicta spe timorem subtrahat, nec spe subtracta, in solo eum timore derelinquat. » Idem [6] : « Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est ut causarum origines a sacris paginis sumat : ut omne, quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium suæ locutionis firmet. » Idem, in *Homiliis* [7] : «Cum malorum perversitas crescit, non solum frangi prædicatio non debet, sed etiam augeri. » Idem [8] : « Plus est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quam ventrem morituræ carnis terreno pane satiare. » Idem [9] : « Subtili occultoque judicio, a quorumdam auribus prædicatio sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur. » Idem, in *Registro* [10] : « Lingua nostra bonis fomentum sit, pravis aculeus, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortatu succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consoletur : ut quia ductores dicimur, viam salutis gradientibus ostendamus. » Idem, in *Dialogis* [11] : « Si invisibilia pensamus, nimirum constat, quia majus est miraculum prædicationis verbo atque orationis solatio peccatorem convertere, quam carne mortuum resuscitare. » Augustinus, *de consensu Evangelistarum* [12] : « Ex Evangeliorum universa varietate verborum, rerum autem sententiarumque concordia, satis apparet salubriter nos doceri, nihil quærendum in verbis nisi loquentium veritatem, cui demonstrandæ invigilare debent omnes veridici narratores, cum de homine, vel de angelo, vel de Deo aliquid narrant. » Idem, *de Opere Monachorum* [13] : « Multo misericordius operatur erga animas infirmorum, qui famæ bonæ servorum Dei consulit, quam erga corpora egentium, qui panem esurientibus frangit. » Idem, *de Trinitate* [14] : « Nec trepidus ero ad proferendam sententiam meam, in qua magis amabo inspici a rectis, quam timebo morderi a perversis : gratanter enim suscipit oculum columbinum pulcherrima et modestissima charitas ; dentem autem caninum, vel evitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas. » Idem [15] : « Persuadendum erat homini, quantum nos dilexerit Deus, et quales : quantum, ne desperaremus ; quales, ne superbiremus. Idem, *de Catechizandis Rudibus* [16] : « Dilectione tibi

[1] Greg., *in Ezech.*, hom. x, ante med. — [2] Ibid., hom. xi, post med. — [3] Ibid., post med. — [4] Id., *Pastoral.*, p. II, c. iv; et *ad Joan. C. P.*, lib. I, epist. xxiv, col. 1031. — [5] Id., *Moral.*, lib. XXXIII, c. xi, non longe a princ. — [6] Ibid., lib. XVIII, c. xiv, non longe a princ. — [7] Id., *in Evang.*, hom. xviii, circa med. — [8] Ibid., hom. vi, prope fin. — [9] Ibid., hom. iv, non longe a princ. — [10] Id., *ad Areg. Vapinc.*, lib. VII, epist. cxii, col. 1375. — [11] Id., *Dialog.*, lib. III, c. xvii, post med. — [12] Aug., *de Cons. Evang.*, lib. II, c. xxviii. — [13] Id., *de Oper. Monach.*, c. xxii, versus fin. — [14] Id., *de Trinit.*, lib. II. — [15] Ibid., lib. IV, c. i. — [16] Id., *de Catech. Rudib.*, c. iv.

tanquam fine proposito, quo referas omnia quæ dicis, quidquid narras, ita narra, ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, et sperando amet. » Idem, *de Bono perseverantiæ* [1] : « Facile est, imo et utile, ut taceatur aliquod verum, propter incapaces. » Idem [2] : « Cum res vera ita se habet, ut fiat pejor, nobis eam dicentibus, illi qui capere non potest; nobis autem tacentibus, illi qui potest; quid putamus esse faciendum? nonne dicendum est potius verum, ut qui potest capere capiat, quam tacendum, ut non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior ipse fiat pejor, quia si audiret et caperet, per illum plures discerent? Quo enim est capacior ut discat, eo magis est idoneus, ut alios doceat. » Idem [3] : « Non simus in disputationibus prompti, et in orationibus pigri. » Idem, in *Epistola* [4] : « Sollicitissime cavendum est in docendo superbiæ vitium : quod in discendo non ita est. » Ambrosius, *de Officiis* [5] : « Absit pertinax in familiari sermone contentio; quæstiones enim magis excitare inanes, quam utilitatis aliquid afferre solet. Disceptatio sine ira, suavitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione. » Isidorus, in *Synonymis* : « Communia omnibus, secreta paucioribus loquere, aperta cunctis, operta paucis annuntia. » Idem, *de Summo Bono* [6] : « Quadrimoda est dicendi ratio, quia aut bene sentiendo quid bene profertur, aut nihil sentiendo nihil dicitur, aut parum sentiendo loquacitas sola ostentatur, aut optime sentiendo non eleganter profertur quod dicitur. » Hieronymus, in *Epistola* [7] : « Docente te in ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur : lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. » Idem [8] : « Prædicator continentiæ, nuptias ne conciliet. » Bernardus, *super Cantica* [9] : « En quanta prius infundenda sunt, ut effundere audeamus, de plenitudine, non de penuria largientes! Primo quidem compunctio, deinde devotio, tertio pœnitentiæ labor, quarto pietatis opus, quinto orationis studium, sexto contemplationis otium, septimo plenitudo dilectionis. » Idem : « Doctrina spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. »

CAPUT XXXV.

De Dignitate.

Gregorius, in *Registro* [10]: « Ad hoc locorum gradus rationis ordo distinxit, et judicia esse constituit, ut nec præpositi in opprimendos se frustra valeant occupare subditos, nec subjectis iterum contra suos præpositos effrænata sit resultandi licentia. » Idem [11] : « Ad hoc divinæ dispensationis provisio gradus et diversos constituit ordines esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex diversitate connexio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum. » Idem : « Quia homo quod sibi tribuitur, quo judicio disponatur, ignorat, nec ad appetendum locum superiorem procax insistere, nec ad repellendum contumax debet inveniri. » Idem, in *Pastorali* [12] : « Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat; virtutibus vacuus, nec coactus accedat. » Idem [13] : « Cum rerum necessitas exposcit, pensandum valde est, ad culmen quisquis regiminis qualiter veniat; atque ad hoc rite perveniens, qualiter vivat; et bene vivens, qualiter doceat; et recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat : ne aut humilitas accessum fugiat, aut perventioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinam præsumptio extollat. » Idem, in *Dialogis* [14] : « Usus rectæ conver-

[1] Aug., *de Bon. Persev.*, c. XVI. — [2] Ibid. — [3] Ibid., c. XXIV. — [4] Id., *ad Florentin.*, epist. CXXXII, al. CCLXVI, n. 2. — [5] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XXII. — [6] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXIX, sent. 16. — [7] Hieron., *ad Nepot.*, epist. II, ante med. — [8] Ibid. — [9] Bern., *in Cant.*, serm. XXVIII, prope fin. — [10] Greg., *ad Leon. Catan.*, lib. VII, p. I, epist. VIII, col. 1291. — [11] Id., *ad Epist. Gall.*, lib. IV, epist. LII, col. 1206. — [12] Id., *Pastoral.*, p. I, c. IX. — [13] Id., *ad Jo. Ravenn.*, Prolog., in *Pastor.* — [14] Id., *Dialog.*, lib. I, c. I.

sationis est, ut præesse non audeat, qui subesse non didicerit; nec obedientiam subjectis imperet, quam prælatis non novit exhibere.» Idem, in *Homiliis* [1] : « Illi debent curam pastoralem suscipere, qui in suo corde sciunt fluxa luxuriæ domare : ut cum aliis fortia prædicant, ipsi desideriis mollibus enerviter non succumbant. Idem, in *Moralibus* [2] : « Nolenti mihi atque renitenti, cum grave esset altaris ministerium, etiam pondus est curæ pastoralis injunctum. » Isidorus, *de Summo Bono* [3] : Vir ecclesiasticus, et crucifigi mundo per mortificationem propriæ carnis debet, et dispensationem ecclesiastici ordinis, si ex Dei voluntate provenerit, volens quidem, sed humilis gubernandum suscipiat. » Bernardus, *super Cantica* [4] : « Non otiose toties repetitum est [5]: *Petre, amas me*, in commissione ovium. Ego quidem id significatum provide puto, ac si dixisset illi Jesus : Nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quod me ames et valde perfecte ames, hoc est, plus quam tua, plus quam tuos, plus etiam quam te, ut hujus repetitionis meæ numerus impleatur, nequaquam suscipies curam hanc, ne intromittas de ovibus meis, pro quibus utique meus effusus est sanguis.» Idem [6] : « In prælatione opus est viro forti, spirituali, et fideli : forti, ad propulsandas injurias; spirituali, ad deprehendendas insidias; fideli, qui non, quæ sua sunt, quærat. » Idem, in *Epistola* [7] : « In alto positum non alta sapere, difficile est, et omnino inusitatum; et quanto inusitatius, tanto gloriosius. »

CAPUT XXXVI.

De Zelo.

Gregorius, *super Ezechielem* [8] : « Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum. » Idem : « Restat ut sive, » etc., supra, libro II, *de Prudentia* [9]. Idem, in *Moralibus* [10] : « Si nulla ira ex virtute surgeret, divinæ animadversionis impetum Phinees per gladium non placasset. » Idem [11] : « Aliquando necesse est ut pravis mentibus, quæ humana prædicatione corrigi nequeunt, divina flagella optari benigne debeant. » Idem : « Evenire plerumque, » etc., supra, libro III, *de Discordia* [12]. » Idem [13] : « Si sic proximos ut nos amare præcipimur, restat ut sic eorum erratibus sicut nostris vitiis irascamur. » Idem [14] : « Erga errata proximorum sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a justitiæ studio non enervet. » Augustinus, in *Epistola* [15] : « Quid hic magis persequitur vitam bonorum, quam vita iniquorum; non cum cogit imitari quod displicet, sed cum cogit dolere quod videt? Quoniam coram pio vivens impie, etsi non obligat consentientem, cruciat sentientem. » Idem : « Pia est, » etc., infra, *de Dolore* [16]. Bernardus, *super Cantica* [17] : « Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia : sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus, nec teporem habeat, nec discretione careat, nec timidus sit. » Idem, in *Epistola* [18] : « Habeat charitas zelum; sed adhibeat pro tempore modum : severitas nunquam remissa; intermissa tamen plus proficit. » Idem [19] : « Hoc vera et casta contemplatio habet, ut mentem quanto divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, et desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissime intermittat. » Glossa [20] : « Ira justa est, qua irascitur quis suis et alienis peccatis, videns homines confitentes Deum ore, et negantes moribus; renuntiantes sæculo verbis, et non

1 Greg., *in Evang.*, hom. XXII, prope fin. — 2 Id., *ad Leand*, in exposit. *Job*, XIII. — 3 Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXXIII, sent. 1. — 4 Bern., *in Cant.*, serm. LXXVI, post med. — 5 *Joan.*, XXI, 17. — 6 Bern., *in Cant.*, serm. LXXVI, versus fin. — 7 Id., *Epist.* XLII, post med. — 8 Greg., *in Ezech.*, hom. XII, longe post med. — 9 Vid. sup., lib. II, c. XXVIII, p. 98. — 10 Greg, *Moral.*, lib. V, c. XXXI, post med. — 11 Ibid., lib. XIII, c. III, in princ. — 12 Vid. sup, lib. III, c. XXII, p. 148. — 13 Greg., *Moral.*, lib. V, c. XXXI, post med. — 14 Ibid., lib. X, c. IV, circa med. — 15 Aug., *ad Sebast.*, epist. CXLV, al. CCXLVIII, n. 1. — 16 Vid. inf., c. XLIII, p. 216. — 17 Bern., *in Cant.*, serm. XX, ante med. — 18 Id., epist. XXV, prope fin. — 19 Id., serm. LVII, post med. — 20 Gloss. in *Psal.* XXX.

factis; et videns fratres fratribus detrahentes, osculum dantes, et fidem non servantes.» Glossa [1] : « Bonus zelus est fervor animi, quo mens, abjecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur, et eo magis commendabilis, quo quælibet prava, quæ viderit, corrigere satagit; si nequit, tolerat et gemit. »

CAPUT XXXVII.

De Solicitudine.

Gregorius, in *Moralibus* [2] : « Sancti viri, quia brevitatem vitæ desinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt; et tanto se sollicitius mansuris præparant, quanto et nulla esse transitoria ex fine semper pensant. » Idem [3] : « Mens tanto altius inter tentationum fluctus attollitur, quanto sollicitius ab hujus sæculi cogitatione vacuatur. » Idem [4] : « Magna sollicitudine ad curam nostræ meliorationis accingimur, quando id virtutis in aliis cernimus, quod non habemus. » Idem : « Dominum tanto, » etc., supra, *de Discussiones*. Idem in *Registro* [6] : « Illa sollicitudo præpositorum utilis est, cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, et furor sibi nil vindicat. » Idem [7] : « Quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri sollicitior atque timidior debes. » Idem [8] : « Cum honoris augmento, cura quoque sollicitudinis debet excrescere. » Idem [9] : « Cum cuncta negotia sollicitudine indagandæ veritatis indigeant, tamen quæ ad dejectionem sacerdotalium graduum spectant, sunt districtius trutinanda. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [10] : « Occupatio virilium solicitudinum, suggestionum voluptates plerumque excludit. » Hieronymus : « Grandis virtutis, » etc., supra, libro II, *de Continentia tactus* [11]. Bernardus, *super Cantica* [12] : « Omnis cura sanctorum, spreto ornatu cultuque superfluo exterioris sui hominis, qui certe corrumpitur, omni se diligentia præbet, et occupat excolendo, atque decorando interiori illi, qui ad imaginem Dei est, et renovatur de die in diem. » Idem : « Omnis de bonis, etc., » supra, *de Regratiatione* [13]. Idem, in *Sermonibus* [14] : « Dignum valde est, et omnino exigit ratio æquitatis, ut quibus a constitutione mundi regnum paratur, ipsi etiam sese regno parare non negligant.» Augustinus, *de Ordine disciplinæ:* « Opera danda est optimis moribus; Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit, bene autem viventes facillime exaudiet. » Seneca, in *Epistola* [15] : « Perseverandum est, et assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit quod bona voluntas est. »

CAPUT XXXVIII.

De Correptione.

Gregorius, in *Moralibus* [16] : « Quisque perpendere sollicite sciat, ne luctus tempore verba increpationis inferat. » Idem [17] : « Quos de aperta infirmitate reprehendimus, superest ut de occultæ fortitudinis æstimatione veneremur. » Idem : « Ex se debet, » etc., supra, libro III, *de Oblivione* [18]. Idem, in *Registro* [19] : « Dum unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius est, ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quam per unius licentiam multi periclitentur. » Idem [20] : « Ubi senior juvenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est. » Isidorus, *de Summo Bono* : « Sicut peccatorem convenit argui, injustum sic, conversum exulcerari. »

[1] Gloss. in *Psal.* LXVIII. — [2] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. XIV, post med. — [3] Ibid., lib. XXI, c. XVII, ante med. — [4] Ibid., lib. XXIV, c. VI, post med. — [5] Vid. sup., c. VII, p. 178 — [6] Greg., *ad Gudisc.*, lib. VIII, epist. XII, col. 1400. — [7] Ibid., *Ad Januar. Calar.*, lib. VII, p. II, epist. I, col 1310. — [8] Ibid., epist. CXIII, *ad Syagr. episc.*, col. 1377. — [9] Id., *ad Natal., Salon.*, lib. II, p. II, epist. VIII, co. 1104. — [10] Chrysost., in *Matth.*, Op. imperf., hom. XL. — [11] Vid. sup., lib. II, c. XXXVII, p. 110. — [12] Bern., *in Cant.*, serm. XXV, post med. — [13] Vid. sup., c. XXXI, p. 205. — [14] Bern., *de verb. Job. in sex tribul.*, in princ. — [15] Senec., epist. XVI, ante med. — [16] Greg., *Moral.*, lib. XIII, c. II. — [17] Ibid., lib. XXXI, c. VIII, non longe a fin. — [18] Vid. sup., lib. III, c. XXVIII, p. 154. — [19] Greg., *ad Augustin.*, lib. XII, epist. XXXI, col. 1569. — [20] Id., *ad Januar. Calar.*, lib. VII, p. II, epist. I, col. 1309.

Idem [1] : « Qui veraciter fraternam vult corripere ac sanare infirmitatem, talem se præstare fraternæ utilitati studeat, ut eum quem corripere cupit, humili corde admoneat, hoc faciens ex compassione quasi communis periculi, ne forte et ipse subjiciatur tentationi. » Augustinus, in *Enchiridio* (a) [2] : « Qui emendat verbere in quem potestas datur, et coercet aliqua disciplina, et tamen peccatum ejus, quo ab illo læsus, aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit, et aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat. Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati. » Idem : « Si peccaverit, » etc., supra, lib. III, *de Arguitione* [3]. Idem, in Epistola [4] : « Quantum illi laudandi atque prædicandi sunt, qui dignati non sunt cum mundo etiam florente florere; tantum increpandi et accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat. » Idem, *de Correptione et Gratia* [5] : « Corripiantur a præpositis suis subditi, correptionibus utique de charitate venientibus, pro culparum diversitate diversis, vel minoribus, vel amplioribus : quia et ipsa, quæ damnatio nominatur, quam fecit episcopale judicium, qua pœna in Ecclesia nulla major est, potest, si Deus voluerit, in correctionem saluberrimam cedere atque proficere. » Idem, *de Doctrina Christiana* [6] : « Quid locis, et tempori, et personis conveniat, diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [7] : « Omnis correptio similis est cæteris tentationibus. Sicut enim omnis tentatio fideles quidem magis ædificat, infideles autem amplius destruit : sic et omnis increpatio disciplinæ, religiosum hominem et timentem meliorem facit, irreligiosum autem et malum conturbat, et ad deterius ire compellit. » Bernardus [8] : « Non contemnenda increpatio justi, quæ ruina peccati, cordis sanitas est, nec non et Dei via ad animam. » Idem in *Sermonibus* [9] : « Nemo, fratres, vitia palpet; peccata nemo dissimulet, cum viderit ordinem deperire, vel minui disciplinam. Est enim consentire, silere cum arguere possis, et scimus quia similis pœna facientes maneat, et consentientes. » Glossa [10] : « Raro, et non sine magna necessitate, objurgationes sunt adhibendæ, et non nisi Dei respectu, remota ab oculo trabe, id est odio. »

CAPUT XXXIX.

De Æquitate.

Gregorius, in *Registro* [11] :« Ita vos in ea, quæ Deum offendunt, et ad iracundiam provocant, districtos ac sollicitos exhibete, ut ad aliorum emendationem et vindicta culpabilem feriat, et innocentem falsa opinio non affligat. » Idem [12]: « Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda, sed palam sunt arguendi, qui palam nocent : ut dum aperta objurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerant, corrigantur. » Idem [13] : Cum increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio pastor occidit. Hac ergo consideratione compulsus, velis, nolis, locuturus sum : quia omni virtute aut te cupio salvari, aut de tua morte me eripi. » Idem [14] : « Sicut obstinati esse humilibus non debemus, ita districti esse superbis debemus. » Idem [15] : « Sicut perseveranti culpæ debetur jure vindicta, ita resipiscentibus est venia concedenda. » Idem : « Summum in regibus, » etc., supra, lib. I, *de Po-*

[1] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXXII, sent. 2. — [2] Aug., *Enchir.*, c. LXXII. — [3] Vid. sup., lib. III, c. XXXVI, p. 160. — [4] Aug., *ad Arment.*, epist. XLV,, al. CXXVII, n. 1. — [5] Id., *de Corrept. et Grat.*, c. XV. — [6] Id., *de Doct. Christ.* lib. III, c. XII. — [7] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf. — [8] Bern., *in Cant.* serm. LVII, circa med. — [9] Id., *in Nativ. Joan. Bapt.* serm., post med. — [10] Gloss. *in Matth.*, VII. — [11] Greg., *ad Virg. Arelat.*, lib. IX, epist. LXIII, col. 1477. — [12] Id., lib. XII, epist. XXXI, post med. — [13] Id., *ad Venant. cancell.*, lib. I, epist. XXXIII, col. 1050. — [14] Id., *ad Marinian. Ravenn.*, lib. VII, part. II, epist. X, col. 1317. — [15] Id., *ad Sabinian. Jadert.*, Ibid., p. I, epist. XII, col. 1293.

(a) Cæt. edit. *Enchiridione.*

tentibus [1]. Idem [2] : « Boni te dulcem, pravi sentiant correctorem. In qua videlicet correctione hunc esse ordinem noveris observandum, ut personam diligas, et vitia persequaris : ne si aliter agere fortasse volueris, transeat in crudelitatem correctio, et perdas quos emendare desideras. » Idem [3] : « Justitiæ et rationis ordo suadet, ut qui sua a successoribus desiderat mandata servari, prædecessoris sui proculdubio voluntatem et statuta custodiat. » Idem [4] : « Sicut in his, qui per ignorantiam fecerunt, culpa aliquatenus toleranda est; ita in his fortiter insequenda, qui non metuunt sciendo peccare. » Idem [5] : « Effectum justa postulantibus indulgere, et vigor æquitatis, et ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem, et pietas adjuvat, et veritas non relinquit. » Idem [6] : « Sicut rationi contraria procul est abjicienda petitio ; ita in his, quæ bene desiderantur, effectum non convenit negare. » Idem [7] : « Minorem major præcedit, sicut honore, ita et crimine : et quem major sequitur culpa, majori plectatur vindicta, et sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa. » Idem [8] : « Sicut laudabile, discretumque est, reverentiam et honorem debitum exhibere prioribus, ita rectitudinis et Dei timoris est, si qua in eis correctione indigent, nulla dissimulatione postponere : ne totum, quod absit, incipiat corpus invadere, si languor non fuerit curatus in capite. » Idem [9] : « Manifesti excessus canonica semper moderatione premendi sunt : ut una res, et præteritorum correctio, et esse regula possit futurorum. » Idem [10] : « Quoties contra ecclesiasticam quid gestum dicitur disciplinam, ne nos ante Deum culpa ex dissimulatione redarguat, irrequisitum hoc relinquere non audemus. » Idem [11] : « Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore alienas invadere non oportet. » Idem [12] : « Jurgantium controversias celeri sententia terminare, et æquitati proculdubio convenit, et vigori. » Idem [3] : « Sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servemus. » Idem, in *Moralibus* [14] : « Majora crimina, et tarde credenda sunt, cum audiuntur, et citius punienda sunt, cum veraciter agnoscuntur. » Idem [15] : « Superiores cum per disciplinam alios feriunt, sic alienam infirmitatem debent percutere, ut etiam ad suam noverint oculos revocare. » Idem, in *Pastorali* [16] : « Aliquando subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur, indicanda; aliquando etiam aperte cognita, mature toleranda ; aliquando vero subtiliter et occulte perscrutanda, aliquando leniter arguenda ; aliquando et vehementer increpanda. » Ambrosius, in *Epistola* [17] : « Hostem ferire, victoria est ; reum, æquitas ; innocentem, homicidium. » Augustinus, *de Civitate Dei* [18] : « Melior est animi æquitas, quam corporis sanitas. » Idem, *de unico Baptismate* [19] : « Hoc justum est, ut cum mala hominum reprobamus, quæcumque in illis bona Dei reperimus, approbemus. » Idem : « Veritate manente, quod vitiosum, quod pravum, quod falsum in unoquoque fuerit, curemus, corrigamus, emendemus, aut si non possumus, detestatum damnatumque vitemus. » Idem, *de Ovibus :* « Disciplina exerceatur, judicium non præcipitetur. » Idem : » Pertinet ad innocentis, » etc., supra, *de Innocentia* [20]. Joannes Chrysostomus, *super Joannem :* « Sive inops, sive dives fuerit quis, non

[1] Vid. sup., lib. I, c. XLIV, p. 58. — [2] Greg., *ad Con. Lirin.*, lib. IX, epist. VIII, col. 1434. — [3] Id., *ad Montan.*, lib. V, epist. XII, col. 1219. — [4] Id., *ad Augustin.*, lib. XII, epist. XXXI, col. 1570. — [5] Id., *ad Adeod. abb.*, lib. XI, epist. V, col. 1513. — [6] Id., *ad Joan. Panorm.*, ibid., epist. LX, col. 1546. — [7] Id., *ad Secundin.*, lib. VII, p. II, epist LIV, col. 1340. — [8] Id., *ad Episc. Conc. Byzac.*, lib. X, epist. XXXVI, col. 1501. — [9] Id., *ad Vict. Panorm.*, ibid., epist. XXXIII, col. 1499. — [10] Ibid., lib. V. — [11] Id., *ad Bonif Regit.*, lib. II, p. II, epist XLIII, col. 1120. — [12] Id., *ad Joan. Raven.*, ibid., p. I, epist. XXVIII, col. 1089. — [13] Id., *ad Cler. Mediol.*, ibid., p. II, epist. XXIX, col. 1114. — [14] Id., *Moral.*, lib. XIX, c. XIV, circa fin. — [15] Ibid., lib. XIV, c. XXIV. — [16] Id., *Pastoral.* p. II, c. X, in princ. — [17] Ambros., lib. VI, epist. XLVIII. — [18] Aug., *de civit. Dei*, lib. XIX, c. XIII. — [19] Id., *de unic. Bapt.*, c. II, n. 3. — [20] Vid. sup., c. V, p. 177.

personas attendamus, sed res scrutemur. » Bernardus, in Epistola[1] : « Si quis susurro in populo diaboli sibi assumens vicem, jurgia seminare, et pacem turbare velle reperiatur, quemadmodum ille discordiæ semper est amator et auctor; huic rigidæ censuræ remedio citius obvietur, eo quippe pessimæ, quo intimæ pesti. » Idem[2] : « Malum si comprimas tuum, reputabitur tibi ad gloriam; si alienum, ad justitiam. » Idem[3] : « Melius est ut pereat unus, quam unitas. »

CAPUT XI.

De Quatuor Affectionibus.

Augustinus, *de Civitate Dei*[4] : « Recta voluntas est bonus amor; et voluntas perversa, malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eoque fruens, lætitia est; fugiens quod ei adversatur, timor est; idque si acciderit sentiens, tristitia est : proinde mala sunt ista, si malus est amor; bona, si bonus. » Idem[5] : « Apud nos, juxta Scripturam sanamque doctrinam, cives sanctæ civitatis Dei, in hujus vitæ peregrinatione, secundum Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque; et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. » Idem, *de Patientia*[6] : « Voluntas bona, id est, voluntas Deo fideliter subdita, voluntas sanctitate superni amoris accensa, voluntas quæ diligit Deum, et proximum propter Deum : sive amore, de quo respondet apostolus Petrus[7] : *Domine, tu scis, quia amo te;* sive timore, de quo dicit Apostolus[8] : *In timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini;* sive gaudio, de quo dicit idem[9] : *Spe gaudentes, in tribulatione patientes;* sive tristitia, qualem idem apostolus se dicit[10] habuisse magnam pro fratribus suis : quæcumque amara et aspera sufferat, charitas Dei est. » Isidorus, *de Summo Bono*[11] : « Quatuor sunt qualitates affectionum, quibus mens justi tædio salubri compungitur, hoc est, memoria præteritorum facinorum, recordatio futurarum pœnarum, consideratio peregrinationis in hujus vitæ longinquitate, desiderium supernæ patriæ, quo quantocius ad eam valeat pervenire. » Auctor *de Spiritu et Anima :* « Habet anima affectiones, quibus exercetur ad virtutes. Dolor namque de peccatis, timor de pœnis, desiderium de promissis, gaudium de præmiis, quædam exercitia sunt virtutum. » Idem[12] : « Affectus quadripartitus esse dignoscitur, dum de eo quod amamus jam gaudemus, vel gaudendum speramus, et de eo quod odimus, jam dolemus, vel dolendum metuimus; et ab hac concupiscibilitate gaudium et spes, de irascibilitate dolor et metus oriuntur. Qui quidem quatuor affectus animæ, omnium sunt vitiorum, atque virtutum quasi quædam principia, et communis materia. » Bernardus, *super Cantica*[13] : « Habent voces suas affectus, per quas se etiam, cum volunt, produnt : timor, verbi causa, meticulosas; dolor, gemebundas; amor jucundas. » Idem, in sermone, loquens de illo verbo *Joel.*, II : *Convertimini ad me in toto corde vestro*[14] : Convertatur amor tuus, ut omnino nihil diligas nisi Deum, aut certe propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia perversus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic et gaudium tuum et tristitia æque convertantur ad ipsum : hoc autem ita fiet, si non nisi secundum eum doleas, aut læteris. Quid enim perversum magis, quam lætari, cum malefeceris, et in rebus pessimis exultare? Sed et ea quoque, quæ secundum sæculum est, tristitia mortem operatur. »

[1] Bern., epist. CXXIX. — [2] Id., epist. CC. — [3] Id, epist. CII. — [4] Aug, *de civit. Dei*, lib. XIV, c. VII. — [5] Ibid., c. XI. — [6] Id., *de Patient.*, c. XXV. — [7] *Joan.*, XXI, 15, 16. — [8] *Philipp.*, II, 12. — [9] *Rom*, XII, 12. — [10] *Rom*, IX, 2. — [11] Ibid., *De Sum. Bon.*, lib. II, c. XII, sent 4. — [12] *De Spir et Anim.*, c. IV, apud August., append. tom. VI. — [13] Bern., *in Cant.*, serm. LXVII, ante med. — [14] Id, *in Quadrag.*, serm. II, circa med.

CAPUT XLI.

De Timore.

Gregorius, in *Moralibus*[1] : « Justo timendum non est, ne derisor, cum corripitur, contumelias inferat ; sed ne tractus ad odium pejor fiat. » Idem[2] : « Creator noster, qui ubique totus est, et cernens cuncta non cernitur, tanto metuendus est, quanto invisibilis permanens, de nostris actibus quando et quid decernat, ignoratur. » Idem, in *Homiliis*[3] : « Tanto de se unusquisque sollicitus metuat, quanto ignorat quod restat. » Augustinus, in libro *de Pœnitentia*[4] : « Timeat anima jam corrupta, docta experimento quod ignorat virgo. » Idem, *de Conjugiis adulterinis*[5] : « Si a conjugali vinculo immunis minus appetitur vita sanctorum, exhorreatur pœna mœchorum, et timore saltem frenetur concupiscentia, si non amore eligitur continentia. » Idem, in Epistola[6] : « Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere : ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennam odit. » Idem, in *Regula*[7] : « Deo vir sanctus timeat displicere, ne velit feminæ male placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit feminæ male videri. » Isidorus, in *Synonymis*[8] : « Timor expellit peccatum ; timor reprimit vitium ; timor cautum facit hominem atque sollicitum : ubi timor non est, ibi dissolutio vitæ est : ubi timor non est, ibi desperatio est. » Idem, *de Summo Bono*[9] : « Sæpe quæ apud hominum judicium bona parent, apud examen diligentissimi et acutissimi judicis reproba deteguntur. Ideoque omnis sanctus veretur, ne forte bonum quod agit, pro aliqua animi intentione, in oculis Dei reprobum sit. » Hieronymus, in Epistola[10] : « Ubi timor et tremor est, non ibi vocis elatio est, sed animi flebilis lacrymosa dejectio. » Idem[11] : « Quando iratus fuero, et aliquid mali in meo animo cogitavero, et me nocturnum phantasma deluserit, basilicas martyrum intrare non audeo : ita totus et corpore, et animo contremisco. » Idem, in originali super *Joelem*[12] : « Nunquam tuta est humana fragilitas ; sed quanto virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus, ne de sublimibus corruamus. » Bernardus, *super Cantica*[13] : « Beatus homo qui semper pavidus est. Time ergo, cum arriserit gratia ; time, cum abierit ; time, cum denuo revertetur, et hoc est semper pavidum esse. » Idem : « In veritate didici, » etc., supra, lib. II, *de Gratia*[14]. Idem, in sermone[15] : « Primus timor est, ne cruciemur a gehenna. Secundus, ne exclusi a visione Dei, privemur tam inæstimabili gloria. Tertius replet animam omni sollicitudine, ne forte deseratur a gratia. » Idem[16] : « Sicut securitas, vel desidia, causa et mater est omnium delictorum, sic timor Domini radix et custos omnium bonorum. » Idem : « Heu me, » etc., supra, libro II, *de Tentatione*[17].

CAPUT XLII.

De Dolore.

Gregorius, in *Registro*[18] : « Quanto cordi nostro lætitiam Ecclesiæ ordo inculpabiliter custoditus infundit, tanto rescissus tædium doloris imponit. » Idem[19] : « Credat mihi charitas tua, quia valde contristatus sum de tristitia tua, ac si in te injuriam ipse pertulissem. » Idem, in *Moralibus*[20] : « In amaritudine animæ sunt omnes electi, quia

[1] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXIV, circa med. — [2] Ibid., lib. XVI, c. XV. — [3] Id., *in Evang.*, hom. XXXVIII, post med. — [4] *De vera et fals. pœnit.*, c. XV, apud Aug., Append. tom. VI. — [5] Aug., *de Conj. adult.*, lib. II, c. XIII. — [6] Id., *ad Anast.*, epist. CXLIV. — [7] Id., *Reg.* III, c. XXI. — [8] Isid., *Synon.*, c. VII, in princ. — [9] Id., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXVII, sent. 4. — [10] Hieron., *ad Mauric. fil.*, epist. XIV. — [11] Id., *adv. Vigilant.*, ultra med. — [12] Id., *in Joel.*, II. — [13] Bern., *in Cant.* serm. V. — [14] Vid. sup., lib. II, c. XVI, col. 83. — [15] Id., serm. *in Dom.* I *post oct. Epiph.*, serm. II, post med. — [16] Id., *de Don. Spiritus sancti*, serm. — [17] Vid. sup. lib. II, c. I, p. 66. — [18] Greg., *ad Victor.*, lib. VII, p. I, epist. XV, col. 1295. — [19] Id., *ad Euseb. abb.*, lib. II, p. II, epist. XXIV, col. 1087. — [20] Id., *Moral.*, lib. V, c. III, in princ.

vel punire flendo non desinunt quæ deliquerunt; vel gravi se mœrore afficiunt, quia longe huc a facie Conditoris projecti, adhuc in æternæ patriæ gaudiis non sunt. » Idem [1] : « Valde affligitur anima justorum, quando mali contra bonos districtas sententias intorquent, qui bene vivere ignorant, et voce sibi justitiam vendicant, quam moribus impugnant. » Idem [2] : « Gravis mœror est, duris cordibus infructuose prædicare; laborem in ostendenda veritate sumere, sed nullum de conversione audientium laboris fructum invenire. At contra, magna prædicatorum consolatio est, subsequens profectus auditorum. » Idem [3] : « Anima sancta intus doloris sui gemitum tolerat; sed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lacrymas emanat. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem* : « Cum quiddam (*a*) peccaverimus nos, vel alii, tunc solum tristari bonum est; cum autem in humanas circumstantias inciderimus, inutilis in nobis de reliquo tristitiæ usus. » Augustinus, *de Verbis Domini* : « Geme ut columba, et tunde pectus, et tundendo correptus esto, ne videaris non conscientiam cædere (*a*), sed malam conscientiam pugnis pavimentare, solidiorem reddere, non correptiorem. » Idem, in Epistola [4] : « Pia est ista tristitia, et si dici potest, beata miseria, vitiis alienis tribulari, non implicari; mœrere, non hærere; dolore contrahi, non amore attrahi. » Idem : « Quid hic, » etc., supra, *de Zelo Bono* [5]. Idem, *contra Julianum* [6] : « Mentibus amicorum sanorum, fletum commovet risus freneticorum. » Idem, in *Meditationibus* : « Da mihi, Domine, in hoc exilio panem doloris, et lacrymarum, quem esurio super omnem copiam deliciarum. » Idem : « Aut continui dolores cruciabunt pœnitentem vitam meam, aut æterni cruciatus vexabunt puniendam animam meam. » Bernardus, in *Sermonibus* [7] : « Cum cœperis, tristitia implebit cor tuum; sed si perseveraveris, tristitia tua vertetur in gaudium. » Cassiodorus [8] : « Lætus et lascivus spiritus obligat hominem peccato; sed spiritus contribulatus est sacrificium, quo peccatum solvitur. »

CAPUT XLIII.

De Confidentia.

Gregorius, in *Moralibus* [9]: « Tanto animus a laboris afflictione subtrahitur, quanto per spem ad summa sustollitur. » Idem [10] : « Quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leve ac facile spes remunerationis ostendit. » Idem [11] : « Quia nunc per tribulationem seritur, ut post gaudii fructus metatur, tanto major fiducia mentem roborat, quanto hanc fortior pro veritate afflictio augustat. » Idem [12] : « Ille bene novit in exterioribus miseriis subsistere, qui scit semper de interna spe gaudere. » Idem [13] : « Cum jam pœnitentiæ lamentis culpa diluitur, et sic perpetrata planguntur, ut plangenda minime perpetrentur; magna menti fiducia nascitur, ad conspicienda supernæ retributionis gaudia cordis nostri facies levatur. Idem, *super Ezechielem* [14] : « Non in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus. » Idem [15] : « Spes per desideria atque suspiria introducit ad quietis gaudia. » Ambrosius, in *Hexaemeron* : « In gravissimis passionibus spem deponimus, fractique animo resolvimur, improvidi et inertes jacemus, cum de divina miseratione tunc sperandum amplius sit, cum præsidia humana defecerint. » Augustinus, de *Confessionibus* [16] : « Nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur, ut

[1] Greg., *Moral.*, lib. XIV, c. XII, non longe a princ. — [2] Ibid., lib. XXXV, c. IX, post med. — [3] Ibid., lib. V, c. VII, non longe a princ. — [4] Aug., *ad Sebast.*, epist. CXLV, al. CCXLVIII, n. 1. — [5] Vid. sup., c. XXXVI, p. 270. — [6] Aug., *cont. Julian.*, lib. IV, c. III. — [7] Bern., *in Ascens. Dom.*, serm. III, post med. — [8] Cassiod., *Exposit. in Psal.* L, post med. — [9] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. VII, circa med. — [10] Ibid., lib. I, c. VII, post med. — [11] Ibid., lib. X, c. XII, post med. — [12] Ibid., lib. XIII, c. III, ante med. — [13] Ibid., lib. XVI, c. IX, circa med. — [14] Id., *in Ezech.*, hom. VII, fere in fin. — [15] Ibid., hom. XVII, post med. — [16] Aug., *Confess.*, lib. X, c. XXXII.

(*a*) *Cæt. edit.* quidam. — (*b*) *Cæt. edit.* cedere.

qui fieri potuit ex deteriori melior, non fiat etiam ex meliore deterior: una spes, una fiducia, una firma promissio, Deus, misericordia tua. » Idem, *de Verbis Apostoli*[1]: « Ipsa spes peregrinationi necessaria est, quæ consolatur in via: tolle viatori spem perveniendi, continuo franguntur vires ambulandi. » Idem, *de Verbis Domini*[2]: « Spes ad hoc nos hortatur, ut præsentia contemnamus, futura expectemus; ea quæ retro sunt obliviscentes, cum Apostolo in anteriora nos extendamus. Nihil itaque tam inimicum spei, quam retro aspicere. » Hieronymus, in *Epistola*[3]: « Cum universos artus mundaveris ab omni sorde peccati, et toto fueris sanctificata corpore, tunc tibi castitatem intelligas profuturam, et cum omni fiducia palmam virginitatis expecta. » Bernardus, in *Sermonibus*[4]: « Hæc est vera hominis fiducia, a se deficientis, et innitentis Domino Deo suo. »

CAPUT XLIV.

De Lætitia.

Gregorius, in *Moralibus*[5]: « Sancti viri, cum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam dispensationis supernæ moderamine, exerceri se etiam tentationibus exultant: quia tanto robustius acceptam virtutum gloriam custodiunt, quanto tentationis impulsu concussi, infirmitatem suam humilius cognoscunt. » Idem[6]: « Quo se interioribus gaudiis animus robustius inserit, eo minus exterius dolores sentit. » Idem, in *Homiliis*[7]: « Ille veraciter patientiam servat, qui et ad tempus aliena mala sine dolore tolerat, et eadem retractans pertulisse se talia exultat. » Idem: « Si me participem, » supra, *de Communitate*[8]. Idem, in *Dialogis*[9]: « Qualis quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, sic plerumque humiles sua despectione gratulantur. » Augustinus, *de Verbis Domini*[10]: « Quando gaudetur in Domino, non gaudetur in sæculo: vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in sæculo: gaudium in Domino semper augeatur, gaudium in sæculo semper minuatur, donec finiatur. » Idem: « Tu qui veram requiem, » supra, *de Tranquillitate*[11]: Idem, de *Confessionibus*[12]: « Est gaudium quod non datur impiis, sed eis qui te gratis colunt, Domine; quorum gaudium tu ipse es, et ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est, et non est altera. » Hieronymus, in Epistola[13]: « Nihil sollicitius providendum est, quam ut solemnem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus: quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare martyrem, quem scimus Deo placuisse jejuniis. » Bernardus, in Epistola[14]: « Revera illud solum et verum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, et quod cum possederis, nemo tollet a te: cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum. » Idem, in sermone[15]: « *Non est regnum Dei esca et potus*[16], *sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto:* Sic fatui filii Adam, et præcipiti saltu justitiam transilientes, et pacem, rem finalem, in principium convertere, et pervertere vultis. Nemo est, qui gaudere non velit: non stabit, et non erit istud; quia sicut[17] *non est pax impiis*, sic nec gaudere, *dicit Dominus*[18]. *Non sic impii, non sic*: prius est justitiam facere, inquirere pacem, et persequi eam, et sic apprehendere gaudium, imo a gaudio

[1] Aug., *de verb. Apost.*, serm. XVI, al. CLVIII, n. 8. — [2] Id., *de verb. Dom.*, serm. XXIX, al. CV, n. 7. — [3] Hieron., *ad Mauric. fil.*, epist. XIV. — [4] Bern., *in Annunt. Dom.*, serm. III, ante med. — [5] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVI. — [6] Ibid., lib. X, c. XII, non longe a princ. — [7] Id., *in Evang.*, hom. XXXV, post med. — [8] Vid. sup., c. XXI, p. 193-194. — [9] Greg., *Dialog.*, lib. I, c. VII. — [10] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XXXVII, al. CLXXI, n. 1. — [11] Vid. sup., c. II, p. 174. — [12] Aug., *Confess.* lib. X, c. XXII. — [13] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XIX. — [14] Bern., epist. CXIV, circa princ. — [15] Id., de verbo Apost. *Non est regnum Dei esca*, etc., ante med. — [16] *Rom.*, XIV, 17. — [17] *Isa.*, XLVIII, 22. — [18] *Psal.* I, 4.

comprehendi. » Seneca, in Epistola: « Ad verum gaudium specta, et de tuo gaude. Quid autem est hoc, *de tuo?* de teipso, et optima tui parte; corpusculum quoque, etsi nihil potest fieri sine ipso, magis necessariam rem evaderem, quam magnam. »

CAPUT XLV.

De Connexione Virtutum.

Gregorius, in *Moralibus* [1]: « Omnes virtutes, in conspectu Conditoris, vicaria ope se sublevant: ut quia una virtus sine alia, vel nulla est omnino, vel minima, vicissim sua conjunctione fulciantur. » Idem [2]: «Valde singula quælibet destituitur, si non una virtus virtuti alii suffragetur. » Ambrosius, *super Lucam* [3]: « Connexæ sunt sibi concatenatæque virtutes, ut qui unam habet, plures habere videatur. »

§ I. — De Timore, et Spe.

Gregorius, in *Moralibus* [4]: « In peccatoris pectore incessanter debet spes et formido conjungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat; incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat. » Idem [5]: « De statu suo David cadente, nemo superbiat. De lapsu etiam suo David surgente, nemo desperet. » Idem [6]: « Viri sancti ita mœsti sunt, ut confidant; atque ita confidunt, ut tamen ex securitate non torpeant. » Idem, in *Dialogis* [7]: « Oportet et de Dei nos semper miseratione confidere, et de nostra infirmitate formidare. » Idem : « Qui peccatori prædicat, » etc., supra, *de Doctrina* [8]. Isidorus, in *Synonymis* [9]: « Nulla te securitas deceptum blandiatur : nulla te securitas a pœnitentiæ intentione suspendat: incessanter in corde tuo, spes, et formido, persistat. » Idem, *de Summo Bono* [10]: « Omnis justus spe et formidine nitet, quia nunc illum ad gaudium spes erigit, nunc illum ad formidinem timor gehennæ adducit. » Augustinus, de *Meditationibus*: « Respira, peccator, respira, ne desperes: spera in eo quem times, affuge ad eum a quo aufugisti, invoca importune quem superbe provocasti.

§ II. — De Timore, et Gaudio.

Gregorius, in *Moralibus* [11]: « Cum bona in aliis cernimus, valde necesse est ut exultationem nostræ formidini, et formidinem nostræ exultationi misceamus: quatenus et de alienis profectibus charitas gaudeat, et in suis infirmitatibus conscientia constricta contremiscat. » Idem [12]: « Sancti viri, cum de quibusdam se vitiis ereptos hilarescunt, magno se metu etiam in ipsa exultatione concutiunt, quia etsi jam de cujuslibet procella tempestatis erepti sunt, esse se tamen adhuc in incerti maris dubiis fluctibus sciunt. » Idem [13]: « Sancti viri sic spe exultant, ut pavore trepident; sic pavore timent, ut spei fiducia exultent. »

§ III. — De Timore et Amore.

Gregorius, in *Moralibus* [14]: « Cum plus ipsi quod timeamus agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur quod amemus. » Idem [15]: « Appositis quasi quibusdam gradibus profectus nostri, mentis pedem prius per timorem in imo ponimus, et postmodum per charitatem ad alta amore levamus : ut ab eo, quo quisque tumet, reprimatur, ut timeat: et ab eo, quod jam timuit, sublevetur, ut præsumat. » Augustinus, *de Virginitate* [16]: « Ama Dei bonitatem; time severitatem : utrumque te superbum esse non sinit. Amando enim times, ne amantem et amatum graviter offendas. »

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXI, c. III, non longe a princ. — [2] Ibid., lib. I, c. XVI — [3] Ambros., *in Luc.*, lib. V, c. VI. — [4] Greg., *Moral.*, lib. XXXIII, c. I, non longe a princ. — [5] Ibid., c. X, circa fin. — [6] Ibid., lib. IX, c. XVIII. — [7] Id., *Dialog.*, lib. III, c. XVII, circa fin. — [8] Vid sup., c. XXXIV, p. 208. — [9] Isid., *Synon.*, c. IV, in fin. — [10] Id., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. IV, sent. 2. — [11] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XXXV, post med. — [12] Ibid., lib. V, c. XVII, post med. — [13] Ibid. — [14] Ibid., lib. XXII, c. XX, n. 48.— [15] Ibid.— [16] Aug., *de Sanct. Virginit.*, c. XXXVIII.

Idem [1], *de Fide ad Petrum* : « Diligentes Dei misericordiam, metuentesque justitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis. » Idem, *de Verbis Apostoli* [2] : « Non intrat charitas incomitata; habet secum socium suum timorem, quem introducit ipsa, sed illum castum permanentem in sæculum sæculi. » Idem, *super primam canonicam Joannis:* « Exhorresce quod minatur Omnipotens; ama quod pollicetur Omnipotens, et vilescit omnis mundus, sive promittens, sive terrens. » Hieronymus in Epistola : « Vide ut omnia quæcumque bene facis, propter Deum facias, sciens ejus rei tantam te a Domino recepturum esse mercedem, quantum (*a*) ejus timoris et dilectionis causa perfeceris. » Bernardus, *de Consideratione* [3] *:* « Sanctum facit affectio sancta, et ipsa gemina, timor Domini sanctus, et sanctus amor; his perfecte anima affecta, veluti duobus quibusdam brachiis suis Deum amplectitur, stringit et tenet, et ait: *Tenui eum, nec dimittam.* » Idem in epistola [4] : « Mens quam semel affecerit charitas, sui juris esse non sinitur; metuit quod nescit; dolet quod non oportet; sollicitatur plusquam voluerit, et unde noluerit (*b*). » Idem, in sermone : « Timeamus et amemus Christum Dominum : timeamus, pro nostra indignitate; pro ipsius dignatione amemus : non dissimulemus, non excusemus; in medio est omnibus se offerens. »

§ IV. — De Abstinentia, et Eleemosyna.

Gregorius, in *Homiliis* [5] *:* « Hoc quod tibi subtrahis, alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. » Idem [6] : « Illud jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur. » Idem [7] : « Non Deo, sed sibi quisque jejunat, si ea quæ ad tempus sibi subtrahit, inopibus non tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum:* « Si jejunaveris sine eleemosyna, nihil jejunium tuum reputatur; sed ventrem implente et inebriante deterior est, qui talis est; et tanto deterior, quanto lasciva crudelitas est difficilior. » Glossa [8] : « Deo jejunat, qui ejus amore se macerat, et, quod sibi subtrahit, alii impendit. »

§ V. — De Abstinentia et Oratione.

Augustinus, in epistola [9] : « In jejuniis, et vigiliis, et omni castigatione corporis, quam plurimum adjuvatur oratio. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [10] *:* « Qui orat cum jejunio, duplices habet alas, et ipsis ventis leviores. Neque enim oscitat et tenditur, et torpet orans, quod patiuntur mali; sed est igne vehementior, et terra superior. Ideoque maxime hic talis dæmonibus est inimicus et hostis. Nihil enim homine orante proprie est potentius. » Idem [11] :« Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite, sic nec oratio sine jejunio, nec jejunium sine oratione. » Isidorus, *de Summo Bono* [12] *:* « Hoc est perfectum et rationabile jejunium, quando noster homo exterior jejunat, interior orat. Facilius enim per jejunium oratio penetrat cœlum. » Bernardus, *super Cantica* [13] *:* « Abstinebo a vino, quia in vino luxuria est; aut, si infirmus sum, modico utar juxta consilium Apostoli; abstinebo et a carnibus, ne, dum mihi nimis carnem nutriunt, simulque et carnis nutriant vitia: panem etiam ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat. » Idem, in *Sermonibus* [14] *:* « Oratio virtutem impetrat jejunandi, et jejunium gratiam promeretur orandi : jeju-

[1] Imo Fulgent., *de fide ad Petr.*, c. III. — [2] Aug., *de verb. Apost.*, serm. XVIII, al. CLIX, n. 9. — [3] Bern., *de Consider.*, lib. V, multo post med. — [4] Id, epist. LXXIV. — [5] Greg., *in Evang.*, hom. I, circa fin. — [6] Id., ibid. — [7] Ibid. — [8] Gloss. *in Matth.*, VI. —

(*a*) *Cæt. edit.* quam.— (*b*) *Adde cum Bernardo :* compatitur nolens.

[9] Aug., *ad Prob.*, epist. CXXI, c. XVI, n. 31. — [10] Chrysost., *in Matth.*, hom. LIX. — [11] Ibid., *in Matth*, Op. imperf., hom. XV. — [12] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XLIV, sent. 1. — [13] Bern., *in Cant.*, serm. LXVI, ante med.— [14] Id., *in Cap. jejun.*, serm. IV, ante med.

nium orationem roborat; oratio jejunium sanctificat, et Deo repræsentat. » Idem [1]; « Quid nobis jejunium proderit, si relinquatur in terra? Sublevetur ergo penna quadam orationis. » Glossa [2]: « Prius est mortificare concupiscentiam, postea offerre Deo placabilia vota cordis. » Glossa [3]: « Sola oratio pinguescit, quam macies corporis pascit. »

§ VI. — De Misericordia et Oratione.

Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [4]: « In lege scriptum est [5]: *Ne intres ante conspectum Domini vacuus.* Vacuus intrat ante Deum, qui veniens ad orationem nullam facit eleemosynam. » Idem: « Infirma est oratio, quæ eleemosynarum largitate non est munita. » Sanctus Maximus, in sermone: « Oratio quæ castitatis, justitiæ, et eleemosynarum operibus adjuvatur, excedit mundum, penetrat paradisum, evolat ad ipsum summæ majestatis, Angelo offerente, conspectum. »

§ VII. — De Misericordia et Justitia.

Gregorius, in *Registro* [6]: « Ipsa in te dulcedo cauta sit, non remissa; correctio vero diligens sit, non severa: sed sic alterum condiatur ex altero, ut et boni habeant amando quod caveant, et pravi metuendo quod diligant. » Idem: « Boni te dulcem, » etc., supra, *de Æquitate*, et ibidem alia plura [7]. Idem, in *Pastorali* [8]: « Disciplina, vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Idem [9]: « Juxta Pauli vocem, in arca tabernaculi cum tabulis virga simul et manna est, quia Scripturæ sacræ scientia in boni doctoris pectore, sicut est virga districtionis, sic est et manna dulcedinis. » Ambrosius in epistola [10]: « Beatus qui et severitatem et mansuetudinem tenet, ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur. Nimia enim severitas extorquet plerumque crudelitate mendacium. » Idem, *de Officiis* [11]: « Neque severitatem esse duram convenit, neque nimiam remissionem; ne aut potestatem exercere, aut susceptum officium nequaquam implere videamur. » Isidorus, in *Synonymis* [12]: « Impia justitia est, humanæ fragilitati non ignoscere: non ergo ama damnare, sed emendare potius et corrigere. » Idem [13]: « Tene rigorem in discussione justitiæ, misericordiam in diffinitione sententiæ. » Idem, *de Summo Bono* [14]: « Omnis qui recte judicat, stateram in manu sua gestat, in utroque penso justitiam et misericordiam portat; sed per justitiam reddit peccato sententiam, et per misericordiam peccati temperat pœnam. » Joannes Chrysostomus, *super Matthæum* [15]: « Justitia sine misericordia non est justitia, sed crudelitas: sic misericordia sine justitia, non est misericordia, sed fatuitas. » Bernardus, *super Cantica* [16]: « Si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica; matres vos fovendo, patres corripiendo exhibeatis. » Idem, *de Consideratione* [17]: « Justitiæ, ut justitia sit, temperantia modum imponit. *Noli nimis esse justus* (a), ait Sapiens [18], ostendens per hoc minime approbandam esse justitiam, quæ temperantiæ moderamine non frænatur. » Beda, in *Homiliis*: « Necesse est ut rectorem subditis, et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina: atque inter hæc sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. » Idem dicit beatus Gregorius in Registro. Glossa [19]: « Vera virtus est, cum nec pietas sine justitia, nec sine pietate justitia exequitur: quæ separatæ ab invicem dilabuntur. »

[1] Bern., *in cap. jejun.*, serm. IV, conseq. — [2] Gloss. in *Cant.*, III. — [3] Gloss. in *Tob.*, III. — [4] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. XV. — [5] *Exod.*, XXIII, 15. — [6] Greg., *ad Con. Lirin.*, lib. IX, epist. VIII, col. 1434. — [7] Vid. sup., c. XXXIX, p. 213. — [8] Greg., *Pastoral*, lib. II, c. VI, longe post med. — [9] Ibid., circa fin. — [10] Ambros., *ad Clem.*, lib. V, epist. XLII. — [11] Ambros., *de Offic.*, lib. II, c. XIV. — [12] Isid., *Synon.*, c. XVII. — [13] Ibid. conseq. — [14] Id., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. IV, sent. 4. — [15] Chrysost., *in Matth.*, Op. imperf., hom. XLVI. — [16] Bern., *in Cant.*, serm. XXIII, longe ante med. — [17] Id., *de Consider.*, lib. II, post med. — [18] *Eccle.*, VII, 17. — [19] Gloss. *in Matth.*, I. — (a) Vulg. *Noli esse justus multum.*

§ VIII. — De Continentia et Abstinentia.

Ambrosius, *de Virginibus* [1] : « Cibus parcimoniæ, et potus abstinentiæ docent vitia nescire, quia docent causas nescire vitiorum. Causa peccandi etiam justos sæpe decipit : hinc populus Dei, postquam sedit manducare et bibere, Deum negavit. » Isidorus, *de Summo Bono* [2] : « Libidinis ignes fomentis ciborum increscunt; corpus autem quod abstinentia frangit, tentatio non exurit : unde et tres pueros abstinentes flamma Babylonii incendii, etsi tetigit, non combussit. » Idem [3] : « Quidam continentes, sicut panem cum pondere edunt, ita et aquam cum mensura sumunt, asserentes, ad castimoniam carnis, etiam aquæ abstinentiam convenire. » Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus* : « Per jejunia cessat pugna carnis adversus animam, et animæ adversus carnem; nec ultra insurgit ancilla in dominam, nec serva superbit in liberam ; sed universa hæc prælia jejuniorum præsentia conquiescunt. »

§ IX. — De Continentia et Verecundia.

Ambrosius, *de Virginibus* [4] : « Ubique in virgine comes singularum virtutum est pudor; hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. » Idem, *de Officiis* [5] : « Verecundia est pudicitiæ comes, cujus societate castitas ipsa tutior est. » Hieronymus, in *Sermone* : « Omnino pudor individuus virginitati esse debet, sine quo recte castitas servari non potest. » Idem, in *Epistola* [6] : « Sit in te nova gravitas, honestas admirabilis, stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, et veræ pudicitiæ habitus, sermo semper modestus, et in suo tempore proferendus. » Bernardus, *super Cantica* [7] : « Verecundia soror continentiæ est; nullum æque manifestum indicium columbinæ simplicitatis : et ideo omnino testis innocentiæ est, et lampas pudicitiæ mentis. »

§ X. — De Continentia et Charitate.

Gregorius, *super Ezechielem* [8] : « Antiquus inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timet : quia nec ipse carne premitur, ut in ejus luxuria dissolvatur. » Augustinus, *de Virginitate* [9] : « Si nuptias contempsistis filiorum hominum, ex quibus gigneretis filios hominum, toto corde amate speciosum forma præ filiis hominum. Vacare vobis liberum est conjugalibus vinculis; sed non vacare vobis liberum est a vinculo charitatis. » Idem [10] : « Inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant cogitate; hæc in statera charitatis appendite, et quidquid amoris nuptiis vestris impedendum habebatis, illi rependite. » Idem [11] : « Illa virgo conjugatæ merito præponitur, quæ nec multitudini se amandam proponit, cum amorem unius ex multitudine inquirit; nec se uni componit, uno jam (*a*) invento, cogitans quæ mundi sunt, quomodo placeat viro : sed speciosum forma præ filiis hominum sic amavit, ut quia eum sicut Maria concipere carne non posset, ei corde concepto etiam carnem integram custodiret. » Idem, *de Bono conjugali* [12] : « Quid? inquiunt; si omnes velint ab omni concubitu continere, unde subsistet genus humanum? Utinam omnes hoc vellent, duntaxat in charitate de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta : multo citius Dei civitas compleretur, et accelararetur terminus sæculi. Quid enim aliud hortari apparet Apostolum, ubi ait, cum inde loqueretur [13] : *Vellem omnes homines esse sicut me ?* » Bernardus, in *Epistola* [14] : « Castitas sine charitate, lampas sine oleo est : subtrahe oleum, lampas non lucet :

[1] Ambros., *de Virginib.*, lib. I. — [2] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XLII, sent. 7. — [3] Ibid., c. LIII, sent. 8. — [4] Ambros., *de Virginib.*, lib. II. — [5] Id., *de Offic.*, lib. I, c. XVIII. — [6] Hieron., *ad Mauric. fil.*, epist. XIV. — [7] Bernard., *in Cant.*, serm. LXXXVI, ante med. — [8] Greg., *in Ezech.*, hom. VIII, longe ante med. — [9] Aug., *de Sanct. Virginit.*, c. LIV. — [10] Ibid. — [11] Ibid., c. XI. — [12] Id., *de Bon. Conjug.*, c. X. — [13] I *Cor.*, VII, 7. — [14] Bern., epist. XLII, ante med.

— (*a*) *Edit. Bened.* uni jam componit.

tolle charitatem, castitas non placet. Sed, *O quam pulchra est*, Sapiens clamat [1], *casta generatio cum charitate !* » Idem, *super Cantica* [2] : « Quo modo claritas, ut aiunt, Lunæ non nisi a Sole est, sic absque charitate, seu justitia, continentiæ meritum nullum est. »

§ XI. — De Continentia et Humilitate.

Gregorius, in *Moralibus* [3] : « Sic mentem necesse est per munditiam erigi, ut tamen sollicite debeat in humilitate substerni. « Idem [4] : « Per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis : si enim pie spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non levatur. » Augustinus, *de Virginitate* [5] : « Sapientes virgines esse decet, ne lampades earum extinguantur : quo modo sapientes, nisi [6] *non alta sapientes, sed humilibus consentientes ?* » Idem : « Quia perpetua continentia, et maxime virginitas, magnum bonum est in sanctis Dei, vigilantissime cavendum est, ne superbia corrumpatur. » Idem [7] : « Facilius sequuntur Agnum, et si non quocumque ierit, certe quousque potuerint, conjugati humiles, quam superbientes virgines. » Idem [8] : « Neque simulare debet virgo humilitatem, sed exhibere. Simulatio humilitatis major superbia est. » Idem, *super Joannem :* « Melior est quidem virginalis sanctitas, quam pudicitia conjugalis; quis dubitet? tamen, si tu tenueris superbiam, et tua mater humilitatem, melior mater erit quam filia : non dubito præferre humilem mulierem superbæ virgini. » Ambrosius, *super Lucam* [9] : « Decet ut quanto castior virgo, tanto humilior sit; noverit deferre senioribus; sit magistra ejus humilitas, in qua est professio castitatis. » Bernardus, super *Missus* [10] : « Pulchra commixtio virginitatis et humilitatis : nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem. » Idem [11] : « Potes sine virginitate salvari; non potes sine humilitate : potest, inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam; sine humilitate autem, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset. » Idem, *super Cantica* [12] : « Continentia non habet meritum apud Deum, quæ gloriam requirit humanam. Ideoque maxime opus est etiam puritate intentionis, qua soli Deo mens nostra, et placere appetat, et valeat inhærere. »

§ XII. — De Actione et Contemplatione.

Gregorius, super *Ezechielem* [13] : « Activa in necessitate, contemplativa in voluntate est : illa in servitute, ista in libertate. » Idem [14] : « Sicut bonus est ordo vivendi, ut ab activa in contemplativam tendatur; ita plerumque a contemplativa animus ad activam reflectitur, ut per hoc quod contemplativa mentem accenderit, perfectius activa teneatur. » Idem [15] : « Amor Dei ad contemplativam, amor vero proximi pertinet ad activam. » Idem : « Contemplativa major est, » etc., supra, *de Gustu* [16]. Idem, in *Moralibus* [17] : « Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ vero etiam laudatur : quia magna sunt activæ merita, sed contemplativæ potiora. Unde nec auferri unquam Mariæ pars dicitur, quia activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ autem gaudia melius ex fine convalescunt. » Idem : « Humani generis, » etc., supra, libro I, *de Prædicatoribus bonis* [18]. Idem [19] : « Qui culmen apprehendere perfectionis nituntur, cum contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo operis per exercitium probant. » Isidorus, *de Summo Bono* [20] : « Activa vita mundanis bene utitur; contemplativa, nec mundo renuntians, soli Deo vivere

[1] *Sap.*, IV, 1. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. XVII, circa med. — [3] Greg., *Moral.*, lib. III, c. XVII, in fin. — [4] Ibid., lib. XXVI, c. XIII, ante med. — [5] Aug., *de Sanct. Virginit.*, c. XLII. — [6] *Rom.*, XII, 16. — [7] Aug., lib. cit., c. LI. — [8] Ibid., c. XLIII. — [9] Ambros., in *Luc.*, I, lib. II. — [10] Bern., super *Missus est*, serm. I, in med. — [11] Ibid., paulo post. — [12] Id., *in Cant.*, serm. VII, post med. — [13] Greg., *in Ezech.*, hom. III, ante med. — [14] Ibid., hom. XIV, post med. — [15] Ibid, hom. XVIII, ante med. — [16] Vid. sup., c. XXIX, p. 202. — [17] Greg, *Moral.*, lib. VI, c. XVIII. — [18] Vid. sup., lib. I, c. XIV, p. 27. — [19] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XVII. — [20] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XV, sent. 2.

delectatur. » Idem : « Qui prius, » etc., supra, *de Ascensione* [1]. Augustinus, *de Civitate Dei* [2] : « Ex tribus illis vitæ generibus, scilicet otioso, actuoso, et ex utroque composito, quamvis salva fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere, et ad sempiterna præmia pervenire ; interest tamen quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendat. Nec sic esse debet unusquisque otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi ; nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. » Idem [3] : « Otium sanctum quærit charitas veritatis ; negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. » Bernardus, in *Apologia* [4] : « Nec Jacob, nisi cognita prius Lia, desideratos Rachelis amplexus meruit obtinere. » Idem, *super Cantica* [5] : « Aliter sane afficitur mens fructificans Verbo, aliter fruens Verbo : illic sollicitat necessitas proximi, hic invitat suavitas Verbi. Et quidem læta in prole mater ; sed in amplexibus sponsa lætior : cara pignora filiorum ; sed oscula plus delectant. » Idem [6] : « Ex bonis operibus in fide non ficta radicatis, recipit consolationem mens assueta quietis, quoties sibi lux, ut assolet, contemplationis subtrahitur. Idem, in *Sermonibus* [7] : « Bonum acquirit gradum, qui bene ministraverit proximo ; forte meliorem, qui bene vacaverit Deo ; optimum autem, qui perfectus est in utroque. » Idem [8] : « Optimam partem elegit sibi Maria, licet non minoris fortasse meriti sit apud Deum humilis conversatio Marthæ : sed de electione Maria laudatur, quoniam illa quidem omnino, quantum ad nos spectat, nobis eligenda ; hæc vero, si injungitur, patienter est toleranda. » Idem [9] : « Absit ut qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam. » Idem : « Felix domus, » etc., supra, *de Religione* [10] »

§ XIII. — De Scientia et Humilitate.

Gregorius, in *Moralibus* [11] : « Summa cura providendum est, ne accepta sapientia, cum ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, ut jam sapientia esse nequeat : quæ etsi virtute locutionis fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat. » Idem : « Sancti omnes, » etc., supra, *de Intelligentia*, quære libro II [12]. Idem, in *Homiliis* [13] : « In omne quod scit, sese mens deprimat, ne quod virtus scientiæ congregat, ventus elationis spargat. » Idem [14] : « Sancti viri, ut humilitatis in se virtutem custodiant, cum quædam mirabiliter sciunt, illud ante mentis oculos student revocare, quod nesciunt : ut dum ex parte alia infirmitatem suam considerant, ex ea parte qua perfecti sunt, eorum se animus non extollat : scientia etenim virtus est, humilitas etiam custos virtutis. » Isidorus : « In disputatione, » etc., supra, *de Studentibus*, libro I [15]. Ibidem [16] : « Disputare stude, » etc.

§ XIV. — De Scientia et Charitate.

Gregorius, in *Moralibus* [17] : « Quem charitas ædificando non erigit, scientia inflando pervertit. » Idem, *super Ezechielem* [18] : « Inter charitatem et scientiam, testis est bona operatio : quæ si fortasse defuerit, profecto certum est, nec cognovisse te Deum, nec diligere proximum. » Idem : « Sæpe dum quosdam, » libro III, *de Discordia* [19]. Augustinus, *super Joannem* : « Scientia cavenda est, ne inflet : ergo amate scientiam, sed anteponite charitatem, quia charitas ædificat, et non permittit inflari scientiam. » Idem, *ad Hieronymum*, de sententia Ja-

[1] Vid. sup, c. XXVII, p. 200. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XIX. — [3] Ibid. — [4] Bern., *ad Gulielm. abb., Apolog.* — [5] Id., in *Cant.*, serm. LXXXVI, versus fin. — [6] Ibid., serm. XXI, ante med. — [7] Id., *in Assumpt. B. Mar.*, serm. III, ante med. — [8] Id., de verb. Psal. *Audiam quid loquatur*, etc., serm., post med. — [9] Id., *in Assumpt. B. Mar.*, serm. III, ante med. — [10] Vid. sup., c. XIX, p. 193. — [11] Greg., *Moral.*, lib. XXVII, c. XXVII, non mult. a princ. — [12] Vid. sup., lib II, c. XXIX, p. 100. — [13] Id., *in Evang.*, hom. VII, post med. — [14] Ibid. — [15] Vid. sup., lib. I, c. XXV, p. 38. — [16] Vid. ibid, p. 38-39. — [17] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXVI. — [18] Id., *in Ezech.*, hom. XVII, ante med. — [19] Vid. sup., lib. III, c. XXII, p. 148.

cobi [1] : « Sicut mors animam avellit a sensibus carnis, sic charitas a concupiscentiis carnalibus : huic subservit scientia, cum est utilis; nam sine illa inflat. » Idem : « Spiritalis homo, » etc., supra, *de Discussione* [2]. Bernardus, *de Diligendo Deo* [3] : « Liquet et absque scientia dignitatem esse omnino inutilem, et scientiam absque virtute damnabilem. » Idem, *super Cantica* [4] : « Cibus indigestus, et qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, et corrumpit corpus, non nutrit : ita et multa scientia ingesta stomacho animæ, qui est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit. » Idem : « Sicut bonum, » etc., supra, *de Religione* [5].

§ XV. — De Scientia et Doctrina.

Gregorius, *super Ezechielem* [6] : « Sancti viri amando discunt, quod docendo proferunt. » Idem, in *Pastorali* [7] : « Cum spiritale aliquid a subditis pastor inquiritur, valde est ignominiosum, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. » Idem [8] : « Plerique dum metiri se nesciunt, quæ non didicere, docere concupiscunt : qui pondus magisterii tanto levius existimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant. » Augustinus, in *Epistola* [9] : « Ad discendum quod opus est, nulla ætas mihi sera videri potest : quia etsi senes magis decet docere, quam discere, magis tamen volo discere, quam quod doceam, ignorare. » Joannes Chrysostomus, *de Compunctione cordis* [10] : « Non confundamus divinas litteras, neque sancti Spiritus sententias propriis sententiis pervertamus. » Hieronymus, in *Epistola* [11] : « Multo tempore disce, ut doceas; nec laudatoribus tuis, imo derisoribus, aurem libenter accommodes.

§ XVI. — De Vita et Doctrina.

Gregorius, in *Moralibus* [12] : « Cum a vitiis caro restringitur, cum mens virtutibus exercetur, restat ut loquendo quisquis doceat alios vitam, quam moribus servat. » Idem [13] : « Spiritualis quisque prædicator studet summopere contra maleficos rumores adversantium, et defendere loquendo quod vivit, et ornare vivendo quod dicit. » Idem, in *Pastorali* : « Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat. » Idem [14] : « Boni prædicatores prius propria crimina fletibus curent; et tunc, quæ aliorum sunt punienda, denuntient : et antequam verba exhortationis insonent, omne quod locuturi sunt operibus clament. » Isidorus, *de Summo Bono* [15] : « Tam vita quam doctrina clarere debet ecclesiasticus doctor. Nam doctrina sine vita arrogantem reddit; vita sine doctrina inutilem facit. » Idem [16] : « Unusquisque doctor, et bonæ actionis, et bonæ prædicationis habere debet studium : nam alterum sine altero non facit perfectum. » Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus* [17] : « Adjicit doctrinæ auctoritatem bona vita doctoris. » Ambrosius, *de Officiis* [18] : « Vir justus dictis et rebus probatur : nam si exercitatus sit sermonibus, desidiosus in operibus, prudentiam suam factis repellit. » Hieronymus, in *Epistola* : « Prius faciamus, et post doceamus, ne doctrinæ auctoritas cassis sermonibus destruatur. » Augustinus, de *Confessionibus* [19] : « Surgunt indocti et rapiunt cœlum; et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne et sanguine? » Bernardus, in *Sermone* [20] : « Est tantum lucere, vanum; tantum ardere, parum; ardere et lucere, perfectum. »

[1] Aug., *ad Hieron.*, epist. XXIX, al. CLXVII, n. 11 — [2] Vid. sup., c. VII, p. 179. — [3] Bern., *de dilig. Deo*, mult. ante med. — [4] Id., *in Cant.*, serm. XXXVI, circa med. — [5] Vid. sup., c. XIX, p. 193. — [6] Greg., *in Ezech.*, hom. V, prope fin. — [7] Id., *Pastoral.*, p. II, c. XI, circa fin. — [8] Id., *ad Joan. Ravenn.*, Prolog. in lib. *de Cura Pastor.* — [9] Aug., *ad Hieron.*, epist. XXVIII, al. CLXVI, n. 1. — [10] Chrysost., *de Comp. Cord.* lib. II. — [11] Hieron., *ad Rustic. Monach.*, epist. IV. —

[12] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XVI, post med. — [13] Id., *Pastoral.*, p. II, c. III, non longe a princ. — [14] Ibid., c. VI, in fin. — [15] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XXXVI, sent. 1. — [16] Ibid., sent. 3. — [17] Chrysost., *de Erudit. discipl.*, hom., post med. — [18] Ambros., *de Offic.*, lib. II, c. II. — [19] Aug., *Confess.*, lib. VIII, c. VIII. — [20] Bern., *in Nativ. S. Joan.*, serm. ante med.

CAPUT XLVI.

De Exemplo.

Gregorius, in *Moralibus* [1] : « Multi in tenebris vitæ præsentis, dum superiora de se exempla exhibent, astrorum more nobis desuper lucent. » Idem [2] : « Qui plenissime intelligere appetit qualis est, tales nimirum debet conspicere, qualis non est : ut ex bonorum forma metiatur, quantum ipse deserto bono deformis est. » Idem [3] : « Qui vitam præcedentium patrum conspicit, quid in se gemere debeat, subtilius agnoscit. « Idem : « Sæpe cum nos, » etc., supra, *de Verecundia* [4]. Idem, in *Dialogis* [5] : « Nunquam peccatores ad lamentum pœnitentiæ redirent, si nulla essent bonorum exempla, quæ eorum mentem traherent. » Idem, in *Homiliis* [6] : « De bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum. » Idem [7] : « Ad amorem Dei et proximi plerumque corda audientium plus exempla, quam verba excitant. » Idem : « Qui sancto viro, » etc., supra, *de Societate* [8]. Isidorus, *de Summo Bono* [9] : « Propterea virtutes sanctorum ad exemplum nostrum Deus proposuit, ut quanto de imitatione eorum conferri possunt nobis justitiæ præmia, tanto de perseverantia mali sint graviora tormenta. » Idem [10] : « Reprobi non attendunt documenta beatorum, quæ imitentur ad melius; sed proponunt sibi exempla pravorum, quæ ad suorum morum perversitatem imitantur in pejus. » Ambrosius, *super Lucam* [11] : « Unius exemplo plurimi corriguntur. » Idem, *de Patriarchis* [12] : « Sanctorum vita cæteris norma vivendi est. » Idem, *de Officiis* : « Sit nobis vita majorum disciplinæ speculum, non calliditatis commentarium. » Bernardus, in *Sermonibus* [13] : « Sermo vivus et efficax exemplum est operis, facile faciens suadibile quod dicitur, dum monstratur factibile quod suadetur. » Idem [14] : « Nullum consilium melius arbitror, quam si exemplo tuo fratrem docere studeas quæ oporteat, quæ non oporteat fieri; provocans eum ad meliora, et consulens ei non verbo neque lingua, sed opere et veritate. » Seneca, in *Epistola* [15] : « Instruenda est vita exemplis illustribus. »

CAPUT XLVII.

De Fama.

Gregorius, in *Registro* [16] : « Quidquid gravare potest aut opinionem tuam, aut animam, omnino refugias, et te committere illud, nullius suasione consentias. » Idem : « Ejus, quem videre me non licet, bona me pascit opinio. » Idem, in *Moralibus* [17] : « Fama a bono opere vires accipit, et favoris gratiam quasi claritatis lumen aspergit. » Idem [18] : « Dum de aliena vita lux laudis emicat, alios ad exercenda bona opera illustrat. Cumque illius opinio clara cognoscitur, huic quasi pergenti in itinere exempli lumen præbetur. » Idem [19] : « Nonnunquam etiam sancti viri de bona sua opinione gaudent, cum per hanc ad meliora proficere, audientes, pensant. » Idem [20] : « Laus sua justos cruciat, iniquos exaltat. Sed justos, dum cruciat, purgat; iniquos, dum lætificat, reprobos monstrat. » Idem [21] : « Virtutes proficientium in notitia cæterorum hominum, quasi suavitate fragrant odorum. » Idem [22] : « Sicut ex aliena opinione proficimus, sic plerumque, si laudibus famæ nos-

[1] Greg., *Moral.*, lib. IV, c. XXII, circa med. — [2] Ibid., lib. IV, c. VI, ante med — [3] Ibid., lib. IX, c. XXXV, in fin. — [4] Vid. sup., c. IV, p. 186. — [5] Greg., *Dialog.*, lib. III, c. XXXVII, in fin. — [6] Id., *in Evang.*, hom. XI, non longe a princ. — [7] Ibid., hom. XXXIX, post med. — [8] Vid. sup., c. XXII, p. 195. — [9] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XI, sent. 5. — [10] Ibid., sent. 2. — [11] Ambros., *in Luc.*, VII, lib. V.— [12] Id., *de Joseph Patriarch.*, n. 1.— [13] Bern., *de S. Bened. abb.*, serm., circa med.— [14] Id., *de Adv. Dom.*, serm. III, post med. — [15] Senec., epist. LXXXIII, ante med. — [16] Greg., *ad Januar. Calarit.*, lib. VII, p. II, epist. II, col. 1310. — [17] Id., *Moral.*, lib. XXII, c. V, ante med. — [18] Ibid. — [19] Ibid., post med. — [20] Ibid., lib. XXVI, c. III, post med. — [21] Ibid., lib. XXXV, c. XIII, ante med. — [22] Ibid., lib. XXII, c. V, ante med.

træ intendimus, a virtute vacuamur. » Augustinus, *de Moribus et vita Clericorum*[1] : « Qui nos amant, quærunt quid laudent in nobis; qui autem nos odiunt, detrahunt nobis. Nos autem in medio constituti, adjuvante Domino Deo nostro, et vitam nostram et famam sic custodire debemus, ut non erubescant detractoribus laudatores. » Idem, *de Viduitate*[2] : « In omnibus spiritalibus deliciis, quibus fruuntur innuptæ, sancta earum conversatio cauta etiam debet esse, ne forte cum mala vita non sit per lasciviam, mala sit fama per negligentiam. » Idem[3] : « Nobis est necessaria vita nostra, aliis fama nostra; et utique quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem. » Idem : « Multo misericordius, » etc., supra, *de Doctrina*[4]. Hieronymus in epistola[5] : « Multa in utramque partem crebro fama mentitur, et tam de bonis mala, quam de malis bona falsorum ore concelebrat. » Idem[6] : « Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita. » Idem[7] : « Fuge personas, in quibus potest malæ conversationis esse suspicio; nec paratum habeas illud de trivio : *Sufficit mihi conscientia mea : non curo, quid de me loquantur homines*. Et certe Apostolus providebat bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ne per illum nomen Dei blasphemaretur in gentibus. » Idem[8] : « Tenera res in feminis fama pudicitiæ est : quasi flos pulcherrimus cito ad levem marcescit auram, levique flatu corrumpitur. » Bernardus, *super Cantica*[9] : « Validos et constantes necesse est esse eos, qui super alios ordinantur, nec non et longanimes in spe, atque ad superna verticem mentis attollentes, qui et bonum fidei suæ, et conversationis ubique odorem spargentes, dicere cum Apostolo possint[10] : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco*. Idem[11] : « Erit quidem virtus contenta candore conscientiæ, ubi sequi non poterit odor famæ : cæterum odor famæ nec excusare sufficiet vitium conscientiæ decoloris : providebit tamen semper, quantum in se est, homo virtutis bona, non tantum coram Deo, sed coram hominibus, ut vere sit lilium. » Idem : « Sufficit, » etc., supra, *de Tranquillitate*[12]. Idem, *de Consideratione*[13] : « Interest tuæ perfectionis, et malas res, et malas pariter species devitare : in altero conscientiæ, in altero famæ consulis. » Idem[14] : « Esto fortis in fide, decorus in gloria, et probasti te imitatorem Dei. Fortitudo tua fides conscientiæ est; et decor tuus splendor bonæ opinionis est. »

CAPUT XLVIII.

De Adversitate.

Gregorius, in *Registro*[15] : « Pœna præsens si afflicti animum convertit, finis est culpæ præcedentis; si eum ad timorem Domini minime convertit, initium est pœnæ sequentis. » Idem[16] : « Inter flagella positos flagellis digna committere, contra ferientem est specialiter superbire, et sævientis acrius iracundiam provocare. » Idem[17] : « Adversitas, quæ bonis votis objicitur, probatio virtutis est, non indicium reprobationis. » Idem[18] : « In omnipotenti Deo tunc certa fiducia est, quando pro bono opere, adversitatis aliquid in hoc mundo recipitur, ut plena merces in æterna retributione servetur. » Idem[19] : « Ipsa malorum societas purgatio bonorum est. » Idem : « Dubium

[1] Aug., serm. LIII *ad Frat. in erem.*, al. CCCLVI, n. 1. — [2] Id., *de Bon. Viduit.*, c. XXII. — [3] Ibid., paulo post. — [4] Vid. sup., c. XXXIV, p. 208. — [5] Hieron., *ad Ruffin.*, epist. CXXXI, in princ. — [6] Id., *ad Nepotian.*, epist. II, ante med. — [7] Id., *ad Ageruch.*, epist. XI, ultra med. — [8] Id., *ad Salv.*, epist. IX, post med. — [9] Bern., *in Cant.*, serm. XLVI, non longe a princ. — [10] II *Cor.*, II, 15. — [11] Ibid., serm. LXXI, circa princ. — [12] Vid. sup., c. II, p. 174. — [13] Bern., *de Consid.*, lib. III, post med. — [14] Ibid., paulo post. — [15] Greg., *ad Venant. Syrac.*, lib. IX, epist. XXV, col. 1443. — [16] Id., *ad Dominic. Carthag.*, lib. VIII, epist. XLI, col. 1417. — [17] Id., *ad Reccared. reg.*, lib. VII, p. II, epist. CXXVII, col. 1389. — [18] Id., *ad Theoct.*, lib. IX, epist. XXXIX, col. 1454. — [19] Ibid.

non est, » etc., supra, *de Discordia*, libro III[1]. Idem, in *Moralibus*[2] : « Sicut aromata fragrantiam suam, non nisi cum incenduntur, expandunt; ita sancti viri omne, quod virtutibus redolet, in tribulatione innotescunt. » Idem [3] : » Flagella bonorum, aut vitia perpetrata purgant, aut quæ poterant perpetrari futura devitant. » Idem [4] : « Cum perversum quemquam Deus omnipotens percutit, et condolendum est miseriæ pereuntis, et congaudendum justitiæ judicis. » Idem [5] : « Electi uniuscujusque mens tribus vicibus, id est vel labore conversionis, vel tentatione probationis, vel formidine solutionis atteritur, atque ipsa attritione purgata liberatur. » Idem [6] : « Pœna interrogat, si quietus quis veraciter amat. » Idem plura supra, *de Certamine* [7]. Joannes Chrysostomus, in *Sermonibus* : « Sicut pluvia in terram descendens elevat semina, sic et tribulatio animam intrans, erigit desiderium. » Idem : « Qui adversatur, virtutem suam destruit, nobis vero per patientiam coronas operabitur. « Augustinus, *de Pastoribus* [8] : « Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero filiorum. » Idem, in epistola [9] : « Terror temporalium potestatum, quando veritatem oppugnat, justis fortibus gloriosa probatio est, infirmis periculosa tentatio. » Idem, *super Genesim ad litteram* : «Ipse sibi homo in tentationibus (*a*) certius innotescit; et juste salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est per voluptatem, fortiter recipitur per dolorem. » Isidorus, in *Synonymis* [10] : « Adversa corporis animæ remedia sunt : ægritudo carnem vulnerat, mentem curat : languor enim vitia excoquit, languor vires libidinis frangit. » Idem, *de Summo Bono* [11] :« Viri sancti plus formidant prospera, quam adversa; quia Dei servos prospera dejiciunt, adversa vero erudiunt. » Bernardus, super *Qui habitat* [12] :« Bonum mihi, Domine, tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum mihi in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quam esse sine te vel in cœlo. *Quid* enim [13] *mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram*? » Idem, *super Cantica* : « In petra, » etc., infra, *de Martyrio* [14].

CAPUT XLIX.

De Martyrio.

Gregorius, in *Registro* [15] : « Sicut beatus Cyprianus ait, martyrem non facit pœna, sed causa. » Idem, in *Homiliis* [16] : « Mori a persequente, martyrium in aperto opere est; ferre vero contumelias, et odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. » Idem [17] : « Habet pax nostra martyrium suum ; quia et si (*b*) carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio carnalia desideria trucidamus. » Isidorus, in *Etymologiis* [18] :« Duo sunt genera martyrii, unum in aperta passione, alterum in occulta animi virtute. Nam multi hostis insidias tolerantes, et cunctis carnalibus desideriis resistentes, per hoc quod se omnipotenti Deo in corde mactaverunt, et pacis tempore martyres facti sunt. » Joannes Chrysostomus, in Sermone : « Habet paupertas martyrium suum, et egestas bene tolerata facit martyrium : sed egestas propter Christum, non propter necessitatem. » Hieronymus, in Legenda sanctæ Paulæ [19] :« Non solum effusio sanguinis in confessione martyrium reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus

[1] Vid. sup., lib. III, c. XXII, p. 148.— [2] Greg., Præf. in Expos. *Job*, c. II. — [3] Ibid., lib. XVI, c. XIX. — [4] Ibid., lib. XXII, c. VI, post med.— [5] Ibid., lib. XXIV, c. VII, longe post med. — [6] Id., Præf. in Expos. *Job*, c. III.— [7] Vid. sup., c. XI, p. 181-182.— [8] Aug., *de Pastor.*, c. V. — [9] Id., *ad Vincent.*, epist. XLVIII, al. XCIII, n. 20. — [10] Isid., *Synon.*, c. VII, ante med. — [11] Id, *de Sum. Bon.*, lib. III, c. LXII, sent. 2 — [12] Bern., in Psal. *Qui habitat*, post med. — [13] Psal. LXXII, 25. — [14] Vid. inf., cap. seq., p. 228. — [15] Greg., *ad Episc. Hibern.*, lib. II, p. I, epist. XXXVI, col. 1094. — [16] Id., *in Evang.*, hom. XXXV, circa med. — [17] Ibid., hom. III, in fin. — [18] Isid., *Etymol.*, lib. VII, c. XI. — [19] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXVII, versus fin.

(*a*) *Cæt. edit.* intentionibus. — (*b*) *Cæt. edit.* et sic.

quotidianum martyrium est. » Idem[1] : « Hæc est sola digna retributio, cum sanguis sanguine compensatur, et redempti cruore Christi pro Redemptore libenter occumbimus. Quis sanctorum sine certamine », etc., supra, *de Certamine*[2]. Augustinus, *de Civitate Dei*[3] : « Quicumque, etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. » Idem[4] : « Quanto erit acrior impetus belli, tanto major gloria non cedenti, tanto densior corona martyrii. » Bernardus, *super Cantica*[5] : « Stat martyr tripudians et triumphans, toto licet lacero corpore, et rimante latera ferro, non modo fert fortiter, sed alacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire sanguinem. Ubi ergo tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu. » Idem[6] : « In petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? Sed neque hoc mirum, si exul a corpore dolores non sentiat corporis : neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur : non deest dolor, sed contemnitur. » Idem, in *Sermonibus*[7] : « Est martyrii genus, et effusio quædam sanguinis in quotidiana corporis afflictione : est etiam baptismus aliquis in compunctione cordis, et lacrymarum assiduitate. Sic quippe infirmis et pusillis corde necesse est, ut quem semel ponere pro Christo non sufficiunt, saltem mitiori quodam, sed diuturniori martyrio sanguinem fundant : sic et baptismi sacramentum, quoniam iterari non licet his, qui sæpius in multis offendunt, frequentiori ablutione suppleri. »

CAPUT L.

De Gloria.

Gregorius, in *Moralibus*[8] : « Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum : ut secundum quod hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. » Idem, super illud Job[9] : *Donec impleatur risu os tuum*, etc.[10] : « In illa æterna patria cum justorum mens in exultationem rapitur, lingua in canticum laudis elevatur. » Idem[11] : « Ibi uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet; sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi. » Idem[12] : « Sicut hi, qui adhuc viventes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant; ita mortui vitam in carne viventium post eos, qualiter disponatur, nesciunt. Quia et vita spiritus longe est a vita carnis : et sicut corporea, atque incorporea, diversa sunt genere, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est, quia quæ intus omnipotentis Dei charitatem vident, nullo modo credendum est, quia sit foris aliquid, quod ignorent. » Idem[13] : « Quando ad ipsum fontem vitæ venerimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis simul, atque satietas. Sed longe aberit a siti necessitas, longe a satietate fastidium : quia et sitientes satiabimur, et satiati sitiemus. » Idem[14] : « Æterna contemplatione agitur, ut omnipotens Deus, quo magis visus fuerit, eo magis diligatur. » Idem[15] : « In illa resurrectionis gloria, erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. » Idem, in *Homiliis* : « Credendum est, quod ante retributionem extremi judicii, injusti in requie

[1] Hieron., *ad Eustoch.*, epist. XXII, versus fin. — [2] Vid. sup., c. XI, p. 182. — [3] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIII, c. VII, in princ. — [4] Ibid., lib. XX, c. XIII, circa med. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. LXI, post med. — [6] Ibid., conseq. — [7] Id., *in diem S. Pasch.*, serm. I, post med. — [8] Greg., *Moral.*, lib. IV, c. XXXI, ante med. — [9] *Job*, VIII, 21. — [10] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXXI. — [11] Ibid., lib. XVIII, c. XXVII, ante med. — [12] Ibid., lib. XII, c. IV, statim a princ. — [13] Ibid., lib. I, c. XXVIII, post med. — [14] Ibid., lib. XXV, c. VII, ante med. — [15] Ibid., lib. XIV, c. XXIX, non longe a princ.

quosdam justos conspiciant, ut eos videntes in gaudio, non solum de suo supplicio, sed de eorum bono crucientur. Justi vero in tormentis semper intuentur injustos, ut hinc eorum gaudium crescat : quia malum conspiciunt quod misericorditer evaserunt, tantoque ereptori suo majores gratias referunt, quanto ipsi perpeti, si essent derelicti, vident in aliis, quod potuerunt. » Idem, in *Dialogis :* « Sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat. » Augustinus, *de Civitate Dei*[1] : « Erit illius civitatis, et una in omnibus, et inseparabilis in singulis, voluntas libera, ab omni malo liberata, et impleta omni bono, fruens indesinenter æternorum jucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum : nec tamen ideo suæ liberationis oblita, ut liberatori suo non sit grata. Quantum ergo attinet ad scientiam rationalem, memor erit præteritorum etiam malorum suorum ; quantum autem ad experientis sensum, prorsus immemor. » Idem[2] : « Pax cœlestis civitatis, est ordinatissima societas fruendi Deo, et invicem in Deo. » Idem[3] : « Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum? Vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agetur, ubi neque ulla desidia cessabitur, neque ulla indigentia laborabitur? nescio. » Idem[4] : « Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fide videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur : hoc munus, hic affectus, hic actus profecto erit omnibus, sicut ipsa vita erit communis. » Idem : « In nobisipsis imaginem Dei contuentes tangamus, et ad illum redeamus, a quo peccando recesseramus. Ibi esse nostrum non habebit mortem ; ibi nosse nostrum non habebit errorem ; ibi amare nostrum non habebit offensionem. » Idem[5] : « Absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisque corruptio, et si quid aliud illud non decet regnum, in quo resurrectionis et promissionis filii æquales erunt angelis Dei, si non corpore, non ætate, certe felicitate. » Idem[6] : « Ita Deus erit notus, atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero ; videatur in seipso ; videatur in cœlo novo, et in terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura ; videatur et per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritualis corporis oculi acie perveniente directi : patebunt etiam cogitationes nostræ invicem nobis. » Idem, *de Trinitate*[7] : « Contemplatio est merces fidei, cui mercedi per fidem corda mundantur, sicut scriptum est[8] : *Mundans* (a) *fide corda eorum.* Idem : « Illud quod agit justitia, » etc., supra, libro II, *de quatuor Virtutibus*[9]. Idem, *de Libero Arbitrio*[10] : « Tanta est pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis atque sapientiæ, ut etiamsi non liceret in ea amplius vivere, quam unius diei mora, propter hoc solum, innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, et circumfluentia temporalium bonorum, recte meritoque contemnerentur. Non enim falso, aut parvo affectu dictum est[11] : *Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia.* » Idem, in *Sermonibus :* « Tunc non peccabimus non solum factis, sed nec concupiscentiis, cum illam faciem videbimus, quæ vincit omnes concupiscentias. Tam enim dulcis est, fratres mei, tam pulchra, ut, illa visa, nihil aliud possit delectare : satietas enim erit insatiabilis : nullum fastidium : semper esuriemus, semper saturi erimus. » Idem, *de Conflictu*[12] : « Recedat amor præsentis sæculi, in quo omnes sic vivificantur, ut deinceps moriantur ; et succedat amor futuri sæculi, in quo omnes sic vivi-

[1] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XX, c. XXX. — [2] Ibid., lib. XIX, c. XIII. — [3] Ibid., lib. XXII, c. XXX. — [4] Ibid. — [5] Ibid., c. XX. — [6] Ibid., c. XXIX. — [7] Id., *de Trinit.*, lib. I, c. VIII. — [8] *Act. Apost.*, XV, 9. — [9] Vid. sup., lib. II, c. XXVI, p. 97. — [10] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. III, c. XXV, versus fin. — [11] *Psal.* LXXXIII, 11. — [12] *De conflict. vit. et virt.*, c. XXVI, inter Op. S. Aug. Append. tom. VI. — (a) Vulg. *Purificans.*

ficantur, ut deinceps non moriantur : ubi nulla adversitas turbat, nulla necessitas angustat, nulla molestia inquietat; sed perennis lætitia regnat. » Joannes Chrysostomus, *super Joannem* : » Beati, et ter beati, et multoties beati, qui beata illa potiuntur requie; quemadmodum miseri, et ter miseri, et infinite miseri, qui a beatitudine illa seipsos abjiciunt, » Fulgentius, in Epistola : « Sicut per speculum vitreum trina nobis visio administratur, qua nosipsos, et ipsum speculum, et quidquid præsens adest videmus; sic per speculum divinæ charitatis, et ipsum Deum, ut est, videbimus, quantum possibile erit creaturæ, et nosipsos, et omnia alia, vera et certa scientia cognoscemus. » Bernardus, *super Cantica* [1] : « Qui replet in bonis desiderium animæ, et ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati plenitudo pacis, ipse memoriæ continuatio æternitatis. » Idem [2] : « *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi*, cum error videlicet a ratione, a voluntate dolor, atque a memoria timor omnis recesserit; et successerit illa, quam speramus, mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. » Idem, in *Sermonibus* [3] : « Quemadmodum circa rationale nostrum, et scientia et ignorantia constat tanquam habitus et privatio, sic et circa concupiscibile, et desiderium, et contemptus; et circa id quod dicitur irascibile, et lætitia pariter, et ira versatur. Implebit ergo Deus rationale nostrum luce sapientiæ, ita ut penitus nobis nihil desit in ulla scientia; implebit concupiscibile nostrum fonte justitiæ, ut omnino desideremus eam, et ea penitus repleamur, sicut scriptum est [4] : *Beati qui esuriunt et sitiunt injustitiam, quoniam ipsi saturabuntur* ; per quam justitiam quidquid respuere debet anima, respuet; et quidquid concupiscere, concupiscet; et ex his omnibus magis appetet, quod magis fuerit appetendum. Jam vero quod dicitur in nobis irascibile, cum repleverit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas, et in summam jucunditatem atque lætitiam replebimur pace divina. » Idem [5] : Sicut replebit animas nostras Deus, cum fuerit perfecta in eis scientia, perfecta justitia, perfecta lætitia ; sic replebitur majestate ejus omnis terra nostra, cum fuerit corpus immortale, agile, impassibile, configuratum denique corpori claritatis suæ. » Idem : « Æterna omnium beatorum solemnitas est facie ad faciem Deum intueri, ejus dulcedine sine fastidio satiari ; ut quem semper habent, semper habere velint, ac ejus visione sine defectu perfrui. » Anselmus, *de Similitudinibus* [6] : « Partes beatitudinis sunt pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, longævitas, sapientia, amicitia, concordia, honor, potestas, securitas, et gaudium. Ista, ut æstimo, sunt quæ propter se, et propter quæ alia quæque ab hominibus appetuntur. Et ita notandum, quod septem priores beatitudinis partes ad corporis beatitudinem, septemque posteriores ad animam pertinent. » Idem [7] : « In illa vita pulchritudo justorum Solis pulchritudini, qui septempliciter quam modo sit splendidior erit, adæquabitur. » Idem [8] : « Velocitas nos tanta concomitabitur, ut ipsis angelis Dei æque celeres simus, qui a cœlo ad terras, et e converso, dicto citius dilabuntur. » Idem [9] : « In futuro sic justus fortis erit, ut etiam, si velit, terram commovere possit; et sic e converso injustus imbecillis, ut nec etiam vermes amovere queat ab oculis suis. » Idem [10] :« Gaudium erit justo, intus et extra, gaudium sursum atque deorsum, gaudium circumcirca, ubique gaudium plenum. » Idem [11]: « Tunc justi scient cuncta quæ Deus facit scienda, tam ea quæ præterita, quam ea quæ postmodum sunt. Ibi

[1] Bern., *in Cant.*, serm. XI, post med. — [2] Ibid., post pauca. — [3] Id., *in fest. omn. Sanct.*, serm. IV, post med. — [4] *Matth.*, V, 6. — [5] Bern., serm. cit., prope fin. — [6] Anselm., *de Simili.*, c. XLVIII. — [7] Ibid., c. L. — [8] Ibid., c. LI. — [9] Ibid., c. LII. — [10] Ibid., c. LXXI.— [11] Ibid., c. LIX.

a singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur; nec quemquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe, quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit. Si autem fueris malus, vera omnino sapientia privatus, tantis urgeberis doloribus, ut non solum insipiens, verum etiam omnino fias et amens. » Idem [1] : « In illa vita si bonus fuerit, nihil patietur quod nolit, sed agere permittetur quodcumque voluerit; si vero fuerit malus, ad omnia, quæ noluerit, cogetur; et ab omnibus, quæ voluerit, prohibebitur. »

[1] Anselm., *de Similit.*, c. LIII.

DECLARATIO

TERMINORUM THEOLOGIÆ [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Cum omnis doctrina, ut sanctus Augustinus inquit, *de Doctrina Christiana* lib. I, cap. I, vel rerum, vel signorum sit, resque per signa discantur; cumque, ut ibidem asserit, lib. II, cap. III, signorum, quibus inter se homines sua sensa communicant, quædam pertineant ad oculorum sensum, pleraque ad aurium, paucissima ad cæteros sensus : verba inter homines prorsus obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, si ea prodere quisque velit. Vim igitur et verborum significationem in unaquaque scientia pertractanda nosse oportere, libro *de Reprehensionibus Sophistarum*, cap. I, docuit Aristoteles. Ex quibus facile colligitur, quantum opusculum hoc, quod *Declaratio Terminorum Theologiæ* inscribitur, ad ipsius theologiæ tractationem afferat utilitatis. In eo enim Auctor dilucide explicat terminos, quibus in præcipuis theologicæ scientiæ materiis professores theologi utuntur, ne ex illorum ignoratione quisquam allucinetur, vel in perniciosos errores, quod hac de causa plerisque aliquando contigit, prolabatur. Quæ vero hoc opusculo continentur, fusius in *Breviloquio* auctor edisserit, ut ibi pro cujusque materiæ ratione manifeste apparet. Adeo ut non tam Declaratio Terminorum Theologiæ sit iste Tractatus, quam Compendium totius Theologiæ compendiosissimum, longeque ipso Breviloquio brevius.

Divinæ personæ. Omnipotens Deus, Pater, Filius, Spiritus sanctus, unus est Deus : nam in unitate naturæ numerali est realis pluralitas personarum : quarum prima, scilicet Pater, a nullo est producta, nec producibilis; nec genita, nec generabilis; nec spirata, nec spirabilis; nec creata, nec creabilis. Secunda persona, scilicet Filius, est genita a Patre naturali productione, naturali fecunditate intellectus per memoriam. Tertia persona, scilicet Spiritus sanctus, est spirata a Patre et Filio, non genita, nec creata, sicut nec secunda persona est creata, nec spirata.

Essentia divina. Essentia autem divina est summe una, id est, nullo modo divisibilis in plures essentias. Secundo est summe simplex, id est, non composita ex multis rebus distinctis a se invicem re, nec componibilis cum rebus a se re distinctis; sed quidquid est in ea, propter sui infinitatem est una res cum ea. Tertio est immensa, id est, ipsa per seipsam est præsens omni rei, et per se ipsam (*a*)

[1] *Cf.* Edit. Argent., an. 1495; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, p. 1. p. 209; edit. Lugd. an. 1647, tom. I, p. 209; edit. Ven. an. 1754, tom. VI, p. I, p. 9.

(*a*) *Cæt. edit.* persona per ipsam.

operatur in omni re, et manu tenet, et intelligit omnia. Quarto est æterna, id est, non incœpit, nec desinit, simul et semel omnes perfectiones indivisibiliter continet. Quinto est incommutabilis, id est, nec substantialiter, nec accidentaliter mutabilis, nec generabilis, nec corruptibilis; nec aliquo modo perfectibilis, vel defectibilis. Sexto est necessaria, id est, ipsa non potest non esse, nec aliquid ab eo deficere, et omnis sua actio est ipsa essentia, et necessaria, licet terminus actionis divinæ ad extra non sit necessarius. Septimo est prima, id est radix et fundamentum emanationum et personalium proprietatum, et omnino prima entitas, inter omnia etiam, et in divinis, et creaturis. Octavo in ea est summa fecunditas, id est, memoria perfecta ad producendum personam utramque. Nam memoria, quam dicunt intellectivam, naturam Dei dicit cum intellectu, quæ fecunda est respectu Verbi. Sed memoria, quam dicunt spirativam, naturam Dei dicit cum voluntate, quæ est fecunda respectu Spiritus sancti. Nono est in ea summa charitas, id est una numero voluntas in tribus personis, et per consequens eadem volitio, et volitum idem. Decimo est in ea summa liberalitas, id est, communicabilitas suæ essentiæ et omnis infinitæ perfectionis in deitate ipsis personis, et suæ bonitatis, et influentiæ in creaturis omnibus rebus productis. Undecimo est in ea summa æqualitas, id est perfectio Patris non est major, nec minor perfectione Filii, similiter et Spiritus sancti; nec Filius est perfectionis majoris, vel minoris, quam Pater, et Spiritus sanctus. Idem dicendum de Spiritu sancto respectu Patris et Filii; nec est deitas alia in Filio, et Spiritu sancto, quam in Patre, nec e converso; nec est potestas alia in Patre, quam in Filio, et Spiritu sancto, nec major, nec minor. Nec est duratio sive æternitas major, vel minor in Patre, quam in Filio, et Spiritu sancto. Duodecimo est in ea summa germanitas, id est, naturæ et essentiæ est summa unitas, scilicet numeralis in tribus personis; similiter et talis unitas est in omni perfectione essentiali in tribus personis, non autem in omni proprietate notionali. Tertiodecimo, est in ea summa conformitas, id est, essentialium proprietatum summa unitas et identitas, et nulla diversitas; voluntatis concordia, nulla discordia, si saltem debet dici concordia; operationum ad creaturas indivisibilitas, et omnium effectuum similis producibilitas. Quartodecimo est in ea inseparabilitas, id est, personarum simultas in existendo, et ubique præsentiam exhibendo, et omnia operando.

Quot sunt processiones, hypostases, relationes, et notiones in divinis.

Emanationes duæ sunt in divinis, scilicet generatio, et spiratio. Generatio est productio substantifica per modum naturæ. Spiratio est productio substantifica per modum voluntatis. Tres hypostases, id est supposita vel personæ, sunt in divinis, scilicet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Sequuntur quatuor relationes, scilicet paternitas, filiatio, processio, spiratio. Sequuntur etiam quinque notiones, scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, processio, spiratio. Paternitas est generatio activa; filiatio, generatio passiva; processio est spiratio passiva; spiratio est spiratio activa; innascibilitas, est proprietas nobilitatis, scilicet a nullo produci.

Proprietas personalis quid et quotuplex.

Proprietas personalis est, qua persona proprie et principaliter innotescit. Et sunt tres, scilicet paternitas, filiatio, spiratio passiva. Notio est, qua persona innotescit, ut distinguatur ab alia. Innascibilitas innotescit Patrem principaliter per modum negationis, et ex consequenti per modum positionis, id est, fontalis plenitudinis.

Filius.

Filius dicitur *Imago,* in quantum expressa similitudo Patris. Filius dicitur *Verbum*, in quantum est similitudo expressiva. Filius dicitur *Filius*, in quantum est similitudo hypostatica. Secundo Filius dicitur *Imago*, ut similitudo conformis. Dicitur *Verbum,* ut similitudo intellectualis. Dicitur *Filius*, ut similitudo connaturalis.

Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus dicitur *Donum*, ut datum voluntarium et præcipuum. Dicitur *Spiritus*, ut datum voluntarium et primum. Dicitur *Charitas Patris et Filii*, ut datum hypostasticum.

Quæ prædicamenta non sint in Deo.

Prædicamenta quinque ultima non sunt in Deo, quia pertinent proprie ad corporalia. Prædicamenta quinque ultima attribuuntur Deo figurative. Prædicamenta quinque prima, secundum id quod est completionis in eis, sunt in Deo, et reducuntur ad duo, scilicet substantiam, et relationem. Ideo dicuntur duo modi prædicandi in divinis, scilicet per modum substantiæ et relationis. Prædicare per modum substantiæ, est prædicare de omnibus personis simul, et singillatim, et singulariter. Prædicare vero secundum relationem, aut est non dici de omnibus, aut si de pluribus, pluraliter dici.

Essentia divina quomodo essentia et substantia dicitur.

Essentia divina dicitur *essentia*, in quantum communicabilis in abstracto; sed dicitur *substantia*, in quantum communicabilis in concreto.

Quinque modi dicendi in divinis.

Sunt quinque modi dicendi, simul et quærendi, in divinis : *quis*, ratione personæ; *qui*, ratione hypostasis; *quæ*, ratione notionis; *quod*, ratione substantiæ; *quid* sive *quo*, ratione essentiæ.

Habitare Deum in nobis, est effectum spiritualem causare in nobis, cum acceptatione per charitatem, qua Deus nos habet, et habetur a nobis. Tota Trinitas autem inhabitat in homine. *Deum apparere*, est in signo sensibili expresse significari, ut Spiritus sanctus apparuit in linguis igneis et columba. *Deum descendere*, dicit utrumque, scilicet inhabitare, vel apparere. *Deum mitti*, est cum utroque prædicto æternaliter produci. *Deum sedere in beatis*, est glorificare beatos.

Appropriare aliqua personis divinis, est ipsa communia omnibus personis, ad notitiam propriorum personalium facientia, alicui personæ attribuere : ut Patri unitatem, æternitatem, principiationem, omnipotentiam; Filio veritatem, speciem, exemplationem, omniscientiam; Spiritui sancto bonitatem, usum, finem, voluntatem.

Unum, est ens indivisum in se. *Verum*, est ens intelligibile. *Bonum*, est ens communicabile.

Deus omnipotens.

Deus est *omnipotens*, non quod possit actus culpabiles, ut mentiri; nec actus pœnales in se recipere, ut timere; nec corporales, ut dormire; nec inconvenientes, ut facere aliquem majorem se. Est, inquam, Deus perfecte, vere, et proprie omnipotens, id est potens omnia quæ sunt alicujus potentiæ, et potentiæ completæ.

Potentia duplex.

Potentia *completa* est, quæ non potest deficere, nec succumbere, nec indigere. Potentia *incompleta*, quæ potest in peccando deficere, in patiendo succumbere, in corporali actione indigere. Potentia *divina* est, quæ nec est de nihilo, nec sub aliquo, nec eget aliquo, nec culpabilia potest, nec pœnalia, nec materialia.

Sapientia multipliciter dicta.

Sapientia Dei est illa, qua limpidissime Deus cognoscit omnia bona, mala, præterita, præsentia, et futura, actualia, et possibilia : et per consequens, est infinita, et incomprehensibilis nobis. Sapientia Dei dicitur *scientia*, in quantum est cognitiva omnium possibilium. Dicitur *visio*, respectu omnium actualiter existentium. Dicitur *approbatio*, in quantum est respectu bonorum. Dicitur *præscientia*, in quantum est respectu futurorum. Dicitur *dispositio*, in quantum est respectu fiendorum ab ipso Deo. Dicitur *prædestinatio*, respectu præmiandorum. Dicitur *reprobatio*, in quantum est respectu damnandorum. Dicitur *lux*, in quantum est ratio cognoscendi omnia. Dicitur *speculum*, in quantum est ratio cognoscendi visa et approbata. Dicitur *exemplar*, in quantum est ratio cognoscendi prævisa et disposita. Dicitur *liber vitæ*, in quantum est ratio cognoscendi prædestinata. Sapientia Dei est liber vitæ respectu rerum, ut redeuntium; exemplar, ut exeuntium; speculum, ut euntium; lux, respectu omnium. Ad exemplar spectat idea secundum actum prævidendi; verbum,

secundum actum proponendi; ars, secundum actum prosequendi; ratio, secundum actum perficiendi. Simplex Dei notitia est, qua cognoscit Deus bona et mala, quæ sunt, fuerunt, et erunt, et possunt esse, quæ etiam nunquam erunt. *Notitia visionis* est, qua cognoscit Deus omnia mala, quæ sunt, fuerunt et erunt. *Notitia approbationis* est, qua cognoscit tantum bona, quæ sunt, fuerunt, et erunt. Voluntas Dei dicitur ratione regulata providentia, qua omnia quæ in universo fiunt, irreprehensibiliter gubernantur.

Deus causa efficiens, exemplaris, et finalis.

Deus est causa *efficiens* mundi, ratione cujus est in creatura unitas, modus, et mensura. Deus est causa *exemplaris* mundi, ratione cujus est in creatura veritas, species, et numerus. Deus est causa *finalis* mundi, ratione cujus est in creatura bonitas, ordo, et pondus.

Liber scriptus intus et foris.

Liber *intus* scriptus, est Dei æterna ars et sapientia. Liber *foris* scriptus, est mundus sensibilis.

Obedientia *mera* est, quando præceptum ex se solum obligat, non ex aliqua alia causa.

Ordo angelorum, secundum Gregorium [1], est multitudo cœlestium spirituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ similantur, sicut et in naturalium donorum munere conveniunt. *Hierarchia divina* est ipsa Trinitas increata. *Hierarchia angelica* est angelorum multorum habitudo ad invicem in scientia, actione, deiformitate, illuminatione, et in Deum ascensione. *Hierarchia ecclesiastica*, est rerum sacrarum et rationalium ordinata potestas, debitum in subditis retinens principatum. *Angelus*, est substantia incorporea, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, Deo serviens, gratia, non natura immortalitatem suscipiens, id est, annihilationem (*a*), quia incorruptibilitatem proprie habet ex natura.

Animæ definitio, et ejus potentiæ.

Anima est substantia spiritualis corpori, ut forma rectrix et vivificatrix, accommodata, et ad æternam beatitudinem principaliter ordinata. *Sensualitas* est potentia animæ, quæ sensificat corpus et movet, et appetit delectabilia corpori, et refugit nociva. *Sensus* est illa vis animæ, qua homo cognoscit res corporeas præsentes. *Imaginatio* est illa vis animæ, quæ intuetur res corporales absentes. *Ratio* est illa vis animæ, qua anima inter bonum et malum, inter verum et falsum discernit infra se. *Intellectus* est illa vis animæ, qua anima apprehendit res immateriales et intelligibiles. *Portio animæ superior*, est ipsa anima in quantum respicit superiora. *Portio animæ inferior*, est ipsa anima in quantum respicit inferiora. *Sensus communis* est, in quo omnes sensus particulares concurrunt. *Phantasia* est virtus animæ sensitiva, quæ componit formas novas, secundum similitudinem formarum a particularibus sensibus receptarum. *Æstimativa* est illa vis animæ qua dicimus esse sagacitatem in brutis, ut in vulpe. *Memoria* est illa vis, quæ con-ervat formas sensibilium specierum. *Motiva sensitiva* est vis, qua anima singula membra corporis movet. *Intellectus speculativus* est ille qui exercetur in speculatione veri. *Intellectus practicus* est ille qui exercetur in operatione boni. *Vis animalis* est illa, qua animal corporea objecta cognoscit et appetit. *Vis vitalis* est vis motiva aeris in corpore animalis per arterias. Unde *vis naturalis* est illa, qua corpus animalis nutritur, et conservatur species. *Vis generativa* est illa, qua conservatur species. *Nutritiva* est illa qua conservatur individuum.

Portio animæ duplex.

Oraculum, visio, somnium, insomnium, phantasma quid.

Oraculum est, cum in somnis apparet aliqua gravis persona, ut Deus, sacerdos, vel parens, denuntians aliquid eventurum, vel non faciendum, vel vitandum. *Visio* est, cum id quis videt quod evenit, sicut apparuit. *Somnium* est figuris tectum, et sine interpretatione intelligi non potest. *Insomnium* est, quando id quod vigilantem fatigaverat, se ingerit dormienti. *Phantasma* est,

[1] Greg., *in Evang.*, hom. XXXVIII. Vid. *Sent.*, lib. II, dist. IX, huj. edit. tom. II, p. 458.

(*a*) *Forsan legendum* immunitatem ab annihilatione.

quando vix dormire cœperit quis, et vigilare se existimat, et videtur aspicere irruentes super se, vel passim vagantes formas, discrepantes et varias, lætas et turbulentas.

Imago Dei in homine.

Imago Dei in natura rationali, est similitudo expressa, tamen deficiens in aliquo, Trinitatis increatæ, consistens in memoria, intelligentia et voluntate.

Libertas a coactione est facultas rationis et voluntatis, consurgens ex deliberatione præambula, et voluntate adjuncta, et dicitur *liberum arbitrium*.

Causa est principium productivum.

Ratio multiplex.

Ratio causalis est regula dirigens ipsum efficiens in productione : quæ regula est *idea* in Deo, in creatura *forma naturalis*. *Rationes causales* sunt formæ ideales. *Rationes seminales* sunt formæ naturales. *Ratio primordialis* est ratio causalis, tamen cum respectu ad Deum, ut primum principium.

Vestigium Dei est creatura, repræsentans Deum in rationibus omni creaturæ communibus, ut est unitas, veritas, et bonitas.

Similitudo est conformitas Dei in gratuitis, ut fide, spe, charitate.

Imago creationis consistit in tribus potentiis animæ, et unitate substantiæ, ita quod memoria repræsentat Patrem, intelligentia Filium, et voluntas Spiritum sanctum, et unitas substantiæ repræsentat unitatem divinæ essentiæ. *Imago recreationis* consistit in tribus virtutibus theologicis, et unitate gratiæ gratum facientis, ita quod fides repræsentat Filium, spes Patrem, charitas Spiritum sanctum; unitas gratiæ, unitatem essentiæ. *Imago glorificationis* consistit in tribus dotibus, et unitate gloriæ : ita quod aperta visio repræsentat Filium, secura tentio repræsentat Patrem, perfecta dilectio Spiritum sanctum, unitas gloriæ repræsentat unitatem essentiæ.

Malum multiplex.

Malum est privatio modi, speciei et ordinis. Nam creatura comparatur ad Deum in ratione effectus causæ efficientis, formalis, et finalis; et ratione primi, habet rationem modi; ratione secundi, habet rationem speciei; ratione tertii, habet rationem ordinis. *Malum culpæ* est carentia debitæ honestatis. *Malum pœnæ* est abstinentia debitæ delectationis cum sensu sui contrarii. *Malum pugnæ* est culpa diabolo in instigando, et est pœna justo in repugnando. *Malum secundum se et in se* est quod nullo modo potest bene fieri, ut odium Dei. *Malum in se*, sive *in genere*, quod aliquando potest bene fieri, ut occidere hominem. *Malum ex circumstantia*, est malum quod in se est bonum, tamen propter aliquam circumstantiam annexam fit malum.

Tentare, est probare.

De peccato, et aliis ad materiem de peccato in generali et speciali pertinentibus.

Peccatum originale est carentia debitæ justitiæ per inobedientiam Adæ facta, quam comitatur carentia visionis divinæ. *Peccatum actuale* est carentia debitæ justitiæ, facta (*a*) per inobedientiam propriæ voluntatis. *Peccatum veniale* est amor voluptatis in creatura citra Deum. *Peccatum mortale* est inobedientia mandatorum divinorum. *Delictum* est transgressio præceptorum affirmativorum. *Commissum* est transgressio præceptorum negativorum. *Præceptum affirmativum* est, quod ordinat quid debeat fieri. *Præceptum negativum* est, quod ordinat quid non debeat fieri.

Ignorantia.

Ignorantia negationis, est simpliciter aliquid non scire, sicut brutum non scit Deum. *Ignorantia privationis*, est ignorare aliquid, quod homo scire (*b*) potuit, et tenebatur scire. *Ignorantia dispositionis*, est non scire veritatem, et cum hoc tenere oppositam falsitatem. *Ignorantia simplex*, est nescire quæ tenetur homo scire, et ut sciat (*c*), facit aliquid, sed non sufficienter. *Ignorantia crassa* sive *supina*, est nescientia eorum quæ tenetur scire, et non vult (*d*) aliquem laborem subire, ut sciat. *Ignorantia affectata*, est nolle scire ea, ad quæ tenetur.

Peccatum cordis.

Peccatum cordis est transgressio legis divinæ per inordinationem intrinseci motus mentis. *Consensus* est nutus voluntatis spontaneus. *Conscientia* est naturale judicatorium, quid faciendum, vel non faciendum

(*a*) *Cœt. edit.* acta. — (*b*) *Item* postquam sciri. — (*c*) *Cœt. edit. non habent* et ut sciat. — (*d*) *Cœt. edit.* velle.

sit. *Perplexitas* est involutio inter opposita, ita quod videtur semper vergere in peccatum, quamcumque partem eligat. *Contentio* est veritatis impugnatio, cum confidentia clamoris. *Mendacium* est falsa signatio vocis cum intentione fallendi. *Jurare* est Deum invocare in testem suæ locutionis. *Perjurium* est mendacium juramento firmatum. *Adulatio* est sermo laudis, alicui exhibitus intentione placendi. *Maledicere* est alicui plagas, vel pœnas, verbo optativo imprecari. *Detractio* est famæ alienæ denigratio.

Peccatum operis. *Peccatum operis*, transgressio legis divinæ per inordinationem extrinseci motus. *Superbia* est amor vel appetitus propriæ excellentiæ. *Inanis gloria* est amor laudis propriæ propter excellentiam apparentem. *Inobedientia* est voluntas fingens minorationem potestatis, nolens subjacere superioribus in debitis. *Jactantia* est voluntas, propter apparentiam, propriam potestatem ostendens. *Hypocrisis* est voluntas per speciem sanctitatis se simulans fallaciter in aperto, et viliter agens in occulto.

Invidia. *Invidia* est dolor, vel odium, felicitatis alienæ. Odium est voluntas affectans proximo malum, ut careat bono quod ipsum odientem contristat. *Susurratio* est voluntas loquendi, seminans discordias inter fratres.

Ira. *Ira* est motus et fervor sanguinis circa cor, ex evaporatione fellis, propter appetitum vindictæ. *Fellea passio*, est subitus animi motus impatiens læsionis. *Mania* est maneus ira. *Cotus* est observatio opportuni temporis ad vindictam. *Rixa* est audax voluntas vindicandi in injuriam facti procedens. *Contumelia* est voluntas vindicans per exprobrationem malorum. *Blasphemia* est voluntas se vindicans per opprobrium Deo vel Sanctis illatum.

Acedia. *Acedia* est tædium operandi bonum. *Pusillanimitas* est voluntas immoderate metuens gravedinem, in aggressu agendorum. *Desperatio* est voluntas gravedinem reprimens, de adjutorio ad perficiendum bonum diffidens, sive de remuneratione divina diffidens. *Torpor* est voluntas gravedinis impatiens, tepida ad explendum inchoata.

Avaritia. *Avaritia* est amor immoderatus habendi. *Prodigalitas* est superfluitas, quæ dat non danda. *Furtum* est avaritia rapiens, vel retinens rem invito Domino. *Rapina* est avaritia violenter occupans rem alienam. *Usura* est avaritia acquirens per mutuum aliquid præter sortem. *Simonia* est avaritia studiose appetens vendere, vel emere spiritualia, vel spirituali annexum. *Proditio* est voluntas per deceptionen domesticorum acquirendis inhians. *Fallacia* est voluntas per verba decipiens proximum, causa lucrandi. *Fraus* est voluntas profectum proximi decipiens, propter terrenum emolumentum.

Gula. *Gula* est immoderatus amor edendi.

Luxuria. *Luxuria* est concupiscentia nimia experiendæ voluptatis.

Peccatum multiplex. *Peccatum ignorantiæ* est omissio debitæ scientiæ. *Peccatum ex ignorantia* est peccatum quod committitur ignoranter, et, si non fuisset ignorantia, non fuisset commissum. *Peccatum ex industria* est aversio voluntatis malignantis a summe clemente Deo. *Peccatum ex infirmitate* est aversio voluntatis male humiliatæ, vel male in amore accensæ. *Peccatum in Deum* dicitur impietas. *Peccatum in proximum* dicitur iniquitas. *Peccatum in seipsum* dicitur impuritas. *Idololatria* est falsa et superstitiosa protestatio majestatis divinæ in idolo. *Apostasia* est temerarius a statu fidei, vel obedientiæ, vel religionis recessus. *Schisma* est illicita dissensio eorum, inter quos debet esse unitas. *Hæresis* est recessus a vera fide. *Divinatio* est superstitiosa investigatio præscientiæ futurorum. Necromantia (a) est divinatio facta in cadaveribus mortuorum. *Geomantia* est divinatio facta in terra. *Hydromantia* est divinatio facta in aqua. *Æromantia* est divinatio facta in aere. *Pyromantia* est divinatio facta in igne. *Maleficium* est mulierum opus, vel ligatura alicujus rei, in damnum vel commodum ali-

(a) *Cæt. edit.* nigromantia.

cujus hominis. *Sortilegium* est divinatio per sortes. *Augurium* est divinatio per garritus, vel gestus avium. *Præstigium* est per quod diabolicis illusionibus oculi hominum perstringuntur, ne possint cernere verum. *Hypocrisis* est velle videri qualis non est.

De gratia, et de virtutibus.

Gratia generaliter dicitur adjutorium divinum, creaturæ liberaliter et gratis impensum ad quemcumque actum indifferenter. *Gratia gratis data* est adjutorium divinitus datum, ut quis præparet se ad suscipiendum Spiritus sancti donum, quo perveniat ad statum meriti. *Gratia gratum faciens* est adjutorium divinitus datum ad merendum.

Virtutes theologicæ.

Fides est habitus quo creduntur ea quæ non videntur. *Spes* est virtus qua spiritualia et æterna bona cum fiducia expectantur, propter confidentiam meritorum præcedentium, et gratiam divinam. *Charitas* est virtus qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum. *Amor* est naturalis affectio, communis rationalibus et irrationalibus. *Dilectio* est affectio rationalium et intellectualium.

Virtutes cardinales. Prudentia.

Prudentia est notitia eorum quæ sunt agenda, et eorum quæ sunt vitanda. *Memoria* est notitia præteritorum, ut præterita sunt. *Intelligentia* (*a*) est notitia præsentium. *Providentia* est notitia futurorum. *Circumspectio* est cautela contrariorum vitiorum. *Cautio* est discretio virtutis a vitio speciem virtutis præferente. *Docilitas* est prudentia erudiendi imperitos.

Temperantia.

Temperantia est domatio libidinum et omnium malorum motuum, Deo hominem incorruptum conservans. *Continentia* (*b*) est regimen cupiditatis per consilii gubernationem. *Clementia* est virtus per quam animus, in odium alicujus temere concitatus, benignitate remittitur. *Modestia* est virtus qua pudor honestatis comparat puram et stabilem auctoritatem. *Verecundia* est observatio honestatis in gestu et verbo.

Fortitudo.

Fortitudo est magnarum rerum appetitio, et humilium contemptio, et cum humilitate laborum perpessio. *Magnanimitas* est difficilium spontanea et rationabilis aggressio. *Fiducia* est certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam. *Securitas* est habitus secundum quem imminentes incommoditates, et rei inchoatæ affines, non formidantur. *Magnificentia* est magnarum rerum et excelsarum, cum animi ampla quadam et splendidissima propositióne, cogitatio atque administratio. *Constantia* est stabilis in bono perseverantia. *Patientia* est æquanimis malorum tolerantia. *Fidentia* est in magnis et honestis firma fiducia, et tuta collocatio. *Perseverantia* est finalis permanentia in bono.

Justitia.

Justitia est virtus qua sibi, Deo et proximo, quod suum est tribuitur. *Severitas* est virtus debitó supplicio coercens injuriam. *Liberalitas* est virtus beneficiorum erogatrix. *Latria* est cultus soli Deo debitus, qui fit fide, spe et charitate. *Dulia* est servitus creaturæ debita. *Hyperdulia* est servitus vel cultus excellentibus creaturis debitus. *Reverentia* est virtus qua personis gravibus, et prælatione, vel officio sublimatis, debitus cultus reverentiæ impenditur. *Pietas* est virtus qua consanguineis et patriæ benevolis diligens cultus impenditur. *Gratia justitiæ* est beneficia jugi memoria recordari, et possibiliter rependere. *Vindicatio* est virtus qua omne injustum repellitur, et debite punitur. *Observantia* est virtus qua superiores honorifice tractantur. *Veritas* est virtus qua rebus cor et verba concordare jubentur. *Innocentia* est animi puritàs abhorrens omnem illationem injuriæ Deo, sibi, et proximo. *Amicitia* est dilectio alicujus proximi propter bonum ipsius proximi. *Concordia* est voluntatum et actionum conformitas. Misericordia est compassio miseriæ et indigentiæ proximi. *Disciplina* est conversatio honesta, cui parum est non agere malum, sed studet in bonis suis actibus irreprehensibilis apparere. *Obedientia* est obtemperatio voluntati superioris secundum regulas legis divinæ, vel

(*a*) *Cæl. edit. add.* prudentiæ. — (*b*) *Item add.* temperantiæ.

humanæ. *Æquitas* est amor æqualitatis in his, in quibus æquitas esse debet. *Contemplatio* est clara et libera perspicacia ad cognoscendum divinam sapientiam, et propriam et naturalem possibilitatem. *Oratio* est ascensus mentis in Deum, sive est expressio desiderii directi in Deum, ad bonum adipiscendum, vel malum removendum, formata per verbum interius et exterius.

Sacramentum quid et quotuplex.

Sacramentum est materiale elementum oculis subjectum, similitudine repræsentans, institutione significans, significatione gratiam conferens. *Baptismus* est tinctio corporis exterior facta sub forma verborum præscripta. *Confirmatio* est signatio hominis baptizati in fronte, facta ab episcopo ad roborandum hominem in fide. *Eucharistia* est vera et realis præsentia corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini. *Pœnitentia* est absolutio hominis peccatoris pœnitentis a sacerdote, clave non errante, pœnam æternam in temporalem divina auctoritate commutante. *Unctio extrema* est unctio hominis infirmi a sacerdote, in remissionem venialium peccatorum. *Ordo* est signaculum quo spiritualis potestas traditur ordinato. *Matrimonium* est viri mulierisque conjunctio maritalis, inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem servans.

Præmium triplex.

Præmium substantiale consistit in visione, fruitione, tentione unius summi boni. *Præmium consubstantiale* consistit in gloria corporis. *Præmium accidentale* consistit in quodam decore speciali superaddito, et dicitur *aureola*. *Aurea* est ipsa beatitudo substantialis. *Aureola* est gloria incorruptionis secundum profectum trium virium animæ in carne operantium, scilicet vis irascibilis, concupiscibilis, et rationalis. *Aureola virginum* est gloria de incorruptione carnis, attestante incorruptione (*a*) mentis. *Aureola martyrum* est gloria de invicta sustinentia mortis pro fide, vel justitia. *Aureola prædicatorum* est gloria de incorruptione doctrinæ ad alterum prolatæ, mente, verbo, et exemplo.

Aureola multiplex.

Hæc sunt, charissime frater, paucula, quæ pro usu et exercitio tibi relinquo : postquam, Deo dante, te iterato videro, latius tibi exponam.

(*a*) *Forsan legendum* incorruptionem.

BREVILOQUIUM [1]

OPUSCULI SEQUENTIS ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Breviloquium, quod ex eo appellatur, quia summatim ac breviter Theologiæ instituta ac præcepta exponit, in proœmium et tractatum dividitur. Proœmium sacræ Scripturæ ortum, progressum, statum, latitudinem, longitudinem, sublimitatem, profunditatem procedendi, eamque interpretandi modum demonstrat. Tractatus vero septem partibus continetur : prima est de Deo trino et uno; secunda, de creatura mundi; tertia, de corruptela peccati; quarta, de incarnatione Verbi; quinta, de gratia Spiritus sancti; sexta, de sacramentorum medicina; septima denique de statu finalis judicii. Materia primæ partis tractatur a Magistro in primo libro Sententiarum; secundæ et tertiæ, in secundo; quartæ, in tertio; quintæ, partim in secundo, et partim in tertio; sextæ vero et septimæ, in quarto. Has omnes et quidem grandes materias adeo brevi profunditate, et profunda brevitate Auctor edisserit, ut merito Joannes Gerso, par. II, tit. *Lib. leg.*, Breviloquium mira compendii arte divinitus compositum ingenue fateatur.

PROŒMIUM

Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur, ut det vobis, secundum divitias gloriæ suæ, virtute (a) *corroborari per spiritum ejus in interiori homine* (b), *habitare Christum per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere, cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei* [2]. Magnus Doctor gentium, et prædicator veritatis, divino repletus spiritu, tanquam vas electum et sanctificatum, in hoc verbo aperit sacræ scripturæ, quæ *Theologia* dicitur, ortum, progressum et statum : insinuans ortum scripturæ attendi secundum influentiam beatissimæ Trinitatis; progressum autem, secundum exigentiam humanæ capacitatis; statum vero sive fructum, secundum superabundantiam superplenissimæ felicitatis.

Ortus namque non est per humanam investigationem, sed per divinam revelationem, quæ fluit [3] *a Patre luminum,* [4] *ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur,* a quo per filium ejus Jesum Christum manat in nos Spiritus sanctus; et per Spiri-

[1] *Cf.* Edit. Argent. an. 1495, p. 1; edit. Vat. an. 1596, tom. VI, p. 1, p. 5; edit. Ven. an. 1611, tom. I, p. 5; edit. Lugd. an. 1647, tom. I, p. 5; edit. Ven. an. 1754, tom. V, p. 1. — [2] *Ephes.*, III, 14-19. — [3] *Jac.*, I, 17. — [4] *Ephes.*, III, 15. — (a) Cæt. edit. *virtutem.* (b) Vulg. *interiorem hominem.*

tum sanctum [1] *dividentem*, et distribuentem dona *singulis, sicut vult*, datur fides; et [2] *per fidem habitat Christus in cordibus nostris.* Hæc est notitia Jesu Christi, ex qua originaliter manat firmitas et intelligentia totius scripturæ sacræ. Unde et impossibile est, quod aliquis in ipsam ingrediatur agnoscendam, nisi prius Christi fidem habeat sibi infusam, tanquam ipsius totius scripturæ lucernam, januam, et etiam fundamentum. Est enim ipsa fides omnium supernaturalium illuminationum, quandiu [3] *peregrinamur a Domino*, et fundamentum stabiliens, et lucerna dirigens, et janua introducens: secundum cujus etiam mensuram necesse est mensurari sapientiam, nobis divinitus datam: ne quis [4] *sapiat plus quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Mediante igitur hac fide, datur nobis notitia sacræ scripturæ secundum influentiam beatissimæ Trinitatis, juxta quod expresse insinuat Apostolus in prima parte auctoritatis prius inductæ.

Progressus autem sacræ scripturæ non est coarctatus ad leges ratiocinationum, et diffinitionum, et divisionum, juxta morem aliarum scientiarum; et non est coarctatus ad partem universitatis: sed potius, cum secundum lumen supernaturale procedat, ad dandam homini viatori notitiam rerum sufficientem, secundum quod expedit ei ad salutem, partim per plana verba, partim per mystica, describit totius universi continentiam quasi in quadam summa, in quo attenditur latitudo; describit excellentiam finaliter salvandorum, in quo attenditur sublimitas; describit et miseriam damnatorum, in quo profunditas consistit non solum ipsius universi, verum etiam divini judicii. Et sic describit totum universum, quantum expedit de ipso habere notitiam ad salutem, secundum ipsius *latitudinem, longitudinem, altitudinem* et *profunditatem.* Ipsa etiam habet in suo progressu hæc quatuor, secundum quod posterius declarabitur, quia sic exigebat conditio capacitatis humanæ, quæ magna et multa nata est magnifice et multipliciter capere, tanquam speculum quoddam nobilissimum, in quo nata est describi non solum naturaliter, verum etiam supernaturaliter rerum universitas mundanarum, ut sic progressus sacræ scripturæ attendatur secundum exigentiam capacitatis humanæ.

Status vero, sive fructus sacræ scripturæ, non est quicumque, sed plenitudo æternæ felicitatis. Nam hæc est scriptura, in qua verba sunt vitæ æternæ; quæ ideo scripta est non solum ut credamus, verum etiam ut vitam possideamus æternam. In qua quidem videbimus, amabimus, et universaliter omnia desideria nostra implebuntur. Quibus impletis, vere tunc sciemus *supereminentem scientiæ charitatem*, et ita impleti erimus *in omnem plenitudinem Dei.* Ad quam quidem plenitudinem conatur nos divina introducere scriptura, juxta prædictæ sententiæ apostolicæ veritatem. Hoc igitur fine, hac etiam intentione, sacra scriptura perscrutanda est et docenda, et etiam audienda. Et ut ad istum fructum et terminum recto perveniamus progressu per viam recti itineris scripturarum, inchoandum est ab exordio: hoc est, ut cum mera fide ad Patrem luminum accedamus, *flectendo genua* cordis nostri, ut ipse per Filium suum in Spiritu sancto det nobis veram notitiam Jesu Christi, et cum notitia amorem ipsius, ut sic ipsum cognoscentes et amantes, et tanquam in fide solidati, et *in charitate radicati*, possimus ipsius sacræ scripturæ nosse latitudinem, longitudinem, altitudinem et profunditatem; et per hanc notitiam pervenire ad plenissimam notitiam, et excellentissimum et excessivum amorem beatissimæ Trinitatis, quo Sanctorum tendunt desideria, in quo est status et complementum omnis veri et boni.

Scriptura sacra quo fine perscrutanda.

[1] I *Cor.*, XII, 11. — [2] *Ephes.*, III, 17. — [3] II *Cor.*, V, 6. — [4] *Rom.*, XII, 3.

De Latitudine sacræ Scripturæ.

Hujus sacræ scripturæ fine concupito et intento, et principio credito simul et invocato, videndus est progressus, quantum ad ipsius latitudinem, longitudinem, sublimitatem et profunditatem, secundum viam et ordinem apostolici documenti. Consistit autem ipsius latitudo in multitudine suarum partium; longitudo vero, in descriptione temporum et ætatum; altitudo, in descriptione hierarchiarum gradatim ordinatarum; profunditas, in multitudine mysticorum sensuum et intelligentiarum. Si igitur velimus latitudinem sacræ scripturæ speculari, prima fronte occurrit nobis sacra scriptura secanda in duo Testamenta, scilicet Vetus, et Novum.

Veteris et Novi Testamenti libri sibi respondentes.

Vetus autem occurrit cum multitudine librorum: habet enim libros legales, historiales, sapientiales et prophetales: ita quod primi sunt quinque, secundi decem, tertii quinque, quarti sunt sex; ac per hoc in universo viginti sex. Novum similiter Testamentum habet libros his correspondentes, secundum quadruplicem formam. Nam legalibus correspondent libri evangelici; historialibus, Actus apostolici: sapientialibus, Epistolæ apostolorum, et maxime Pauli; prophetalibus correspondet liber Apocalypsis: ut sic mira sit conformitas inter Vetus et Novum Testamentum, non solum in continentia sensuum, verum etiam in quadriformitate partium. In cujus figuram et consignationem, vidit Ezechiel [1] rotam quatuor facierum, et rotam in medio rotæ, quia Vetus est in Novo, et e converso. Nam in libris legalibus et evangelicis est facies leonis, propter excellentiam auctoritatis; in historialibus est facies bovis, propter exempla virtutis; in sapientialibus est facies hominis, propter prudentiam sagacem; in libris prophetalibus est facies aquilæ, propter intelligentiam perspicacem.

Sacræ Scripturæ divisio.

Recte autem sacra Scriptura dividitur in Vetus et Novum Testamentum, et non in theoricam et practicam, sicut Philosophia; quia cum sacra scriptura fundetur proprie super cognitionem fidei, quæ virtus est et fundamentum morum, et justitiæ, et totius rectæ vitæ, non potest in ea sequestrari notitia rerum, sive credendorum, a notitia morum. Secus autem est de Philosophia, quæ non tantum de veritate morum, verum etiam agit de vero nuda speculatione considerato. Quoniam igitur Scriptura sacra est notitia movens ad bonum, et revocans a malo, et hoc est per timorem et amorem; ideo dividitur in duo Testamenta, quorum brevis differentia est timor et amor.

Quatuor modis potest quis moveri ad bonum, et revocari a malo.

Et quia quadrupliciter potest quis moveri ad bonum, et removeri a malo, scilicet per præcepta potentissimæ majestatis, vel per documenta sapientissimæ veritatis, vel per exempla et beneficia innocentissimæ bonitatis, vel ex his omnibus in unum collectis; ideo tam in Novo, quam in Veteri Testamento, sunt quadriformiter traditi libri continentes sacram scripturam, secundum correspondentiam ad quatuor præmissa. Nam libri legales movent per præcepta majestatis omnipotentissimæ; historiales, per exempla bonitatis innocentissimæ; sapientiales, per documenta veritatis sapientissimæ; prophetales movent ex omnium prædictorum aggregatione, sicut in eis manifestissime apparet. Unde ipsi sunt quasi rememorativi totius legis, sapientiæ, et doctrinæ.

Scriptura sacra fluvio similis.

Est igitur Scriptura sacra similis fluvio latissimo, qui ex concursu aquarum multarum aggregatur magis ac magis, secundum quod longius decurrit. Nam cum primo in Scriptura essent libri legales, postea supervenit aqua sapientiæ historialium librorum; tertio vero superadvenit doctrina sapientissimi Salomonis; post hoc etiam doctrina sanctorum Prophetarum, et tandem doctrina evangelica revelata, per os carnis Christi prolata, per evangelistas conscripta, per sanctos apostolos divulgata: additis etiam documentis, quæ Spiritus sanctus, super eos veniens, docuit nos per eos: ut sic omnem veritatem per Spiritum sanctum,

[1] *Ezech.*, I, 16.

juxta divinum promissum [1], edocti, omnis veritatis salutaris doctrinam Ecclesiæ Christi darent, et sacram Scripturam consummando, veritatis notitiam dilatarent.

De Longitudine sacræ Scripturæ.

Habet etiam hæc sacra scriptura longitudinem, quæ consistit in descriptione tam temporum, quam ætatum, a principio scilicet mundi, usque ad diem judicii. Describit enim per tria tempora mundum decurrere, scilicet per tempus legis naturæ, legis scriptæ, et legis gratiæ; et in his tribus temporibus septem distinguit ætates : quarum prima est ab Adam usque ad Noe, secunda a Noe usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad David, quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis, quinta a transmigratione Babylonis usque ad Christum, sexta a Christo usque ad finem mundi. Septima decurrit cum sexta, quæ incipit a quiete Christi in sepulchro, usque ad resurrectionem universalem, quando incipiet resurrectionis octava. Et sic Scriptura est longissima, quia in tractando incipit a mundi et temporis exordio in principio *Genesis*, et pervenit usque ad finem mundi et temporis, scilicet in fine *Apocalypsis*. Recte autem universum tempus, quod decurrit secundum triplicem legem, scilicet inditam interius, datam exterius, et desuper infusam, decurrit per septem ætates, et consummatur in fine sextæ, ut sic mundi decursus respondeat mundi exordio, et majoris mundi decursus correspondeat decursui vitæ minoris mundi, scilicet hominis, propter quem etiam factus est. Nam prima ætas mundi, in qua facta est ipsius mundi formatio, casus dæmonum, et confirmatio angelorum, recte respondet primæ diei, in qua facta est lux, et divisa a tenebris. Secunda, in qua per arcam, et diluvium, salvati sunt boni, et deleti mali, respondet secundæ diei, in qua per firmamentum facta est distinctio aquarum ab aquis. Tertia, in qua vocatus est Abraham, et inchoata Synagoga, quæ fructificare et generare debebat prolem ad Dei cultum, correspondet diei tertiæ, in qua apparuit terra, et protulit herbam virentem. Quarta, in qua viguit regnum et sacerdotium, quia David rex ampliavit cultum divinum, correspondet quartæ diei, in qua facta est formatio luminarium et stellarum. Quinta, in qua transmigrantes inter populos multos versati sunt et tribulati, correspondet diei quintæ, in qua facta est formatio piscium ex aquis. Sexta ætas, in qua natus est Christus in effigie hominis, qui vere est imago Dei, correspondet sextæ diei, in qua formatus est homo primus. Septima, in qua est quies animarum non habens finem, correspondet septimæ diei, in qua requievit Deus ab omni opere quod patrarat. Et sic distinguuntur hæ septem ætates propter insignia facta, quæ fuerunt in earum exordiis, ratione quorum correspondent diebus formationis mundi. Vocatur autem prima ætas infantia, quia sicut infantia tota oblivione deletur, sic illa prima ætas per diluvium est consumpta; secunda, pueritia : sicut enim in pueritia loqui incipimus, sic in secunda ætate facta est distinctio linguarum. Tertia dicitur adolescentia, quia sicut vis generativa tunc incipit in actum suum exire, sic (*a*) tunc vocatus est Abraham, et data est ei circumcisio, et facta est ei promissio de semine. Quarta dicitur juventus, quia sicut in juventute floret hominis ætas, sic in quarta ætate sub Regibus floruit Synagoga. Quinta dicitur senectus, quia sicut in senectute vires minuuntur et decidit pulchritudo, sic et in transmigratione factum est de Judæorum sacerdotio. Sexta ætas dicitur senectus (*b*), quia sicut illa est quæ copulatur cum morte, habens tamen magnam lucem sapientiæ; sic sexta ætas mundi terminatur cum die judicii, et in ea viget sapientia per doctrinam Christi. Sic igitur totus ille mundus, ordinatissimo decursu, a Scriptura sacra describitur procedere, a prin-

Ætates septem.

[1] *Joan.*, XVI, 13.

(*a*) *Ita Edit. Lug.; Edit. Vat. et Ven.* sicut. — (*b*) senium.

cipio usque ad finem, ad modum cujusdam pulcherrimi carminis ordinati, ubi potest quis speculari, secundum decursum temporis, varietatem, et multiplicitatem, et æquitatem, et ordinem, rectitudinem et pulchritudinem multorum divinorum judiciorum, procedentium a sapientia Dei gubernante mundum. Unde sicut nullus potest videre pulchritudinem carminis, nisi aspectus ejus feratur super totum versum; sic nullus videt pulchritudinem ordinationis et regiminis universi, nisi eam totam speculetur. Et quia nullus homo tam longævus est, quod totam possit videre oculis carnis suæ, nec futura potest per se prævidere; providit nobis Spiritus sanctus librum Scripturæ sacræ, cujus longitudo commetitur se decursui regiminis universi.

De Sublimitate sacræ Scripturæ.

Habet nihilominus Scriptura sacra in suo processu sublimitatem, quæ consistit in descriptione hierarchiarum gradatim ordinatarum, quæ sunt hierarchia ecclesiastica, angelica, et divina, seu subcœlestis, cœlestis, et supercœlestis : ita quod primam describit patenter, secundam aliquantulum magis occulte, et tertiam adhuc magis occulte. Ex descriptione ecclesiasticæ hierarchiæ est alta; ex descriptione angelicæ, altior; ex descriptione divinæ, altissima, ita ut possimus dicere illud Prophetæ [1] : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.* Et hoc quidem satis recte : nam cum res habeant esse in materia, vel natura; habeant etiam esse in anima per notitiam acquisitam ; habeant etiam esse in ea per gratiam; habeant etiam in ea esse per gloriam, et habeant etiam esse in arte æterna : Philosophia quidem agit de rebus ut sunt in natura, seu in anima, secundum notitiam naturaliter insitam, vel etiam acquisitam; sed Theologia, tanquam scientia super fidem fundata, et per Spiritum sanctum revelata, agit et de eis quæ spectant ad gratiam, et sapientiam, et etiam ad gloriam æternam. Unde, ipsa substernens sibi philosophicam cognitionem, et assumens de naturis rerum quantum sibi opus est ad fabricandum speculum, per quod fiat repræsentatio divinorum, quasi scalam erigit, quæ in sui infimo tangit terram, et in suo cacumine tangit cœlum; et hoc totum per illum unum hierarcham Jesum Christum, qui non tantum, ratione naturæ humanæ assumptæ, est hierarcha in ecclesiastica hierarchia, verum etiam in angelica, et est media persona in illa supercœlesti hierarchia beatissimæ Trinitatis : ita quod per ipsum a summo capite Deo descendit unctionis gratia, non solum [2] *in barbam*, verum etiam *in oram vestimenti* : quia non tantum in Hierusalem supernam, verum etiam usque in Ecclesiam militantem. Est enim pulchritudo magna in machina mundana; sed longe major in Ecclesia, pulchritudine sanctorum charismatum adornata; maxima autem in Hierusalem superna; supermaxima autem in illa Trinitate summa et beatissima. Ideo ipsa scriptura sacra non tantum habet altissimam materiam, per quam delectat, et per quam in altum levat intelligentiam mentis; verum etiam ipsa est venustissima, et miro quodam modo intellectum nostrum delectat, et sic magis ac magis delectando assuefacit ad divinorum spectaculorum contuitus et anagogias.

De Profunditate sacræ Scripturæ.

Habet postremo ipsa sacra Scriptura profunditatem, quæ consistit in multiplicitate mysticarum intelligentiarum. Nam præter litteralem sensum, habet in diversis locis exponi tripliciter : scilicet allegorice, moraliter, et anagogice. Est autem allegoria, quando per unum factum indicatur aliud factum, secundum quod credendum est. Tropologia sive moralitas est, quando per id, quod factum est, datur intelligi aliud, quod faciendum est. Anagogia, quasi *sursum ductio*, est quando datur intelligi illud

Allegoria. Tropologia. Anagogia.

[1] *Psal.* CXXXVIII, 6. — [2] *Psal.* CXXXII, 2.

quod desiderandum est, scilicet æterna felicitas beatorum.

Quatuor sensuum sacræ Scripturæ congruentia.

Recte autem hic triplex sensus debet esse in sacra Scriptura præter intelligentiam litteralem; quia sic competit ipsius scripturæ subjecto, ipsius auditori seu discipulo, ipsius origini, ipsius etiam fini. Subjecto, inquam, competit, quia ipsa est doctrina, quæ est de Deo, de Christo, de operibus reparationis, et de credibili. Subjectum enim illius, quoad substantiam, Deus; quoad veritatem, Christus; quoad operationem, reparationis opus; quoad omnia hæc, est ipsum credibile. Deus autem est trinus et unus: in essentia unus, in personis trinus: ideo scriptura quæ est de ipso, habet in unitate litteræ triformitatem intelligentiæ. Christus etiam cum sit unum verbum, *omnia per ipsum facta* dicuntur[1], et in ipso relucent, ita quod ejus sapientia est multiformis et una. Opera reparationis cum sint multa, omnia ad Christi oblationem principaliter habent aspectum. Credibile autem, ut credibile, diversimode relucet secundum diversum statum credentium. Ideo propter conformitatem ad omnia præmissa, sacra Scriptura in una littera multiformem parit intelligentiam.

Auditor Scripturæ qualis debet esse.

Competit etiam hoc auditori: quia nullus conveniens est ejus auditor, nisi humilis, mundus, fidelis, et studiosus. Ideo sub cortice litteræ aperte occultatur mystica et profunda intelligentia, ad comprimendum superbiam, ut ipsius profunditate in humilitate litteræ latente, et superbi comprimantur, et immundi repellantur, et fraudulenti declinentur, et negligentes excitentur ad intelligentiam mysteriorum. Et quia auditor doctrinæ istius non est unius generis, sed cujuslibet: omnes enim salvandos oportet aliqua de doctrina hac scire; ideo ipsa multiformem habet intelligentiam, ut sic omnem intellectum capiat, et omni intellectui condescendat; omnem intellectum superexcedat, et omnem intellectum, sibi diligenter intendentem, multitudine radiositatis suæ illuminet pariter et accendat. Competit etiam principio, a quo est; quia est a Deo per Christum et Spiritum sanctum, loquentem per ora prophetarum, et aliorum, qui hanc doctrinam scripserunt. Quoniam autem Deus non tantum loquitur per verba, verum etiam per facta, quia ipsius dicere facere est, et ipsius facere dicere, et omnia creata tanquam Dei effectus innuunt suam causam; ideo in Scriptura divinitus tradita non tantum debent significare verba, verum etiam facta. Christus etiam doctor, licet esset humilis in carne, altus tamen erat in deitate: ideo decebat ipsum, et ejus doctrinam, habere humilitatem in sermone cum profunditate sententiæ, ut sicut Christus fuit panniculis involutus, ita sapientia Dei in Scriptura figuris quibusdam humilibus involveretur. Spiritus etiam sanctus diversimode illustrabat, et revelationes faciebat in cordibus prophetarum; ipsum etiam nullus latere potest intellectus, qui missus erat omnem docere veritatem: ideo competebat ejus doctrinæ, ut in uno sermone multiplices laterent intelligentiæ. Competit nihilominus ipsi fini; quia Scriptura data est, ut per ipsam dirigatur homo in cognoscendis et agendis, ut tandem perveniat ad optata. Et quia omnes creaturæ ad hoc factæ sunt, ut serviant homini tendenti ad supernam patriam; ideo Scriptura assumit ipsarum creaturarum species diversas, ut sic per ipsas doceat nos sapientiam dirigentem nos ad æterna: et quia homo non dirigitur ad æterna, nisi cognitiva agnoscat verum credendum, et operativa faciat bonum operandum, et affectiva suspiret ad Deum videndum, et amandum, et perfruendum; hinc est, quod Scriptura sacra, per Spiritum sanctum data, assumit librum creaturæ, referendo in finem secundum triplicem modum intelligentiæ: ut sic per tropologiam habeamus notitiam agendorum moraliter; per allegoriam, credendorum veraciter; per anagogiam, desiderandorum delectabiliter: ut sic purgati per virtuosam operationem, illuminati per

Deus et verbis, et factis loqui consuevit.

Homo quomodo ad æterna dirigitur.

[1] *Joan.*, I, 3.

radiosam fidem, et perfecti per ardentissimam charitatem, perveniamus tandem ad bravium felicitatis æternæ.

De Modo procedendi ipsius sacræ Scripturæ.

In tanta igitur multiformitate sapientiæ, quæ in ipsius sacræ Scripturæ continetur latitudine, longitudine, altitudine et profundo, unus est communis modus procedendi authenticus, videlicet intra quem continetur modus narrativus, præceptorius, prohibitivus, exhortativus, prædictivus, comminatorius, promissivus, deprecatorius, et laudativus. Et omnes hi modi sub uno modo authentico reponuntur, et hoc quidem satis recte. Quia enim hæc doctrina est ut boni fiamus et salvemur, et hoc non fit per nudam considerationem, sed potius per inclinationem voluntatis; ideo Scriptura divina eo modo debuit tradi, quo modo magis possemus inclinari. Et quia magis movetur affectus ad exempla, quam ad argumenta; magis ad promissiones, quam ad ratiocinationes; magis per devotiones, quam per diffinitiones : ideo scriptura ista non debuit habere modum diffinitivum, divisivum, et collectivum ad probandum passiones aliquas de subjecto ad modum aliarum scientiarum; sed oportuit quod haberet modos proprios secundum varias inclinationes animorum diversimode animos inclinantes : ut si quis non movetur per præcepta et prohibita, saltem moveatur per exempla narrata; si quis non per hæc movetur, moveatur per beneficia sibi ostensa; si quis nec per hæc movetur, moveatur per monitiones sagaces, per promissiones veraces, per comminationes terribiles, ut sic saltem excitetur ad devotionem et Dei laudem, in qua percipiat gratiam, per quam dirigatur circa opera virtuosa. Quoniam igitur hi modi narrativi non possunt fieri per viam certitudinis rationum, quia particularia gesta probari non possunt; ideo ne scriptura ista tanquam dubia vacillaret, ac per hoc minus moveret, loco certitudinis rationis providit Deus huic scripturæ certitudinem auctoritatis, quæ adeo magna est, quod omnem perspicuitatem humani ingenii superexcellit. Et quia non est certa auctoritas ejus, qui potest fallere et falli; nullus autem sit, qui falli non possit, et fallere nesciat, nisi Deus, et Spiritus sanctus : hinc est, quod ad hoc, quod Scriptura sacra modo sibi debito esset perfecte authentica, non per humanam investigationem est tradita, sed per revelationem divinam. Ideo nihil in ipsa condemnandum tanquam inutile, nihil respuendum tanquam falsum, nihil repudiandum tanquam iniquum : pro eo quod Spiritus sanctus ejus auctor perfectissimus nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum : et propterea[1] *cœlum et terra transibunt, verba* Scripturæ sacræ *non præteribunt*, quin impleantur : *Donec enim*[2] *cœlum et terra transeat, iota unum, aut unus apex, non prætcribit a lege, donec omnia fiant*, Salvatore testante. *Qui ergo solverit ea*, quæ Scriptura docet, *et docuerit sic homines, hic minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Affectus quibus magis moveatur.

De Modo exponendi sacram Scripturam.

Quemadmodum autem scriptura hæc specialem habet modum procedendi, sic juxta suum procedendi modum, speciali suo modo debet intelligi et exponi. Cum enim ipsa sub una littera multiplicem tegat intelligentiam, expositor debet abscondita producere in lucem, et illam eductam manifestare per aliam scripturam magis patentem : sicut si exponerem illud Psalmi[3] : *Apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi*, et velim explicare quæ sint arma divina, dicam, quod ejus veritas et bona voluntas : et quod ita sit, probatur per scripturam apertam. Nam et scribitur alibi[4] : *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos;* et iterum[5] : *Scuto circumdabit te veritas ejus*. Ad quod

[1] *Matth.*, XXIV, 35. — [2] *Matth.*, V, 18, 19. — [3] *Psal.* XXXIV, 2. — [4] *Psal.* V, 13. — [5] *Psal.* XC, 5.

non potest quis de facili pertingere, nisi, per assuefactionem lectionis, textum et litteram Bibliæ commendet memoriæ : alioquin in expositione Scripturarum nunquam poterit esse potens. Unde sicut qui dedignatur prima ediscere elementa, ex quibus dictio integratur, nunquam potest cognoscere nec dictionum significatum, nec rectam legem constructionum; sic qui litteram sacræ Scripturæ spernit, ad spirituales ejus intelligentias nunquam assurget. Attendat autem expositor, quod non ubique requirenda est allegoria, nec omnia sunt mystice exponenda. Propter quod notandum est, quod Scriptura sacra quatuor habet partes. Una est, in qua secundum litteram agit de mundanis naturis, et per illas significat reparationem nostram, sicut apparet in descriptione formationis mundi. Alia est, in qua agit de actibus et processibus illius populi Israelitici; et per illos significat reparationem generis humani. Tertia est, in qua nudis verbis significat et exprimit ea, quæ pertinent ad nostram salutem quantum ad fidem vel mores. Quarta est, in qua prænuntiat nostræ salutis mysterium, partim verbis nudis, partim ænigmaticis et obscuris. Et propterea Scriptura in his locis variis non est uniformiter exponenda.

Scripturæ sacræ quatuor partes

Debet autem expositor dirigi in expositione sacræ Scripturæ secundum triplicem regulam, quæ trahi potest de verbis beati Augustini. Prima est hæc : Ubicumque in hac scriptura prima verborum significatio significat res creationis, sive singulares actus humanæ conversationis, ibidem res significatæ per verba primo significantur, deinde nostræ reparationis mysteria. Ubi vero prima significatio verborum exponit fidem, sive charitatem, ibi nulla est allegoria quærenda.

Tres regolæ exponendi sacram Scripturam ex B. Augustini verbis, *de Doct. Christ.*, c. 7, depromptæ

Secunda regula est ista : Ubi verba hujus scripturæ significant res creationis, aut conversationis populi Israelitici, ibi quærat ex alio scripturæ loco, quid quælibet res significet; et deinde significationem suam eliciat per verba nude significantia fidei veritatem, vel morum etiam honestatem : utpote si dicatur [1] : « Oves pariunt gemellos fœtus, » ostendat quod oves significant ibi homines, et geminus fœtus geminam charitatem.

Tertia regula est ista : Quando aliqua scriptura habet aliquem intellectum litteralem, et spiritualem, debet discutere expositor, utrum illa attributio conveniat historico, an spirituali significato, si forte utrique non poterit convenire; si autem utrique competit, tunc litteraliter et spiritualiter debet affirmari. Si vero altero modo tantum, tunc spiritualiter solum debet intelligi : sicut sabbàtum legis esse perpetuum, sacerdotium æternum, possessionem terræ æternam, et pactum circumcisionis esse æternum, quæ omnia ad spirituale significatum referenda sunt.

Ad hoc autem, quod per sacrarum scripturarum silvam, quis secure incidendo et exponendo incedat, opus est ut prius noverit ipsius sacræ scripturæ veritatem per verba explicita : videlicet, ut attendat quomodo Scriptura describat initium, progressum et consummationem duplicis corporis, quasi ex opposito se respicientium : bonorum scilicet, qui hic se humiliant, ut exaltentur sempiternaliter in futuro; et malorum, qui hic se exaltant, ut æternaliter deprimantur. Unde ipsa agit de toto universo quantum ad summum et imum, primum et ultimum, et quantum ad decursum inter medium, sub forma cujusdam crucis intelligibilis, in qua describi habet, et quodam modo videri lumine mentis, tota machina universi : ad quam quidem intelligendam oportet nosse rerum principium, scilicet Deum, ipsarum rerum creationem, lapsum, redemptionem per sanguinem Jesu Christi, reformationem per gratiam, curationem per sacramenta, et tandem retributionem per pœnam et gloriam sempiternam.

Quæ oporteat præ cognosci ad secure exponendum Scripturam sacram.

Et quia hæc doctrina tam in scriptis Sanc-

[1] Ex *Cant.*, IV, 2.

torum, quam etiam Doctorum sic diffuse tradita est, ut ab accedentibus ad Scripturam sacram audiendam, non possit per longa tempora videri, nec audiri, propter quod etiam novi theologi frequenter ipsam Scripturam sacram exhorrent, tanquam incertam et inordinatam, et tanquam silvam opacam: rogatus a sociis, ut paupere portiuncula scientiolæ nostræ aliquid breve in summa dicerem de veritate theologiæ, eorumque precibus devictus, assensi breviloquium quoddam facere, in quo summatim non omnia, sed aliqua magis opportuna ad tenendum, breviter tangerentur, addens simul cum hoc rationem aliquam ad intelligendum, secundum quod occurrebat pro tempore. Quia vero theologia sermo est de Deo, et de primo principio, utpote quia ipsa, tanquam scientia et doctrina altissima, omnia resolvit in Deum, tanquam in principium primum et summum: ideo in assignatione rationum, in omnibus quæ in hoc toto opusculo, vel tractaculo continentur, conatus sum rationem sumere a primo principio, ut sic ostenderem veritatem sacræ Scripturæ esse a Deo, et de Deo, et secundum Deum, et propter Deum: ut merito ista scientia appareat una esse, et ordinata, et *theologia* non immerito nuncupata. Si quid igitur imperfectum, vel obscurum, vel superfluum, vel minus rectum ibi fuerit, venia occupationi, et brevitati temporis, et pauperculæ scientiæ concedatur; si quid vero rectum, soli Deo honor et gloria referatur. Ut autem sequentia clarius elucescant, titulos particulares capitulorum præmittere curavi [1], ad faciliorem memoriam, et lucidiorem contuitum dicendorum, quæ septem partitionibus, et septuaginta duobus capitulis distinguuntur.

Breviloquii scribendi causa, materia, modus procedendi in eo, et ejusdem divisio.

PRIMA PARS

IN QUA

DE TRINITATE PERSONARUM ET UNITATE DEI [(a)] AGITUR

CAPUT PRIMUM.

De illis septem, de quibus est Theologia, in summa.

Theologia de quibus præcipue agit.

In principio intelligendum est, quod sacra doctrina, scilicet theologia, quæ principaliter agit de primo principio, scilicet de Deo trino et uno, de septem agit in universo: scilicet de trinitate Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de incarnatione Verbi, de gratia Spiritus sancti, de medicina sacramentali, et de statu finalis judicii. Ratio autem ad intelligentiam hujus veritatis, hæc est: quia cum sacra scriptura, sive theologia, sit scientia dans sufficientem notitiam de primo principio secundum statum viæ, secundum quod necessarium est ad salutem, et Deus non tantum sit rerum principium, et exemplar effectivum in creatione, sed etiam refectivum in redemptione, et perfectivum in retributione: ideo non tantum agit de Deo creatore, sed etiam de redemptore (*b*), et creatura. Et quia creatura rationalis, quæ est quodammodo finis omnium, non stetit, sed suo casu indiguit reparari; ideo agit de corruptela peccati, medico, sanitate, et medicina, et tandem de curatione perfecta, quæ erit in gloria,

[1] Tituli, de quibus Doctor noster, in hac editione, uniformitatis causa, remittuntur ad calcem tomi, siva Indicem.

(*a*) *Cæt. edit.* De Trinitate Dei. — (*b*) creatore.

impiis projectis in pœnam : ideo ipsa sola est scientia perfecta, quoniam incipit a primo, quod est primum principium, et pervenit ad ultimum, quod est præmium æternum : incipit a summo, quod est Deus altissimus creator omnium, et pervenit ad infimum, quod est infernale supplicium. Ipsa etiam sola est sapientia perfecta, quæ incipit a causa summa, ut est principium causatorum, ubi terminatur cognitio philosophica ; et transit per eam, ut est remedium peccatorum ; et reducit in eam, ut est præmium meritorum, et finis desideriorum. Et in hac cognitione est sapor perfectus, vita et salus animarum : et ideo ad eam addiscendam inflammari debet desiderium omnium Christianorum. Ex his patet, quod licet theologia sit de tot et tam variis, est tamen scientia una, cujus subjectum, ut a quo omnia, est Deus ; ut per quod omnia, Christus ; ut ad quod omnia, opus reparationis ; ut circa quod omnia, unicum charitatis vinculum, quo cœlestia et terrestria connectuntur ; ut de quo omnia in libris canonicis comprehensa, credibile ut credibile ; ut de quo omnia in libris expositorum, credibile ut intelligibile, secundum Augustinum [1] : « Quod credimus, debemus auctoritati ; quod intelligimus, rationi. »

Theologia sola scientia et sapientia perfecta.

Theologia est una scientia, et quod sit ejus subjectum

CAPUT II.

Quid tenendum de trinitate personarum, et unitate essentiæ.

Primo igitur de trinitate Dei sunt tria consideranda, scilicet : qualiter unitas substantiæ et naturæ simul stet cum pluralitate personarum ; secundo, qualiter cum pluralitate apparitionum ; tertio, qualiter cum pluralitate appropriatorum.

De Trinitate tria consideranda.

De pluralitate ergo personarum in unitate naturæ, hoc dictat recta fides esse tenendum, scilicet quod in unitate naturæ sunt tres personæ, scilicet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : quarum prima a nulla est ; secunda est a sola prima per generationem ; tertia vero est a prima et secunda per spirationem, sive processionem : ita quod trinitas personarum non excludit ab essentia divina summam unitatem, simplicitatem, immensitatem, æternitatem, incommutabilitatem, necessitatem, et etiam primitatem ; quin potius includit summam fecunditatem, charitatem, liberalitatem, æqualitatem, germanitatem, conformitatem, et inseparabilitatem : quæ omnia sana fides intelligit esse in beata Trinitate.

Personarum pluralitas in unitate naturæ quomodo stet.

Ratio autem hujus veritatis hæc est : quia fides, cum sit principium cultus Dei, et fundamentum ejus, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, dictat de Deo esse sentiendum altissime et piissime. Non autem sentiret altissime, si non crederet quod Deus posset se summe communicare ; non sentiret piissime, si crederet quod posset et nollet : et ideo, ut altissime et piissime sentiat, dicit Deum se summe communicare, æternaliter habendo dilectum et condilectum, ac per hoc Deum unum et trinum. Huic autem fidei, in quantum dictat de Deo piissime sentiendum esse, attestatur tota sacra Scriptura, quæ dicitur doctrina secundum pietatem ; quia Deum fatetur habere prolem, quam summe diligit, Verbum sibi coæquale, quod ab æterno genuit, in quo cuncta disposuit, per quod cuncta produxit et gubernat, per quod etiam carne factum pro summa benignitate hominem redemit pretiosissimo ejus sanguine redemptumque cibavit : per quod etiam in fine mundi summam misericordiam impartiendo, ab omni miseria liberabit : et per Christum omnes electi sunt filii summi Patris, in quo erit omnis pietatis consummatio, et Dei ad nos, et e converso. In quantum autem fides dictat de Deo sentiendum altissime, non tantum attestatur ei sacra Scriptura, verum etiam omnis creatura, juxta quod dicit Augustinus [2]. Neque enim divinorum librorum tantummodo auctoritas prædicat esse Deum ;

Fides dictat altissime et piissime sentiendum de Deo.

[1] Aug., *de Utilit. cred.*, c. XI. — [2] Id., *de Trinit.*, lib. XV, c. IV.

sed omnis, quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum conditorem, qui nobis mentem rationemque naturalem dedit, qua viventia non viventibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, potentia impotentibus, justa injustis, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris præferenda videamus. Ac per hoc, quoniam rebus creatis creatorem sine dubitatione præponimus, oportet, ut eum et (a) summe vivere, et cuncta sentire atque intelligere, et mori, corrumpi, mutarique non posse, nec corpus esse, sed spiritum omnipotentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimumque fateamur. Ecce in his duodecim includuntur altissimæ nobilitates essentiæ divinæ. Sed post, ut ipse ostendit, hæc duodecim reducuntur ad tria, scilicet ad æternitatem, sapientiam et beatitudinem; et hæc tria ad unum, scilicet ad sapientiam, in qua includuntur mens generans, verbum nascens, et amor utrumque nectens, in quibus fides dictat beatissimam consistere Trinitatem. Et quoniam summa sapientia ponit trinitatem, ponit etiam nihilominus omnes prius habitas nobilissimas conditiones, videlicet unitatem, simplicitatem et cæteras sequentes; necesse est omnes prædictas nobilitates divini Esse simul stare cum beatissima Trinitate.

CAPUT III.

De istius fidei intelligentia sana.

De iis quæ in divinis. Ad istius autem fidei intelligentiam sanam, docet doctrina sacra, quod in divinis sunt duæ emanationes, tres hypostases, quatuor relationes, quinque notiones, et ex his tantum tres proprietates personales.

Ratio autem ad prædictorum intelligentiam hæc est, quia cum primum et summum principium, hoc ipso quod primum, sit simplissimum; hoc ipso quod summum, sit perfectissimum: ideo perfectissime communicat, quia perfectissimum; et indivisionem omnimodam servat, hoc ipso quod simplicissimum. Et ideo, salva unitate naturæ, sunt ibi modi emanandi perfecti. Modi autem emanandi perfecti sunt duo tantum, scilicet per modum naturæ, et per modum voluntatis. Primus est generatio; secundus spiratio, sive processio; et ideo hi sunt ibi. (Emanationes duæ in divinis.) Et quia duabus emanationibus substantificis necesse est emanare duas hypostases, necesse est etiam ponere hypostasim primo producentem ab alio non emanare, ne sit in infinitum abire: et ideo sunt ibi tres hypostases. (Hypostases tres.) Et quia cuilibet emanationi respondet duplex habitudo relativa; ideo sunt ibi quatuor relationes, scilicet paternitas, filiatio, spiratio et processio. (Relationes quatuor.) Et quia per has habitudines innotescunt nobis divinæ hypostases; et præter hoc etiam hypostasis illa, in qua est prima ratio principiandi, innotescit nobis quia non producitur, nam hoc est nobilitatis in ipsa: ideo quinque notiones, scilicet quatuor relationes prædictæ cum innascibilitate. (Notiones quinque.) Et quia quælibet personarum unam habet proprietatem, per quam principaliter innotescit; ideo tantum tres sunt proprietates personales, quæ his nominibus exprimuntur proprie et principaliter, scilicet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. (Proprietates personales tres.) Cum enim proprium sit Patris esse innascibilem, sive ingenitum, esse principium non de principio, et esse Patrem: innascibilitas notificat ipsum per modum negationis, licet ex consequenti per modum positionis, quia innascibilitas in Patre ponit fontalem plenitudinem, principium non de principio, per modum positionis cum negatione; esse patrem, per modum positionis et habitudinis, proprie, complete, et determinate. (Innascibilitas quomodo notificet patrem.) Similiter cum Filius sit imago, verbum et filius: imago nominat illam personam, ut similitudinem expressam; verbum, ut similitudi- (Filius, imago, verbum.)

(a) Cæl. edit. est.

nem expressivam; filius, ut similitudinem hypostaticam: rursus imago, ut similitudinem conformem; verbum, ut similitudinem intellectualem; filius, ut similitudinem connaturalem. Per hunc modum, cum proprium sit Spiritus sancti esse donum, esse nexum seu charitatem amborum, esse etiam spiritum sanctum: donum nominat ipsum, ut datum voluntarium; charitas sive nexus, ut datum voluntarium et præcipuum; spiritus sanctus, ut datum voluntarium, præcipuum et hypostaticum. Hinc est quod per hæc tria nomina, quæ sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, trium personarum proprietates personales insinuantur. Hæc igitur tenenda sunt ad fidei Trinitatis intelligentiam sanam.

Spiritus S. donum nexus, charitas.

CAPUT IV.

De istius fidei expressione catholica.

Ad istius etiam fidei expressionem catholicam tenendum est, secundum sacrorum Doctorum documenta, quod in divinis sunt duo modi prædicandi, scilicet per modum substantiæ, et relationis; tres modi supponendi, scilicet essentiæ, personæ, notionis; quatuor modi significandi substantiam, scilicet nomine essentiæ, substantiæ, personæ, hypostasis; quinque modi dicendi, scilicet quis, qui, quæ, quod, et quid; tres modi differendi, scilicet secundum differentem modum existendi, secundum differentem modum se habendi, et secundum differentem modum intelligendi.

Duo modi prædicandi in divinis.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est, quia cum primum principium sit perfectissimum simul et simplicissimum, omnia quæ perfectionis sunt, de ipso dicuntur proprie et vere; quæ autem imperfectionis sunt, aut non dicuntur, aut, si dicuntur, secundum assumptionem humanæ naturæ dicuntur, vel transsumptive. Cum igitur decem sint prædicamenta, scilicet substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, ubi, quando, situs, et habitus: quinque ultima spectant proprie ad corporalia, seu mutabilia, ideo non attribuuntur Deo, nisi transsumptivo modo, et figurativo: alia vero quinque præcedentia Deo attribuuntur secundum id quod completionem dicunt, ita tamen quod divinam simplicitatem non impediant. Omnia ergo hæc prædicta prædicamenta sunt idipsum, quod est illud de quo prædicantur: et ita per comparationem ad subjectum, in quo sunt omnia, dicuntur transire in substantiam, relatione tamen excepta: quæ cum duplicem habeat comparationem, scilicet ad subjectum in quo, ad terminum ad quem, primo modo transit, ne faciat compositionem, sed secundo modo manet, ut faciat distinctionem. Et hinc est quod substantia continet unitatem, et relatio multiplicat trinitatem: et ideo manent ibi hi tantum duo modi prædicandi differentes, de quibus datur regula.

Prædicamenta decem quomodo Deo attribuantur.

Relatio in divinis.

Quæ dicuntur secundum substantiam, de omnibus dicuntur, et sigillatim, et simul, et singulariter. Quæ vero secundum relationem, aut non de omnibus dicuntur; aut, si de pluribus, pluraliter, ut *relati, distincti*, *similes*, *æquales*, propter relationem intrinsecam. Nomen autem *Trinitatis* comprehendit utrumque.

Regula de modis prædicandi in divinis.

Et quoniam plures possunt esse relationes in una persona, sicut sunt plures personæ in una natura; ideo distinctio in notione non infert diversificationem personæ, nec distinctio personæ plurificationem naturæ. Et propterea non quidquid convenit essentiæ, convenit notioni, vel personæ, nec e converso: et hinc est, quod sunt ibi tres modi supponendi, de quibus talis consuevit dari regula: Supposita essentia, non supponitur notio, nec persona; et supposita notione, non supponitur essentia, nec persona; et supposita persona, non supponitur essentia nec notio, sicut patet per exempla.

Regula de modis supponendi in divinis.

Et quoniam vera distinctio est in suppositis substantiæ, manente essentia una; ideo necesse est ibi multipliciter significari sub-

stantiam, scilicet ut communicabilem, et incommunicabilem : ut communicabilem per modum abstractionis, per nomen *essentiæ;* et per modum concretionis per nomen *substantiæ;* ut incommunicabilem vero, vel ut distinguibilem, per nomen *hypostasis;* vel ut distinctam, per nomen *personæ.* Et aliter, scilicet vel ut distinctam qualitercumque, et sic hypostasis; vel notabiliter et perfecte, et sic persona. Exempla horum quatuor sunt in creatura, humanitas, homo, aliquis homo, Petrus. Primum essentiam, secundum substantiam, tertium hypostasim, quartum personam dicit.

Et quia in persona, quæ distinguitur, non solum est considerare eum qui distinguitur, sed illud quo distinguitur, et hoc est proprietas, sive notio; ideo necesse est quod in divinis sint quinque modi dicendi, pariter et quærendi : scilicet quis, ratione personæ; qui, ratione hypostasis, quia dicit suppositum substantiæ indistinctæ; quæ, ratione notionis; quod, ratione substantiæ; quid sive quo, ratione essentiæ.

Modi dicendi quinque.

Et quoniam omnes hi modi in unitate essentiæ radicantur, quia quidquid est in Deo, est ipse Deus unus et solus, ideo non ponunt ibi differentiam, nec secundum essentiam, nec secundum esse. Et propterea sunt ibi tantum tres modi differendi, scilicet secundum modum essendi, sive emanandi, sicut differt persona a persona; secundum modos se habendi, sicut differt persona et essentia, quia una persona ad alteram refertur, et ideo distinguitur, essentia vero non refertur ad alteram, et ideo non distinguitur; secundum modos etiam intelligendi, sicut differt una proprietas substantialis ab altera, ut bonitas et sapientia. Prima differentia est perfectissima et summa quæ possit reperiri in divinis : est enim in suppositis, ita quod unum non dicitur de altero. Secunda differentia est minor, quia est in attributis; licet enim unum possit dici de altero, ut persona de essentia, aliquid tamen dicitur de uno, quod non de altero, ut persona distinguitur et refertur, essentia vero non. Tertia vero differentia minima est, quia est in connotatis : licet enim unum de altero dicatur ad invicem, et idem possit dici de utrisque, non tamen idem connotatur utrobique, nec per idem intelligi datur utrumque. Ex primo modo differendi oritur pluralitas personarum; ex secundo modo, pluralitas prædicationum substantialium et relativarum; ex tertio pluralitas proprietatum essentialium et notionum, sive ab æterno, sive ex tempore; sive proprie, sive transumptive; sive communiter, sive appropriate. Dictorum exempla manifesta sunt. His intellectis, claret satis, et quid sentiendum, et qualiter loquendum sit de summa trinitate divinarum personarum.

Modi differendi in divinis tres.

CAPUT V.

De unitate divinæ naturæ in multiformitate apparitionum.

Secundo autem de pluralitate apparitionum docet divina doctrina hoc esse tenendum. Cum Deus sit incircumscriptibilis, invisibilis et incommutabilis, nihilominus tamen habitat in sanctis viris specialiter. Apparuit patriarchis et prophetis, descendit de cœlis, misit etiam Filium et Spiritum sanctum ad salutem humani generis. Et licet in Deo sunt indivisa, natura, virtus et operatio Trinitatis; missio tamen, vel apparitio unius personæ, non est missio vel apparitio alterius. Licet etiam sit ibi summa æqualitas, solius tamen est Patris mittere, et non mitti; Spiritus sancti est tantummodo mitti, respectu divinarum personarum, nisi forte dicatur mittere hominem assumptum; Filii autem est mittere et mitti, sicut ex Scripturis potest colligi.

Intelligentia autem et ratio prædictorum hæc est : quia, licet primum principium sit immensum et incircumscriptibile, sit incorporeum et invisibile, sit æternum et incommutabile; principium tamen est rerum spiritualium et corporalium, naturalium et gra-

tuitarum, ac per hoc rerum etiam mutabilium, sensibilium et circumscriptarum : per quas licet ipse sit immutabilis, insensibilis, incircumscriptibilis, scipsum reddit manifestum et notum. Reddit autem se manifestum et notum generaliter per universitatem suorum effectuum ab ipso emanantium, in quibus dicitur esse per essentiam, potentiam et præsentiam, quod se extendit ad omnia creata. Reddit etiam se specialiter notum per aliquos effectus, qui in ipsum specialiter ducunt, ratione quorum dicitur habitare, apparere, descendere, mitti, et mittere. Habitare namque dicit effectum spiritualem et specialem, cum acceptatione; sicut est effectus gratiæ gratum facientis, quæ est deiformis, et in Deum reducit, et Deum facit nos habere, et haberi a nobis, ac per hoc et inhabitare in nobis. Et quia gratiæ effectus communis est omnibus personis, ideo una persona non habitat sine alia, imo simul tota Trinitas. Apparere vero dicit effectum sensibilem cum expressa significatione, sicut Spiritus sanctus apparuit in columba.

Deus in omnibus per essentiam, potentiam et præsentiam.

Et quoniam sicut personæ divinæ distinctæ sunt, sic distincte significari possunt, et signis, et nominibus; ideo quælibet persona potest per se apparere, et apparitio potest omnibus competere, sive insimul, sive cuilibet personæ per se. Unde quod Spiritus sanctus dicitur in linguis igneis et columba apparuisse, hoc non est propter novum vinculum, vel effectum specialem; sed propter unionem, quæ est inter signum, et signatum sibi specialiter, et modo, et origine deputatum. *Descendere* autem dicit utrumlibet effectuum prædictorum, cum inchoatione: Deus enim beatissimis angelis semper est præsens in cœlis, quia in eis semper habitat et apparet. Peccatoribus autem in terris est modo ut absens, et quantum ad gratiam, et quantum ad notitiam : ideo cum incipit apparere, vel inhabitare, de præsente cœlis, et quasi absente nobis, fit præsens terris; et ideo licet in se non mutetur, tamen dicitur descendere nobis.

Quælibet persona divina potest per se apparere.

Mitti vero dicit effectus prædictos, cum æterna productione. Tunc enim Pater mittit Filium, cum faciendo eum nobis præsentem per notitiam, vel gratiam, insinuat quod ab ipso procedit. Et quia Pater a nullo procedit, ideo nusquam dicitur mitti. Quia vero Filius et producit, et producitur, ideo mittit, et mittitur. Quia vero Spiritus sanctus æternaliter producitur, sed non producit, nisi ex tempore; ideo ipsius est proprie mitti, et non mittere, nisi respectu creaturæ. Ex quo apparet, quod hæ sunt impropriæ et exponendæ : «Spiritus sanctus mittit se : » « Spiritus sanctus mittit Filium : » « Filius mittit seipsum; » nisi intelligatur in quantum est de Virgine natus. Patet etiam quare mittere et mitti non competit omnibus, quia licet dicat effectum in creatura, dicit tamen relationem intrinsecam : ita quod mittere dicit auctoritatem, mitti subauctoritatem, ratione productionis æternæ interius importatæ.

Mitti quid dicat in divinis, et quibus competat.

CAPUT VI.

De unitate divinæ naturæ in multiplicitate appropriatorum.

Tertio vero de pluralitate appropriatorum hoc docet sacra Scriptura esse tenendum, quod licet omnia essentialia omnibus personis æqualiter et indifferenter conveniant; tamen Patri dicitur appropriari unitas, Filio veritas, Spiritui sancto bonitas. Et juxta hanc sumitur secunda appropriatio Hilarii [1], scilicet æternitas in Patre, species in imagine, et usus in munere. Et juxta hanc sumitur tertia, scilicet in Patre ratio principiandi, in Filio ratio exemplandi, in Spiritu sancto ratio finiendi. Et juxta hanc sumitur quarta, scilicet omnipotentia Patri, omniscientia Filio, voluntas seu benevolentia Spiritui sancto. Hæc autem dicuntur appropriari, non quia fiant propria, cum semper sint communia; sed quia ducunt ad intelligentiam et notitiam propriorum, scilicet trium personarum.

[1] Hilar., *de Trinit.*, lib. II, n. 1.

Unum, verum, bonum, summe repe- riuntur in Deo.

Intelligentia autem et ratio prædictorum hæc est : quia enim primum principium est nobilissimum et perfectissimum, et ideo conditiones entis nobilissimæ et generalissimæ in eo reperiuntur in summo : hæ autem sunt unum, verum, bonum, quæ non contrahunt ens secundum supposita, sed secundum rationem : nam *unum* nominat ens ut connumerabile, et hoc habet per indivisionem sui in se; *verum*, secundum quod cognoscibile, et hoc habet per indivisionem sui a propria specie ; *bonum*, secundum quod communicabile, et hoc habet per indivisionem sui a propria operatione : et quia hæc triplex indivisio se habet secundum ordinem quantum ad rationem intelligendi, ita quod verum præsupponit unum, et bonum præsupponit verum et unum : hinc est quod hæc tribuuntur primo principio in summo, quia perfecta et generalia; et appropriantur tribus personis, quia ordinata; et ideo summe unum Patri, qui est origo personarum; summe verum Filio, qui est a Patre ut verbum; summe bonum Spiritui sancto, qui est ab utroque ut amor et donum.

Et quia summe unum est summe primum, quia caret omni inceptione; et quia summe verum, summe æquale et pulchrum; et quia summe bonum est summe utile et proficuum : hinc oritur secunda appropriatio Hilarii, quæ est æternitas in Patre, quia non habet principium, sed est omnino primum ; species in imagine, id est in Verbo, quia summe pulchrum; usus in munere, id est, in Spiritu sancto, quia summe proficuum et communicativum. Quod per alia verba sic insinuat Augustinus [1] : « In Patre unitas; in Filio æqualitas; in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia. »

Rursus, quia summe unum et primum tenet rationem principiandi et originandi; quia summe pulchrum et speciosum tenet rationem exprimendi et exemplandi; quia summe proficuum et bonum tenet rationem finiendi, quia bonum et finis idem : hinc oritur tertia ratio appropriandi efficientiam Patri, exemplaritatem Filio, finalitatem Spiritui sancto.

Rursus, quia a primo et summo principio fluit omne posse; a primo et summo exemplari fluit omne scire, et ad summum finem tendit omne velle : ideo necesse est primum esse omnipotentissimum, omnisapientissimum et benevolentissimum. Unitas autem prima et summa rediens supra seipsam reditione completa et perfecta, est omnipotentissima; sic et veritas sapientissima, et bonitas benevolentissima : et hæc appropriantur, quia ordinem insinuant. Voluntas enim dat præintelligere cognitionem, et voluntas et cognitio præsupponunt potentiam et virtutem, quia posse scire est aliquid posse. Ex his apparet, quæ sint appropriata, et quibus, et qua de causa. Hæc tamen ultima, scilicet potentia, et sapientia, et voluntas, sunt potissime illa ex quibus in Scripturis laudatur Trinitas summa. Et ideo de his aliquid dicendum est breviter et summatim.

CAPUT VII.

De Omnipotentia Dei.

Deo omnipotenti qui actus non attribuantur.

Igitur de omnipotentia Dei, secundum doctrinam sacram, hæc tenenda sunt : videlicet quod Deus est omnipotens, ita tamen quod ei non attribuuntur actus culpabiles, utpote mentiri et male velle; nec actus pœnales, ut metuere et dolere; nec actus corporales, sive materiales, ut dormire et ambulare, nisi forte transumptive; nec actus inconvenientes, utpote posse facere majorem se, vel alium Deum sibi æqualem, vel infinitum actu, et consimilia : quia, ut dicit Anselmus, quodlibet inconveniens, etiam minimum, apud Deum est impossibile. Licet autem hoc non possit, est tamen omnipotens vere, et proprie, et perfecte.

Intelligentia autem et ratio prædictorum hæc est : quia primum principium est potens potentia, quæ est potentia simpliciter; et ideo distributio addita ei, distribuit pro his, quæ

[1] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. I, c. V.

posse, est posse simpliciter. Hæc autem sunt, quæ egrediuntur a potentia completa et ordinata. Potentiam autem completam dico, quæ non potest deficere, nec potest succumbere, nec potest indigere. Potentia autem incompleta in peccando deficit, in patiendo succumbit, in corporalibus actionibus indigentiam includit. Divina autem potentia, quia potentia summa et perfectissima, ideo nec est de nihilo, nec est sub aliquo, nec eget aliquo alio; ac per hoc, nec culpabilia, nec pœnalia, nec materalia potest; et hoc, quia omnipotens est potentia completa. Potentiam autem ordinatam contingit tripliciter dici : vel secundum actum; vel secundum aptitudinem ex parte creaturæ; vel secundum aptitudinem ex parte solius virtutis increatæ. Quod possibile est potentiæ primo modo dictæ, est non tantum possibile, sed etiam actuale. Quod secundo modo, et non primo, est possibile simpliciter, licet non actuale. Quod autem tertio modo, et non primo modo vel secundo, est possibile Deo, sed impossibile creaturæ. Quod autem nullo prædictorum modorum est possibile, sicut illud quod directe repugnat ordini secundum rationes et causas primordiales et æternas, simpliciter est impossibile : sicut quod Deus faciat aliquod actu infinitum, quod simul faciat aliquid esse et nullo modo esse, quod faciat id quod fuit non fuisse, et cætera talia, quæ posse, est contra ordinem et complementum divinæ potentiæ. Ex his patet, respectu quorum est divina potentia; patet etiam, quæ debent dici simpliciter possibilia, et quæ simpliciter impossibilia, et quod aliquorum impossibilitas simul stet cum vera omnipotentia.

Potentia completa quæ dicatur.

Potentia ordinata tripliciter dicitur.

CAPUT VIII.

De Dei Sapientia, Prædestinatione et Præscientia.

De sapientia vero Dei hæc tenenda sunt; scilicet quod ipsa divina sapientia limpidissime cognoscit omnia bona et mala, præterita, præsentia et futura, actualia et potentialia, ac per hoc incomprehensibilia nobis et infinita; ita tamen quod ipsa in se nullo modo diversificatur, licet diversa nomina sortiatur. In quantum enim est cognoscitiva omnium possibilium, dicitur scientia, sive cognitio : in quantum est cognoscitiva omnium, quæ in universo fiunt, dicitur visio; in quantum est cognoscitiva omnium quæ bene fiunt, dicitur approbatio; in quantum est cognoscitiva eorum quæ futura sunt, dicitur præscientia sive prævisio; in quantum est cognoscitiva eorum quæ ab ipso Deo fienda sunt, dicitur dispostio; in quantum est cognoscitiva eorum quæ præmianda sunt, dicitur prædestinatio; in quantum vero est cognoscitiva eorum quæ damnanda sunt, dicitur approbatio.

Sapientia Dei unde diversa nomina sortiatur.

Et quia ipsa non tantum est cognoscitiva, sed est etiam ratio cognoscendi omnia; ideo in quantum est ratio cognoscendi omnia cognita, dicitur lux; in quantum est ratio cognoscendi visa et approbata, dicitur speculum; in quantum est ratio cognoscendi prævisa et disposita, dicitur exemplar; in quantum est ratio cognoscendi prædestinata et reprobata, dicitur liber vitæ. Est igitur liber vitæ respectu rerum, ut redeuntium; exemplar, ut exeuntium; speculum, ut euntium : lux vero, respectu omnium.

Sapientia Dei, ut est ratio cognoscendi omnia, variis nominibus dicitur.

Ad exemplar autem spectat idea, verbum, ars, et ratio : idea, secundum actum prævidendi; verbum, secundum actum proponendi; ars, secundum actum prosequendi; ratio, secundum actum perficiendi, quia superaddit intentionem finis. Quia vero hæc omnia unum sunt in Deo, ideo frequenter accipitur unum pro alio.

Et licet divina sapientia, ratione diversitatis scitorum et connotatorum, diversa sortiatur vocabula, non tamen diversificatur secundum rationem intrinsecam. Cognoscit enim contingentia infallibiliter, mutabilia immutabiliter, futura præsentialiter, temporalia æternaliter, dependentia independenter, creata increate, alia a se in se et per se. Et cum infallibiliter contingentia cognoscat,

Cognitio divina in se perfecta et immutabilis.

simul stat libertas et vertibilitas voluntatis cum prædestinatione et præscientia.

Intelligentia autem et ratio prædictorum hæc est : quoniam primum principium, hoc ipso quod primum est et summum, cognitionem habet simul simplicissimam et perfectissimam. Quia perfectissimam, ideo cognoscit omnia distinctissime, sub omnibus conditionibus quas res habent, vel habere possunt : et propterea futura scit esse futura, et præsentia præsentia ; et bona scit approbanda, mala reprobanda. Hinc est, quod diversa sortitur vocabula, secundum quod dictum est supra. Sed quia simul stat perfectio sapientiæ cum summa simplicitate ; hinc est quod omnia alia a se cognoscit in se et per se : ex quo sequitur secundum, quod creata cognoscit increate : ex quo sequitur tertium, quod dependentia cognoscit independenter : ex quo oritur quartum, quod temporalia cognoscit æternaliter : ex quo sequitur quintum, quod futura cognoscit præsentialiter : ex quo oritur sextum, quod mutabilia cognoscit immutabiliter : ex quo sequitur septimum, quod contingentia cognoscit infallibiliter. Et ita contingentia, manentia contingentia, sunt divinæ sapientiæ prorsus infallibilia, tam in contingentibus quæ subjacent naturæ, quam libertati voluntatis humanæ.

Quomodo stet libertas voluntatis creatæ cum infallibilitate prædestinationis æternæ.

Unde qui vult hoc verum intelligere, quomodo simul stet libertas voluntatis creatæ cum infallibilitate prædestinationis æternæ, resolvendo ab hoc ultimo, procedat per illos septem gradus usque ad primum, quod primum principium perfectissime cognoscit omnia per seipsum, quod est verum certissimum : ex quo cætera prædicta ratiocinando infallibiliter concluduntur. Sicut autem divinæ cognitionis certitudo simul stat cum contingentia rerum cognitarum, quia simul est simplicissima et perfectissima divina sapientia; sic unitas simul stat cum multiformitate rationum et idearum ex eadem causa. Quia enim perfectissima est, ideo distinctissime et perfectissime cognoscit universa et singula, et illa omnia distinctissime et perfectissime repræsentat : et ideo singulorum dicitur habere rationes et ideas, tanquam rerum similitudines perfectissime expressivas. Quia vero simplicissima est, ideo omnes similitudines illæ sunt unum in ipsa. Unde sicut Deus una virtute omnia producit ex tempore secundum omnimodam rerum integritatem, sic una virtute omnia exprimit sempiternaliter. Et sicut una est in Deo altissimo operatio activa secundum rem, dicuntur tamen plures rerum productiones ratione pluralitatis productorum; sic una est veritas unius actus intelligentiæ in Deo, dicuntur tamen plures similitudines, ideæ et rationes, ratione pluralitatis ideatorum, vel existentium, vel futurorum, vel possibilium. Hæ autem rationes, vel ideæ, licet sint una veritas et lux in essentia, non tamen dicuntur esse una ratio vel idea. Ratio enim, vel idea, dicitur ut ad alterum, secundum rationem intelligendi : nominat enim similitudinem cogniti, quæ realiter tenet se ex parte Dei, licet, secundum rationem intelligendi, dicere videatur aliquid ex parte ideati. Si autem hujus simile in creatura requiratur, dicendum, quod hoc est ipsius exemplaris proprium : quia, sicut dictum est, simul est simplex, et infinitum, et perfectissimum : quo præintellecto, cætera consequenter innotescunt. Quia enim exemplar illud est simplicissimum et perfectissimum, ideo actus purus ; quia vero infinitum et immensum, ideo extra omne genus. Et hinc est, quod existens unum, potest esse similitudo expressiva multorum.

CAPUT IX.

De Voluntate Dei, et Providentia.

Voluntas Dei una, efficax, et recta.

De voluntate Dei, hæc tenenda sunt, quod ipsa sic est recta, quod nullo modo possit obliquare ; sic est efficax, ut nullo modo possit impediri; sic est una, ut tamen multiformiter habeat significari. Significatur

Voluntas beneplaciti per voluntatem signi significatur.

enim divina voluntas, quæ est voluntas beneplaciti, per voluntatem signi, secundum quinque differentias signorum, quæ sunt præceptio, prohibitio, consilium, impletio, permissio : secundum quæ disponuntur a voluntate beneplaciti quæcumque in universo fiunt. Est enim voluntas Dei, prima et summa causa omnium specierum et motionum. Nihil enim fit visibile aut intelligibile in ista totius creaturæ amplissima quadam universaque republica, quod non de illa imperiali aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, retributionum et gratiarum.

Providentia divina.

Et quia ista voluntas, ratione regulata, dicitur providentia; hinc est quod omnia, quæ in universo fiunt, aguntur et reguntur divina providentia, quæ per omnia est irreprehensibilis, quæ nihil præcipit, prohibet, vel consulit, nisi juste; nihil agit, nisi bene; nihil permittit injuste. Intelligentia autem et ratio prædictorum hæc est : Primum principium, cum sit summe nobile, et voluntatem habet, et nobili modo habet. Cum igitur *voluntas* de se dicat illud secundum quod in agentibus a proposito attenditur regula rectitudinis, et efficacia operationis; necesse est quod voluntas in Deo sit rectissima et efficacissima. Ideo autem rectissima, quia idem est in Deo voluntas, et veritas; ideo efficacissima, quia idem prorsus in Deo est voluntas, et virtus, sive potestas. Et quia non potest divina voluntas carere veritate, ideo non tantum est recta, verum etiam regula rectitudinis. Quia vero nullo modo potest carere virtute, ideo non tantum est efficax, verum etiam fons et origo totius efficaciæ; ita ut nihil sine illa possit effici, nihil contra illam possit fieri, nihil etiam sit, a quo valeat impediri. Et quia rectissima est, nullus potest esse rectus, nisi conformetur ei : nullus autem potest ei conformari, nisi voluntas illa innotescat sibi. Oportuit ergo voluntatem divinam, regulam rectitudinis, notificari nobis.

Voluntas divina regula

Rectitudo autem quædam est necessitatis, et hæc est in faciendo bonum necessarium, et declinando malum; quædam autem est perfectionis, et hæc est in supererogando ultra debitum : et secundum hoc innotescit nobis per triplex signum, scilicet præceptionem, prohibitionem, et consilium, quod quidem significat divinum beneplacitum acceptare, tanquam justum, quod fit secundum divinum præceptum, quod declinatur secundum divinam prohibitionem, et adimpletur secundum divinum consilium. Signa vero hæc, infallibilia signa sunt divinæ voluntatis, ut est regula rectitudinis.

Rectitudinis.

Voluntas Dei efficacissima.

Rursus, quia efficacissima est, nullo modo potest aliquis aliquid efficere, nisi ipsa cooperante et coefficiente; nullus deficere vel peccare potest, nisi ipsa juste deserente. Et secundum hoc duo sunt signa ejus, scilicet impletio, quod est signum voluntatis ut efficientis, et permissio, quod est signum voluntatis juste deserentis. Juste autem deserit, quia justum est ut sic administret res, quas condidit, ut non infringat leges, quas indidit; et sic cooperetur rebus, quas creavit, ut tamen eas agere proprios motus sinat : et ideo si liberum arbitrium, ad utrumque vertibile de lege naturæ, in malum dimittat cadere, hoc non permittitur nisi juste. Rursus, et si per gratiam præveniat et sustentet, nulli injuriam facit : ideo non agit injuste, nec omnino juste secundum exigentiam meritorum, quia merita ad hoc non sufficiunt; sed gratis, et misericorditer, et quodam modo juste in quantum est ex condecentia bonitatis suæ. Cum ergo damnat et reprobat, operatur secundum justitiam; quando vero prædestinat, secundum gratiam et misericordiam, quæ non excludit justitiam. Quia ergo omnes, secundum quod de massa perditionis erant, debebant damnari, ideo plures reprobantur, quam eligantur, ut ostendatur, quod salvatio est secundum gratiam specialem, sed damnatio secundum justitiam communem. Nullus ergo potest conqueri de

Nota de justitia et misericordia Dei.

divina voluntate, quia omnia agit rectissime; imo in omnibus debemus gratias agere, et honorificare regimen divinæ providentiæ. Si quis autem quærat, quare magis uni peccatori gratiam largiatur, quam alteri, hic oportet silentium imponere humanæ loquacitati, et exclamare cum Apostolo[1]: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis ejus consiliarius fuit? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula* sæculorum.

Amen.

SECUNDA PARS

IN QUA

DE CREATURA MUNDI AGITUR

CAPUT PRIMUM.

De productione mundi totalis.

Mundus incepit esse a Deo per creationem.

His summatim præintellectis de trinitate personarum et unitate Dei (*a*), dicenda sunt aliqua de creatura mundi. Circa quam hæc tenenda sunt in summa: videlicet, quod universitas machinæ mundialis producta est in esse ex tempore, et de nihilo, ab uno primo principio solo et summo; cujus potentia, licet sit immensa, disposuit tamen[2] *omnia in* certo *pondere, numero et mensura*. Hæc generaliter intelligenda sunt circa rerum productionem: ex quibus et veritas colligitur, et error repudiatur. Per hoc enim quod dicitur *ex tempore*, excluditur error ponentium mundum esse æternum; per hoc quod dicitur *de nihilo*, excluditur error ponentium æternitatem circa principium materiale; per hoc quod dicitur *ab uno principio*, excluditur error[3] Manichæorum, ponentium pluralitatem principiorum; per hoc quod dicitur *solo et summo*, excluditur error[4] ponentium Deum produxisse inferiores creaturas per ministerium intelligentiarum; per hoc, quod additur, *in certo pondere, numero et mensura*, ostenditur quod creatura est effectus Trinitatis creantis sub triplici genere causalitatis: efficientis, a quo est in creatura unitas, modus et mensura: exemplaris, a quo est in creatura veritas, species et numerus; finalis, a quo est in creatura bonitas, ordo et pondus. Quæ quidem reperiuntur in omnibus creaturis, tanquam vestigium Creatoris, sive corporalibus, sive spiritualibus, sive ex utrisque compositis.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia ad hoc quod sit ordo perfectus, et status in rebus, necesse est quod omnia reducantur ad unum principium, quod quidem sit primum, ut det cæteris statum, et perfectissimum, ut det cæteris omnibus complementum. Quoniam igitur primum principium, in quo est status, non potest esse nisi unum solum, si mundum produxit, cum non possit ipsum producere de seipso, necesse est quod producat ipsum ex nihilo. Et quia productio ex

Mundus ex nihilo productus.

[1] *Rom.*, XI, 33-36. — [2] *Sap.*, XI, 21. — [3] Aug., *de Hæres., ad Quodvult deum*, hær. 46. — [4] Platonis error in *Timæo*. — (*a*) *Cæt. edit.* trinitate Dei, et sic supra in titulis.

nihilo ponit esse post non esse, ex parte producti, et immensitatem in virtute producente, ex parte principii; cum hoc sit solius Dei, necesse est quod creatura mundi sit producta ex tempore ab ipsa virtute immensa, agente per se et immediate. Rursus, quoniam principium perfectissimum, a quo manat perfectio universorum, necesse est agere a se, et secundum se, et propter se, et quia nullo in agendo indiget extra se; necesse est, quod habeat intentionem triplicis causæ, respectu cujuslibet creaturæ, scilicet efficientis exemplaris, et finalis. Necesse est etiam omnem creaturam secundum hanc triplicem habitudinem comparari ad causam primam. Omnis enim creatura constituitur in esse ab efficiente, et conformatur ad exemplar, et ordinatur ad finem : ac per hoc est una vera, bona, modificata, speciosa, ordinata, mensurata, discreta et ponderata : est enim pondus inclinatio ordinativa. Et hæc quidem generaliter dicta sunt de omni creatura, sive corporea, sive incorporea, sive ex utrisque constituta, sicut ex natura humana.

Actio principii perfectissimi.

CAPUT II.

De natura corporali quantum ad fieri.

Natura vero corporea nobis consideranda est quantum ad fieri, et quantum ad esse, et quantum ad operari. De natura vero corporea quantum ad fieri, hæc specialiter tenenda sunt, scilicet quod sex diebus sit in esse producta, ita quod [1] in principio ante omnem diem creavit Deus cœlum et terram. Prima vero die formata est lux; secunda, firmamentum factum est in medio aquarum; tertia die separatæ sunt aquæ a terra, et congregatæ in locum unum; quarta vero die cœlum ornatum est luminaribus; quinta, aer et aqua volatilibus et piscibus; sexta, terra animalibus et hominibus ; septima vero die requievit Deus, non a labore nec opere, cum usque nunc operetur, sed a novarum specierum conditione : quia omnia fecerat, vel in simili, sicut illa quæ propagantur, vel in seminali ratione, sicut illa quæ aliis modis introducuntur in esse.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia enim res manant a primo principio, et perfectissimo, tale autem est omnipotentissimum, sapientissimum et benevolentissimum : ideo oportuit quod sic producerentur in esse, ut in earum productione reluceret triplex nobilitas prædicta, et excellentia. Et ideo triformis fuit operatio divina ad mundanam machinam producendam : scilicet creatio, quæ appropriate respondet omnipotentiæ ; distinctio quæ respondet sapientiæ ; ornatus, qui respondet bonitati largissimæ. Et quoniam creatio est de nihilo, ideo fuit in principio ante omnem diem, tanquam omnium rerum et temporum fundamentum.

Creatio rerum.

Rursus, quia distinctio corporum mundi attenditur secundum triplicem modum, ideo facta fuit per triduum. Est enim distinctio naturæ luminosæ a perspicua et opaca, et hæc facta est in prima die in divisione lucis a tenebris; et est distinctio naturæ perspicuæ a perspicua, et hæc facta est secunda die in divisione aquarum ab aquis; et est distinctio naturæ perspicuæ ab opaca, et hæc facta est tertia die in divisione aquarum a terris. In his autem implicite datur intelligi distinctio cœlestium et elementarium, secundum quod post declarabitur. Sic igitur distinctio fieri debuit per triduum.

Distinctio partium mundi.

Et quia ornatus correspondet distinctioni, ideo similiter tribus diebus debuit consummari. Est enim ornatus naturæ luminosæ, et hic factus est quarta die in formatione stellarum, et solis, et lunæ; et est ornatus naturæ perspicuæ, et hic factus est quinta die, in qua ex aquis facti sunt pisces et aves ad ornatum aeris et aquæ; et est ornatus naturæ opacæ, scilicet terræ, et hic factus est sexta die, in qua factæ sunt bestiæ, facta sunt et reptilia, facta est etiam ad consummationem omnium natura humana. Hæc

Ornatus universi.

[1] *Gen.*, I, 1 et seq.

autem omnia, licet potuerit Deus facere in instanti, maluit tamen per successionem temporum, tum propter distinctam et claram repræsentationem potentiæ, sapientiæ, bonitatis; tum propter convenientem correspondentiam dierum, sive temporum et operationum; tum etiam ut, sicut in prima mundi conditione fieri debebant seminaria operum fiendorum, sic fierent et præfigurationes temporum futurorum. Unde in illis septem diebus quasi seminaliter præcessit distinctio omnium temporum, quæ explicantur per decursum septem ætatum. Et hinc est, quod sex diebus operum additur septimus quietis : qui dies [1] non scribitur habere vesperam, non quia non habuit dies illa noctem succedentem; sed ad præfigurandum animarum quietem, quæ nunquam habebit finem. Si autem diceretur alio modo quod omnia essent simul facta, tunc omnes hi septem dies ad considerationem angelicam referrentur. Verumtamen primus modus dicendi est magis Scripturæ consonus, et auctoritatibus Sanctorum, et qui præcesserunt, et etiam qui secuti sunt beatum Augustinum.

CAPUT III.

De natura corporali quantum ad esse.

Mundus in natura cœlesti et elementari consistit. De natura vero corporea quantum ad esse, tenendum est quod corporalis mundi machina tota consistit in natura cœlesti et elementari, ita quod cœlestis distincta est in tres cœlos principales, scilicet empyreum, crystallinum, et firmamentum. Intra firmamentum autem, quod est cœlum stellarum, continentur septem orbes septem planetarum, qui sunt Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Natura vero elementaris in quatuor sphæras distinguitur, scilicet ignis, aeris, aquæ, et terræ : et sic procedendo a summo cardine cœli usque ad centrum terræ, decem concurrunt orbes cœlestes, et quatuor sphæræ elementares ex quibus integratur et constituitur tota machina mundi sensibilis, distincte, perfecte et ordinate.

Natura elementaris necessaria. Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum natura corporalis ad perfectionem sui, et expressionem sapientiæ multiformis primi principii, requirat multiformitatem formarum, sicut apparet in mineralibus, plantis et animalibus, necesse fuit ponere aliqua corpora simplicia, quæ multiformiter possunt misceri ad introductionem formarum multiformium : et talis est natura subjecta contrarietati, et hæc est elementaris. Necesse etiam fuit fieri naturam, per quam haberent hæc contraria in mixto conciliari : et talis est natura elongata a contrarietate, cujusmodi est natura lucis et corporis supercœlestis. Lucis necessitas.

Contrarietas duplex in elementis. Et quoniam mixtio fieri non potest, nisi per contraria agentia, et patientia; ideo necesse fuit duplicem contrarietatem fieri in elementis, scilicet quantum ad qualitates activas, quæ sunt calidum et frigidum, et quantum ad passivas, quæ sunt humidum et siccum. Et quia quodlibet elementum agit, et patitur; ideo quodlibet habet duas qualitates, unam activam, et aliam passivam : ita tamen quod unam principalem et propriam, alteram accidentalem vel acquisitam : ac per hoc necesse est tantum quatuor esse elementa secundum quatuor qualitates prædictas, quadrupliciter combinatas (*a*).

Natura cœlestis. Natura autem cœlestis aut est uniformis et immobilis, et hæc est empyreum, quia lux pura; aut mobilis et multiformis, et sic est firmamentum; aut mobilis et uniformis, et sic cœlum medium inter empyreum et stellatum, quod est cœlum crystallinum. Quartum membrum, scilicet quod sit multiforme et immobile, non potest stare, quia multiformitas disponit ad motus varietatem, non ad uniformem quietem. Sunt igitur tres cœli, quorum primum per totum est luminosum, scilicet empyreum; secundum per totum perspicuum, scilicet crystallinum;

[1] Ex Aug., *ad Januar.*, epist. CIX, al. LV, n. 17.

(*a*) *Edit. Vat. et Ven.* concubinatas.

tertium ex utroque conjunctum, scilicet firmamentum. Cum igitur tres sint cœli incorruptibiles, et quatuor elementa variabilia; ut fiat debita connexio, concordia et correspondentia, disposuit Deus septem orbes planetarum, qui sua varietate motuum, et incorruptibilitate formarum, quasi quoddam vinculum essent et junctura inferiorum elementarium orbium, et superiorum cœlestium, ad perficiendum et decorandum universum; quod secundum numerales proportiones ordinatum dicitur, et connexum denario cœlestium orbium et quaternario elementorum, reddentibus ipsum proportionaliter tam pulchrum, quam perfectum et ordinatum, ut suo modo suum repræsentet principium.

CAPUT IV.

De natura corporali, quantum ad operari et influere.

De natura corporali, quantum ad operari, hoc tenendum est, scilicet quod cœlestia influunt in terrestria et elementaria, quantum ad distinctivam significationem temporum, scilicet dierum, mensium, et annorum. Sic enim dicit Scriptura [1], quod *sint in signa et tempora, et dies et annos*. Influunt etiam quantum ad effectivam productionem rerum generabilium et corruptibilium, scilicet mineralium, vegetabilium, sensibilium, et corporum humanorum. Sic tamen sunt in signa temporum, et regimen operationum, ut non sint certa signa futurorum contingentium, nec influant super liberum arbitrium per vim constellationum, quam dixerunt aliqui philosophi esse fatum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum in corporibus cœlestibus, propter proximitatem ad primum principium, sit lux, motus, calor, et virtus: lux, ratione suæ formæ et speciei; motus, respectu superioris influentis; calor, respectu inferioris naturæ suscipientis; virtus vero, omnibus modis prædictis: cum, inquam, ita sit, cœlestia corpora per lumen et motum sunt in distinctiones temporum, scilicet diei, secundum lucem Solis et motum firmamenti; mensis, secundum motum Lunæ in circulo obliquo anni, secundum motum Solis in eodem circulo; temporum vero, secundum varium planetarum motum, distantiam et concursum, ascensum et descensum, retrogradationem et statum, ex quibus oritur diversitas in temporibus. Per virtutem autem et calorem influunt ad productionem eorum, quæ elementis generantur, excitando, promovendo, conciliando: ita quod secundum conciliationem contrariorum ab æqualitate remotam, influunt in mineralia; secundum conciliationem ab æqualitate minus longinquam, in vegetabilia; secundum conciliationem æqualitati proximantem, in sensibilia; secundum vero conciliationem æqualem, in corpora humana, quæ disposita sunt ad nobilissimam formam, quæ est anima rationalis: ad quam ordinatur et terminatur appetitus omnis naturæ sensibilis et corporalis, ut per eam, quæ est forma ens, vivens, sentiens, et intelligens, quasi ad modum circuli intelligibilis, reducatur ad suum principium, in quo perficiatur et beatificetur. Et quoniam in illud tendit per liberum arbitrium, ideo, quantum ad arbitrii libertatem, præcellit omnem virtutem corporalem: ac per hoc cuncta nata sunt sibi servire; nihil autem sibi dominari habet, nisi solus Deus, non fatum, sive vis positionis siderum. Et propterea indubitanter verum est, quod sumus finis omnium eorum quæ sunt, et omnia corporalia facta sunt ad humanum obsequium, ut ex illis omnibus accendatur homo ad laudandum et amandum factorem universorum, cujus providentia cuncta disponuntur. Hæc autem sensibilis corporalium machina est tanquam quædam domus a summo opifice homini fabricata, donec ad *domum* [2] veniat *non manufactam in cœlis*, ut sicut anima modo, ratione corporis et status meriti, nunc est in

Lumine et motu corpora cœlestia distinguunt tempora.

Calore et virtute quomodo in hæc inferiora influunt superiora corpora.

Anima rationalis, forma nobilissima.

Excellentia liberi arbitrii.

[1] *Gen.*, I, 14. — [2] II *Cor.*, V, 1.

terris, sic aliquando corpus, ratione animæ et status præmii, sit in cœlis.

CAPUT V.

De modo describendi prædicta in sacra Scriptura.

Ex jam dictis colligitur, quod sicut Deus res ordinate condidit quantum ad tempus, et ordinate disposuit quantum ad situm; sic etiam ordinate gubernat quantum ad influentiam, et Scriptura ordinate narrat quantum ad doctrinæ sufficientiam : licet non ita explicite describat distinctionem orbium, nec cœlestium, nec elementarium, et parum aut nihil dicat de moribus et virtutibus corporum superiorum, et de mixtionibus elementorum et elementatorum; et quod plus est, nihil explicite narrat de conditione supernorum spirituum, maxime cum describit istud universum in esse productum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum primum principium reddat se nobis cognoscibile et per scripturam, et per creaturam : per librum creaturæ se manifestat ut principium effectivum, per librum scripturæ ut principium reparativum : et principium reparativum non potest cognosci, nisi cognoscatur et effectivum : ideo sacra sciptura, licet principaliter agat de operibus reparationis, debet nihilominus agere de opere conditionis, in quantum tamen ducit in cognitionem primi principii efficientis et reficientis. Et ideo ipsa est cognitio sublimis et salutaris : sublimis, quia de primo principio effectivo, quod est Deus Creator; salutaris, quia de primo principio reparativo, quod est Christus Salvator et Mediator. Rursus quia sublimis est, utpote quia agit de primo principio et ente summo, ideo non descendit ad describendas speciales entium naturas, motus, virtutes et differentias; sed stat in quadam generalitate, in qua implicantur specialia, describendo scilicet conditionem mundi quantum ad dispositionem et influentiam, quoad naturam luminosam, opacam et perviam in generalitate quadam. Et quoniam primum principium, de quo agit, habet in se ordinem naturæ in existendo, ordinem sapientiæ in disponendo, ordinem bonitatis in influendo, ita quod ordo naturæ habet in se simultatem et æqualitatem; ordo sapientiæ considerat prioritatem et posterioritatem; ordo influentiæ, superioritatem et inferioritatem : ideo, ad insinuandum ordinem naturæ, determinat Scriptura, juxta quod Deum operari decebat, quod in principio ante temporis decursum fuerit illa triplex natura de non esse in esse producta, cum dicit [1] : *In principio creavit Deus cælum et terram*, et : *Spiritus Dei ferebatur super aquas :* ubi nomine *cæli* insinuatur natura luminosa; nomine *terræ*, natura opaca; nomine *aquæ*, natura pervia, sive perspicua, sive contrarietati subjecta, sive supra contrarietatem elevata : ubi etiam insinuatur Trinitas æterna, scilicet Pater in nomine Dei *creantis;* Filius, in nomine *principii;* Spiritus sanctus, in nomine *Spiritus Dei.* Et sic intelligendum est illud, quod dicitur [2] : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul :* non quia ea creavit in chaos omnimodæ confusionis, secundum quod finxerunt poetæ, cum produxerit hanc triplicem naturam, summam in summo, mediam in medio, et infimam in infimo; nec etiam creavit in esse omnimodæ distinctionis, cum cœlum esset perfectum, et terra incomposita, natura vero media, quasi medium tenens, nondum esset ad perfectam distinctionem deducta. Ad insinuandum autem ordinem sapientiæ in disponendo, determinat quod hæc triplex natura non simul fuit distincta et ornata; sed juxta triplicis naturæ creatæ exigentiam per triduum distincta, et per triduum aliud ornata : ut sicut Deus in principio triplicem naturam simul creavit in primordio temporis, sic successione temporis in triplici mensura temporis, scilicet triplicis diei, triplicem faceret distinctionem naturæ triplicis creatæ, et rursus in alio triduo, triplicem ornatum triplicis naturæ distinctæ.

Sacra scriptura cognitio sublimis et salutaris.

Sapientia Dei in disponendis rebus.

[1] *Gen.*, I, 1-2. — [2] *Eccli.*, XVIII, 1.

Dei bonitas in influendo.

Ad insinuandum vero ordinem bonitatis in influendo, determinat quod hæc triplex natura collocata est in mundo secundum *sub*, *medium*, et *supra*, juxta suam dignitatem et influentiam. Et quia luminosum plurimum habet de specie, ideo sibi debetur circumferentia; quia vero opacum minimum habet de specie, ideo sibi debetur centrum. Sed quia natura pervia tenet medium, ideo medium sortita est situm. Et quoniam natura corporis pervii et perspicui communis est naturæ cœlesti et elementari, et rursus luminosa utrique convenit; ideo recte dicitur firmamentum factum in medio aquarum: non quia aquæ super cœlos sint aquæ fluxibiles, frigidæ, graves et corruptibiles ; sed quia subtiles, et incorruptibiles, et perviæ, et super omnem contrarietatem sublimatæ, ac per hoc cœlestis naturæ, et in cœlestibus collocandæ ratione nobilitatis formæ, collocantur etiam ratione virtutis et influentiæ.

Quia enim omnis actio corporalis in rebus inferioribus regulam, originem et vigorem sumit a natura cœlesti, cum duæ sint qualitates activæ, scilicet calidum et frigidum, et aliquod sit cœlum principaliter influens in calidum, sicut cœlum sidereum ratione luminositatis, congruum fuit quod aliquod influeret super frigidum, et sic crystallinum. Et sicut cœlum sidereum, licet influat ad calorem, non tamen est formaliter calidum; sic etiam cœlum, quod dicitur aqueum, sive crystallinum, non est essentialiter frigidum. Unde, quod sancti dicunt quod aquæ sunt ibi constitutæ ad reprimendum calorem superiorum corporum, et cætera consimilia, non secundum formalem prædicationem, sed secundum efficientiam et influentiam sunt intelligenda.

Competit ergo conditio creaturæ secundum ordinem prædictum, et ordini creatricis sapientiæ, et divinæ scripturæ, quæ est scientia sublimis. Rursus, quia ipsa est scientia salutaris, ideo non determinat de opere conditionis, nisi propter opus reparationis. Et quoniam angeli sic conditi sunt, ut labentes nullatenus reparentur, sicut apparebit in sequentibus, ideo tacetur secundum litteram exteriorem angelorum lapsus et conditio, quia non debebat subsequi reparatio. Quia vero sublimitatem sacræ Scripturæ non decebat prorsus reticere de conditione sublimissimæ creaturæ; ideo sic sacra Scriptura describit rerum conditiones, juxta quod exigit scientia sublimis et salutaris, ut tamen secundum spiritualem intelligentiam tota conditio litteraliter descripta spiritualiter referatur ad describendam hierarchiam, et angelicam, et ecclesiasticam. Ideo, secundum spiritualem intellectum, describitur in illis tribus naturis primo productis hierarchia angelica nomine *cœli*, et ecclesiastica nomine *terræ*, et gratia, per quam irrigatur utraque, nomine *aquæ*. Rursus per septenarium numerum dierum, intelligitur septiformis Ecclesiæ status, secundum decursum septem ætatum. Per eumdem etiam septenarium intelligitur septiformis conversio angelorum a creatura ad Deum : et sic ex prædictis apparet sufficientia, et veritas Scripturæ in diversis opinionibus sanctorum, scilicet Augustini et aliorum, qui sibi non contradicunt, cum veræ sint, si recte intelligantur.

Angelorum conditio et lapsus cur secundum literam exteriorem tacetur.

CAPUT VI.

De productione supernorum spirituum.

Consequenter vero agendum est de natura spirituali et incorporea, cujusmodi est angelica; de qua considerari oportet, quantum ad conditionem supernorum spirituum, quantum ad ruinam dæmonum, et quantum ad confirmationem bonorum angelorum. Sciendum est igitur, quod angelis a primordio suæ conditionis quatuor sunt attributa, scilicet simplicitas essentiæ; personalis discretio, propter rationem insitam; memoria, intelligentia et voluntas; et libertas arbitrii ad eligenda bona et respuenda mala. Hæc autem quatuor attributa principalia alia quatuor comitantur, scilicet virtuositas in ope-

Angelis a principio suæ conditionis quatuor attributa.

rando, officiositas in ministrando, perspicacitas in cognoscendo, et immutabilitas post electionem, sive in bono, sive in malo.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia primum principium, hoc ipso quod primum, omnia de nihilo produxit : ideo non tantum prope nihil, sed etiam prope se; non tantum substantiam a se longinquam, scilicet naturam corpoream producere debuit, verum etiam propinquam : et hæc est substantia intellectualis et incorporea, quæ hoc ipso, quod Deo simillima est, simplicitatem habet naturæ, et discretionem personalem, ut Deo assimiletur ex parte substantiæ, sive communis, sive individuæ. Habet etiam in mente imaginem Trinitatis secundum memoriam, intelligentiam, et voluntatem. Habet etiam voluntatis libertatem, ut assimiletur Deo ex parte potentiæ, sive naturalis, sive electivæ; ut sic potentia naturalis insignita sit Dei imagine, electiva vero arbitrii libertate. Nequaquam enim perveniret meritorie ad præmium gloriosum, quod facit quemquam beatum, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium : hoc autem esse non potest nisi in substantia rationali, quam comitatur memoria, intelligentia et voluntas. Ubi autem est ratio, oportet quod sit rationalis naturæ substantia individua. Necesse est etiam quod sit substantia spiritualis et incorporea, ac per hoc simplex, carens omni divisione quantitativa. Talis autem substantia, hoc ipso quod simplex est, virtuosa est in operando; hoc ipso quod virtuosa est et personaliter discreta, competit ei distinctio officii in ministrando; hoc ipso, quod simplex et virtuosa, competit ei perspicacitas in discernendo; hoc ipso autem, quod perspicax et simplex est, habens intellectum deiformem, ideo stabilitatem habet post electionem in electo, sive in bono, sive in malo. Et hæ conditiones ipsam generalem conditionem supernorum spirituum generaliter comitantur.

CAPUT VII.

De apostasia Dæmonum.

De apostasia vero dæmonum hoc est tenendum, scilicet quod Deus angelos omnes fecit bonos, tamen medios inter summum bonum, et commutabile bonum quod est creatum : ita quod si converterentur ad amandum quod est supra, ascenderent ad statum gratiæ et gloriæ; si vero ad bonum commutabile, quod est infra, hoc ipso ruerent in malum culpæ et pœnæ : quia non est dedecus peccati sine decore justitiæ. Primus autem Lucifer inter angelos, præsumens de privato bono, privatam appetiit excellentiam, volens aliis superferri, et ideo cecidit cum cæteris consentientibus sibi. Cadens autem factus est impœnitens, obstinatus, et excæcatus, et exclusus a Dei contemplatione, et deordinatus in operatione, toto nitens conamine ad subvertendum hominem per tentationem multiplicem.

Deus quales creavit angelos.

Lucifer primus inter angelos peccavit et cecidit.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum primum principium sit summe bonum, nihil facit nisi quod sit bonum, quia a bono non procedit nisi bonum : quod tamen fit ab ipso, hoc ipso minus est eo, et ideo non potest esse summum bonum. Fuit igitur angelus a Deo conditus bonus quidem, sed non summus; perficiendus tamen, si affectu tenderet in summum. Et quoniam per liberum arbitrium voluntatis poterat tendere in bonum summum, vel converti ad bonum privatum; Lucifer suæ pulchritudinis et altitudinis consideratione excitatus ad se diligendum et suum privatum bonum, præsumpsit de altitudine habita, et ambivit excellentiam propriam, non tamen obtentam : ac per hoc præsumendo constituit se sibi principium summum; in se ipso gloriando et ambiendo, constituit se sibi summum bonum, in seipso quiescendo. Cum autem ipse non esset summum principium, nec summum bonum; necesse fuit ut inordinato ascensu appetito,

descensu rueret pari ratione, et omnes in hoc consentientes. Et quia non est dedecus peccati sine decore justitiæ, ideo statim cum cecidit in peccatum, cum cæteris adhærentibus sibi, perdidit locum summum, scilicet cœlum empyreum, descendens ad imum, scilicet caliginosum aerem, vel infernum : ita quod lapsus in culpam fuit per liberum arbitrium, lapsus vero in pœnam per divinum judicium. Et quia immutabilitatem habuit post electionem, ideo statim obstinatus est in malo, et per hoc excæcatus a vero, deordinatus est in operatione, et infirmatus in virtute : ideo voluntas ejus impia, et actio aversa a Deo, conversa est ad hominis odium et invidiam; et perspicacitas rationis a vero lumine excæcata, conversa est ad deceptiones per divinationes et cautelas; et officiositas in ministrando a vero ministerio amota, conversa est ad tentamenta; et virtuositas immutata et coarctata, quantum permittitur, convertitur ad miracula facienda per transmutationes repentinas, quas facit circa corporeas creaturas. Et quia hæc omnia fuerunt deordinata per voluntatem depravatam per superbiam; ideo hæc omnia convertit ad fomentum suæ superbiæ, quærens ab hominibus coli, et honorari, et adorari ad modum Dei. Hinc est, quod omnia male agit : quod tamen justo judicio Deus permittit ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, sicut apparebit per finale judicium.

Angeli lapsum quæ sint consecuta.

CAPUT VIII.

De confirmatione bonorum Angelorum.

De confirmatione vero bonorum angelorum tenendum est, quod sicut angeli a Deo aversi, statim sunt obstinati per impœnitentiam; sic angeli ad Deum conversi, statim fuerunt confirmati per gratiam et gloriam in voluntate; perfecte illuminati in ratione secundum cognitionem matutinam et vespertinam; perfecte fortificati in virtute, sive motiva, sive operativa; perfecte ordinati in operatione, sive contemplativa, sive ministrativa, et hoc secundum triplicem hierarchiam, scilicet supremam, mediam, et infimam. Ad supremam autem spectant Throni, Cherubim, et Seraphim; ad mediam autem, Dominationes, Virtutes, Potestates; ad infimam vero, Principatus, Archangeli, Angeli. Ex quibus plurimi sunt in ministerium missi, et ad custodiam hominum deputati, quibus ministrant purgando, illuminando, perficiendo, secundum imperium voluntatis Dei.

Angeli boni in ipsa sua ad Deum conversione fuerunt in bono confirmati.

Angeli in ministerium hominum missi quomodo eis ministrent.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est, quia cum angeli, propter expressam similitudinem et propinquitatem ad primum et summum principium, habeant intellectum deiformem, et immutabilitatem, post consensum ex libertate arbitrii, divina superveniente gratia, ad summum bonum conversi, cum totaliter in Deum tenderent, per gloriam fuerunt confirmati, pariter et perfecti : ideo quantum ad voluntatem, fuerunt stabiles et felices; quantum ad rationem, perspicaces, ita ut non tantum cognoscerent res in proprio genere, sed etiam in ipsa arte æterna; ac per hoc non tantum haberent cognitionem vespertinam, sed etiam matutinam, vel etiam diurnam, propter illius lucis plenitudinem, et omnimodam puritatem, respectu cujus omnis creatura merito potest dici tenebra. Quantum autem ad virtuositatem perfecte fortificati, sive in imperando, sive in exequendo, sive in contemplando, vel assumpto corpore, vel etiam non assumpto. Quantum vero ad operationem perfectissime ordinati, ut jam non possint deordinari, nec ascendendo ad contemplationem Dei, nec descendendo ad ministrandum homini : quia cum Deum facie ad faciem contemplentur, quocumque mittantur, intra Deum currunt. Aguntur enim et agunt secundum ordinem hierarchicum in eis initiatum per naturam, et consummatum per gloriam, quæ stabiliendo liberi arbitrii vertibilitatem, illustravit perspicacitatem, ordinavit officiositatem, et roboravit virtutem, secundum quatuor attributa superius

Angeli aguntur et agunt secundum ordinem hierarchicum.

Sufficientia triplicis hierarchiæ cœlestis.

nominata. Perspicacitas autem rationis in contemplando, aut principaliter respicit ad majestatem divinam venerandam, aut ad veritatem intelligendam, aut ad bonitatem desiderandam: et secundum hoc sunt tres ordines in prima hierarchia, scilicet Throni, ad quos spectat reverentia; Cherubim, ad quos sapientia; et Seraphim, ad quos spectat benevolentia. Ad perfectam autem virtuositatem spectat virtus imperativa, virtus executiva et virtus expeditiva: prima ad Dominationes, secunda ad Virtutes, tertia vero ad Potestates spectat, quarum est arcere potestates contrarias. Ad perfectam vero officiositatem spectat regere, revelare, et relevare. Primum est Principatuum, secundum Archangelorum, tertium Angelorum, quia custodiunt ne stantes cadant, et cadentes adjuvant ut resurgant. Et sic patet quod hæc omnia sunt in beatis angelis, secundum plus et minus, gradatim a superioribus descendendo usque ad ima. Ordo autem denominari debet ab eo, quod excellentius accipit in munere.

CAPUT IX.

De productione hominis quantum ad spiritum.

Post naturam vero corpoream et incorpoream, dicenda sunt aliqua de natura ex utrisque composita: primo ex parte mentis; secundo ex parte carnis; tertio ex parte totius hominis. De anima igitur rationali hæc in summa tenenda sunt secundum sacram doctrinam, scilicet quod ipsa est forma ens, vivens, intelligens, et libertate utens. Forma quidem ens non a seipsa, nec de divina natura, sed a Deo de nihilo per creationem in esse deducta. Forma autem vivens non ex natura extrinseca, sed seipsa; non vita mortali, sed vita perpetua. Forma vero intelligens [1] non tantum creatam, sed etiam creatricem essentiam, ad cujus imaginem facta est per memoriam, intelligentiam, et voluntatem. Forma libertate utens, quia semper est libera a coactione. A miseria vero et coactione libera fuit in statu innocentiæ, licet non in statu naturæ lapsæ. Hæc libertas a coactione nihil aliud est quam facultas voluntatis et rationis, quæ sunt potentiæ animæ principales.

Anima rationalis.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium sit beatissimum et benevolentissimum, ideo sua summa benevolentia beatitudinem suam communicat creaturæ, non tantum spirituali et proximæ, sed etiam corporali et longinquæ. Corporali tamen et longinquæ communicat mediate, quia lex divinitatis hæc est, ut infima per media reducantur ad summa. Et ideo non tantum spiritum angelicum et separatum fecit beatificabilem, sed etiam spiritum conjunctum, scilicet humanum. Est igitur anima rationalis forma beatificabilis. Et quia ad beatitudinis præmium pervenire non est gloriosum nisi per meritum, nec mereri contingit nisi in eo, quod voluntarie et libere fit; ideo animæ rationali libertatem arbitrii dari oportuit per remotionem omnis coactionis: quia hoc est de natura voluntatis, ut nullatenus possit cogi, licet per culpam misera efficiatur et serva peccati. Rursus, quia forma beatificabilis est capax Dei per memoriam, intelligentiam, et voluntatem; et hoc est esse ad imaginem Trinitatis, propter unitatem in essentia, et trinitatem in potentiis: ideo animam hominis necesse fuit esse intelligentem Deum et omnia, ac per hoc imagine Dei insignitam. Et quia nihil beatum potest beatitudinem amittere, nihil poterat esse beatificabile, nisi esset incorruptibile et immortale: necesse igitur fuit animam rationalem immortali vita de sui natura esse viventem. Postremo, quia omne quod ab alio beatificabile est et immortale, est mutabile secundum bene esse, et incorruptibile secundum esse; ideo anima nec a se est, nec de divina natura, quia mutabilis; nec producta de aliquo, nec per naturam generata, quia est immortalis et incorrupti-

Anima rationalis beatitudinis capax.

Voluntas cogi non potest.

Anima quomodo imago Dei.

[1] *De Spir. et Anim.*, c. XXXV, inter Opera S. Augustini, tom. VI, append., edit. Benedict.

bilis. Et ita hæc forma non potest per generationem in esse introduci, quia omne naturaliter generabile est naturaliter corruptibile. Ex his apparet, qualiter finis beatitudinis necessitatem imponit prædictarum conditionum ipsi animæ ad beatitudinem ordinatæ. Quoniam autem ut beatificabilis, est immortalis; ideo cum unitur corpori mortali, potest ab eo separari : ac per hoc non tantum forma est, verum etiam hoc aliquid : et ideo non tantum unitur corpori ut perfectio, verum etiam ut motor; et sic perficit per essentiam, quia (a) movet pariter per potentiam. Et quoniam ipsa non tantum dat esse, verum etiam vivere, et sentire, et intelligere; ideo potentiam habet vegetativam, et sensitivam, et intellectivam, ita quod per potentiam vegetativam generat, nutrit, et augmentat. Generat ut quid : nutrit ut quale; augmentat ut quantum. Per sensitivam vero apprehendit sensibilia, retinet apprehensa, componit et dividit retenta. Apprehendit quidem per sensitivam exteriorem quinquepartitam, secundum correspondentiam ad quinque mundi corpora principalia; retinet per memoriam; componit et dividit per phantasiam, quæ est prima virtus collativa. Per intellectivam autem discernit verum, refugit malum, et appetit bonum : verum quidem discernit per rationalem; malum repellit per irascibilem; bonum appetit per concupiscibilem.

Anima non tantum forma, sed hoc aliquid.

Rursus, quia discretio est veri cognitio, fuga et appetitus est affectio; ideo tota anima dividitur in cognitivam, et affectivam. Amplius, quoniam cognitio veri est duplex : vel veri, ut veri; vel veri, ut boni : et hoc, vel æterni, quod est supra animam; vel temporalis, quod est infra : hinc est, quod potentia cognitiva, utpote intellectus et ratio, dividuntur : ita quod intellectus in speculativum et practicum; ratio in superiorem portionem, et inferiorem : quæ potius nominant diversa officia, quam diversas potentias.

Cognitio et affectio, proprietates animæ.

Postremo, quoniam appetitus dupliciter potest ad aliquid ferri, scilicet secundum naturalem instinctum, vel secundum deliberationem et arbitrium; hinc est quod potentia affectiva dividitur in voluntatem naturalem, et voluntatem electivam, quæ proprie voluntas dicitur. Et quoniam talis electio indifferens est ad utramque partem, ideo est a libero arbitrio. Et quoniam hæc indifferentia consurgit ex deliberatione præambula, et voluntate adjuncta; hinc est, quod liberum arbitrium est facultas rationis, et voluntatis : ita quod, sicut dicit Augustinus, omnes prædictas rationales potentias comprehendit. Ait enim : « Cum de libero arbitrio loquimur, non de parte animæ loquimur, sed certe de tota anima. » Ex concursu namque illarum potentiarum rationis supra seipsam redeuntis, et voluntatis concomitantis, consurgit integritas libertatis, quæ est principium meriti, vel demeriti, secundum electionem boni, vel mali.

Potentia affectiva alia naturalis, alia electiva.

Liberum arbitrium quid.

CAPUT X.

De productione hominis quantum ad corpus.

De corpore autem humano in statu primæ conditionis tenenda sunt hæc secundum doctrinam fidei orthodoxæ : videlicet, quod corpus primi hominis sic conditum fuit, et de limo terræ formatum, ut tamen esset animæ subjectum, et suo modo proportionabile; proportionabile, inquam, quantum ad complexionem æqualem, quantum ad originationem pulcherrimam et multiformem, et quantum ad staturæ rectitudinem. Subjectum autem, ut esset obtemperans, sine rebellione; esset etiam propagans et propagabile, sine libidine; esset vegetabile, sine defectione; esset et immutabile ad omnimodam incorruptionem, non interveniente morte; et secundum hoc datus est sibi locus paradisi terrestris in habitationem tranquillam. Formata est mulier de latere viri, in consortium et adjutorium ad propagationem immaculatam; datum est lignum vitæ ad vegetationem continuam, et tandem ad im-

Doctrina orthodoxa de conditione corporis humani.

(a) *Legendum* quid.

mutationem perfectam per immortalitatem perpetuam.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium sit in producendo potentissimum, sapientissimum et optimum, et in omnibus effectibus suis hoc aliquo modo manifestet, potissime debuit hoc manifestare in ultimo effectu et nobilissimo : cujusmodi est homo, quem inter cæteras creaturas produxit ultimo, ut in hoc potissime appareret et reluceret divinorum operum consummatio. Ut igitur in homine manifestaretur Dei potentia, ideo fecit eum ex naturis maxime distantibus, conjunctis in unam personam et naturam : cujusmodi sunt corpus et anima, quarum unum, scilicet corpus, est substantia corporea; alterum vero, scilicet anima, substantia spiritualis et incorporea, quæ distant maxime in genere substantiæ. Ut vero ibidem manifestaretur Dei sapientia, fecit tale corpus, quod proportionem suo modo haberet ad animam. Quoniam ergo corpus unitur animæ ut perficienti et moventi, et ad beatitudinem sursum tendenti, ideo ut conformaretur animæ vivificanti, habuit complexionem æqualem, non a pondere vel mole, sed ab æqualitate naturalis justitiæ, quæ disponit ad nobilissimum modum vitæ. Ut autem conformaretur moventi per multiformitatem potentiarum, habuit multiformitatem organorum, cum summa venustate, et artificiositate, et ductibilitate, sicut patet in facie et in manu, quæ est organum organorum. Ut autem conformaretur animæ sursum tendenti ad cœlum, habuit rectitudinem staturæ, et sursum erectum caput; ut sic corporalis rectitudo attestaretur rectitudini mentali. Postremo, ut in homine manifestaretur Dei bonitas et benevolentia; ideo fecit hominem absque omni macula et culpa, et absque omni pœna, sive miseria. Cum enim primum principium simul sit optimum, et justissimum : quia optimum, non debuit facere hominem nisi bonum, ac per hoc innocentem et rectum; quia vero justissimum, non debuit infligere pœnam ei, qui nullum omnino habebat peccatum : ac per hoc illi animæ rationali tale corpus constituit, quod sibi esset ita obtemperans, ut nulla esset in eo pugna rebellionis, nulla pronitas libidinis, nulla imminutio vigoris, nulla corruptio mortis; ita etiam esset animæ conforme, ut sicut anima erat innocens, et tamen poterat cadere in culpam, sic corpus esset impassibile, et tamen posset cadere in pœnam : ideo poterat non mori, et poterat mori : poterat habere sufficientiam, et poterat habere indigentiam : poterat obtemperare, et poterat habere rebellionem et pugnam. Et propterea in statu illo corpus erat tale, ut ab eo fieret decisio seminalis ad propagationem prolis, per adminiculum sexus muliebris, pariter et comprincipiantis; fieret etiam humoris nutrimentalis consumptio, per actionem caloris; fieret nihilominus restauratio per alimentum lignorum paradisi, restaurato seu præservato per lignum vitæ humido radicali : quod quidem lignum hanc virtutem habuit, ob quam, ut dicit Augustinus [1], fuit non solum in cibum, verum etiam in sacramentum. Incorruptio igitur et immortalitas corporis Adæ principaliter veniebat ab anima, sicut a continente et influente; et a corporis bona et æquali complexione, sicut a disponente et suscipiente; a ligno autem vitæ, sicut a vegetante et adminiculante; a regimine vero divinæ providentiæ, sicut interius conservante et exterius protegente.

Hominis dignitas.

Corpus hominis quale in statu innocentiæ esset.

CAPUT XI.

De productione hominis, quantum ad totum conjunctum.

De homine in paradiso collocato quid sentiendum.

De toto autem homine in paradiso collocato, hæc tenenda sunt, videlicet quod datus est ei duplex sensus, scilicet interior, et exterior; scilicet mentis, et carnis. Datus est ei duplex motus, scilicet imperativus in voluntate, et executivus in corpore. Datum est ei duplex bonum, unum visibile, et alterum

[1] Aug., *de Genes. ad litt.*, lib. VIII, c. IV et V.

invisibile. Datum est ei duplex præceptum, scilicet naturæ, et disciplinæ. Præceptum naturæ [1] : *Crescite et multiplicamini*. Præceptum disciplinæ [2] : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas.* Juxta quæ datum est sibi quadruplex adjutorium, scilicet scientiæ, conscientiæ, synderesis, et gratiæ: ex quibus sufficienter habuit, ut posset stare in bono, et proficere; et a malo cavere, et declinare.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia primum principium fecit mundum istum sensibilem, ad declarandum seipsum, videlicet ut homo per illum, tanquam per speculum et vestigium, reduceretur in Deum artificem amandum et laudandum. Et secundum hoc duplex est liber: unus scilicet scriptus intus, qui est Dei æterna ars et sapientia; et alius scriptus foris, scilicet mundus sensibilis. Cum igitur esset una creatura, quæ sensum habebat intus ad cognitionem libri interioris, ut Angelus; et alia, quæ totum sensum habebat foris, ut quodlibet animal brutum : ad perfectionem universitatis debuit fieri creatura, quæ hoc sensu duplici esset prædita, ad cognitionem libri scripti intus, et foris, id est sapientiæ, et sui operis. Et quia in Christo simul concurrit æterna sapientia, et ejus opus in una persona; ideo dicitur [3] *liber scriptus intus et foris*, ad reparationem generis humani. Et quia cuilibet sensui correspondet motus, ideo duplex est homini datus motus : unus secundum instinctum rationis, in mente; alius secundum instinctum sensualitatis, in carne. Primi est imperare, secundi vero est obtemperare secundum rectum ordinem; quando autem fit e converso, tunc rectitudo et regimen animæ præcipitatur de statu suo. Et quia cuilibet motui et sensui respondet appetitus ad aliquod bonum; ideo duplex bonum præparatum est homini, unum scilicet visibile, et alterum invisibile; unum temporale, et aliud æternum; unum carni,

Christus liber intus et foris scriptus.

[1] *Gen.*, I, 28. — [2] *Gen.*, II, 17. — [3] *Ezech.*, II, 9; *Apoc.*, V, 1.

et alterum spiritui. Ex his autem bonis Deus unum dedit, alterum promisit, ut unum gratis possideretur, alterum vero per meritum acquireretur. Et quia frustra bonum datur, nisi custodiatur; frustra promittitur, nisi ad ipsum perveniatur : ideo duplex fuit præceptum homini datum, scilicet unum naturæ ad custodiendum bonum datum, aliud disciplinæ ad promerendum bonum promissum, quod nullo modo poterat mereri melius, quam per meram obedientiam. Obedientia autem mera est, quando præceptum ex se solo obligat, non ex aliqua causa alia: et tale dicitur *præceptum disciplinæ*, quia per ipsum discitur quanta sit virtus obedientiæ, quæ suo merito ducit ad cœlum, suo autem demerito præcipitat in infernum. Non ergo datum est illud mandatum homini propter indigentiam aliquam, quam Deus haberet de humano obsequio; sed ad dandam viam merendi coronam per meram et voluntariam obedientiam.

Obedientia mera.

Et quoniam homo, ratione naturæ defectivæ ex nihilo formatæ, nec per gloriam confirmatæ, poterat cadere; benignissimus Deus quadruplex contulit ei adjutorium, scilicet duplex naturæ, et duplex gratiæ. Duplicem enim indidit rectitudinem ipsi naturæ : videlicet unam ad recte judicandum, et hæc est rectitudo conscientiæ; aliam ad recte volendum, et hæc est rectitudo synderesis, cujus est remurmurare contra malum, et stimulare ad bonum. Duplicem etiam superaddit perfectionem gratiæ : unam gratiæ gratis datæ, quæ fuit scientia illuminans intellectum ad cognoscendum seipsum, et Deum suum, et mundum istum, qui factus fuerat propter ipsum; aliam vero gratiæ gratum facientis, quæ fuit charitas habilitans affectum ad diligendum Deum super omnia, et proximum sicut seipsum. Et sic ante lapsum homo perfecta habuit naturalia, supervestita nihilominus gratia divina. Ex quo manifeste colligitur, quod si cecidit, non aliunde fuit, nisi ex sua culpa, quia obedire contempsit.

Quadruplex adjutorium a Deo datum.

Synderesis officium.

CAPUT XII.

De completione et ordinatione totius mundi consummati.

Mundi creatura comparatur libro.

Ex prædictis colligi potest, quod creatura mundi est quasi quidam liber, in quo relucet, repræsentatur et legitur Trinitas fabricatrix secundum triplicem gradum expressionis, scilicet per modum vestigii, imaginis, et similitudinis : ita quod ratio vestigii reperitur in creaturis omnibus; ratio imaginis, solum in intellectualibus, sive spiritibus rationalibus; et ratio similitudinis, in solis deiformibus, ex quibus, quasi per quosdam scalares gradus, natus est intellectus humanus gradatim ascendere in summum principium, quod est Deus.

Creaturæ ad creatorem tripliciter possunt comparari.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum omnes creaturæ respectum habeant et dependentiam ad suum creatorem, tripliciter possunt comparari ad ipsum, scilicet : aut sicut ad principium creativum; aut sicut ad objectum motivum, aut sicut ad donum inhabitativum. Primo modo comparatur ad ipsum omnis ejus effectus ; secundo modo, omnis intellectus; tertio modo, omnis spiritus justus et Deo acceptus. Omnis enim effectus, quantumcumque parum habens de esse, habet Deum sicut principium; omnis intellectus, quantumcumque parum habens de lumine, natus est per cognitionem et amorem Deum capere; omnis spiritus justus et sanctus habet donum Spiritus sancti infusum sibi. Et quoniam creatura habere non potest Deum sicut principium, quin configuretur ei secundum unitatem, veritatem et bonitatem; nec Deum sicut objectum, quin eum capiat per memoriam, intelligentiam et voluntatem; nec Deum sicut donum infusum, quin configuretur ei per fidem, spem et charitatem, sive per triplicem dotem : et prima conformitas est longinqua, secunda propinqua, tertia proxima : hinc est, quod prima dicitur vestigium Trinitatis; secunda, imago; tertia, similitudo. Est igitur spiritus rationalis medius inter primam, et ultimam : ita quod primam habet inferius, secundam interius, tertiam superius. Et ideo in statu innocentiæ, cum imago non erat vitiata, sed deiformis per gratiam effecta, et sufficiebat liber creaturæ, in quo seipsum exerceret homo ad contuendum lumen divinæ sapientiæ, ut sic sapiens esset, cum universas res videret in se, videret in proprio genere, videret in arte : secundum quod tripliciter habet esse res, scilicet in materia, vel in natura propria, in intelligentia creata, et in arte æterna. Secundum quæ tria dicit Scriptura [1] : *Dixit Deus : Fiat, Fecit*, et *Factum est ita*. Propter quam etiam triplicem visionem accepit homo triplicem oculum, sicut dicit Hugo de sancto Victore, scilicet carnis, rationis, et contemplationis : carnis, quo videret mundum, et ea quæ sunt in mundo; oculum rationis, quo videret animum, et ea quæ sunt in animo; oculum contemplationis, quo videret Deum, et ea quæ sunt in Deo : et sic oculo carnis videret homo ea quæ sunt extra se; oculo rationis, ea quæ sunt intra se; oculo contemplationis, ea quæ sunt supra se. Qui quidem oculus contemplationis actum suum non habet perfectum, nisi per gloriam, quam amisit per culpam, recuperat autem per gratiam, et fidem, et Scripturarum intelligentiam, quibus mens humana purgatur, illuminatur et perficitur ad cœlestia contemplanda : ad quæ lapsus homo pervenire non potest, nisi prius defectus et tenebras proprias recognoscat : quod non facit, nisi ruinam humanæ naturæ diligenter consideret et attendat.

Triplex hominis oculus.

[1] *Gen.*, I, 3, 7, 9, etc.

TERTIA PARS

IN QUA

DE CORRUPTELA PECCATI AGITUR

CAPUT PRIMUM.

De origine mali in communi.

Prædeterminatis igitur breviter aliquibus de trinitate personarum et unitate Dei, et de creatura (*a*) mundi, restat nunc aliqua breviter tangere de corruptela peccati [1]. De qua tenendum est in summa, quod peccatum non est essentia aliqua, sed defectus et corruptela, qua scilicet corrumpitur modus species et ordo in voluntate creata : ac per hoc peccati corruptio est contraria ipsi bono, non tamen habet esse nisi in bono, nec ortum trahit nisi a bono. Quod quidem bonum est liberum arbitrium voluntatis, et ipsum nec est summe malum, cum possit velle bonum; nec summe bonum, cum possit declinare in malum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia primum principium, cum sit ens a seipso, non ab alio, necesse est quod sit ens propter seipsum, ac per hoc summe bonum, nullum prorsus habens defectum. Non est igitur aliquid, nec esse potest, quod sit primum, et summe malum : quia principium primum dicit summum complementum, et summe malum dicit defectum permaximum. Quoniam ergo primum principium, ut summe ens et completum, nec in essendo, nec in operando deficere potest, nec summe malum est, nec aliquod malum est, nec aliquo modo malum principiare potest; quia tamen omnipotens est, potest bonum de non esse in esse deducere, etiam sine adminiculo alicujus materiæ. Quod et fecit, cum creaturam finxit, cui dedit esse, vivere, intelligere et velle. Quæ quidem, quia a summo bono fuit secundum triplicis causæ habitudinem; oportuit quod haberet in sua substantia et voluntate modum, speciem, et ordinem. Nata ergo fuit agere opera sua a Deo, secundum Deum, et propter Deum : et hoc secundum modum, speciem, et ordinem sibi insitum. Sed quia de nihilo fuit et defectiva, potuit deficere ab agendo propter Deum, ut scilicet aliquid faceret propter se, non propter Deum; ac per hoc nec a Deo, nec secundum Deum, nec propter Deum : et hoc est peccatum, quod est modi, speciei et ordinis corruptivum. Quod, quia defectus est, non habet causam efficientem, sed deficientem, videlicet defectum voluntatis creatæ. Quia vero corruptio est, et non nisi boni, et omnis corruptio in re corruptibili est; ideo non nisi in bono est : ac per hoc, cum voluntas libera corrumpat in seipsa modum, speciem et ordinem, deficiendo a vero bono, peccatum omne, in quantum hujusmodi, est a voluntate sicut a prima origine, et est in voluntate sicut in proprio subjecto : quod quidem facit voluntas, quando sua defectibilitate, mutabilitate et vertibilitate, spreto bono indeficiente et incommutabili, inhæret bono commutabili. Ex quibus colligitur, quod peccatum non est appetitio malarum rerum, sed desertio meliorum; et ideo in appetitu voluntatis est modi, speciei et ordinis corruptivum; ac per hoc [2] adeo voluntarium, quod si non est voluntarium, jam non est peccatum. His autem præintellectis, ma-

Peccati origo et subjectum.

[1] Cf. Aug., *de Nat. boni cont. Manich.*, c, IV. — [2] Aug., *de ver. Relig.*, c. XIII.

(*a*) *Cæt. edit.* de trinitate Dei, et creatura.

nifeste cadit impietas Manichæorum, ponentium [1] summum malum omnium malorum principium primum. Apparet etiam quæ sit mali origo, et quid mali subjectum.

CAPUT II.

De primorum parentum tentatione.

Ad intelligendum (*a*) autem qualiter corruptela peccati intravit in mundum, considerare oportet lapsum primi parentis, traductionem culpæ originalis, et ortum sive radicem peccati actualis. Circa lapsum igitur primi parentis hæc tria nobis occurrunt consideranda, scilicet tentatio diabolica, culpa commissa, et pœna inflicta. Hæc igitur de tentatione sunt tenenda, videlicet quod, cum Deus hominem condidisset in felicitate paradisi in sexu duplici, scilicet virili et muliebri, diabolus invidens homini, assumpta specie serpentina, aggressus est mulierem, primo quærendo [2]: *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis ?* secundo asserendo, dicens : *Nequaquam moriemini ;* tertio promittendo : *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum :* volens ista tentatione dejicere mulierem infirmiorem, et per illam postea prosternere sexum virilem : quod et fecit, Domino permittente.

Doctrina de tentatione primorum parentum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia sicut primum principium est potentissimum in operando, sive in producendo, sic etiam est rectissimum in gubernando : et ideo sic res, quas condidit, administrat, ut eas agere proprios motus sinat. Quoniam igitur homo sic factus erat, ut per victoriam pugnæ perveniret ad præmium quietis æternæ, licet Deus sciret hominem tentationi succumbere, debuit tamen hominem permittere tentari ab eo, qui sciret, posset et vellet. Quoniam ergo diabolus, qui prius erat sciens et rectus, per superbiam cadendo, factus est versutus et invidus ; ideo per invidiam tentare volebat, et per astutiam sciebat : et ideo tentavit juxta quod potuit, et Deus permisit. Quod igitur in tentando speciem serpentinam assumpsit, hoc dispensationis divinæ fuit, ut non solum deprehendi ejus versutia posset, verum etiam, ut ex illa effigie versutia diabolica in tentando cunctis filiis Adæ innotescere posset. Rursus, quia tentavit de præcepto disciplinæ, hoc similiter fuit dispensationis divinæ, ut sive vinceretur, sive vinceret, cunctis innotesceret meritum obedientiæ, sive demeritum inobedientiæ. Quod autem incœpit a muliere, hoc fuit versutiæ suæ, quia facilius est dejicere minus fortem. Unde et versutia hostis ex infirmiori parte aggreditur civitatem. Similiter modus, quo in tentatione processit, maximæ versutiæ fuit, quia experiendo, impellendo et alliciendo processit. Experientiam enim sumpsit in interrogatione, impulit in assecuratione, allexit autem in promissione. Primo enim interrogavit de causa mandati, ut rationem duceret in dubium ; secundo autem, dubitatione habita [3] : *Ne forte moriamur*, assecuravit, ut irascibilem duceret in contemptum ; tertio promisit, ut concupiscibilem duceret in appetitum : et sic his tribus modis libertatem arbitrii traheret ad consensum, quæ facultas est rationis et voluntatis, complectens nihilominus tres prædictas vires, scilicet rationalem, irascibilem, et concupiscibilem : respectu quarum diabolus allexit mulierem per triplex appetibile, scilicet per scientiam, quæ est appetibilis rationali ; per excellentiam ad modum Dei, quæ est appetibilis irascibili ; per suavitatem ligni, quæ est appetibilis concupiscibili : et sic tentavit omne, quod erat in muliere tentabile, per omne illud quod poterat in tentationem induci, quod est triplex appetibile mundi, scilicet [4] secundum concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ : secundum quæ tria attenditur omnis tentationis origo, sive a mundo, sive a carne, sive a diabolo.

Diabolus cur mulierem prius tentavit.

[1] Aug., *de Morib. Manich.*, c. II, et seq. — [2] *Gen.*, III, 1, 4, 5. — [3] Ibid., 3. — [4] I *Joan.*, II, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* intelligentiam.

CAPUT III.

De primorum parentum transgressione.

De culpa vero primorum parentum sunt hæc tenenda : scilicet quod mulier assentiens tentationi diabolicæ, appetiit scientiam, et excellentiam ad modum Dei, appetiit nihilominus experiri suavitatem ligni vetiti, et tandem incidit in transgressionem mandati. Nec his contenta, offerendo fructum ligni vetiti, induxit virum, qui nolens suas delicias contristare, mulierem non corripuit; sed potius consensum præbuit male suadenti, et oblatum pomum gustando, effectus est transgressor divini præcepti.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum a primo principio, ut prædictum fuit, datus esset homini duplex sensus et appetitus respectu duplicis libri, et respectu duplicis boni, ut secundum libertatem arbitrii, homo posset ad utrumque converti; mulier, audita suggestione serpentis exteriori, non recurrit ad librum interiorem, qui legibilem se præbet recto judicio rationis; sed potius sensum suum circa exteriorem librum tenuit, et circa exterius bonum negotiari cœpit. Et quia sensus ejus non accessit usque ad verum infallibile, appetitus ejus converti cœpit ad bonum commutabile. Appetiit igitur quod diabolus promisit, et ideo consensit ut faceret quod suggessit. Appetendo igitur excellentem scientiam, erecta est in superbiam; erecta in superbiam, hoc ipso illecta est ad gulam, ac per hoc tertio prostrata est per inobedientiam.

Origo primi peccati.

Primum fuit in mente ; secundum in sensualitate; tertium in opere. Et sicut tentatio ab inferiori incipiens pervenit usque ad summum, quia ab auditu per appetitum pervenit ad consensum; sic e converso, deordinatio a superiori incipiens, pervenit usque ad imum, et fecit unum peccatum consummatum, quod in humana natura est omnis peccati initium et origo malorum. Nam mulier illecta illexit virum : qui similiter ad librum exteriorem conversus, et ad bonum commutabile, nimis appretiando mulieris consortium, et suæ societatis solatium, nec mulierem voluit corripere, nec proprias delicias contristare. Et quoniam debuit eam corripere, et non corripuit, idcirco imputatur ei peccatum mulieris. Quia vero noluit suas delicias contristare, a se repellendo mulierem; incœpit nimium diligere seipsum, ac per hoc recedens a divina amicitia, incidit in gulam et inobedientiam.

Fuit ergo transgressio præcepti utrique communis, licet ex alia, et alia causa : quia non vir, sed mulier fuit seducta : in utroque tamen, scilicet viro et muliere, fuit deordinatio a summo usque ad imum, quia primo in mente fuit, sive in ratione, deinde in sensualitate, et postremo in opere. Ideo enim uterque prostratus fuit per inobedientiam, et illectus per gulam, quia uterque erectus fuit in superbiam : mulier quidem appetendo et ambiendo quod nondum acceperat; vir autem nimis amando et appretiando quod jam habebat : unde mulier manducando, credidit sublimari; Adam vero existimans se aliquid magnum, et Deo charum, minus graviter credidit se puniendum. Nondum enim expertus fuerat rigorem divinæ justitiæ et severitatis. Et sic uterque, dum inordinate erexit se supra se, cecidit miserabiliter infra se, a statu scilicet innocentiæ et gratiæ, ad statum culpæ et miseriæ.

CAPUT IV.

De primorum parentum punitione.

De pœna vero primorum parentum hoc est tenendum : videlicet quod vir et mulier, statim post culpam, senserunt pœnam rebellionis et erubescentiæ in carne; et ideo, ad cooperiendum verenda [1], fecerunt sibi perizomata. Postea vero divino judicio vir

[1] *Gen.*, III, 7.

incurrit pœnam laboris et angustiæ; pœnam famis et indigentiæ; pœnam mortis et resolutionis in cinerem. Juxta quod dicitur in Scriptura [1] : *Maledicta terra in opere tuo*, etc. Mulieri vero duplicata est pœna : quia inflicta est ei pœnalitas multiplicium ærumnarum in conceptu, pœna doloris in partu, pœna quoque subjectionis ad virum in convictu : ac per hoc, secundum quod apparet, satis graviter punitum fuit peccatum illud, scilicet ligni vetiti esus, licet fuerit faciliter perpetratum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum primum principium sit prudentissimum in gubernando, et rectissimum in præsidendo, nihil prorsus inordinatum dimittit in universo : et quia culpa recte ordinatur in pœna (convenientius enim injustus dolet in supplicio, quam lætatus est in delicto, quoniam melius est dolere (*a*) damnum salutis, quam lætari in damno æquitatis); ideo statim in primis parentibus dedecus peccati subsecutum est decus judicii, ut quod inordinatum fuit cadendo ab ordine naturæ, caderet statim in ordinem justitiæ. Hic enim duplex ordo sic cuncta complectitur, ut quod ab uno ceciderit, statim in alteram differentiam relabatur.

Ordo divinæ justitiæ in pœna inflicta primis parentibus pro peccato.

Quoniam ergo uterque parens superbiendo in mente, et gustando in carne, inobediens fuit suo superiori, justo Dei judicio factum est ut sibi fieret inobediens suum inferius, et maxime quantum ad partes illas, secundum quas est conjunctio utriusque sexus, quæ sunt membra virtuti generativæ deservientia. Et quia hoc inerat eis non ex natura, sed ex propria culpa; ideo erubescebant, et cooperiebant se. Rursus, quia vir, spreto summo delectabili, quæsivit in carne delectari; ideo justo Dei judicio inflictus est ei labor, et defectus famis et sitis.

Postremo, quia propter bonum carnis separari elegit a bono mentis, ideo justo Dei judicio anima invita separatur a carne per mortem et incinerationem : ac per hoc, sicut Deus dederat homini, secundum ordinem naturæ, corpus subjectum animæ, propagabile sine libidine, vegetabile sine defectione, immutabile sine morte interveniente ; sic homine peccante, secundum ordinem justitiæ factum est ut subtraheret cætera prædicta, et infligeret opposita : ut sic culpa non remaneret impunita et inordinata, quod nequaquam pati debet divina providentia. Et quoniam peccatum a muliere exordium sumpsit, ideo pœna ejus debuit duplicari. Quia igitur in mente superbiens fuit, subjectionem incurrit ; quia lignum ad vescendum suave vidit et appetiit, dolorem incurrit; postremo, quia fregit jugum obedientiæ, incurrit vinculum et pondus multiplicis ærumnæ. Et sic patet quanto ordine divinæ providentiæ inflictæ sunt viro pœnæ multiplices, et duplicatæ in muliere, ut sic dedecus peccati non remaneret, seu esset sine decore justitiæ. Tanta est enim beatitudo justitiæ, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere.

CAPUT V.

De originalis peccati corruptione.

Modus quo genus humanum per peccatum originale corrumpitur.

Post lapsum primi parentis, dicenda sunt aliqua de corruptione peccati originalis : circa quod primo considerandus est modus corruptionis; secundo, modus traductionis; tertio, modus curationis. Modus autem quo genus humanum per originale peccatum corrumpitur, hic est : nam quilibet, per concubitum generatus, nascitur [2] *natura filius iræ*, quia privatus rectitudine originalis justitiæ : propter cujus absentiam incurrimus, quantum ad animam, quadruplicem pœnam, scilicet infirmitatem, ignorantiam, malitiam, et concupiscentiam : quæ quatuor inflicta sunt propter originale peccatum. Quas sane pœnas spirituales comitatur in corpore multiplex pœnalitas, multiplex defectus, multiplex labor, multi-

Pœnæ originale peccatum subsecutæ.

[1] *Gen.*, III, 17.— [2] *Ephes.*, II, 3.— (*a*) *Suppl.* ob.

plex morbus, et multiplex dolor. Ad has quoque pœnas subsequitur pœna mortis et incinerationis; pœna carentiæ visionis Dei et amissionis gloriæ cœlestis, non solum in adultis, verum etiam in parvulis non baptizatis : qui quidem parvuli pœna mitissima inter cæteros puniuntur, quia solam pœnam damni habent, sine pœna sensus.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum primum principium omnia agat a se, et secundum se, et propter se; necesse est esse optimum, et rectissimum, ac per hoc piissimum et justissimum : et inde est, quod [1] *universæ viæ ejus misericordia et veritas*, sive judicium. Si enim Deus a principio hominem in tantis miseriis condidisset; nec pietas esset, nec justitia, quod tanta opus suum opprimeret miseria, nulla præcedente culpa. Similiter, si tantis miseriis nos repleret vel repleri permitteret sine culpa, nec pie nec juste gubernaret nos divina providentia. Si ergo certissimum est primum principium, et in producendo, et in providendo, rectissimum et clementissimum esse; necesse est, quod genus humanum taliter fecerit, ut a principio nulla esset in eo culpa, nec miseria. Necesse est etiam, quod taliter administret, ut non permittat in nobis esse miseriam, nisi propter aliquam culpam præambulam. Quoniam igitur certissimum est quod a nostra origine multiplicem contrahimus miseriam pœnæ, certum est quod omnes nascimur *natura filii iræ*, ac per hoc privati rectitudine originalis justitiæ : quam privationem vocamus originalem culpam. Et quia omnis culpa dicit recessum a bono incommutabili, et accessum ad bonum commutabile; et recedere a bono incommutabili est recedere a summa virtute, veritate et bonitate; accedere autem ad bonum commutabile, est plus debito in illud per amorem tendere : hinc est quod perdens originalem justitiam, incurrit infirmitatem, ignorantiam, malitiam et concupiscentiam.

Culpa omnis dicit accessum ad bonum commutabile, et recessum ab incommutabili.

Rursus, quia deserens bonum incommutabile propter bonum commutabile, efficitur indignus utroque; hinc est quod, ratione carentiæ originalis justitiæ, perdit anima quietem temporalem in corpore per multiplicem corruptionem et mortem, et tandem separatur a visione lucis æternæ, amittendo felicitatem gloriæ, tam in anima, quam in corpore.

Postremo, quia carentia hujus justitiæ in nascentibus, non est per motum voluntatis propriæ, nec per actualem delectationem; hinc est quod originali peccato, post hanc vitam, non debetur pœna sensus in gehenna, pro eo quod non supra condignum, sed citra, punit divina justitia, quam semper comitatur superabundans misericordia. Hoc credendum est sensisse beatum Augustinum [2], licet verba ipsius exterius, propter detestationem erroris Pelagianorum, qui aliqualem felicitatem eis concedebant, aliud sentire videantur : ut enim eos reduceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum.

Originale peccatum cur post hanc vitam non puniatur pœna sensus.

CAPUT VI.

De originalis peccati transfusione.

Modus autem traductionis culpæ originalis videtur esse talis : quia licet anima non sit ex traduce, originalis tamen culpa ab anima Adæ transit ad animas posterorum mediante carne per concupiscentiam generata : ita quod sicut ab anima peccante infecta fuit caro Adæ, et prona effecta ad libidinem, sic caro per libidinem seminata, et secum trahens infectionem vitiosam, inficit et vitiat animam : quæ quidem infectio vitiosa in anima non tantum est pœna, sed etiam culpa. Et sic persona corrumpit naturam, et natura corrupta corrumpit personam, salva in omnibus divina justitia, cui nullo modo potest imputari infectio animæ, licet eam

[1] *Psal.* XXIV, 10. — [2] Imo Fulgentius, *de Fid. ad Petr.*, c. III et XXVII; Aug., *de verb. Apost.*, serm. XIV, al. CCXCIV, n. 4.

creando infundat, et infundendo uniat eum carne infecta.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum primum principium fecerit hominem ad imaginem suam propter sui ipsius expressionem; sic eum condidit ex parte corporis, ut omnes homines propagarentur a primo homine, tanquam ab uno radicali principio; sic ex parte animæ, ut propter expressam similitudinem tam in essendo et durando, quam intelligendo et amando, immediate emanarent omnes spiritus rationales ab ipso Deo, tanquam a primo principio et immediato. Et quoniam spiritus tanquam excellentior magis accedit ad primum principium, sic condidit Deus hominem, ut spiritus præesset corpori, et corpus subesset spiritui creato, quandiu ille subesset spiritui increato; et contra si spiritus non obediret Deo, justo Dei judicio, corpus suum inciperet sibi rebellare. Quod et factum est, cum Adam peccavit. Sicut igitur, si Adam stetisset in obedientia Dei, corpus suum spiritui obediens esset, et tale ad posteros transmitteret, et Deus illi animam infunderet, ita quod unita corpori immortali, et sibi obedienti, haberet ordinem justitiæ, et immunitatem omnis pœnæ : sic ex quo Adam peccavit, et caro facta est rebellis spiritui, oportet quod talem ad posteros transmittat, et quod Deus secundum institutionem primariam animam infundat; anima vero cum unitur carni rebelli, incurrit defectum ordinis naturalis justitiæ, quo debebat omnibus inferioribus imperare. Et quia anima carni unita est, oportet quod ipsam trahat, et trahatur ab ipsa : et quia ipsam non potest trahere tanquam rebellem, necesse est ut ab ipsa trahatur, et incurrat morbum concupiscentiæ : et sic incurrit simul carentiam debitæ justitiæ, et morbum concupiscentiæ. Ex quibus duobus, tanquam ex aversione et conversione, dicitur integrari secundum Augustinum et Anselmum peccatum originale. Quoniam igitur ordinatissimum fuit, quod natura humana ita conderetur, et quod condita sic propagaretur, et quod peccans ita puniretur, sicut prædictum est prius, ita quod in conditione servatur ordo sapientiæ; in propagatione, ordo naturæ; in punitione, ordo justitiæ : patet, quod non est contra divinam justitiam, si ad posteros transmittitur culpa. Rursus, quia culpa originalis peccati in animam transfundi non posset, nisi pœna rebellionis in carne præcederet; et pœna non esset, nisi culpa præcessisset; nec culpa præcessit a voluntate ordinata, sed inordinata, ac per hoc non a voluntate divina, sed a voluntate humana : patet, quod originalis culpæ transfusio est a peccato primi hominis, non a Deo; non a natura condita, sed a vitio perpetrato. Et sic verum est, quod dicit Augustinus [1], quod peccatum originale non transmittit ad posteros propagatio, sed libido.

Originale peccatum ex carentia justitiæ et morbo concupiscentiæ integratur.

CAPUT VII.

De originalis peccati curatione.

Postremo diligenter attende, quod modus curationis culpæ originalis est iste, scilicet, quod sic curatur culpa originalis, quod remanet pœna temporalis, sicut patet in parvulis baptizatis; sic curatur quantum ad reatum pœnæ æternæ, quod remanet quantum ad actum, et motum concupiscentiæ; sic curatur in parente, quod nihilominus ab eo, qui curatus est per baptismum, transmittitur in prolem originale peccatum; sic tollitur originalis peccati macula, quod remanet sequela, cum qua oportet pugnare, quandiu vivimus in hac vita : quia in nullo prorsus extinguitur concupiscentia per gratiam communem; quod dico propter virginem beatissimam Mariam, in qua in conceptione Filii Dei extincta fuit per gratiam singularem.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia sicut infectio derivatur in omnes a principio creato a quo fit propagatio corporum, et hoc a parte inferiori, sci-

[1] Imo Fulg., *de Fid. ad Petr.*, c. II.

licet carnis; sic curatio fieri habet a principio increato, a quo fit infusio animarum, et hoc a parte superiori, scilicet mentis. Quoniam igitur ex parte mentis distinctio est in hominibus, ita quod secundum illam unus non propagatur ab altero, sed immediate exit a Deo, gratia curativa menti nostræ a Deo infusa respicit unumquemque in quantum tenet rationem personæ singularis et individuæ, non in quantum tenet rationem productivi secundum virtutem naturæ. Quoniam igitur originale peccatum est morbus inficiens personam pariter et naturam, personam in voluntate, naturam in carne; ideo sic curatur macula originalis in mente, quod remanet infectio, et sequela in carne.

Culpa originalis inficit personam et naturam.

Et quia homo generat non secundum quod curatus est in mente, sed secundum quod corruptus in carne; non secundum quod spiritualis, sed secundum quod carnalis; hinc est, quod quamvis sic baptizatus sit ab originali mundatus in se, transmittit tamen in prolem originale. Rursus, quia reatus pœnæ æternæ respicit deformitatem mentis et personæ, actus autem sive motus respicit inclinationem carnis et naturæ : ideo transit originale per baptismum, quantum ad reatum, et remanet quantum ad actum. Postremo quia afflictio temporalis conditionem respicit ex parte carnis, cum caro remaneat semper subjecta cuidam infectioni, remanere debet semper subjecta pœnalitati : et ideo sicut pœnalitas, et corruptio per gratiam non aufertur a carne; sic sequela illa, sive concupiscentia, et languor membrorum, simul stare potest cum gratia curativa. Et ideo quamvis paulatim minuatur, quia tamen radix non tollitur, nuuquam omnino aufertur in viatore, nisi in beata Virgine per gratiam singularem. Quia enim Virgo concepit eum, qui erat expiatio omnis culpæ, ideo data fuit sibi gratia singularis, qua extincta fuit in ea radicitus omnis concupiscentia, ad concipiendum Dei Filium absque omnis peccati labe et corruptela. Nempe decens erat [1], ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium, quem de corde suo genitum sibi æqualem, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris, et Virginis filius; et quam ipse Filius specialiter facere sibi matrem eligebat; et de qua Spiritus sanctus volebat, et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedebat.

Baptizatus cur peccatum originale transmittit.

Gratia singularis B. Virginis.

CAPUT VIII.

De origine peccatorum actualium.

Postquam autem dictum est de traductione peccati originalis, dicenda sunt aliqua de origine peccati actualis. De ortu igitur peccati actualis, hæc tenenda sunt in summa, videlicet, quod peccatum actuale originem trahit a libera voluntate uniuscujusque per suggestionem, delectationem, consensum, et operationem, juxta quod dicit Scriptura [2] : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus : deinde concupiscentia, cum conceperit, peccatum parit; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.* Si autem suggestio et delectatio sistat citra consensum, est veniale peccatum. Si vero consequatur consensus et opus in his, quæ divina lege probibita sunt, peccatum est mortale consummatum. Quod si medio modo fit, ut consensus sine opere sit : aut quia vult in opus procedere, sed non potest, tunc voluntas pro facto reputatur, nec minus culpabilis est, quam si in ipso facto deprehenderetur; aut quia non vult in opus procedere, sed vult interius voluptari in delectatione, et tunc manducat mulier, sed non vir. Et licet non sit peccatum plene consummatum, est tamen inter mortalia computandum; quia muliere manducante, totus homo damnari meretur, quod maxime intelligi habet in peccatis carnalibus.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est : quia cum peccatum dicat re-

[1] Ansel., *de Concep. Virg., et pecc. originalis*, c. XVIII. — [2] *Jac.*, I, 14.

cessum voluntatis a primo principio, in quantum ipsa voluntas nata est agi ab ipso, et secundum ipsum, et propter ipsum; omne peccatum est inordinatio mentis sive voluntatis, circa quam nata sunt esse virtus et vitium. Peccatum igitur actuale, est actualis inordinatio voluntatis. Inordinatio autem ista, aut est tanta, quod ordinem justitiæ exterminat, et hoc modo dicitur mortale peccatum, quia natum est auferre vitam, separando ipsam a Deo, per quem vivificatur anima justa; aut est tam modica, quod ordinem illum non perimit, sed tantum in aliquo perturbat, et tunc dicitur veniale peccatum, quia de ipso adipisci possumus cito veniam, pro eo quod gratia non tollitur per ipsum, nec inimicitiam divinam incurrit homo. Est autem ordo justitiæ, ut bonum incommutabile præferatur commutabili; ut bonum honestum præferatur utili, et voluntas Dei præferatur voluntati nostræ; ut judicium rationis rectæ præsit sensualitati humanæ. Et quoniam lex Dei istum ordinem præcepit, et vetat oppositum; quando bonum commutabile præfertur æterno, et bonum utile præfertur honesto, et voluntas nostra præfertur divinæ voluntati, et sensualis appetitus præfertur rationi rectæ, tunc committitur mortale peccatum : de quo dicit Ambrosius [1], quod est prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia præceptorum, vel mandatorum. Hæc autem committitur, sive omittatur quod lex divina præcepit, sive fiat id quod prohibet. Ex quo duplex genus peccati oritur, delictum scilicet, et commissum. Quando vero bonum commutabile plus debito diligitur, sed non præfertur incommutabili, et utilitas non præfertur honestati, et voluntas nostra plus debito amatur, ita tamen quod non præfertur divinæ; et caro concupiscit, non tamen præfertur judicio rationis rectæ : tunc non est mortale, sed veniale : quia licet hoc sit præter legem, non tamen directe est contra legem. Sensualis autem appetitus rationi rectæ non præfertur, nisi quando ei ratio consensit : et ideo peccatum mortale citra consensum non committitur. Si tamen sensualitas inordinate moveatur, cum illa inordinatio ad malum inclinet, licet ratio non consentiat, peccatum est aliquod, quia aliquo modo lædit ordinem justitiæ. Et quia in statu innocentiæ non movebatur sensualitas, nisi secundum rationis motum, ideo, stante homine, non poterat ibi esse veniale peccatum. Nunc autem, quia rationi repugnat sensualitas, velimus, nolimus, ideo necesse habemus committere aliquod veniale peccatum per primos motus, qui etsi particulariter et singillatim possint declinari, omnes tamen nullo modo possunt caveri : quia (a) sic sunt peccata, quod sunt etiam pœnæ peccati; et ideo merito dicuntur venialia, quia hoc ipso digna sunt venia. Verum quia ratio his consentire non compellitur, si post consensum delectationis consentiatur in opus, tunc est plenus consensus, ac per hoc peccatum consummatum, quia pervenit usque ad virum, id est, usque ad partem supremam rationis, ex qua pendet plenitudo consensus. Quia vero non solum in opus, verum etiam in delectationem est consensus, in quo inferior portio sequitur sensualitatem : ideo si in delectatione sensuali ratio sensualitati succumbat, mulier serpenti obtemperat : ac per hoc fit subversio recti ordinis, et ita subversio justitiæ, propter quod committitur mortale peccatum, licet minus grave : quod non solum imputatur mulieri, verum etiam viro, a quo mulier compesci debuit et cohiberi, ne obtemperaret serpenti. Et sic patet, quod in perpetratione omnis peccati actualis, fit aliqualis imitatio primi peccati, secundum explanationem Doctoris præcipui Augustini [2].

Peccatum actuale quid, et quotuplex.

Peccatum mortale non committitur citra consensum.

Peccata venialia non poterant esse in statu innocentiæ: nunc singula vitari possunt, etsi non omnia.

[1] Ambros., *de Parad.*, c. VIII. — [2] Aug., *de Trinit.*, lib. XII, c. XII. — (a) *Cæt. edit.* qui.

CAPUT IX.

De origine et distinctione capitalium peccatorum.

Consequenter descendendum est ad ortum peccatorum in speciali : inter quæ, quædam sunt capitalia, quædam pœnalia, quædam finalia, sive irremissibilia : quasi prima, media, et postrema. Circa ortum vero peccatorum capitalium, hoc est in summa tenendum, videlicet quod peccatorum actualium, unum est initium, duplex radix, triplex fomentum, septiforme caput, sive capitale peccatum. Unum, inquam, est capitale initium, scilicet superbia, juxta quod dicit Scriptura[1]: *Initium omnis peccati superbia.* Duplex radix, scilicet timor male humilians, et amor male accendens (*a*). Triplex fomentum, secundum tria quæ sunt in mundo : scilicet[2] *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Septiforme vero caput, scilicet superbia, invidia, ira, acidia, avaritia, gula et luxuria : inter quæ, quinque præcedentia sunt peccata spiritualia; duo vero ultima sunt carnalia.

Ratio autem ad intelligentiam horum hæc est : quia cum peccatum mortale sit actualis a primo principio recessus; recessus autem a primo principio non potest esse nisi per contemptum ipsius, vel in seipso, vel in suo præcepto; contemptus autem primi principii, cum sit superbia : necesse est quod omnis mortalis peccati culpa, sive offensa, initium sumat a superbia. Quia vero nullus contemnit primum et summum principium, vel ejus præceptum per se, nisi per hoc quod aliquid aliud ab ipso vel vult acquirere, vel timet perdere : hinc est, quod necesse est omne peccatum actuale originem trahere a duplici radice, scilicet timore, et amore : qui radices sunt malorum, licet non æque primæ. Nam omnis timor ortum habet ab amore : nullus enim timet aliquid perdere, nisi quia amat illud habere : et ideo per ea habet foveri timor, per quæ fovetur et amor. Amor autem inordatus est respectu commutabilis boni. E quoniam illud est triplex, scilicet interius, excellentia; exterius, pecunia; inferius, carnalis lascivia : hinc est quod necesse est esse tria peccatorum actualium radicalia fomenta, quæ superius sunt prætacta : ad quæ dum anima inordinate fertur, omnia peccata actualia oriuntur.

Et quia hoc fit secundum septiformem modum, ideo septem sunt peccata capitalia, ex quibus generatur universitas vitiorum. Voluntas enim nostra aut deordinatur quia appetit, quod non est appetendum; aut quia refugit, quod non est refugiendum. Si quia appetit quod non est appetendum, utpote bonum ut nunc, sive commutabile, sive apparens bonum : aut est interius, et sic est privata excellentia, quam amat superbia; aut exterius, et sic est sufficientia, quam amat avaritia; aut inferius, et sic aut delectabile, quia ad conservationem individui, et sic alimentum, quod est delectabile secundum gustum, et appetitur a gula; aut quia ad conservationem speciei, et sic coitus, qui est delectabilis secundum tactum, et appetitur a luxuria. Si autem voluntas deordinatur quia refugit quod non est refugiendum, hoc potest esse tripliciter, secundum triplicem modum refugiendi. Aut enim refugit secundum perversum instinctum ipsius rationalis, et sic est invidia; aut secundum instinctum irascibilis, et sic ira; aut secundum instinctum concupiscibilis, et sic est acidia. Unde quia quatuor sunt principalia appetibilia, et tres vires, secundum quarum instinctum est fuga; ideo tantum septem sunt capitalia peccata. Rursus, quia sensus appetibilis est cum delectatione, sensus autem rei fugiendæ est cum dolore; hinc est, quod quatuor habent conjunctam lætitiam, tria vero alia habent adjunctam tristitiam et pœnam : omnia tamen dicuntur capitalia, quia deordinationes sunt principales, et multarum aliarum deordinationum sunt principia suo modo influentia. Unde licet quædam

Deductio septem capitalium peccatorum.

[1] *Eccli.*, x, 15. — [2] I *Joan.*, II, 16.

(*a*) *Cæt. edit.* accedens.

ex his principaliter fugam respiciant, habent tamen et (a) ipsa delectabilia sua. Nam invidia vult privatum bonum possidere sine socio, et ita integraliter; ira sine contrario, et ita imperturbabiliter; acidia sine labore aliquo, et ita infatigabiliter. Et quia hæc non de facili obtinentur, ideo magnum exercitium vitiorum secum trahunt ad hujusmodi, quæ appetunt, exequenda, vel ad ea, quæ respuunt, declinanda, respectu quorum dicuntur capitalia peccata, quasi capita ex quibus manant alia quamplurima.

CAPUT X.

De origine et qualitate pœnalium peccatorum.

De peccatis pœnalibus hoc tenendum est, quod licet malum culpæ et malum pœnæ sint diversæ malorum differentiæ, quædam tamen sic sunt peccata, quod etiam sunt pœnæ peccati. Speciali namque modo peccata et pœnæ peccati dicuntur illa, quæ habent adjunctum dolorem et mœstitiam, sicut acidia, invidia, et consimilia. Minus specialiter dicuntur illa, quæ habent adjunctam, vel meram depravationem naturæ, vel ignorantiam, sicut sunt illa propter quæ dicitur peccator [1] *in reprobum sensum tradi*. Generaliter autem peccata quæ sunt inter primam apostasiam, et ultimam gehennæ pœnam, et peccata possunt dici, et pœnæ peccati, juxta quod dicit Gregorius [2], « crimina criminibus vindicari. » Licet autem idem dicatur peccatum, et pœna peccati; tenendum tamen est quod omnis pœna, in quantum pœna, justa est, et a Deo; nulla vero culpa justa est, nec a Deo, sed tantum a liberæ voluntatis arbitrio. Pœna vero, quæ mere est pœna, a Deo est inflicta; quæ vero est culpa, vel inclinans ad culpam, est contracta, vel acta.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum malum dicat recessum a primo principio, per hoc quod nocet bono : non autem nocet bono, nisi aliquid adimendo de bono: bonum autem consistit in modo, specie, et ordine: nullum est malum, quod non sit modi, speciei et ordinis corruptivum. Ordo autem duplex est, scilicet ordo naturæ, et ordo justitiæ. Ordo autem naturæ est in bono naturali; ordo justitiæ, in bono morali. Et quia [3] bonum naturale in omni natura, bonum morale in voluntate habet consistere; ideo ordo naturæ est in omni natura, ordo autem justitiæ in voluntate electiva habet consistere. Et quia voluntas est instrumentum seipsum movens, natura vero non; hinc est, quod ordo justitiæ est ordo non tantum factus, sed etiam factivus, ordo autem naturæ est ordo factus. Quoniam ergo malum potest privare ordinem justitiæ, et ordinem naturæ; hinc est quod duplex est malum, scilicet culpæ, et pœnæ. Rursus, quia ordo justitiæ est ordo voluntarius, hinc est quod malum culpæ est affectio voluntaria; malum autem pœnæ est affectio involuntaria. Postremo, quia ordo justitiæ, qui inest voluntati, est ordo factivus; ideo malum culpæ, quod est ejus privatio, est malum quod facimus, et malum pœnæ est malum quod patimur Et quia non est passio, nisi naturaliter præcedat actio; nec est actio, ad quam non sequatur aliqua passio : hinc est, quod nulla est pœna sine præcedente merito culpæ; nulla est et culpa, quin comitetur aliqua pœna. Et quoniam quod facimus, a nobis est; quod nos vero patimur, potest esse a nobis, et ab aliis, utpote a causa superiori, vel inferiori : ideo licet omnis culpa sit a nobis, non tamen omnis pœna est a nobis; imo quædam est a nobis acta, quædam inflicta, quædam contracta. Et quia eum, qui facit quod non debet, justum est pati quod debet; ideo omnis pœna, in quantum pœna, justa est, et a divina providentia, quia est ad culpam ordinata, et ipsius culpæ ordinativa. Quia vero passio illa potest esse per ademptionem boni naturalis, vel boni moralis cum naturali;

Malum duplex.

Omnis culpa a nobis, non omnis pœna a nobis.

(a) Cæt. edit. ex.

[1] Rom., I, 28. — [2] Grég., Moral., lib. XXV, c. IX. — [3] Aug., de Nat. boni, c. IV.

hinc est quod quædam pœna est mere pœna, quædam vero est pœna et culpa : quia bonum morale, quod est justitia, non adimitur, nisi per injustitiam, quæ est culpa. Prima igitur pœna est a Deo, et secundum quod pœna, et secundum id quod est; a Deo, inquam, non instituente, sed vindicante. Secunda vero, cum sit culpa, secundum id quod culpa est, a Deo non est, nisi solum quantum ad ordinem; ipsa vero, vel est acta, si sequatur ad actuale, vel est contracta, si sequatur ad originale. Si igitur proprie accipiatur malum secundum quod est privatio boni naturalis, et affectio involuntaria, et malum quod patimur, sic non coincidit cum malo culpæ in idem, licet sit annexum eidem. Si vero accipiatur large, ut dicatur *malum* quod patimur, sive a nobis, sive aliunde, sive in natura, sive in voluntate; sic coincidunt in idem, sed non ad idem, vel secundum idem : quia quod est in se culpa, dicitur respectu præcedentis culpæ pœna; vel culpa ratione actionis, pœna dicitur esse ratione passionis. Et sic patet quo modo, pro quanto, et quare aliquid simul dicatur esse peccatum, et pœna peccati.

CAPUT XI.

De origine peccatorum finalium, quæ sunt peccata in Spiritum sanctum.

De peccatis autem finalibus, sive irremissibilibus, cujusmodi sunt peccata in Spiritum sanctum, hoc est tenendum, quod licet omne peccatum generaliter sit contra Deum trinum et unum, appropriate tamen dicitur aliquod peccatum esse in Patrem, aliquod in Filium, aliquod in Spiritum sanctum. Hoc autem peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicitur in hoc sæculo, et in futuro: non quia in hoc sæculo non possit dimitti, sed quia raro dimittitur, aut vix in hoc sæculo, quantum ad culpam; modicum autem, et quasi nihil, fiet remissio sibi in futuro quantum ad pœnam. Hujus autem peccati sex sunt differentiæ, scilicet invidia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ, desperatio, præsumptio, obstinatio mentis et impœnitentia finalis.

Quare peccatum in Spiritum sanctum dicatur irremissibile, et quot sint ejus differentiæ.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum peccatum dicat recessum a primo principio, trino et uno, omne peccatum imaginem Trinitatis deformat, et ipsam animam fœdat quantum ad triplicem potentiam, scilicet irascibilem, rationalem et concupiscibilem : et a libero arbitrio procedit, quod gerit in se insigne Trinitatis, scilicet Patris, ratione facultatis; Filii, ratione rationis; Spiritus sancti, ratione voluntatis. Licet autem hæc tria concurrant simul ad omnem culpam, quælibet tamen harum, per suum defectum, potest esse ratio deordinandi alias. Defectus autem circa facultatem est impotentia; circa rationem, est ignorantia; circa voluntatem, est malitia. Et hinc est, quod cum quædam sint peccata ex impotentia, quædam ex ignorantia, quædam ex malitia; et potentia attribuitur Patri, sapientia Filio, et voluntas Spiritui sancto : quod quædam dicuntur esse in Patrem, quædam in Filium, quædam in Spiritum sanctum. Et quoniam nihil magis est in voluntate, quam ipsa voluntas; et voluntas ipsa est origo peccati : nullum peccatum est adeo voluntarium, et mere, sicut est illud quod provenit ex corruptione existente in voluntate. Cum enim dupliciter dicatur involuntarium, scilicet per violentiam, et per ignorantiam; primum per defectum potentiæ, secundum per defectum scientiæ : quando voluntas sola corruptione sua, licet possit resistere, et sciat hoc malum esse, aliquid eligit, tunc dicitur peccare ex certa malitia : et peccatum tale mere procedit ex improbitate voluntatis liberi arbitrii. et directe impugnat gratiam Spiritus sancti, per quam fit remissio peccati. Et quia mere procedit ex libertate arbitrii, ideo non habet colorem excusationis; et propterea modicum, et quasi nihil, debet ei, qui punitur, de pœna relaxari. Quia vero directe impugnat gratiam Spiritus sancti, per quam fit remissio pec-

Peccatum omne deformat Trinitatis imaginem.

Involuntarium dupliciter dicitur.

cati; ideo dicitur irremissibile: non quia nullo modo possit remitti; sed quia, quantum est de se, directe est impugnativum medicamenti et remedii, per quod fieri habet remissio peccati. Et quoniam peccati remissio fit a Deo per gratiam pœnitentialem intra ecclesiasticam unitatem; ideo differentiæ hujus peccati accipiuntur secundum quod directe impugnant illa tria. Aut enim impugnant ipsam gratiam pœnitentialem in se; aut in comparatione ad Deum, a quo datur; aut in comparatione ad Ecclesiam, in qua suscipitur. Si in comparatione ad unitatem Ecclesiæ, sic quia unitas Ecclesiæ consistit in fide et charitate, sive in gratia et veritate; sic est duplex peccatum, scilicet invidia fraternæ gratiæ, et impugnatio veritatis agnitæ. Si in comparatione ad Deum dantem: quia [1] *universæ viæ ejus*, quantum ad justificationem, maxime sunt *misericordia et veritas*, sic est duplex peccatum: unum quod impugnat misericordiam, et hoc est desperatio; aliud quod impugnat justitiam, et hoc est impunitatis præsumptio. Si vero impugnat ipsam gratiam pœnitentialem in se, vel secundum se, sic est duplex, quia gratia pœnitentialis facit resilire a peccatis commissis, et præcavere a committendis. Contra primum est obstinatio mentis; contra secundum est impœnitentia finalis, secundum quod finalis impœnitentia dicitur propositum non pœnitendi: sic enim est species peccati in Spiritum sanctum. Secundum autem quod finalis impœnitentia dicit continuationem peccati usque in finem, sic est sequela omnium mortalium quæ in hac vita non remittuntur, et maxime omnium specierum peccati in Spiritum sanctum. Et sic omne peccatum initium sumit a superbia, et consummationem sive finem habet in finali impœnitentia: in quam qui pervenerit, corruit in gehennam: a qua quidem impœnitentia finali nullus peccans mortaliter potest liberari, nisi interveniat gratia mediatoris Christi: et ideo incarnationem ipsius desiderabat universitas salvandorum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

QUARTA PARS

IN QUA

DE INCARNATIONE VERBI AGITUR

CAPUT PRIMUM.

De ratione qua decuit Verbum Dei incarnari.

Postquam prædicta sunt aliqua de trinitate personarum et unitate Dei (a), de creatura mundi, et corruptela peccati; restat nunc aliqua breviter dicere de incarnatione Verbi, per quod quidem Verbum incarnatum facta est salus, et reparatio generis humani: non quia aliter Deus humanum genus salvare vel liberare non potuerit; sed quia nullus alius modus ita congruus et conveniens erat ipsi reparatori, et reparabili, et reparationi.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium effectivum rerum non poterat, nec decuit esse, nisi Deum, et non minus sit res conditas reparare, quam in esse producere, sicut non minus est bene esse, quam simpliciter

Prima ratio, qua probatur decentia incarnationis Verbi.

[1] *Psal.* XXIV, 10. — (a) *Cæt. edit.* de trinitate Dei.

esse; decentissimum fuit rerum principium reparativum esse Deum summum: ut, sicut omnia creaverat Deus per Verbum increatum, sic omnia repararet per Verbum incarnatum. Quoniam ergo Deus omnia fecit potenter, et sapienter, et optime sive benevolenter; decuit ut sic repararet reparanda, quod suam potentiam, sapientiam, et benevolentiam ostenderet. Quid autem potentius, quam conjungere extrema summe distantia in unam personam? Quid sapientius et congruentius, quam quod ad perfectionem totius universi fieret conjunctio primi et ultimi, Verbi scilicet Dei, quod est omnium principium, et humanæ naturæ, quæ fuit ultima omnium creaturarum? Quid benevolentius, quam quod Dominus, propter servi salutem, *accipiat*[1] *servi formam?* Imo hoc tantæ benignitatis est, ut nihil clementius, nihil amicabilius, nihil benignius cogitari possit. Convenientissimus ergo erat hic modus Deo reparatori, propter commendandam divinam potentiam, sapientiam et benevolentiam.

Secunda ratio. Rursus, quia homo, cadens in culpam, averterat se et recesserat a principio potentissimo, sapientissimo et benevolentissimo; ideo corruerat in infirmitatem, ignorantiam et malignitatem, ac per hoc de spirituali effectus carnalis, animalis et sensualis; et ideo ineptus erat ad divinam virtutem imitandam (a), ad lucem cognoscendam, ad bonitatem diligendam: ad hoc igitur quod homo ab isto statu repararetur, congruentissimum fuit ut ei condescenderet primum principium, reddendo se illi noscibile, amabile et imitabile. Et quia homo carnalis, animalis et sensualis, non noverat, nec amabat, nec sequebatur, nisi sibi proportionalia et consimilia; ideo, ad eripiendum hominem de hoc statu, Verbum caro factum est, ut ab homine, qui caro erat, et cognosci posset, et amari, et imitari: ac per hoc, ut (b) homo Deum cognoscens, et amans, et imitans, remediaretur a morbo peccati.

Tertia ratio. Postremo, quia homo perfecte reparari non poterat, nisi recuperaret mentis innocentiam, Dei amicitiam, et suam excellentiam, qua soli Deo suberat; et hoc non potuit fieri nisi per Deum in forma servi: ideo congruum fuit Verbum incarnari. Excellentiam namque recuperare non poterat, nisi reparator esset Deus; quia si mera creatura, tunc homo esset subjectus meræ creaturæ, et sic non recuperaret statum prioris excellentiæ. Amicitiam quoque Dei recuperare non poterat, nisi per mediatorem convenientem, qui manum posset ponere in utrumque, et utrique parti conformis esset, et utrique amicus: et ideo sicut similis Deo per divinitatem, sic similis homini per humanitatem. Innocentiam vero mentis recuperare non poterat, nisi dimissa culpa: quam dimittere non decebat divinam justitiam, nisi per satisfactionem condignam: et quia satisfacere non poterat, nisi Deus, pro toto humano genere; nec debebat nisi homo, qui peccaverat: ideo congruentissimum fuit, humanum genus reparari per Deum hominem, natum de genere Adæ. Quoniam ergo excellentia recuperari non poterat, nisi per reparatorem excellentissimum; nec amicitia reformari poterat, nisi per mediatorem amicabilissimum; nec innocentia reacquiri poterat, nisi per satisfactorem sufficientissimum: excellentissimus autem reparator non est, nisi sit Deus; amicabilissimus mediator non est, nisi sit homo; sufficientissimus satisfactor non est, nisi sit Deus pariter et homo: congruentissima fuit nostræ reparationi incarnatio Verbi, ut, sicut genus humanum in esse exierat per Verbum increatum, et in culpam ceciderat per verbum inspiratum, sic a culpa resurgeret per Verbum incarnatum.

[1] *Philip.*, II, 7. — [4] *Joan.*, I, 14.
(a) *Cæt. edit.* imitandum. — (b) et.

CAPUT II.

De incarnatione Verbi, quantum ad unionem naturarum.

Circa ipsum igitur Verbum incarnatum tria nobis consideranda occurrunt, scilicet unio naturarum, plenitudo charismatum, et perpessio passionum, propter redimendum genus humanum. Circa naturarum unionem hæc tria consideranda sunt ad intelligendum incarnationis mysterium, scilicet opus, modus, et tempus. De opere autem incarnationis, hæc tenenda sunt secundum fidem christianam, scilicet quod incarnatio est opus Trinitatis, per quam fit assumptio carnis a divinitate, et unio divinitatis cum carne : ita quod assumptio non tantum est carnis sensibilis, sed etiam spiritus rationalis secundam potentiam vegetandi, sentiendi et intelligendi : ita etiam quod unio non fit in unitate naturæ, sed personæ ; non humanæ, sed divinæ ; non assumptæ, sed assumentis ; non personæ cujuslibet, sed personæ solius Verbi, in qua tanta fit unio, ut quidquid dicitur de Filio Dei, dicatur de filio hominis, et e converso, his tamen exceptis, in quibus exprimitur unio, vel clauditur negatio.

Opus incarnationis.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia incarnationis opus non solum est a primo principio in quantum est effectivum in producendo, verum etiam in quantum reparativum remediando, satisfaciendo, et reconciliando. Quoniam ergo incarnatio, in quantum dicit aliquem effectum, est a primo principio, quod omnia facit ratione summæ virtutis ; et substantia, virtus, et operatio unita est et indivisa omnimode in tribus personis; hinc est, quod necesse est incarnationis operationem a tota Trinitate emanare. Quia vero est a primo principio in quantum est reparativum remediando, et totum genus humanum lapsum fuerat, et vitiatum, non solum ratione animæ, verum etiam et carnis; hinc est, quod necesse fuit quod totum assumeretur, ut totum curaretur. Et quoniam nobis magis nota est pars carnis, et magis a Deo distat ; ut expressior fiat nominatio, et major exprimatur humiliatio, et profundior explicetur dignatio, hinc est quod opus istud non inanimatio, sed incarnatio nominatur.

Incarnationis opus a tota Trinitate emanavit.

Rursus, quia cum sit a primo principio in quantum est reparativum satisfaciendo ; et satisfactio non fit, nisi ab eo qui debet et potest; et non debet nisi homo, nec potest nisi Deus : oportuit, quod in satisfactione simul esset concursus utriusque naturæ, divinæ scilicet et humanæ. Et quia impossibile est quod divina natura concurrat cum alia, sicut pars ad constitutionem tertii; nec quod ipsa transeat in aliam naturam, nec alia natura transeat in ipsam, propter simplicitatem et immutabilitatem ipsius perfectissimam : hinc est, quod deitas et humanitas non uniuntur in unitate naturæ; nec accidentis : uniuntur igitur in unitate personæ et hypostasis. Et quoniam divina natura in nullo supposito potest subsistere, præterquam in propria hypostasi ; ideo unio illa non potest esse in hypostasi seu persona hominis, sed Dei : ac per hoc, per illam unionem, primum principium in una suarum hypostasum fecit seipsum suppositum humanæ naturæ : et ita una tantum est ibi personalitas, et unitas personalis, ex parte scilicet assumentis.

Nec debuit nisi homo, nec potuit nisi Deus nos redimere.

Postremo, quia est a primo principio, ut est reparativum reconciliando ; et reconcilians est mediator; mediatio autem proprie convenit Dei Filio : ideo et incarnatio. Mediatoris namque est esse medium inter hominem et Deum, ad reducendum hominem ad divinam cognitionem, ad divinam conformitatem, et ad divinam filiationem. Nullum autem decet magis esse medium quam personam, quæ producit et producitur, quæ est media trium personarum. Nullumque magis decet reducere hominem ad divinam cognitionem, quam Verbum, quo se Pater declarat, quod est unibile carni, sicut et

Convenientius fuisse filium incarnari.

verbum voci. Nullumque magis decet reducere ad divinam conformitatem, quam eum qui est imago Patris. Nullumque magis decet ad filiationem adoptivam reducere, quam filium naturalem : ac per hoc nullum magis decet fieri filium hominis, quam ipsum Filium Dei.

Regula de communicatione idiomatum in Christo.

Quoniam igitur idem omnino est filius hominis, et Dei, ratione incarnationis; et quæcumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem : hinc est quod necessario fit communicatio idiomatum, nisi sit vocabulum in quo aliqua repugnantia includatur : sicut sunt ista, in quibus includitur respectus unionis unius naturæ ad alteram, sicut *unire*, *incarnari*, *assumere*, et *assumi*; vel negatio alicujus, cujus oppositum alteri competit, sicut *incipere*, *esse*, *creare*, et consimilia, in quibus instantia fertur contra regulam præhabitam, propter causam prædictam.

CAPUT III.

De Incarnatione, quantum ad modum.

De modo incarnationis hoc tenendum est, quod Angelo nuntiante Virgini mysterium incarnationis perficiendum in ipsa, Virgo credidit, appetiit, et consensit : Spiritus sanctus in eam supervenit ad sanctificandum et fecundandum, cujus virtute Virgo concepit Dei Filium, quem virgo peperit, et post partum virgo permansit. Concepit autem non solum carnem, verum etiam carnem animatam, et Verbo unitam, nulli peccato obnoxiam, sed omnino sanctam et immaculatam, ratione cujus *mater Dei dicitur*, et est dulcissima Virgo Maria.

Modus incarnationis, quam conveniens.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia incarnatio est opus manans a primo principio, in quantum est reparativum modo congruentissimo, modo communissimo, et modo completissimo. Decet enim ejus sapientiam operari congrue, decet ejus largitatem operari communiter, et virtutem operari perfecte. Quoniam ergo incarnatio est a primo principio reparante modo congruentissimo; et congruus modus est, quod medicina ex opposito respondeat morbo, et reparatio lapsui, et remedium nocumento : cum ergo genus humanum lapsum fuerit per diabolicam suggestionem, et per consensum mulieris deceptæ, et generationem concupiscentialem, transfundentem originale in prolem : oportuit, quod e contrario hic esset Angelus bonus, suadens bonum; et Virgo credens, et consentiens in bonum suasum; et charitas Spiritus sancti, sanctificans et fecundans ad conceptum immaculatum : ut sic contraria contrariis curarentur, ac per hoc, sicut mulier per diabolum decepta, et per virum concupiscibiliter cognita et corrupta, transfudit in omnes culpam, morbum et mortem; sic mulier per Angelum erudita, et per Spiritum sanctum sanctificata et fecundata, absque omni corruptione tam mentis quam corporis, prolem generaret, quæ omnibus ad ipsam venientibus daret gratiam, sanitatem et vitam.

Rursus, quia incarnatio est a primo principio reparante modo communissimo : nam per Verbum incarnatum reparatur lapsus hominum et angelorum, utpote cœlestium et terrestrium, et hominum lapsus reparatur secundum utrumque sexum : ut medicamentum sit commune omnibus, decentissimum fuit quod ad incarnationis mysterium fieret concursus Angeli, mulieris, et viri : Angeli, ut denuntiantis; mulieris Virginis, ut concipientis; viri vero, ut conceptæ prolis : ut sic angelus Gabriel esset nuntius Patris æterni, Virgo immaculata esset templum Spiritus sancti, proles concepta esset ipsa persona Verbi : ac per hoc, in communi reparatione omnium, communis fieret concursus trium de triplici hierarchia, scilicet divina, angelica, et humana, ad insinuandum non solum trinitatem (*a*) Dei, verum etiam generalitatem beneficii, et liberalitatem reparatoris summi. Et quoniam liberalitas Spiritui sancto appropriatur, et sanctificatio

B. Virgo quomodo dicatur

(*a*) *Suppl.* in unitate.

concepisse de Spiritu sancto. Virginis, in qua peracta fuit Verbi conceptio; hinc est quod, licet opus illud sit a tota Trinitate, per appropriationem tamen dicitur Virgo concepisse de Spiritu sancto.

Postremo, quoniam est a primo principio reparante modo completissimo; hinc est, quod in conceptione completio debita fuit in prole, fuit in conceptu, fuit et in virtute concipiente. Et quia completio debita debuit esse in prole; hinc est, quod in instanti conceptionis non tantum fuit seminis decisio, verum etiam consolidatio, configuratio, vivificatio per animam, et deificatio per deitatem unitam : et sic Virgo Dei Filium vere conciperet per unionem carnis ad deitatem, mediante spiritu rationali, per quem, tanquam per medium congruentiæ, caro erat idonea ad unionem. Quia vero completio debita debuit esse in conceptu : cum ex quatuor modis, tres modi producendi hominem præcessissent : primus nec de viro, nec de muliere, sicut in Adam; secundus de viro sine muliere, sicut in Eva; tertius de muliere et viro, sicut in omnibus concupiscibiliter natis : decuit ad complementum universi, quartum modum introduci, qui scilicet esset de muliere sine semine virili, per virtutem summi operatoris. Quia vero completio debita debuit esse in virtute; hinc est quod in conceptione Filii Dei, simul concurrit virtus innata, virtus infusa, et virtus increata. Virtus innata materiam præparavit; virtus infusa purificando segregavit; virtus increata subito perfecit, quod non poterat a virtute creata nisi successive fieri. Et sic beatissima Virgo Maria mater fuit completissimo modo, ipsum Dei Filium concipiendo absque viro, fecundante Spiritu sancto. Et quia in mente Virginis amor Spiritus sancti singulariter ardebat; ideo in carne ejus virtus Spiritus sancti miracula faciebat, gratia scilicet partim excitante, et partim adjuvante, et partim elevante naturam, juxta quod conceptus ille mirabilis exigebat.

In primo instanti conceptionis Christi multa simul concurrunt.

CAPUT IV.

De Incarnatione quantum ad plenitudinem temporum.

De tempore vero incarnationis hoc tenendum est : quod licet Deus in principio potuerit incarnari, noluit tamen nisi in fine sæculorum, præcedente lege naturæ, et lege figuræ, post patriarchas et prophetas, quibus et per quos fuit incarnatio repromissa. Post quos incarnari dignatus est, tanquam in fine temporum et plenitudine, juxta quod dicit Apostolus [1] : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.*

Ratio autem ad intelligentiam horum hæc est : quia incarnatio est opus primi principii reparantis, juxta quod decet et convenit secundum libertatem arbitrii, secundum sublimitatem remedii, et secundum integritatem universi : nam sapientissimus artifex in agendo omnia hæc attendit. Quoniam ergo libertas arbitrii hoc requirit, ut ad nihil trahatur invita, sic debuit Deus genus humanum reparare, ut salutem inveniret, qui vellet quærere Salvatorem; qui vero nollet quærere Salvatorem, nec salutem per consequens inveniret. Nullus autem quærit medicum, nisi recognoscat morbum; nullus quærit doctorem, nisi recognoscat se ignorantem; nullus quærit adjutorem, nisi recognoscat se impotentem. Quia igitur homo, in principio sui lapsus, adhuc superbiebat de scientia et virtute; ideo præmisit Deus tempus legis naturæ, in quo convinceretur de ignorantia. Et post, cognita ignorantia, sed permanente superbia de virtute, qua dicebant : « Non deest qui faciat, sed deest qui jubeat; » addidit legem præceptis moralibus erudientem, et cæremonialibus aggravantem : ut habita scientia, et cognita impotentia, confugeret homo ad divinam misericordiam et gratiam postulandam, quæ data est nobis in adventu Christi : ideo post

Ratio prima de tempore incarnationis Domini.

[1] *Gal.*, IV, 4.

legem naturæ, et scripturæ, subsequi debuit incarnatio Verbi.

Ratio secunda. Rursus, quoniam sublimitas remedii requirit ut credatur fide firmissima, et ametur charitate ardentissima, tanquam mysterium secretissimum et saluberrimum ; ideo congruentissimum fuit, ut ante Christi adventum præirent multa testimonia prophetarum, tam explicita in verbis, quam implicita in figuris, ut, multis et firmis testimoniis, quod erat secretum, fieret certum et indubitabile ad credendum : præirent etiam multiplicia promissa, et ardentissima desideria ; ut promissum beneficium expectaretur, expectatum differretur, dilatum amplius desideraretur, et diu desideratum ferventius amaretur, et amatum gratiosius susciperetur, et susceptum sollicitius servaretur.

Ratio tertia. Postremo, quoniam integritas et perfectio universi requirit ut universa sint ordinata quantum ad loca et quantum ad tempora, et hoc opus, scilicet incarnationis, erat perfectissimum inter omnia opera divina, et processus debet esse ab imperfecto ad perfectum, et non e converso : hinc est, quod opus illud debuit fieri in fine temporum, ut sicut primus homo, qui erat totius mundi sensibilis ornamentum, ultimo fuerat conditus, scilicet sexto die, ad totius completionem ; sic secundus homo, totius mundi reparati complementum, in quo primum principium conjungitur cum ultimo, scilicet Deus cum limo, fieret in fine temporum, hoc est in sexta ætate, quæ est ætas apta ad exercitium sapientiæ, et ad enervationem concupiscentiæ, et ad transitum a statu turbinis ad quietem : quæ omnia competunt sextæ ætati decursus mundi propter incarnationem Filii Dei.

Quare in adventu Christi dicitur esse plenitudo temporis. Quoniam ergo adventus Christi fuit in tempore legis et gratiæ, et in exhibitione misericordiæ repromissæ, et in principio ætatis sextæ ; et hæc omnia dicunt plenitudinem, quia lex gratiæ implet legem scripturæ, et solutio promissi implet promissionem, et sexta ætas ratione perfectionis senarii sonat in plenitudinem : hinc est, quod in adventu Filii Dei dicitur esse plenitudo temporum, non propter hoc, quod in ejus adventu tempus finiatur, sed quia temporalia mysteria impleantur. Sicut autem Christus non debuit venire in principio temporis, quia adventus ejus nimis fuisset festinus, sic nec debuit differre usque in finem ultimum, quia tunc nimium esset tardus. Decebat enim Salvatorem, inter tempus morbi, et tempus judicii, introducere tempus remedii. Decebat Mediatorem quædam suorum membrorum præcedere, quædam sequi. Decebat ductorem perfectum tunc se ostendere, cum esset opportunitas currendi ad bravium : et hoc est in fine temporum, et circa terminum, et in approximatione ad finale judicium : ut per timorem judicii stimulati, et per spem præmii attracti, et per perfectionem exempli animati, vigorose et perfecte sequamur ducem de virtute in virtutem, usquequo perveniamus ad bravium felicitatis æternæ. Christi adventus quam fuerit opportunus.

CAPUT V.

De plenitudine gratiæ Christi, quantum ad charismata in affectu.

In Christo a sui conceptione fuit omnis plenitudo gratiæ. Postquam innotuit nobis Verbum incarnatum quantum ad unionem naturarum, considerandum est quantum ad plenitudinem charismatum spiritualium. Circa quæ primo consideranda est plenitudo gratiæ in affectu ; deinde plenitudo sapientiæ in intellectu ; et postremo plenitudo meriti in opere et effectu. De plenitudine igitur gratiæ in affectu in Christo hoc tenendum est, quod in Christo a sui conceptione fuit plenitudo omnis gratiæ quantum ad gratiam singularis personæ, quantum ad gratiam capitis, et quantum ad gratiam unionis. Ita quod per gratiam singularis personæ, habuit omnis culpæ immunitatem, et quantum ad actum, et quantum ad posse : quia nec peccavit, nec peccatum potuit habere. Per gratiam unionis dignus est non tantum felicitate

gloriæ, verum etiam adoratione latriæ, quæ est cultus reverentiæ soli Deo debitæ. Per gratiam vero capitis influit motum et sensum in universos qui ad eum accedunt, vel per fidem rectam, vel per fidei sacramenta, sive adventum ejus præcesserint, sive fuerint subsecuti. Nam [1] *turbæ, quæ præibant, et quæ sequebantur, clamabant : Osanna* (a) *Filio David.*

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia reparatio est operatio primi principii, ita quod ab ipso manat secundum liberalitatem, et ad ipsum reducit secundum conformitatem ; ideo oportet, quod fiat per gratiam et deiformitatem. Gratia enim et manat a Deo liberaliter, et reddit hominem deiformem. Quoniam ergo reparativum principium per gratiam reparat, et omnis res plenius et perfectius est in suo fonte et origine, quam alibi ; necesse est, quod in principio nostro reparativo, scilicet Christo Domino, fuerit omnis gratiæ plenitudo. Et quoniam reparativum principium in reparando non tantum tenet rationem principii, verum etiam medii, et extremi : extremi quidem, in satisfaciendo; medii, in reconciliando; et principii, in superfluendo : ideo necesse est quod in Christo fuerit plenitudo gratiæ, ratione extremi satisfacientis, medii reconciliantis, et principii superinfluentis. Quoniam igitur extremum ad satisfaciendum idoneum, necesse est esse Deo placens, ac per hoc ab omni peccato perfecte immune ; et hoc non potest esse nisi per donum divinæ gratiæ in aliquo homine : necesse fuit ponere in Christo gratiam ipsam sanctificantem et confirmantem, quam vocamus gratiam singularis personæ. (De triplici gratia in Christo.) Rursus, quoniam medium ad reconciliandum conveniens non est, nisi habeat in se utramque naturam, superiorem et inferiorem, scilicet adorabilem et adorantem ; et hoc nullo modo fieri potest, nisi per summe dignativam et gratuitam unionem : ideo necesse est in Christo ponere gratiam super omnem gratiam, et omnimoda reverentia venerandam, quam vocamus gratiam unionis, ratione cujus Christus homo est [2] *super omnia benedictus Deus*, et ideo cultu latriæ venerandus. (Gratia unioris est summa.)

Postremo, quia principium ad influendum efficax non est, nisi habeat in se plenitudinem fontalem et originalem, quæ non tantum est plenitudo sufficientiæ, sed etiam superabundantiæ ; ideo necesse est Verbum incarnatum esse [3] *plenum gratiæ et veritatis*, ita quod *de plenitudine ejus accipere* valeant universi justi, sicut universa membra a capite recipiunt influentiam motus et sensus. Et propter hoc vocatur hæc gratia gratia capitis, pro eo quod, sicut caput habet in se sensuum plenitudinem, et cæteris membris est conforme, cæterisque præsidet, ac cæteris beneficium præstat influentiæ, quæ ipsi capiti connectuntur ; sic Christus habens in se gratiam superabundantem, et nobis consimilis in natura, præ cæteris sanctus et justus, cæteris, qui ad ipsum accedunt, præstat beneficium gratiæ et spiritus, per quæ fit sensus et motus in spiritualibus.

Et quoniam ad ipsum accedere est per fidem, vel per fidei sacramentum, et fides Christi eadem est in præteritis, præsentibus et futuris : ideo ratio influendi in Christo ponitur respectu omnium, tam præteritorum, quam præsentium, quam etiam futurorum in Christum credentium, et in Christo renatorum, qui per fidem copulantur Christo, et per gratiam influentem fiunt membra Christi et templa Spiritus sancti, ac per hoc filii Dei Patris, connexi ad invicem per indissolubile vinculum charitatis, quod sicut distantia locorum non dividitur, sic nec diuturnitate temporum separatur : ac pec hoc omnes justi, ubicumque sint, et quandocumque fuerint, unum efficiunt corpus Christi mysticum, sensum et motum suscipiendo ab uno capite influente, secundum (In Christo cur sit ratione influendi respectu omnium.)

(a) Vulg. *Hosanna*, et sic deinceps.

[1] *Matth.*, XXI, 9. — [2] *Rom.*, IX, 5. — [3] *Joan.*, I, 14, 15.

fontalem, radicalem et originalem plenitudinem omnis gratiæ in Christo habitantis sicut in fonte.

CAPUT VI.

De plenitudine sapientiæ Christi in intellectu.

De plenitudine vero sapientiæ Christi in intellectu, hoc tenendum est, quod in Verbo incarnato, Christo scilicet Domino nostro, fuit omnis sapientiæ plenitudo, non solum quantum ad cognita, verum etiam quoad cognoscendi modos et differentias. In Christo namque fuit cognitio sempiternalis ex parte deitatis; cognitio sensibilis ex parte sensualitatis et carnis; cognitio scientialis ex parte mentis et spiritus. Et hæc fuit triplex, quædam scilicet per naturam, quædam per gratiam, et quædam per gloriam. Unde sapientiam habuit, et ut Deus, et ut homo, et ut comprehensor, et ut viator, et ut illuminatus per gratiam, et ut recte formatus per naturam : et ita in universo fuerunt in Christo quinque modi cognoscendi. Primus est secundum divinam naturam, et hoc modo cognovit omnia actualia, et potentialia, finita, et infinita, cognitione actuali, et comprehensiva. Secundus est per gloriam, et hoc modo cognovit omnia actualia et finita, cognitione actuali et comprehensiva; infinita vero, cognitione habituali vel excessiva. Tertius per gratiam, et hoc modo cognovit omnia spectantia ad humani generis redemptionem. Quartus est secundum naturam integram, cujusmodi fuit in Adam, et hoc modo cognovit omnia, quæ spectant ad universi constitutionem. Quintus est secundum sensibilem experientiam, et hoc modo cognovit omnia quæ veniunt ad organa sensuum, secundum quem modum dicitur quod [1] *didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.*

Plenitudo sapientiæ triplex in Christo.

Quinque modi cognoscendi in Christo.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia, sicut reparativi principii est nos reparare per liberalissimam gratiam; sic etiam per providentissimam sapientiam. Quod enim secundum ordinem sapientiæ conditum fuerat, non potest absque luce et ordine sapientiæ reparari; et ideo, sicut Christus debuit esse immunis ab omni culpa, sic elongatus debuit esse ab omni ignorantia, ac per hoc totaliter repletus supernæ sapientiæ luce et circumfulgentia. Quapropter cognitionem perfectam habuit secundum utramque naturam, et potentiam cognoscitivam, et secundum omnium rerum existentiam. Quia ergo res habent esse in æterna arte, et in humana mente, et in proprio genere : necesse fuit Christum habere hanc triformem rerum cognitionem. Quia vero res dupliciter potest cognosci in arte, scilicet vel ab ipso artifice, vel ab alio contemplante artem; similiter habet dupliciter cognosci in mente, etiam præter acquisitionem, quæ Christo non competit propter imperfectionem : scilicet vel secundum habitum innatum, vel secundum habitum infusum : hinc est quod necessarium fuit ad perfectam sapientiæ plenitudinem, quinque modos prædictos reperiri in Christo Deo et homine, ut in arte æterna cognosceret res, et per naturam deitatis, et per gloriam comprehensionis; in mente autem sua per habitum naturalem et innatum, sicut cognoverunt Adam, et Eva, et Angeli; et per habitum gratuitum et infusum, sicut sancti Dei per Spiritum sanctum illuminati; in proprio vero genere cognosceret via sensus, et memoriæ, et experientiæ, quæ in nobis facit rem incognitam cognosci; in Christo vero rem cognitam secundum unum modum, cognosci fecit secundum alium modum. Quoniam autem divina substantia, virtus et operatio est immensa, hinc est quod secundum primum modum, qui est per naturam deitatis, infinita actualiter comprehendit : quodam enim ineffabili modo summe infinito omnis infinitas est finita. Quia vero creaturæ quantumcumque sublimatæ finita est substantia, virtus et operatio, ita tamen quod

Res habent triplex esse.

[1] *Hebr.*, v, 8.

mens humana non quiescit, nisi in bono infinito, nec tamen illud proprie comprehendit, quia infinitum non comprehenditur a finito, accepta comprehensione proprie : hinc est quod, quantum ad secundum modum cognoscendi, anima Christi per gloriam comprehensionis capit quantumcumque potest capere natura finita per bonum infinitum beatificata, cui est summe unita : ac per hoc ad finita se extendit actualiter comprehendendo, ad infinita vero habitualiter, vel etiam excedendo. Non enim potest anima Christi æquari Verbo, nec in scientia, nec in aliquo alio. Rursus, quia gratia maxime respicit opus reparationis ; hinc est, quod secundum tertium modum cognoscendi per gratiam perfectissimam, cognovit Christus omnia, quæ spectant ad reparationem nostram, longe excellentius et melius, quam aliquis prophetarum, vel etiam angelorum. Amplius, quia natura hominis bene instituta, nata erat omnibus creaturis præesse, et ipsas nosse, tanquam eas quæ debeant sibi servire, sicut patuit in primi hominis conditione ; hinc est quod, quantum ad quartum modum cognoscendi, cognovit Christus omnia quæ spectant ad mundanam machinam construendam, longe excellentius quam Adam. Postremo, quia sensus non est perceptivus rerum, nisi ad objecti præsentiam ; hinc est quod, secundum cognitionem sensitivam, non simul cognoscebat omnia, sed modo hæc, modo illa, juxta quod opportunum erat ad repationem humani generis faciendam.

CAPUT VII.

De plenitudine meriti Christi in effectu.

De plenitudine autem meriti Christi hoc tenendum est, quod in Christo Domino fuit omnis meriti perfectio et plenitudo : primo quantum ad eum qui merebatur, quia non tantum fuit homo, verum etiam Deus ; secundo quantum ad tempus in quo merebatur, quia ab instanti conceptionis suæ usque ad horam mortis suæ ; tertio quantum ad id quod merebatur, quia per perfectissimum habitum charitatis, et perfectissimum exercitium virtutis, in orando, in agendo, et in patiendo ; quarto quantum ad eum cui merebatur, quia non tantum sibi, verum etiam nobis, imo omnibus justis ; quinto quantum ad illud quod merebatur nobis, quia non tantum gloriam, verum etiam gratiam et veniam ; et non tantum gloriam spiritus, sed etiam stolam carnis, et apertionem januæ cœlestis ; sexto quantum ad id quod merebatur sibi, quia licet non mereretur sibi glorificationem mentis, quam jam habebat, merebatur tamen glorificationem corporis, et accelerationem resurrectionis, et clarificationem sui nominis, et dignitatem judiciariæ potestatis ; septimo quantum ad modum, quo merebatur : cum enim dicatur aliquis mereri : vel de indebito faciendo debitum ; vel de debito faciendo magis debitum ; vel de debito uno modo, faciendo debitum alio modo : omnibus his modis meruit nobis, tertio tantum modo meruit sibi, faciente hoc plenitudine gratiæ Spiritus sancti, per quam Christus simul erat beatus, et in statu merendi : ita quod super ejus meritum omnia merita nostra habent fundari.

Septem modi merendi in Christo.

Tripliciter dicitur aliquis mereri.

Ratio autem ad intelligentiam horum hæc est : quia cum in principio reparativo, Christo scilicet Domino nostro, necessaria fuerit plenitudo gratiæ et sapientiæ, quæ sunt nobis origo recte et sancte vivendi ; necesse est quod in Christo fuerit plenitudo et perfectio omnis meriti, secundum omnem modum plenitudinis. Quia enim in Christo fuit plenitudo gratiæ unionis, per quam erat Deus ab instanti conceptionis, habens gloriam comprehensionis, et motum liberi arbitrii ; hinc est, quod necessario fuit in Christo perfectio meriti, et quantum ad excellentissimam dignitatem merentis, et quantum ad celerrimam opportunitatem temporis. Rursus, quia fuit in eo plenitudo gratiæ singularis personæ, per quam ha-

Plenitudo meriti in Christo probatur ratione triplicis gratiæ.

buit firmam charitatem et omnes virtutes perfectas quantum ad habitus, et exercitia; necesse fuit quod in eo esset plenitudo meriti quantum ad id per quod contingit mereri, cujusmodi est radix charitatis, et actus multiplicis virtutis. Amplius, quia fuit in eo plenitudo gratiæ capitis, per quam plenissimam habuit influentiam in membra sua; hinc est, quod plenitudinem habuit meriti, non tantum respectu sui, sed etiam respectu nostri, quibus sicut omnia spiritualia, quæ habemus, influit ratione deitatis, sic meruit ratione assumptæ humanitatis, sive sint bona status præsentis, sive æternæ felicitatis.

Postremo, quia tantorum charismatum plenitudo necessario ponebat in Christo summam et perfectam felicitatem secundum sui partem superiorem, licet dispensative propter nos esset in statu viæ; hinc est, quod perfectionem habuit meriti quantum ad id quod meruit sibi, quia non gloriam et beatudinem animæ concreatam, quæ naturaliter in ipso omne meritum anteibat, sed solum illa cum quibus status viæ stare non poterat, sicut stolam carnis cum glorificatione suæ excellentissimæ dignitatis: hinc est, quod perfectionem habuit meriti quantum ad modum merendi. Quia enim in ipso ab instanti conceptionis fuit perfectissima plenitudo, statim omnia meruit quæ potuit mereri respectu sui: ac per hoc de debito uno modo, facere potuit debitum alio modo; de indebito autem debitum, vel de debito magis debitum facere non potuit sibi, quia nullo modo potuit in sanctitate proficere, cum a principio esset sanctissimus: fecit tamen hoc nobis, qui merito ipsius justificamur per gratiam, et proficimus in justitia, et per æternam gloriam coronamur. Ac per hoc in merito Christi radicata sunt omnia merita nostra, sive satisfactoria pœnæ, sive meritoria vitæ æternæ: quia nec ab offensa summi boni digni sumus absolvi, nec immensitatem æterni præmii, quæ Deus est, digni sumus lucrari, nisi per meritum

Omnia merita nostra radicata in merito Christi.

Hominis Dei, cui dicere possumus et debemus [1]: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Ipse, inquam, est Dominus, cui Propheta dixit [2]: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

CAPUT VIII.

De passione Christi in quantum ad statum patientis.

Postquam circa Verbum incarnatum considerata est unio naturarum, considerata est nihilominus plenitudo charismatum; deinde consideranda est tolerantia passionum. Circa quam considerandus est status patientis, et modus patiendi, et exitus passionis. De statu vero patientis hæc tenenda sunt, scilicet, quod Christus assumpsit non tantum humanam naturam, sed etiam defectus circa naturam. Assumpsit enim pœnalitates corporales, ut famem, sitim et lassitudinem. Assumpsit et spirituales, ut tristitiam, gemitum et timorem. Nec tamen omnes corporales assumpsit, sicut sunt defectus ægritudinum corporalium multiformium; nec omnes spirituales, sicut sunt ignorantia, et rebelliones carnis ad spiritum; nec qualitercumque, quia sic necessitatem patiendi suscepit, ut tamen nihil pati posset invite, nec secundum voluntatem divinitatis, nec secundum voluntatem rationis: licet passio fuerit contra voluntatem sensualitatis et carnis, sicut exprimit oratio Salvatoris, quæ dicit [3]: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

Christus humanam naturam assumpsit, et defectus aliquos circa eam, non tamen omnes.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum principium reparativum in reconciliando, necessario habeat mediatoris officium; ideo necesse est quod habeat convenientiam cum utroque extremorum, non solum quantum ad naturam, verum etiam quantum ad ea quæ sunt circa naturam. Quoniam ergo Deus est justus et

[1] *Isa.*, XXVI, 12. — [2] *Psal.* XV, 2. — [3] *Matth.*, XXVI, 39.

beatus, impassibilis et immortalis; homo vero lapsus est peccator et miser, passibilis et mortalis : necesse fuit mediatorem Dei et hominum, ut posset hominem reducere ad Deum, cum Deo communicare in justitia et beatitudine, cum homine vero in passibilitate et mortalitate : ut sic habendo mortalitatem transeuntem, et beatitudinem permanentem, hominem reduceret de præsenti miseria ad vitam beatam; sicut e contra angelus malus, habendo immortalitatem cum miseria et injustitia, fuit mediator faciens cadere in culpam et miseriam per suggestionem suam. Quoniam ergo Christus mediator debuit habere innocentiam et beatitudinem fruitionis, cum mortalitate et passibilitate; hinc est, quod simul debuit esse viator et comprehensor. De omni enim statu aliquid habuit in se, secundum quod dicitur assumpsisse de statu innocentiæ peccati immunitatem; de statu naturæ lapsæ, mortalitatem; de statu vero gloriæ, beatitudinem fruitionis perfectæ.

Rursus, quoniam pœnalitates vitiosæ, sicut sunt illa quatuor propter peccatum mortale inflicta, scilicet ignorantia, infirmitas, malitia et concupiscentia, stare non possunt cum perfectissima innocentia; hinc est, quod has nec assumere debuit, nec assumpsit. Quia vero pœnæ, quæ sunt exercitativæ virtutis perfectæ, et testificativæ humanitatis veræ, non simulatæ, potissimæ illæ sunt, quæ respiciunt nostram naturam in communi, sicut fames et sitis in absentia alimenti, tristitia et timor in præsentia nocumenti : hinc est, quod illas debuit assumere, et assumpsit.

Postremo, quia nullus innocens debet invitus aliquam pœnam sustinere, quia hoc esset contra ordinem divinæ justitiæ, nullus etiam mortalis vult mori et pati, secundum appetitum naturæ, quia naturaliter refugit mortem; hinc est, quod Christus debuit habere hujusmodi pœnalitates, sic tamen ut nihil posset pati invite secundum rationem, non solum propter beatitudinem et deitatem omnipotentem sibi unitam, per quam poterat repellere omnia; sed etiam propter perfectissimam innocentiam, qua secundum ordinem naturalis justitiæ, nihil permittitur pati invite : sic etiam pateretur, ut etiam hoc esset contra naturalem inclinationem et appetitum naturæ, qui est in sensualitate et carne. Et hinc est, quod Christus orans secundum rationem, voluntatem carnis exprimebat, quæ passionem refugiebat, cum dicebat[1] : *Transeat a me calix iste :* voluntatem rationis voluntati Patris conformabat, et appetitui carnis præponebat, cum dicebat: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Et sic una voluntas non erat alteri contraria, quia secundum voluntatem divinam, quod justum erat, voluit; secundum voluntatem rationis, justitiæ consensit; sed secundum voluntatem carnis, pœnam recusavit, sed tamen justitiam non accusavit. Et sic unaquæque voluntas, quod suum erat operabatur, et quod ad se pertinebat, sequebatur : voluntas scilicet divina, justitiam; voluntas rationalis, obedientiam; voluntas carnis, naturam: ac per hoc non erat in Christo colluctatio et pugna, sed pacata ordinatio, et tranquillitas ordinata.

CAPUT IX.

De passione Christi quantum ad modum patiendi.

De modo autem patiendi hoc tenendum est, quod Christus passus est passione generalissima, passione acerbissima, passione ignominiosissima, passione interemptoria, sed vivificativa. Passione, inquam, generalissima, quantum ad naturam humanam, non solum secundum omnia membra corporis principalia, verum etiam secundum omnem animæ potentiam, licet nihil pati posset secundum divinam naturam. Passus est etiam passione acerbissima, quia non solum dolendo, ut patiens per vulnera, sed etiam condolendo, ut compatiens propter nostra delicta. Passus est etiam passione

[1] *Matth.*, XXVI, 39.

ignominiosissima, et propter patibulum crucis, quæ erat supplicium pessimorum, et propter consortium iniquorum, videlicet latronum, cum quibus fuit deputatus. Passus est etiam passione interemptoria per separationem animæ a corpore, salva tamen unione utriusque cum deitate. Anathema enim est, qui dicit Dei Filium naturam, quam semel assumpsit, aliquando reliquisse.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia reparativum principium, sicut ordinate produxit, sic et ordinate reparare debuit genus humanum. Sic igitur reparare debet, ut salva sit libertas arbitrii, salvus sit nihilominus honor Dei, salvus sit etiam ordo regiminis universi. Quia ergo reparare debuit, salva libertate arbitrii, reparavit dando exemplum efficacissimum: exemplum autem illud efficacissimum est, quod invitat et informat hominem ad culmen virtutum. Nihil autem magis informat hominem ad virtutem, quam exemplum tolerandi mortem propter justitiam et obedientiam divinam, mortem, inquam, non quamcumque, sed pœnalissimam. Nihil vero magis incitat, quam tanta benignitas, qua pro nobis altissimus Dei Filius absque nostris meritis, imo cum multis nostris demeritis, posuit animam suam: quæ benignitas tanto major ostenditur, quanto pro nobis graviora et abjectiora pati voluit Deus. *Qui* enim [1] *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Ex quo invitamur ad ipsum amandum, et amatum imitandum.

Exemplum efficacissimum dedit Christus in passione.

Satisfactio Christi.

Rursus, quia reparare debuit salvo honore Dei, ideo reparavit offerendo obsequium satisfactivum. Est autem satisfacere, honorem Deo debitum rependere. Honor autem Deo subtractus per superbiam et inobedientiam respectu rei ad quam homo astringitur, nullo modo melius restituitur, quam per humiliationem et obedientiam ad eam rem, ad quam nullatenus tenebatur. Quoniam ergo Christus Jesus, in quantum Deus, æqualis erat Patri in forma Dei; in quantum homo innocens, nullatenus erat debitor mortis, dum [2] *semetipsum exinanivit et factus est obediens usque ad mortem*, exolvit Deo, quæ non rapuit, per obsequium satisfactionis perfectæ, et obtulit sacrificium suavitatis summæ pro perfecta Dei placatione. Postremo, quia reparare debuit salvo ordine regiminis universi, ideo per remedium convenientissimum reparavit. Convenientissimum autem est, ut contraria contrariis curentur.

Quia ergo homo, volens esse sapiens ut Deus, peccavit in ligno vetito volens delectari, ita quod inclinatus est ad libidinem, erectus in præsumptione, ac per hoc totum genus humanum infectum est, et perdidit immortalitatem, et incurrit debitam mortem: hinc est, quod ad hoc, quod homo repararetur convenienti remedio, Deus factus homo voluit humiliari, et in ligno pati, et contra universalem infectionem pati passione generalissima; contra libidinem, passione acerbissima; contra præsumptionem, passione ignominiosissima; contra mortem debitam et invitam, pati voluit mortem non invitam, sed voluntariam.

Passio Christi generalis, quia generalis fuit in nobis corruptio.

Quia ergo generalitas corruptionis in nobis infecerat non solum corpus et animam, sed etiam omnem corporis partem, et omnem animæ potentiam; hinc est, quod Christus passus est in omni corporis parte, et in omni potentia animæ, et in superiori portione rationis, quæ summe in Deo delectabatur ut ratio, et propter unionem sui ad superius; et summe patiebatur ut natura, et propter conjunctionem ad inferius, quia Christus erat viator et comprehensor simul.

Rursus, quia libido vehementer infecerat in nobis animam et carnem, et quantum ad carnalia, et quantum ad spiritualia peccata; hinc est, quod Christus et acerbissima passione passus est in carne, et amarissima compassus est in anima. Et quia in carne erat maxima æqualitas complexionis, et perfecta vivacitas sensuum, in

[1] *Rom.*, VIII, 32. — [2] *Philip.*, II, 7.

anima vero summa charitas ad Deum, et summa pietas ad proximum : hinc est, quod uterque dolor fuit intensissimus. Amplius, quia tumor superbiæ aliquando consurgit interius ex præsumptione, et aliquando exterius ex ostentatione et aliena laude ; ideo, ad remediandum omnem superbiam, Christus passus est utrumque genus ignominiæ, et in se patiente, et in comitatu quem habuit in passione. Postremo, quia hæc omnia non attingebant divinam naturam impassibilem, sed solum humanam ; hinc est, quod in morte Christi sic facta est divisio animæ a carne, ut tamen salva esset unitas personæ, et unio tam carnis quam animæ cum deitate. Et quia unio animæ cum corpore facit hominem, et facit vivum; hinc est, quod Christus non fuit homo in illo triduo, licet anima et caro essent unitæ cum Verbo. Unde, quia mors in humana natura, non potuit mortem inducere in personam, quæ semper fuit viva : ideo mortua est mors in vita, et per Christi mortem [1] *absorpta est mors in victoria*, et devictus princeps mortis : ac per hoc homo a morte, et causa mortis, per meritum mortis Christi, tanquam per medium efficacissimum liberatus.

Superbiæ tumor dupliciter consurgit.

Christus non fuit homo in triduo mortis.

CAPUT X.

De passione Christi quantum ad exitum passionis.

Fructus passionis Christi.

De exitu autem passionis Christi, et fructu, hæc indubitanter tenenda sunt; quod anima Christi post passionem descendit ad infernum, sive ad limbum, ad liberationem non omnium, sed eorum qui inter membra Christi decesserunt per fidem vivam, vel per fidei sacramenta. Post hæc tertia die resurrexit a mortuis, resumendo corpus, quod primo vivificaverat, sed non tale, quale prius fuerat : quia prius fuerat passibile et mortale, postea autem resurrexit impassibile et immortale, vivens perpetuo. Deinde post quadraginta dies ascendit ad cœlos, ubi super omnem creaturam exaltatus, sedet ad dexteram Dei Patris. Quod dictum intelligitur non quantum ad situm, qui non competit Deo Patri, sed quantum ad excellentiam bonorum, quia scilicet residet in potioribus bonis Patris. Postremo, interjectis decem diebus, misit in Apostolos promissum Spiritum sanctum, per quem congregata est Ecclesia gentium, et ordinata secundum diversas distributiones officiorum et gratiarum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia sicut Christus, in quantum Verbum increatum, perfectissime omnia formavit; sic in quantum incarnatum, omnia perfectissime reformare debuit. Decet enim perfectissimum principium, opus non dimittere citra (a) perfectum. Debuit ergo reparatorium principium redemptionis humanæ remedium producere ad perfectum. Ad hoc autem quod esset perfectissimum, oportuit quod esset sufficientissimum et efficacissimum. Quia sufficientissimum, ideo se extendit ad cœlestia, terrestria et infernalia. Quia ergo per Christum sunt infernalia recuperata, terrestria remediata, cœlestia redintegrata : ita quod primum horum fecit per veniam, secundum per gratiam, et tertium per gloriam ; ideo post passionem anima descendit ad inferos, ad liberandum in inferno detentos; deinde resurrexit a mortuis, ad vivificandum in peccatis mortuos ; ascendit ad cœlos, reducendo captivitatem, ad redintegrandum Hierusalem cœlestem ; misit Spiritum sanctum, ad ædificandum Hierusalem terrestrem. Quæ omnia necessario consequuntur, et exiguntur ad sufficientiam reparationis humanæ.

Rursus, quia remedium illud fuit efficacissimum, tam in eos qui Christi adventum præcesserunt, quam in eos qui sequuntur, qui tamen ad ipsum Christum accesserunt et accedunt, et ejus membra fuerunt et sunt, tales autem sunt qui adhærent ei per fidem, spem et charitatem : ideo remedium illud habere debuit efficaciam : primo in eos qui

[1] I *Cor.*, xv, 54. — (a) *Al.* circa.

in Christum crediderunt, credendo speraverunt, et sperando amaverunt : ac per hoc statim debuit ad inferos descendere ad ipsorum liberationem. Unde aperta janua cœli per Christi passionem, qui satisfaciendo amoverat romphæam ; mutando sententiam divinam, eripuit de inferno omnia membra sua. Debuit etiam habere efficaciam præcipuam in eos qui Christi adventum sequuntur ; ut attrahendo ad fidem, spem, et charitatem, tandem ad gloriam perduceret cœlestem.

Ut igitur ædificaret ad fidem, qua credimus Christum verum hominem, et verum Deum ; qua etiam credimus eum voluisse nos redimere per mortem, et ad vitam nos reducere posse per resurrectionem, ideo voluit resurgere ad vitam immortalem, interjecto tamen spatio temporis debito, scilicet triginta sex horarum, in quo ostenditur, quod vere mortuus fuit : nec magis accelerare debuit, ne si citius resurgeret, crederetur quod non vere mortuus fuisset, sed se mortuum finxisset ; nec amplius differre, ne si semper jaceret in morte, crederetur impotens, et quod nullos posset ad vitam revocare, ideoque resurrexit tertia die.

Christus cur tertia die resurrexerit.

Amplius, ut erigeret ad spem, ad cœlestem ascendit gloriam, quam speramus. Sed quia spes non oritur, nisi ex fide immortalitatis futuræ ; ideo non statim ascendit, sed spatio quadraginta dierum interjecto, in quo per multa signa et argumenta veram ostenderet resurrectionem, per quam animus solidaretur in fide, et sublevaretur ad sperandam gloriam cœlestem.

Ascensio Christi nos erigit ad spem gloriæ cœlestis.

Postremo, ut inflammaret ad charitatem, misit ignem Spiritus sancti in die Pentecostes. Et quia nullus hoc igne repletur, nisi qui petit, quærit et pulsat cum instanti, et importuno spei desiderio ; ideo non statim post ascensionem misit, sed decem dierum spatio interjecto, in quo discipuli jejunantes, orantes et gementes disposuerunt se ad Spiritus sancti susceptionem. Ac per hoc sicut debitam servavit horam in patiendo, sic in resurgendo, sic in ascendendo in cœlum, sic in mittendo Spiritum sanctum, et propter fundationem trium virtutum prædictarum, et propter multa mysteria, quæ in his temporibus implicantur.

Christus sicut in passione, sic in aliis mysteriis debitam horam servavit.

Et quoniam Spiritus sanctus, qui charitas est, et per charitatem habetur, est omnium origo charismatum ; ideo cum descendit Spiritus sanctus, effusa est plenitudo charismatum ad corpus Christi mysticum consummandum. Et quia diversa membra debent esse in corpore perfecto, et diversorum membrorum diversa officia et exercitia, et diversorum officiorum diversa charismata ; hinc est, quod [1] *uni datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum : quæ omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*, secundum suam liberalissimam providentiam, et providentissimam largitatem.

[1] I *Cor.*, XII, 8-11.

QUINTA PARS

IN QUA

DE GRATIA SPIRITUS SANCTI AGITUR

CAPUT PRIMUM.

De gratia in quantum est donum divinitus datum.

Post tractatum de incarnatione Verbi, quod est origo et fons omnis doni gratuiti, dicenda sunt aliqua de gratia Spiritus sancti, quæ nobis quadrupliciter consideranda occurrit: primo in quantum est donum divinitus datum; secundo in comparatione ad liberum arbitrium; tertio in comparatione ad habitus virtutum; quarto in comparatione ad exercitia meritorum. De gratia igitur, in quantum est donum divinitus datum, hæc tenenda sunt, scilicet, quod ipsa est donum quod a Deo immediate donatur et infunditur. Etenim cum ipsa et in ipsa datur Spiritus sanctus qui est donum increatum, optimum et perfectum, quod [1] *descendit a Patre luminum* per Verbum incarnatum, secundum quod Joannes in *Apocalypsi* vidit *fluvium splendidum ad modum crystalli procedere de sede Dei et Agni*. Ipsa nihilominus est donum per quod anima efficitur sponsa Christi, filia Patris æterni, et templum Spiritus sancti: quod nullo modo fit nisi ex dignativa condescensione, et condescensiva dignatione majestatis æternæ, per donum gratiæ suæ. Ipsa denique est donum quod animam purgat, illuminat et perficit; vivificat, reformat et stabilit; elevat, assimilat et Deo jungit, ac per hoc acceptabilem facit: propter quod donum hujusmodi gratia gratum faciens recte dicitur, et debuit appellari.

Gratiæ Spiritus sancti quadruplex consideratio

Gratia gratum faciens.

[1] *Jac.*, I, 17. — [2] *Apoc.*, XXII, 1.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium productivum pro sua summa benevolentia fecit spiritum rationalem capacem beatitudinis æternæ; et reparativum principium capacitatem illam infirmatam per peccatum reparavit ad salutem; et beatitudo æterna consistit in habendo summum bonum, et hoc est Deus, et bonum excellens improportionabiliter omnem humani obsequii dignitatem: nullus omnino ad illud summum bonum dignus est pervenire, cum sit omnino supra omnes limites naturæ, nisi a Deo condescendente sibi elevetur ipse supra se. Deus autem non condescendit per sui essentiam incommutabilem, sed per suam influentiam ab ipso manantem; nec spiritus elevatur supra se per situm localem, sed per habitum deiformem. Necesse est igitur spiritui rationali, ut dignus fiat æternæ beatitudinis, quod particeps fiat influentiæ deiformis. Hæc autem influentia deiformis, quia est a Deo, et secundum Deum, et propter Deum, ideo reddit imaginem nostræ mentis conformem beatissimæ Trinitati, non tantum secundum ordinem originis, verum etiam secundum rectitudinem electionis, et secundum quietudinem fruitionis. Et quoniam qui hoc habet, immediate ad Deum reducitur, sicut immediate ei conformatur; ideo donum illud immediate donatur a Deo, tanquam a principio influxivo, ut sicut immediate emanat a Deo Dei imago, sic immediate emanet (a) ab ipso Dei similitudo, quæ est divinæ ima-

Quo modo Deus condescendit, et nos per gratiam elevamur.

(a) *Cæt. edit.* manat.

ginis perfectio deiformis: et ideo dicitur imago recreationis.

Rursus, quoniam qui fruitur Deo, Deum habet; ideo cum gratia, quæ sua deiformitate disponit ad Dei fruitionem, datur donum increatum, quod est Spiritus sanctus: quod qui habet, habet Deum. Et quoniam nullus Deum habet, quin ab ipso specialiter habeatur; nullus habet, et habetur a Deo, quin ipsum præcipue et incomparabiliter diligat, et diligatur ab eo, sicut sponsa a sponso; nullus sic diligitur, quin ad æternam beatitudinis hæreditatem adoptetur pro filio: hinc est, quod gratia gratum faciens facit animam templum Dei, sponsam Christi, et filiam Patris æterni. Et quia hoc non potest esse, nisi ex summa dignatione et condescensione Dei; ideo illud non potest esse per habitum aliquem naturaliter insertum, sed solum per donum divinitus gratis infusum: quod expresse apparet, si quis ponderet quantum est esse Dei templum, Dei filium, Deo nihilominus indissolubiliter, et quasi matrimonialiter, per amoris et gratiæ vinculum copulatum.

Mirabiles effectus gratiæ.

Postremo, quia mens nostra non efficitur conformis beatissimæ Trinitati secundum rectitudinem electionis, nisi per vigorem virtutis, splendorem veritatis, et fervorem charitatis; et vigor virtutis animam purgat, stabilit et elevat; splendor veritatis animam illuminat, reformat et Deo assimilat; fervor charitatis animam perficit, vivificat, et Deo conjungit; et ex his omnibus homo Deo placens et acceptus existit: hinc est, quod illa influentia deiformis dicitur habere omnes decem actus prædictos, ita tamen quod denominatur ab ultimo, sicut a completissimo. Dicitur enim gratia gratum faciens, quia habentem facit Deo gratum, cum non solum gratis detur a Deo, verum etiam sit secundum Deum, et propter Deum: cum ad hoc sit, ut per ipsam opus manans a Deo revertatur in Deum, in quo, ad modum circuli intelligibilis, consistit omnium spirituum rationalium complementum.

Gratia gratum faciens quare sic dicta.

CAPUT II.

De gratia in quantum juvat ad bonum meritorium.

Secundo de Spiritus sancti gratia occurrit nobis considerandum in comparatione ad liberum arbitrium, et hoc secundum duplicem modum: primo scilicet in quantum ipsa est adjutorium ad meritum; secundo vero in quantum est remedium contra peccatum. De gratia ergo Dei in quantum est adjutorium ad merendum, hæc tenenda sunt, quod cum gratia dicatur generaliter, specialiter et proprie: generaliter dicitur adjutorium divinum creaturæ liberaliter et gratis impensum, et indifferenter ad quemcumque actum, et sine hujusmodi adjutorio gratiæ nec possumus aliquid efficere, nec durare in esse; specialiter vero dicitur gratia adjutorium divinitus datum, ut quis præparet se ad suscipiendum Spiritus sancti donum, quo perveniat ad meriti statum, et talis dicitur gratia gratis data, et sine hac nullus sufficienter facit quod in se est, ut se præparet ad salutem; proprie vero gratia dicitur adjutorium datum divinitus ad merendum, quod quidem dicitur donum gratiæ gratum facientis, sine quo nullus potest mereri, nec in bono proficere, nec ad æternam pervenire salutem. Ipsa enim, tanquam radix merendi, omnia merita antecedit: propter quod dictum est, quod prævenit voluntatem, ut velit; subsequitur autem, ne frustra velit. Unde nullus ipsam mereri potest merito condigni; sed ipsa meretur augeri a Deo in via, ut aucta mereatur et perfici in patria et gloria sempiterna ab ipso Deo, cujus est gratiam infundere, augere et perficere, secundum cooperationem voluntatis nostræ, et secundum propositum sive beneplacitum prædestinationis æternæ.

Gratia tripliciter dicitur.

Gratia non cadit sub merito de condigno.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium sua omnipotenti virtute, et benignissima largitate, creaturam omnem de nihilo pro-

duxerit (*a*) ad esse, ac per hoc creatura de se non habeat esse, totum autem esse habeat aliunde: sic facta fuit, ut ipsa pro sua defectibilitate semper suo principio indigeret, et primum principium pro sua benignitate influere non cessaret. Cum ergo spiritus rationalis, hoc ipso quod de nihilo est, sit in se defectivus; hoc ipso quod natura limitata et egena, sit in se recurvus, amans proprium bonum; hoc ipso quod totus a Deo, sit totaliter Deo obnoxius: et quia defectivus est, de se tendit in non esse; quia in se (*b*) recurvus, per se non assurgit ad rectitudinem perfectæ justitiæ; quia totaliter Deo obnoxius, et Deus bonis ejus non indiget, nihil potest facere de se et propria virtute, propter quod Deum sibi constituat debitorem, et maxime mercedis æternæ, quæ Deus est, nisi per divinam condescensionem : hinc est quod, ad hoc quod salvetur in esse, cum sit defectivus, indiget semper adjutorio divinæ præsentiæ, manutenentiæ et influentiæ, per quam manuteneatur in esse : quæ quamvis sit universalis in creaturas omnes, nominatur tamen nomine gratiæ, quia non ex debito procedit, sed ex libertate bonitatis divinæ. Hinc est etiam, quod ad hoc ut se præparet ad donum supernæ gratiæ, cum sit in se (*c*) recurvus, indiget dono alterius gratiæ gratis datæ, maxime post naturam lapsam, per quam habilis efficiatur ab bona moralia, quæ sunt bona ex circumstantia, quæ nullo modo possunt dici bona, nisi procedant ex intentione recta, videlicet quod non propter nos, sed propter summum bonum fiant : ad quod non assurgit spiritus noster recurvus, nisi præveniatur a Deo per aliquam gratiam gratis datam. Hinc nihilominus est, quod ad hoc, quod faciat bona opera meritoria mercedis æternæ, cum totaliter sit Deo obnoxius, et debitor sui totius, indiget dono gratiæ gratum facientis, per quam Deus sibi condescendat, prius acceptans suam imaginem et voluntatem, quam operationem ex eo manantem : quia cum causa nobilior sit suo effectu, nullus potest se facere meliorem, nec facere opus Deo placens, nisi prius placeat ipse, ut Deus prius ad (*d*) ipsum respiciat, quam [1] *ad munera ejus*. Et ideo omnis radix merendi fundatur in gratia gratum faciente, cujus est facere hominem Deo dignum : propter quod nullus potest eam mereri merito condigni, sed solum merito congrui. Ipsa autem habita meretur sui ipsius augmentum in statu viæ, per bonum ejus usum, merito condigni. Nam cum solus Deus sit ipsius gratiæ fontale principium influendi, ipse solus est principium augmentandi per modum infundentis, et gratia per modum meriti et dignitatis, et liberum arbitrium per modum cooperantis et merentis, pro eo quod liberum arbitrium cooperatur gratiæ, et, quod est gratiæ, suum facit; et ideo non tantum liberum arbitrium per gratiam meretur gratiæ augmentum in statu viæ, merito digni; verum etiam complementum in statu patriæ, merito condigni : tum propter sublimitatem doni Spiritus sancti in merito cooperantis; tum propter veracitatem Dei promittentis; tum propter vertibilitatem liberi arbitrii consentientis et finaliter perseverantis; tum propter difficultatem status merendi ; tum propter dignitatem Christi nostri capitis intervenientis, quod debet glorificari cum suis membris; tum etiam propter liberalitatem Dei tribuentis, quem non decet parva reddere propter obsequium sibi fideliter obtemperantis; tum propter nobilitatem operis quod ex charitate procedit, quod tantum ponderat in conspectu judicis, quantum amor ex quo procedit, qui Deum incomparabiliter præponit omnibus creaturis, et ideo non sufficienter et competenter potest, nisi in Deo, et summo bono, remunerari. Ex quibus omnibus, tanquam ex septem rationibus, gloriam æternam merito non tantum congrui, sed etiam condigni, mereri facit gratia septiformis.

Necessitas triplicis gratiæ.

Gratia usu crescit. Ad augmentum gratiæ quomodo Deus, gratia, et liberum arbitrium concurrant.

[1] *Gen.*, IV, 4.

(*a*) *Cæt. edit.* produxit. — (*b*) *Cæt. edit. non habent* in se. — (*c*) *Cæt. edit. ut modo.* — (*d*) *Cæt. edit. deest* ad.

CAPUT III.

De gratia in quantum est remedium peccati.

Homo per se cadit, non per se surgit.

De gratia vero, in quantum est remedium contra peccatum, hæc tenenda sunt, scilicet quod liberum arbitrium, licet sit sub Deo potentissimum, potest tamen per se in peccatum corruere; sed nullatenus potest resurgere sine adjutorio divinæ gratiæ, quæ dicitur gratia gratum faciens. Illa autem gratia, licet sit sufficiens remedium contra peccatum, non tamen infunditur adulto, nisi adsit liberi arbitrii consensus. Ex quo colligitur, quod ad justificationem impii quatuor concurrunt, scilicet infusio gratiæ, expulsio culpæ, contritio, et motus liberi arbitrii. Expellitur ergo culpa a Dei dono, non a libero arbitrio, non tamen sine libero arbitrio. Nam gratiæ gratis datæ est liberum arbitrium revocare a malo, et excitare ad bonum; et liberi arbitrii est consentire, vel dissentire; et consentientis est gratiam suscipere; et suscipientis cooperari eidem, ut tandem perveniat ad salutem.

Justificatio impii quatuor requirit.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia [1] cum primum principium, hoc ipso quod primum et potentissimum, sit causativum omnium quæ fiunt in universo, præterquam peccatorum, quæ sunt transgressiones legis divinæ, et cœlestium inobedientiæ mandatorum; nihil habet sibi rebelle, injuriosum et offensivum, nisi peccatum, quod contemnendo Dei præceptum, et avertendo nos a bono incommutabili, offendit Deum, deformat liberum arbitrium, perimit donum gratuitum, et obligat ad supplicium æternum. Cum igitur deformatio imaginis, et peremptio gratiæ, sit quasi annihilatio in esse moris et vitæ gratuitæ; cum offensa Dei sit tantum ponderanda, quantus est ipse; cum reatus pœnæ æternæ rationem teneat infiniti : impossibile est quod homo resurgat a culpa, nisi recreetur in vita gratuita, nisi remittatur offensa, et pœna relaxetur æterna. Solus igitur qui fuit principium creativum, est et principium recreativum et reparativum, Verbum scilicet Patris æternum, quod est [2] *Jesus Christus mediator Dei et hominum*, quod quia omnia de nihilo creat, ideo creat seipso solo, sine aliquo intermedio.

Peccatum quam grave malum.

Quia vero recreat deformatum per vitium culpæ, reformando per habitum gratiæ et justitiæ; obligatum ad pœnam, absolvendo per satisfactionem condignam : hinc est, quod nos reparat sustinendo pro nobis pœnam in natura assumpta, et infundendo gratiam reformativam : quæ quoniam continuat nos suæ origini, facit nos membra Christi; ac per hoc animam peccatricem, quæ fuerat inimica Dei, prostibulum diaboli, et serva peccati, facit sponsam Christi, templum Spiritus sancti, et filiam Patris æterni : quod totum fit per gratuitam et condescensivam infusionem doni gratuiti. Rursus, quoniam Deus sic reformat, quod leges naturæ inditas non infirmat; ideo sic hanc gratiam tribuit libero arbitrio, ut tamen ipsum non cogat, sed ejus consensus liber maneat : et ideo ad hoc, quod culpa expellatur, non solum necesse est quod gratia introducatur, verum etiam quod liberum arbitrium in adultis (in adultis dico, quia in parvulis sufficit fides Ecclesiæ, et meritum Christi, et excusat impotentia sui); necesse est, inquam, quod conformet se expulsioni culpæ per detestationem omnium peccatorum, quam vocamus contritionem. Est etiam necesse, quod conformet se introductioni gratiæ per complacentiam et acceptationem doni divini, quam vocamus motum liberi arbitrii. Et sic necesse est, ista quatuor concurrere ad justificationem impii.

Justificatio impii.

Postremo, quia prædispositio ad formam completivam debet esse ei conformis; ad hoc quod liberum arbitrium se disponat ad gratiam gratum facientem, indiget adminiculo gratiæ gratis datæ : et quia gratiæ est liberum arbitrium non cogere, sed præve-

Gratia et liberum ar-

[1] Ambros., *de Parad.*, c. VIII. — [2] I *Tim.*, II, 5.

bitrium quomodo se habeant.

nire, et simul utriusque est in actum prodire; hinc est, quod in nostra justificatione concurrit actus liberi arbitrii et gratiæ, consone quidem et ordinate, ita quod gratiæ gratis datæ excitare liberum arbitrium, liberi arbitrii autem est hujusmodi excitationi consentire, vel dissentire; et consentientis est ad gratiam gratum facientem se præparare, quia hoc est facere quod in se est : et sic disposito gratia gratum faciens habet infundi, cui liberum arbitrium potest cooperari, si vult, et tunc meretur; vel contrariari per peccatum, et tunc demeretur. Si ergo cooperetur ei usque in finem, meretur pervenire ad æternam salutem. Verum est igitur, quod dicit Augustinus [1], quod : « Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. » Verum est etiam, quod [2] *non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Verum est etiam, quod nullus potest superbire de meritis, quia nihil in nobis Deus præter sua dona coronat. Reservavit enim sibi Deus munera gratiæ liberaliter largienda, ut discat homo non esse ingratus, nec in se, quasi non acceperit, sed in Domino gloriari. Verum est etiam, quod licet liberum arbitrium per se legem implere non possit, nec gratiam in se efficere; inexcusabile tamen est, si non facit quod potest, quia gratia gratis data semper est præsto ad commonitionem, cujus adminiculo facere potest quod in se est : quo facto, habet gratiam gratum facientem, qua obtenta, divinam impleat legem, et faciat voluntatem Dei : qua facta, tandem ad beatitudinem perveniat sempiternam propter opera meritoria, quæ totaliter sunt a gratia, totaliter etiam a libero arbitrio, licet principalius a gratia : quia, ut dicit Augustinus [3], gratia cooperatur ad liberum arbitrium sicut sessor ad equum : qui quidem sessor liberum arbitrium dirigit, deducit, et perducit ad portum æternæ felicitatis, exercendo nos in operibus perfectæ virtutis secundum donum ipsius gratiæ septiformis.

CAPUT IV.

De ramificatione gratiæ in habitus virtutum.

Tertio restat agere de gratia in comparatione ad habitus virtutum, circa quam consideranda sunt tria : primum est, qualiter gratia una ramificatur in habitus virtutum; secundum, qualiter ramificatur in habitus donorum; tertium, qualiter ramificatur in habitus beatitudinum. De ramificatione igitur gratiæ in habitus virtutum hæc tenenda sunt, quod cum una sit gratia gratificans animam, septem tamen sunt virtutes gratuitæ, quibus regitur vita humana : tres quidem theologicæ, scilicet fides, spes et charitas; quatuor cardinales, scilicet prudentia, temperantia, fortitudo, et justitia, quæ uno modo est virtus communis et generalis, alio modo specialis et propria. Hæ autem septem virtutes, licet sint distinctæ, et proprias excellentias habentes, sunt tamen connexæ, et æquales ad invicem in eodem : et licet sint gratuitæ, per gratiam informatæ, possunt tamen fieri informes per culpam, sola charitate excepta, et iterum reformari per pœnitentiam adveniente gratia, quæ est habituum virtualium origo, finis et forma.

Virtutes septem.

Gratia virtutum origo, finis et forma.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia sicut principium productivum, sua summa perfectione, in dando vitam naturæ non tantum dat vivere quantum ad actum primum, verum etiam quantum ad actum secundum, qui est operari; sic necesse est, quod principium reparativum vitam tribuat spiritui in esse gratuito, et quantum ad esse, et quantum ad operari. Et quoniam unius viventis secundum unam vitam primam membrorum multæ sunt operationes vitales ad illius vitæ perfectam manifestationem, cum [4] actus diversificentur per objecta, et diversitas actuum requirat diversitatem sive distinctionem habituum; hinc est, quod licet una sit gratia

[1] Aug., *de verb. Apost.*, serm. xv, al. serm. CLXIX, c. xi, n. 13. — [2] *Rom.*, ix, 16. — [3] Aug., *ad Sixt.*, epist. cv. — [4] Arist., *de Anima*, lib II, text. 33.

vivificans, ramificari tamen necessario habet in varios habitus propter varias operationes. Et quoniam quædam sunt opera moralia primaria, sicut credere; quædam media, sicut intelligere credita; quædam vero postrema, sicut videre intellecta; et in primis anima rectificatur, in secundis expeditur, in tertiis perficitur: ideo gratia gratum faciens ramificatur in habitus virtutum, quorum est animam rectificare; in habitus donorum, quorum est animam expedire; et in habitus beatitudinum, quorum est animam perficere.

Virtutum, donorum, et beatitudinum officium.

Rursus, quoniam rectitudo animæ perfecta requirit, quod ipsa rectificetur secundum duplicem faciem, scilicet superiorem, et inferiorem, et respectu finis, et respectu eorum quæ sunt ad finem; ideo necesse est animam, quantum ad superiorem faciem, in qua consistit imago Trinitatis æternæ, rectificari per tres theologicas virtutes: ut sicut imago creationis consistit in trinitate potentiarum cum unitate essentiæ, sic imago recreationis consistat (*a*) in trinitate habituum cum unitate gratiæ, per quos anima fertur recte in summam Trinitatem secundum tria appropriata tribus personis: ita quod fides dirigit in summe verum, credendo et assentiendo; spes in summe arduum, imitando et expectando; charitas in summe bonum, desiderando et diligendo. Necesse est etiam, quantum ad inferiorem faciem, animam rectificari per quatuor cardinales virtutes: nam prudentia rectificat rationalem; fortitudo, irascibilem; temperantia, concupiscibilem; justitia vero rectificat omnes has vires in comparatione ad alterum. Et quia illud alterum determinate potest esse proximus; potest etiam idem homo comparari ad seipsum, ut ad alterum; potest etiam esse ipse Deus: hinc est, quod justitia circumire dicitur omnes vires. Dicitur etiam non tantum virtus cardinalis, verum etiam generalis, comprehendens totius animæ rectitudinem, cum ipsa dicatur rectitudo voluntatis. Unde ipsa non tantum comprehendit virtutes ordinantes ad proximum, sicut est æquitas et liberalitas (*b*); verum etiam ad seipsum, sicut est pœnitentia et innocentia; nec non ad Deum, sicut est latria, pietas et obedientia.

Necessitas virtutum in reformatione hominis.

Justitia non solum cardinalis, sed generalis virtus.

(*a*) *Cæt. edit.* consistit. — (*b*) libertas.

Postremo, quia omnis rectitudo virtutum, secundum esse gratuitum, manat a gratia tanquam ab origine et radice; et, secundum esse meritorium, comparatur ad charitatem sicut ad originem, formam et finem: hinc est, quod cæteræ virtutes gratuitæ, quoad habitus sunt connexæ, et quoad actus meritorios sunt æquales. Hinc est etiam, quod cæteri habitus virtutum possunt esse informes, sola charitate excepta, quæ est virtutum forma. Cum enim habentur sine gratia et charitate, in quibus consistit vita virtutum, tunc sunt informes; cum autem superinfunditur gratia, tunc formantur, et decorantur, et Deo acceptabiles fiunt: sicut et colores absque luce sunt invisibiles, superveniente autem lumine fiunt lucidi, pulchri, et aspectui complacentes. Unde, quemadmodum ex luce et coloribus fit unum in ratione motivi, et una lux sufficit ad multos colores illuminandos; sic ex gratia et habitibus informibus, cum formantur, fit unum secundum rationem meritorii et gratuiti; et una nihilominus gratia sufficit ad informationem et gratificationem habituum diversorum.

Virtutes omnes possunt esse informes, charitate excepta.

CAPUT V.

De ramificatione gratiæ in habitus donorum.

De ramificatione autem gratiæ in habitus donorum hæc tenenda sunt, quod licet plurima sint dona gratiæ gratis datæ, et generaliter omnes habitus divinitus dati dona Dei non absurde dici possint, specialiter tamen et appropriate septem sunt dona Spiritus sancti, quæ enumerat et nominat Isaias[1], loquens de *flore*, qui processit *de radice Jesse*, id est, Christo: de quo dicit, quod

Septem dona Spiritus sancti.

[1] *Isa.*, XI, 1-2.

requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. In hac autem enumeratione descendendo procedit a summo, et combinando, ut simul ostendatur donorum distinctio, connexio, origo et ordo.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est : quia cum principium reparativum, per summam liberalitatem, non tantum det gratiam ad rectificandum contra obliquitates vitiorum per habitus virtutum, verum etiam ad expediendum contra impedimenta symptomatum (a) per habitus donorum ; ideo purificari debent dona gratuita, secundum quod necessarium est ad expeditionis sufficientiam. Quoniam igitur anima nostra indiget septiformiter expediri, hinc est quod ex septiformi causa necesse est Spiritus sancti dona esse septiformia.

Septuplex indigentia hominis.

Indiget namque expediri contra vitiorum obliquitates, quantum ad vires naturales, quoad superadditas virtutes, in patiendo, in agendo, in contemplando, et utroque modo.

Primo igitur, propter vitiorum obliquitates expeditissime repellendas, septem sunt dona Spiritus sancti, utpote timor, contra superbiam ; pietas, contra invidiam ; scientia, contra iram, quæ quasi est quædam insania ; fortitudo, contra acidiam, quæ mentem reddit ad bona invalidam ; consilium, contra avaritiam ; intellectus, contra gulam ; et sapientia, contra luxuriam.

Secundo, propter expediendas vires naturales, debent septem dona Spiritus sancti esse. Nam irascibilis indiget expediri ad bona tam in prosperis, quam in adversis : in prosperis expeditur per timorem, in adversis per fortitudinem. Concupiscibilis autem indiget expediri quantum ad affectionem respectu proximi, et hoc fit per pietatem; et quantum ad affectum respectu Dei, et hoc fit per gustum sapientiæ. Rationalis vero indiget expediri in veritatis speculatione, electione et executione : per donum autem intellectus expeditur ad verum speculandum; per donum consilii, ad verum eligendum; per donum scientiæ, ad electum exequendum : per donum enim scientiæ recte conversamur in medio nationis pravæ et perversæ.

Tertio, propter expedienda septem virtutum officia, septem debent esse Spiritus sancti dona. Nam timor expedit ad temperantiam : timor enim carnes configit, unde[1] : *Confige timore tuo carnes meas ;* pietas, ad veram justitiam ; scientia, ad prudentiam ; et fortitudo, ad fortitudinem, seu patientiam ; consilium, ad spem; intellectus, ad fidem ; sapientia, ad charitatem. Unde sicut charitas est mater et consummatio omnium virtutum, sic sapientia omnium donorum, ita ut vere dicat Sapiens[2] : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius.*

Quarto, propter expeditionem in patiendo conformiter ad Christum, septem sunt habitus donorum. Christum autem ad patiendum movit paterna voluntas, humana necessitas, et virtutis strenuitas. Paterna quidem voluntas movit, ut cognita per intellectum, ut amata per sapientiam, ut in reverentia habita per timorem. Movit etiam nostra necessitas, ad quam cognoscendam necessaria est scientia, ad quam miserandam superadditur pietas. Movit nihilominus virtutis strenuitas, ut provida in eligendo per consilium, ut vigorosa in perferendo per fortitudinem. Et sic dona debent esse septem.

Motiva passionis Christi tria.

Quinto, propter expeditionem in agendo, septem dona dantur a Spiritu sancto. Nam, ad actionem expediendam, necesse habemus expediri ad declinandum a malo : quod fit per timorem. Necesse etiam habemus expediri ad proficiendum in bono duplici, vel necessitatis, vel supererogationis : circa primum expedimur per scientiam et pietatem,

(a) *Cæt. edit.* syntomatum.

[1] *Psal.* CXVIII, 120. — [2] *Sap.*, VII, 11.

ita quod unum est dirigens, et aliud exequens; circa secundum expedimur per consilium dirigens et fortitudinem exequentem. Necesse etiam habemus quiescere in optimo, et hoc quantum ad intellectum veri, et quantum ad affectum boni : primum fit per donum intellectus; secundum, per donum sapientiæ, in quo est quies.

Ad vitam hierarchicam tres actus necessarii.

Sexto, ad expeditionem in contemplando, dona Spiritus sancti in septenario numero sunt. Nam ad vitam hierarchicam et contemplativam necessarium est animam purgari, illuminari et perfici. Purgari autem oportet a concupiscentia, a malitia, ab ignorantia, ab infirmitate, seu impotentia. Primum facit timor; secundum, pietas; tertium, scientia; quartum, fortitudo. Illuminari autem indigemus in operibus reparationis, et primariæ conditionis: primum dat consilium; secundum, intellectus. Perfici autem habemus per accessum ad summum, quod consistit in uno, et hoc per donum sapientiæ : et sic arcanum contemplationis a lato consummatur quasi in cubico.

Septimo, ad expeditionem in actione et contemplatione, septem debent esse dona Spiritus sancti. Nam contemplativa, propter conversionem ad Trinitatem, tria debet habere dona expedientia, scilicet : quantum ad reverentiam majestatis, timorem; quantum ad intelligentiam veritatis, intellectum; quantum vero ad sapientiam, sive gustum bonitatis, sapientiam. Activa vero, quæ versatur in agendis et sustinendis, debet habere quatuor : scilicet pietatem ad agendum, et fortitudinem ad sustinendum, et directiva horum duorum, scilicet scientiam et consilium. Unde, quia ad expeditionem necessaria est directio, ideo fit donorum combinatio, et plurima sunt dona ad intellectum spectantia, quia lux cognitionis vehementer expedit ad dirigendos pedes in viam rectam et pacis.

[1] *Psal.* XXIV, 10.

CAPUT VI.

De ramificatione gratiæ in habitus beatitudinum, et per consequens, fructuum et sensuum.

De ramificatione autem gratiæ in habitus beatitudinum hæc tenenda sunt : scilicet, quod septem sunt beatitudines, quas Salvator enumerat in sermone de monte, scilicet paupertas spiritus, mititas, luctus, esuries justitiæ, misericordia, munditia cordis, et pax. Ad has vero beatitudines, propter sui perfectionem et plenitudinem, duodecim fructus Spiritus, et quinque spirituales sensus consequuntur : qui non dicunt novos habitus, sed status delectationum, et usus spiritualium speculationum, quibus replentur et consolantur spiritus virorum justorum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum reparativum principium sit perfectissimum, et perfectissime reparativum et reformativum per donum gratuitum; ideo gratiæ donum ab ipso manans liberaliter et abunde, ramificari debet usque ad habitus perfectionum, qui cum fini approximent, recto vocabulo nuncupantur ex nomine beatitudinum : quarum sufficientia, numerus et ordo colligitur ex integritate perfectionis, et ex modis perfectionum, et ex dispositionibus ad perfectionem.

Integritas perfectionis quibus constet.

Primo igitur ad integritatem perfectionis requiritur necessario perfectus recessus a malo, perfectus processus in bono, et perfectus status in optimo. Quoniam autem malum aut procedit ex tumore superbiæ, aut ex rancore malitiæ, aut ex languore concupiscentiæ; ideo, ad perfecte elongandum ab hoc triplici genere mali, tres sunt necessariæ beatitudines : scilicet paupertas spiritus, elongans a malo tumoris; mititas, elongans a malo rancoris; et luctus, elongans a malo libidinis et languoris concupiscentialis. Quia vero perfectus processus in bono attenditur secundum divinam imitationem, et[1] *universæ viæ Domini misericordia et veritas;* hinc est, quod duplex est

Tres beatitudines contra triplex malum.

beatitudo secundum has duas vias, scilicet esuries, sive zelus justitiæ, et affectus misericordiæ. Quoniam autem status in optimo est vel per limpidam cognitionem, vel per tranquillam affectionem; hinc est, quod sunt duæ ultimæ beatitudines, scilicet munditia cordis ad Deum videndum, et pax mentis ad perfecte fruendum.

Secundo etiam, si modi perfectionum attendantur, debent esse septem habitus beatitudinum. Nam est perfectio religionis, prælationis, et internæ sanctitudinis. Ad perfectionem autem religionis necessario requiritur abdicatio boni privati, acceptatio boni fraterni, et appetitio boni æterni. Primum fit per paupertatem spiritus; secundum, per mititatem affectus; tertium, per amaritudinem luctus. Ad perfectionem vero prælationis duo necessario requiruntur, scilicet zelus justitiæ, et affectus misericordiæ: *Misericordia* enim [1] *et veritas custodiunt regem*. Secundum hæc duo disponi debet regimen prælationis in Ecclesia militante. Ad perfectionem autem internæ sanctitudinis necessario requiritur puritas conscientiæ, et tranquillitas totius animæ, per [2] *pacem Dei omnem humanum sensum exuperantem*.

Perfectio triplex.

Tertio, si attendantur dispositiones præambulæ, septem debent esse beatitudines. Timor enim facit recedere a malo, et a mali occasione: et quia [3] *radix malorum omnium est cupiditas*, ideo timor disponit ad spiritus paupertatem, in qua simul jungitur humilitas cum paupertate, ut sic elongetur vir perfectus a fonte omnis culpæ, scilicet a superbia, et cupiditate. Et hinc est, quod paupertas spiritus est fundamentum totius perfectionis evangelicæ. Unde primo oportet hoc fundamentum sternere, qui vult ad culmen perfectionis pervenire, secundum illud [4]: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes:* ecce perfecta paupertas, quæ nihil sibi prorsus retinet; *Et sequere me:* ecce humilitas, quæ facit quod homo [5], *abnegando seipsum, tollat crucem suam, et sequatur* Christum, qui est totius perfectionis principalissimum fundamentum. Disponit ergo timor ad spiritus paupertatem: pietas autem ad mititatem: nam qui pie ad aliquem afficitur, nec illum irritat, nec ab illo irritatur. Scientia vero disponit ad luctum, quoniam per scientiam cognoscimus nos a statu beatitudinis relegatos in hanc vallem miseriæ et lacrymarum. Fortitudo autem disponit ad esuriem justitiæ: qui enim fortis est, tam avide se tenet cum justitia, ut malit a vita corporali, quam a justitia separari. Consilium vero disponit ad misericordiam: nihil enim Deus magis consulit in Scriptura, quam facere misericordiam, quod super omnia reputat holocausta. Intellectus autem disponit ad cordis munditiam: nam speculatio veritatis mundat cor nostrum ab omnibus plantasiis. Sapientia vero disponit ad pacem: nam sapientia jungit nos summo vero et bono, in quo est finis et tranquillitas totius nostri rationalis appetitus.

Qua pace adepta, necessario sequitur superabundans delectatio spiritualis, quæ in duodenario fructuum Spiritus continetur, ad insinuandam superabundantiam delectationum. Est enim duodenarius numerus abundans, in quo insinuatur spiritualium charismatum exuberantia, quibus fruitur et delectatur anima sancta: et tunc est homo ad contemplationem idoneus, et ad aspectus et amplexus sponsi et sponsæ, et qui fieri habent secundum sensus spirituales, quibus videtur Christi sponsi summa pulchritudo, sub ratione splendoris; auditur summa harmonia, sub ratione verbi; gustatur summa dulcedo, sub ratione sapientiæ comprehendentis utrumque, verbum scilicet et splendorem; odoratur summa fragrantia, sub ratione verbi inspirati in corde; astringitur summa suavitas, sub ratione Verbi incarnati inter nos habitantis corporaliter, et reddentis se nobis palpabile, osculabile, am-

Duodecim fructus spirituales.

[1] *Prov.*, XX, 28. — [2] *Philip.*, IV, 7. — [3] I *Tim.*, VI, 10. — [4] *Matth.*, XIX, 21. — [5] *Marc.*, VIII, 34.

plexabile, per ardentissimam charitatem, quæ mentem nostram per extasim et raptum transire facit ex hoc mundo ad Patrem.

Ex dictis igitur manifeste colligitur, quod habitus virtutum ad exercitium principaliter disponunt activæ; habitus vero donorum, ad actum contemplativæ; habitus autem beatitudinum, ad perfectionem utriusque. Fructus vero Spiritus, qui sunt [1] *charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*, dicunt delectationes consequentes opera perfecta. Sensus vero spirituales dicunt perceptiones mentales circa veritatem contemplandam: quæ quidem contemplatio fuit in prophetis per revelationem quantum ad triplicem visionem, scilicet corporalem, imaginativam, et intellectualem; in aliis vero justis reperitur per speculationem, quæ incipit a sensu, et pervenit usque ad imaginationem, et de imaginatione ad rationem, de ratione ad intellectum, et de intellectu ad intelligentiam, de intelligentia vero ad sapientiam, sive notitiam excessivam, quæ incipit hic in via, sed consummatur in gloria sempiterna. Ex his gradibus consistit scala Jacob, cujus cacumen attingit cœlum, et thronus Salomonis, in quo residet Rex sapientissimus, et vere pacificus, et amorosus, ut sponsus speciosissimus, et desiderabilis totus [2]: *in quem desiderant angeli prospicere,* et ad quem suspirat desiderium sanctarum animarum [3], *sicut cervus desiderat ad fontes aquarum.* Quo quidem desiderio ferventissimo ad modum ignis, spiritus noster non solum efficitur agilis ad ascensum, verum etiam quadam ignorantia docta, supra se ipsum rapitur in caliginem et excessum, ut non solum cum Sponsa dicat [4]: *In odorem unguentorum tuorum curremus;* sed etiam cum Propheta psallat [5]: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Quam nocturnam et deliciosam illuminationem nemo novit, nisi qui probat; nemo autem probat, nisi per gratiam divinitus datam, quæ quia nemini datur, nisi ei qui se exercet ad illam, ideo deinceps consideranda sunt exercitia meritorum.

[1] *Galat.*, V, 22-23. — [2] I *Petr.*, III, 22. — [3] *Psal.* XLI, 2. — [4] *Cant.*, I, 3. — [5] *Psal.* CXXXVIII, 11.

CAPUT VII.

De exercitio gratiæ respectu credendorum.

Quarto igitur restat considerare gratiam, quantum ad exercitia meritorum. Circa quod consideranda sunt quatuor: primo de exercitatione gratiæ in credendis, cujusmodi sunt articuli fidei; secundo in diligendis, cujusmodi sunt illa quæ spectant ad ordinem diligendi; tertio in exequendis, cujusmodi sunt præcepta legis divinæ; quarto in postulandis, cujusmodi sunt petitiones Orationis dominicæ. De credendis autem, hæc tenenda sunt, quod licet per fidem astringamur credere plurima, quæ sunt supra rationem, et generaliter omnia quæ continentur et asseruntur in canone sacræ Scripturæ; specialiter tamen et proprie articuli fidei dicuntur illi, qui continentur in serie Symboli apostolici: qui quidem uno modo sunt duodecim, si habeatur respectus ad eos qui Symbolum ediderunt, alio modo quatuordecim, si consideremus, quæ radicaliter sunt credenda, tanquam omnium credendorum fundamenta.

Articuli fidei quo modo duodecim, quomodo quatuordecim.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium in seipso sit summe verum et bonum, in opere vero suo sit summe justum et misericors; et summe vero debeatur firma assensio, summo bono fruens dilectio, summe justo universalis subjectio, summe misericordi fiducialis invocatio; et gratia sit ordinativa mentis nostræ ad primi principii culturam debitam: hinc est, quod ipsa dirigit et regulat ad debita et meritoria exercitia in credendis, amandis, exequendis et postulandis, secundum quod requirit summa veritas, bonitas, justitia, et misericordia in Trinitate beata. Quoniam igitur veritati est credendum, et majori veritati magis est cre-

dendum, et summæ veritati per consequens summe est credendum, et veritas primi principii in infinitum major est omni veritate creata, et luminosior omni lumine intellectus nostri : hinc est, quod ad hoc, quod intellectus noster sit recte ordinatus in credendis, necesse est quod plus credat summæ veritati, quam sibi, et quod se redigat in obsequium Christi; ac per hoc quod non solum credat quæ sunt secundum rationem, verum etiam quæ sunt supra rationem, et contra sensuum experientiam : quod si recusat, non exhibet summæ veritati debitam reverentiam, dum judicium industriæ propriæ præfert dictamini lucis æternæ : quod esse non potest absque tumore superbiæ, et elationis improbandæ.

Ad firmiter credendum duo sunt necessaria.

Rursus, quia veritas supra rationem, sive præter rationem, est veritas non visa, nec apparens, sed magis occulta, et ad credendum difficillima : ideo ad hoc quod firmiter credatur, necessaria est illustratio veritatis animam elevans, necessaria est etiam testificatio auctoritatis animam firmans. Primum fit per fidem infusam; secundum, per scripturam authenticam, quorum utrumque est a veritate summa per Jesum Christum, qui est Splendor et Verbum, et per Spiritum sanctum, qui veritatem ostendit, et dicit, et nihilominus credere facit : hinc est, quod auctoritas præbet fulcimentum fidei, et fides assentit auctoritati. Et quia auctoritas principaliter residet in sacra Scriptura, quæ per Spiritum sanctum est condita tota ad dirigendam fidem catholicam, hinc est, quod vera fides a Scriptura non dissonat, sed ei assentit assensione non ficta.

Postremo, quia veritas ad quam credendam arctamur per fidem, et de qua Scriptura agit principaliter, non est veritas quæcumque, sed veritas divina, vel ut est in natura propria, vel ut est in natura assumpta, nam in hujus veritatis cognitione consistit et præmium patriæ, et meritum viæ : hinc est quod articuli fidei, qui sunt fidei fundamenta, aut spectant ad divinitatem, aut ad humanitatem. Et quoniam divinitas habet considerari in tribus personis, scilicet in Patre generante, Filio genito, et Spiritu sancto procedente; et quadriformi operatione, scilicet creatione in esse naturæ, recreatione in esse gratiæ, resuscitatione in reparatione vitæ, et glorificatione in collatione gloriæ : hinc est, quod articuli spectantes ad deitatem sunt septem. Similiter, quia humanitas Christi habet considerari ut concepta de Spiritu sancto, ut nata de Virgine, ut patiens in cruce, ut descendens ad infernum, ut resurgens a morte, ut ascendens in cœlum, ut veniens ad finale judicium : hinc est, quod septem sunt articuli spectantes ad humanitatem : et sic sunt in universo quatuordecim, ad modum septem stellarum, septem candelabrorum aureorum, in quorum medio Filius hominis ambulabat.

Distinctio articulorum fidei.

Quoniam ergo unus est Christus in natura divina et humana, et una tantum est veritas summa, quæ est ratio credendi, una prima, summa et sola, quæ non mutatur per tempora : hinc est, quod de omnibus prædictis articulis una tantum est fides et eadem, non mutata, tam in præsentibus, quam in præteritis, quam in futuris : licet magis clara sit et explicita in eis, qui Christum sequuntur, quam in eis, qui præcesserunt ejus adventum : sicut Novum Testamentum clarius est, quam Vetus, in quibus prædicti articuli continentur. Et quia Spiritus sanctus hos articulos fidei in Scripturarum profunditate contentos, in unum compegit per duodecim apostolos, tanquam per testes firmissimos; hinc est, quod prædicti articuli in unum symbolum apostolorum collecti fuerunt. Et ideo secundum apostolos componentes, duodecim articuli dici possunt : quia quilibet apostolus in ædificationem fidei posuit unum articulum, quasi lapidem unum vivum : quod Spiritus sanctus recte præfiguravit in duodecim viris, qui duodecim lapides de Jordanis alveo extraxerunt, ad altare dominicum construendum.

Una et eadem est fides omnium articulorum.

CAPUT VIII.

De exercitio gratiæ respectu diligendorum.

De diligendis autem hæc tenenda sunt, quod licet omnia opera divina sint valde bona, quatuor tamen [1] proprie sunt ex charitate diligenda: scilicet Deus æternus, quod nos sumus, proximus noster, et corpus nostrum. In quorum dilectione servandus est ordo et modus, ut Deus diligatur primo, et super omnia, et propter se; secundo quod nos sub Deo, et pro Deo; tertio proximus noster, sicut et nos; quarto corpus nostrum infra nos, et infra proximum, tanquam bonum minus præcipuum. Ad hoc autem exequendum datur unus charitatis habitus, et duplex mandatum, in quo [2] *pendet universitas Legis et Prophetarum,* non solum quantum ad Vetus Testamentum, verum etiam quantum ad Novum.

Quatuor esse diligenda. Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia primum principium, hoc ipso quod primum, est summum; et hoc ipso quod summum, est summe bonum; et hoc ipso quod summe bonum, est summe beatum et summe beatificativum; et hoc ipso quod summe beatificativum, est ipso summe fruendum; et hoc ipso quod est eo summe fruendum, summe est ei inhærendum per amorem, et in eo quiescendum tanquam in fine. Quoniam ergo amor rectus et ordinatus, qui charitas appellatur, principaliter fertur in illud bonum quo fruitur, et in quo quiescit, et hoc ipsum est ratio diligendi; hinc est, quod illud præcipue diligit tanquam beatificativum, et cætera, per consequens, quæ per illud idonea sunt beatificari. Quoniam igitur nobiscum ad beatitudinem natus est proximus pervenire, natum est etiam pervenire et corpus nostrum, tanquam beatificabile cum spiritu: hinc est, quod quatuor tanquam ex charitate diligenda esse dicitur, scilicet Deus, et proximus, spiritus noster, et corpus nostrum.

Rursus, quoniam Deus est supra nos, tanquam bonum supremum; spiritus noster intra nos, tanquam bonum intrinsecum; et proximus noster juxta nos, tanquam bonum cognatum; corpus vero nostrum infra nos, tanquam bonum subjectum: hinc est, quod hic debet servari ordo in diligendo, ut primo Deus diligatur super omnia, et propter seipsum; secundo spiritus noster sub Deo supra omne bonum caducum; tertio proximus noster juxta nos ad consimile bonum; quarto corpus nostrum infra nos sicut bonum infimum: et in eodem gradu contineri debet corpus proximi, quia utrumque tenet rationem inferioris boni respectu spiritus nostri. Ordo servandus in dilectione.

Postremo, quia amor est pondus mentis, et origo omnis affectionis mentalis, qui de facili reflectitur in se, et difficulter tendit in proximum, et difficilius elevatur in Deum: hinc est, quod licet quatuor sint diligenda ex charitate, duplex tamen datur mandatum, unum quod dirigit in Deum, aliud quod dirigit in proximum. Et quia omnia præcepta vel ad Deum referuntur, tanquam in finem, vel ad proximum, tanquam in illud quod est ad finem; hinc est, quod in his duobus mandatis clauditur collectio mandatorum, et comprehensio omnium scripturarum; charitas ipsa est radix, forma et finis virtutum, quæ jungit omnes cum ultimo fine, et ligat omnia ad invicem simul, et ordinat: ac per hoc ipsa est pondus inclinationis ordinatæ, et vinculum colligationis perfectæ: ordinem quidem servans respectu diligendorum diversorum, quantum ad affectum pariter, et effectum; unitatem autem habens in habitu quantum ad unum finem, et unum principale dilectum, quod est ratio diligendi respectu omnium aliorum dilectorum, quæ per amoris vinculum nata sunt colligari in unum Christum quantum ad caput et corpus, quod unitatem continet in se salvandorum: quæ unitas nunc inchoatur in vita, sed consummatur in æterna gloria, Duobus mandatis mandata omnia clauduntur. Charitas radix, forma et finis virtutum.

[1] Aug. *de Doctr. Christ.*, lib. I, c. XXIII; Mag. *Sent.*, lib. III, dist. XXVIII, § *Hic potest*, et dist. XXIX. — [2] *Matth.*, XXII, 40.

juxta quod Dominus orat [1] : *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus, et ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Qua unitate consummata per vinculum charitatis [2], *erit Deus omnia in omnibus*, æternitate certa, et pace perfecta, eruntque omnia per amorem communia communione ordinata, et ordinatione connexa, et connexione indissolubiliter alligata.

CAPUT IX.

De exercitio gratiæ respectu agendorum, præceptorum et consiliorum.

Præceptorum diversitas. De præceptis autem legis divinæ hoc tenendum est, quod in lege Mosaica sunt præcepta judicialia, figuralia, et moralia, utpote decem præcepta Decalogi in duabus tabulis conscripta digito Dei. Lex autem Evangelica judicialia temperat auferendo, figuralia evacuat adimplendo, moralia consummat adjiciendo. Adjicit autem documenta instruentia, promissa excitantia, et consilia perficientia, cujusmodi sunt consilium paupertatis, consilium obedientiæ, et consilium castitatis, ad quæ implenda invitat Dominus noster Jesus Christus eum, qui vult esse perfectus.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est, quia primum principium, sicut est summe bonum in seipso, sic est summe justum in opere suo et universo regimine disponendo. Quoniam ergo summe justi est zelare justitiam, non tantum in se, verum etiam in altero; justitia autem consistit in conformando se regulis juris : hinc est, quod divinæ justitiæ est regulas justitiæ homini imprimere et exprimere, non tantum dictando per modum veritatis erudientis, sed etiam præcipiendo et obligando per modum voluntatis imperantis. Et quoniam gratia facit voluntatem nostram voluntati divinæ conformem, ipsius est disponere nos ad obtemperandum et subjacendum illis regulis justitiæ, secundum dictamen legis divinitus datæ.

[illegible] …perare… est. Rursus, quoniam divinis imperiis dupliciter obtemperare contingit, videlicet ex timore pœnæ, vel ex amore justitiæ; et primum est imperfectorum, secundum autem perfectorum : ideo duplicem Deus homini condidit legem, unam timoris, et alteram amoris : unam in servitutem generantem, et alteram in adoptionem filiorum Dei transferentem. Ac per hoc, quia timentibus et imperfectis competit, ut terreantur per judicia, et manuducantur per signa, et dirigantur nihilominus per præcepta; hinc est, quod lex Mosaica, quæ est lex timoris, continet judicialia, et figuralia, et moralia. Perfectis autem et amantibus competit aperta instructio documentorum, larga promissio præmiorum, et alta perfectio consiliorum : hinc est, quod lex Evangelica continet ista tria. Et ideo dicitur lex Mosaica differre ab Evangelica : quia illa figuræ, hæc veritatis : illa lex pœnæ, hæc gratiæ : illa litteralis, et ista spiritualis : illa occidens, et ista vivificans : illa timoris, et ista amoris : illa servitutis, et ista libertatis : illa oneris, et ista facilitatis. Mosaicæ, et Evangelicæ legis discrimen.

Postremo, quoniam regulæ spectantes ad justitiæ necessitatem continentur in divinis præceptis, et [3] « justitiæ est jus suum unicuique reddere; » necesse est, quod præcepta moralia quædam sint, quæ ordinent nos ad Deum, quædam ad proximum : secundum duplex charitatis præceptum, quod Spiritus sanctus voluit insinuare per duarum mysterium tabularum : et ideo *digito Dei scriptæ* dicuntur [4]. Et quia Deus est trinus, Pater scilicet, et Filius, et Spiritus sanctus; cui competit summa majestas adoranda, veritas profitenda, et charitas acceptanda, secundum vim irascibilem, rationalem, et concupiscibilem, per actum operis, oris, et cordis : ideo triplex est mandatum primæ tabulæ, correspondens tribus præmissis, scilicet adorationis subjectivæ, jurationis veridicæ, et sabbatizationis sacratæ. Sufficientia præceptorum Decalogi.

[1] Joan., XVII, 23. — [2] I Cor., XV, 28. — [3] Instit., de Justit. et Jur., § penult. — [4] Exod., XXXI, 15.

Quia vero proximus est imago Trinitatis, et ei, in quantum praefert imaginem Patris, debetur pietas; in quantum imaginem Filii, debetur veracitas; in quantum imaginem Spiritus sancti, debetur benignitas: hinc est, quod septem sunt mandata, quae ad secundam tabulam spectant. Nam penes pietatem duo sunt: unum, quod pietatem mandat, scilicet de patre honorando; alterum, quod impietatem vetat, scilicet de non occidendo. Penes veracitatem vero, quae principaliter consistit in verbo, accipitur unum, scilicet de falso testimonio non ferendo. Penes benignitatem vero, cui opponitur cupiditas et concupiscentia, quarum utraque potest esse in opere, vel in corde, accipiuntur quatuor, scilicet [1]: *Non moechaberis; non concupisces uxorem; non furtum facies, et non concupisces rem alienam.* Et habent haec ordinari secundum majora vel minora nocumenta, per quae infringi potest justitia. Et sic regulae spectantes ad justitiae necessitatem, debent contineri in decem praeceptis. Quoniam autem justitia ad perfectionem pervenit, dum perfecte se elongat a malo, et quantum ad culpam, et quantum ad causam, et omne malum oritur ex triplici radice, scilicet [2] *concupiscentiae carnis, et concupiscentiae oculorum, et superbiae vitae*; hinc est, quod tria sunt consilia evangelica, perfecte nos elongantia a triplici radice praedicta. Quae ideo sunt consilia, quia ut perfecte faciant recedere a malo, non solum separant ab illicitis, verum etiam a licitis et concessis, quae possunt esse occasio mali; ac per hoc non solum justitiam continent sufficientem, verum etiam superabundantem, secundum quod competit perfectioni Evangelicae legis, et exercitationi gratiae perficientis.

[1] Exod., xx, 14-17. — [2] I Joan., ii, 16. — [3] Rom., viii, 26.

(a) Vulg. sicut.

CAPUT X.

De exercitio gratiae respectu petendorum et orandorum.

De petitionibus autem Orationis Dominicae hoc tenendum est, quod licet Deus sit liberalissimus, et promptior ad dandum, quam nos ad accipiendum; tamen a nobis vult orari, ut occasionem habeat largiendi dona gratiae Spiritus sancti. Vult autem orari, non solum oratione mentali, quae est ascensus intellectus in Deum, verum etiam vocali, quae est petitio decentium a Deo, non solum per nos ipsos, verum etiam per Sanctos, tanquam per adjutores nobis divinitus datos, ut quod minus digni sumus impetrare per nos, impetrare valeamus per Sanctos. Et quia [3] *quid oremus, secundum quod* (a) *oportet, nescimus*, ne vagaremur incerti, formam nobis tribuit Dominus et Deus noster Christus in oratione, quam composuit, in qua sub septenario petitionum numero universitas comprehenditur petendorum.

Cur Deus a nobis requirat orationem.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium, sicut est summe verum et bonum in se ipso, sic misericors et justum in opere suo: et quia misericordissimum est, ideo liberalissime condescendit humanae miseriae per infusionem gratiae suae; quia vero simul cum hoc justum est, ideo donum perfectum non dat, nisi desideranti; non dat gratiam, nisi se gratificanti; non impendit misericordiam, nisi miseriam cognoscenti: ut salva sit libertas arbitrii, et non vilescat nobilitas doni, et integer perseveret cultus honoris divini. Quoniam ergo orantis est affectare subsidium, proprium allegare defectum, et gratias agere propter beneficium gratis datum, hinc est, quod oratio disponit ad susceptionem divinorum charismatum, et Deus orari vult ad hoc, ut munera largiatur. Rursus, quia ad hoc quod des-

derium efficaciter sursum tendat ad impetrandam dona divina, necesse est quod affectio nostra sit fervida, et cogitatio in unum collecta, et expectatio nostra sit certa et firma; et quia cor nostrum frequenter est tepidum, frequenter dispersum, frequenter etiam pavidum propter peccati remorsum, nec audens per seipsum comparere ante Dei conspectum : hinc est quod Dominus voluit

Oratio mentalis, et vocalis, et invocatio Sanctorum.

nos non tantum orare mentaliter, verum etiam vocaliter, ad nostri affectus excitationem per verba, et ad recollectionem cogitationum per sensum verborum. Voluit etiam nos orare per Sanctos, et Sanctos pro nobis, ad dandam fiduciam pavidis, ut quod non audent vel non possunt impetrare per se, per idoneos impetratores obtineant : ac per hoc in orantibus humilitas conservetur, in Sanctis intercedentibus dignitas declaretur, in omnibus etiam Christi membris charitas et unitas ostendatur, qua quæ inferiora sunt ad superiora fiducialiter recurrant, et superiora inferioribus liberaliter condescendant.

Postremo, quia Deus justus et misericors exaudire non debet nisi in his, quæ spectant ad suum honorem et ad nostram salutem; hujusmodi autem sunt, quæ spectant ad præmium patriæ, et ad viaticum viæ; et prima sunt tria, et sequentia quatuor : hinc est, quod petitiones Dominicæ Orationis, quæ docent quid petere utiliter debeamus, sunt septem.

Orationis Dominicæ petitiones septem, et brevis earum summa.

Quæ enim spectant ad divinum honorem et præmium patriæ, sunt tria, scilicet intelligentia veritatis, reverentia majestatis, et concordia voluntatis. Sive, per alia verba : Vel est visio summi veri, quod non videtur nisi a mundis et a sanctis, et hæc petitur, cum dicitur : *Sanctificetur nomen tuum*, id est, tui nominis notitia perfectis sanctis et mundis donetur; vel est tentio summi ardui, quæ reges facit, et per quam regnum habetur, et hæc petitur, cum dicitur : *Adveniat regnum tuum;* vel est fruitio summi boni, quæ non datur nisi his, qui voluntates suas habent divinæ voluntati conformes, et hæc petitur cum dicitur : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.* Quæ autem spectant ad transitum viæ, aut respiciunt collationem boni conferentis, aut amotionem mali nocentis. Collatio autem boni conferentis petitur in *pane quotidiano*, sive *supersubstantiali*, in quo petitur quidquid necessarium est ad conservationem vitæ præsentis, sive secundum spiritum, sive secundum corpus. Amotio autem mali nocentis petitur in tribus petitionibus ultimis : quia omne malum aut tenet rationem præteriti, aut futuri, aut præsentis. Vel aliter, aut tenet rationem mali culpæ, aut pugnæ, aut pœnæ. Primum petitur amoveri in dimissione debitorum; secundum, in victoria tentationum; tertium, et ultimum, in liberatione ab oppressione malorum. Et sic septem in universo sunt petitiones, in quibus universaliter petitur quidquid petendum est. Et hoc quidem satis rectum, ut septenarius petitionum respondeat septenario divinorum charismatum, et donorum gratiæ septiformis.

Septenarius septiformis ex sacra Scriptura

Propter quod notandum est, quod septiformem septenarium proponit nobis sacra Scriptura considerandum, scilicet vitiorum capitalium, sacramentorum, virtutum, donorum, beatitudinum, petitionum, et dotum gloriosarum, trium scilicet spiritualium, et quatuor corporalium, ut inferius apparebit. Proponit ergo septenarium vitiorum, tanquam primum, a quo debemus recedere; septenarium sacramentorum secundum, per quem debemus incedere; septenarium dotum ultimum, quem debemus appetere; septenarium petitionum penultimum, in quo debemus petere : septenarium autem virtutum, donorum et beatitudinum, triplicem intermedium, per quem debemus transire : ut sic [1] *septies in die* laudantes nomen Domini et orantes, impetremus gratiam septiformem virtutum, donorum et beatitudinum, qua vin-

[1] *Psal.* CXVIII, 164.

camus septiformem pugnam vitiorum capitalium, et perveniamus ad septiformem coronam dotum gloriosarum, adjuvante nihilominus septiformi medicina sacramentorum divinitus ad reparationem humani generis statutorum.

SEXTA PARS

IN QUA

DE MEDICINA SACRAMENTALI AGITUR

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentorum (a) origine.

Postquam actum est de trinitate (*b*) Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de incarnatione Verbi, et de gratia Spiritus sancti; jam nunc sexto agendum est de medicina sacramentali. Circa quam consideranda sunt septem : agendum est enim de sacramentorum origine, variatione, distinctione, institutione, dispensatione, iteratione, et uniuscujusque integritate. De origine igitur sacramentorum hoc tenendum est, quod sacramenta sunt signa sensibilia divinitus instituta tanquam medicamenta, in quibus sub tegumento rerum sensibilium divina virtus secretius operatur : ita quod ipsa ex similitudine naturali repræsentant, ex institutione significant, ex sanctificatione conferunt aliquam spiritualem gratiam, per quam anima curatur ab infirmitatibus vitiorum, et ad hoc principaliter ordinantur tanquam ad finem ultimum; valent tamen ad humiliationem, eruditionem et exercitationem, sicut ad finem qui est sub fine.

Propositio agendorum in sexta parte Breviloquii.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia principium reparativum, quod est Christus crucifixus, Verbum scilicet incarnatum, quod sapientissime dispensat omnia, quia divinum; et clementissime curat, quia divinitus incarnatum; sic debet reparare et salvare humanum genus ægrotum, secundum quod competit ipsi ægrotanti, ægritudini et occasioni ægrotandi, et ipsius ægritudinis curationi. Ipse autem medicus est Verbum incarnatum, Deus scilicet invisibilis in natura visibili. Homo ægrotans est non tantum spiritus, nec tantum caro, sed spiritus in carne mortali. Morbus autem est originalis culpa, quæ per ignorantiam inficit mentem, et per concupiscentiam inficit carnem. Origo autem hujus culpæ, licet principaliter fuerit ex consensu rationis, occasionem tamen sumpsit a sensibus carnis. Ad hoc ergo, quod medicina correspondens esset omnibus supradictis, oportuit quod non tantum esset spiritualis, verum etiam aliquid haberet de sensibilibus signis : ut sicut hæc sensibilia fuerunt animæ occasio labendi, ita essent ei occasio resurgendi. Quoniam igitur signa sensibilia, quantum est de se, non habent efficacem ordinationem ad gratiam, licet habeant longinquam repræsentationem de sui natura; hinc est quod oportuit quod ab Auctore gratiæ instituerentur ad significandum, et benedicerentur ad sanctificandum : ut sic essent ex naturali similitudine repræsentantia; ex adjuncta institutione significantia; ex superaddita benedictione sanctificantia, et ad gratiam

Sacramentum cur sensibile signum.

(*a*) Cæt. edit. *Sacramentali.* — (*b*) *Suppl.* in unitate.

præparantia, per quam curaretur et sanaretur anima nostra. Rursus, quoniam gratia curativa non datur elatis, incredulis et fastidiosis; ideo oportuit hæc signa sensibilia divinitus dari, quæ non solum sanctificarent, et gratiam conferrent, ac per hoc sanarent, verum etiam significatione erudirent, et susceptione humiliarent, et diversificatione exercitarent : ut sic per exercitationem exclusa acidia a concupiscibili, per eruditionem exclusa ignorantia a rationali, per humiliationem exclusa superbia ab irascibili, tota anima curabilis fieret a gratia Spiritus sancti, quæ reformat nos secundum has tres potentias, ad imaginem Trinitatis et Christi. Postremo, quoniam per hujusmodi signa sensibilia divinitus instituta, gratia Spiritus sancti suscipitur, et in eis ab accedentibus invenitur; hinc est, quod hujusmodi sacramenta dicuntur gratiæ vasa et causa, non quia gratia in eis substantialiter contineatur, vel causaliter efficiatur, cum in sola anima habeat collocari, et a solo Deo habeat infundi; sed quia in illis et per illa gratiam curationis a summo medico Christo ex divino decreto oportet hauriri, licet Deus non alligaverit suam gratiam sacramentis.

Sacramenta quomodo vasa et causa gratiæ.

Ex præmissis igitur apparet, non solum quis sit sacramentorum ortus, verum etiam quis usus, et quis fructus. Nam ortus eorum est Christus Dominus; usus autem est actus exercitativus, et eruditivus, et humiliativus; fructus autem est hominum cura et salus. Patet etiam quæ sit causa efficiens sacramentorum, quia divina institutio; quæ materialis, quia signi sensibilis repræsentatio; quæ formalis, quia gratuita sanctificatio; quæ finalis, quia hominum medicinalis curatio. Et quia denominatio fit a forma et fine, hinc est quod dicuntur sacramenta, quasi medicamenta sanctificantia : per hæc enim anima a fœditate vitiorum reducitur ad sanctificationem perfectam. Et ideo, licet sint corporalia et sensibilia, sunt tamen medicinalia, et ob hoc veneranda tanquam sancta : quia sacra significant mysteria, ad sacra præparant charismata, a sacratissimo Deo data, sacra institutione et benedictione divinitus consecrata, ad cultum sacratissimum Dei in sacra Ecclesia constituta, ut merito dici debeant sacramenta.

CAPUT II.

De Sacramentorum variatione.

De variatione autem sacramentorum hoc tenendum est, quod sacramenta ab initio ad curationem hominis sunt instituta, et semper cum morbo hominis cucurrerunt, et usque in finem sæculi perdurabunt : sed alia fuerunt in lege naturæ, alia sub lege scripta, alia sub lege gratiæ. Et in his omnibus, illa quæ posteriora sunt significatione, sunt evidentiora, et effectu gratiæ digniora. In lege enim naturæ fuerunt oblationes, sacrificia et decimationes. In lege autem scripta introducta est circumcisio, et adjuncta est expiatio, et superaddita est oblationum et decimationum et sacrificiorum multiformis distinctio. In lege autem nova statuta sunt sacramenta numero pauciora, utilitate potiora, virtute efficaciora, et præeminentia digniora, in quibus est impletio simul et evacuatio sacramentorum omnium prædictorum.

Sacramenta legis naturæ, scriptæ, et gratiæ.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia Verbum incarnatum, quod est reparationis nostræ principium, et fons et origo sacramentorum, cum sit clementissimum et sapientissimum : eo quod clementissimum est, non permisit quod curreret morbus peccati sine remedio sacramenti; eo vero quod sapientissimum, ideo juxta dictamen suæ immutabilis sapientiæ cuncta ordinatissime gubernantis, diversa adhibuit medicamenta et varia, secundum mutationem variam temporum diversorum. Quoniam ergo ab initio, præcurrente tempore, et adventu Salvatoris magis ac magis appropinquante, semper magis ac magis effectus salutis crevit, et cognitio veritatis;

congruum fuit et ipsa signa salutis per successionem temporum alia post alia variari : ut effectus gratiæ divinæ in salutem cresceret, simulque et ipsa significatio in ipsis signis visibilibus evidentior appareret. Et ideo primum per oblationes, postea per circumcisionem, ad ultimum per baptismalem ablutionem, expiationis et justificationis sacramentum formaliter institutum est : quia ejusdem mundationis forma et similitudo in oblatione quidem occulte invenitur, in circumcisione vero evidentius exprimitur, per baptismum autem manifestius declaratur. Et hinc est quod illa primi temporis sacramenta, sicut dicit Hugo [1], fuerunt sicut veritatis umbra; medii temporis, sicut figura seu imago; postremi, scilicet gratiæ, sicut corpus, quia intra se veritatem et gratiam curatricem continent, quam præsentant, et præsentialiter conferunt, quod promittunt.

Quare in omni lege plura fuerunt sacramenta.

Rursus, quoniam præsentia veritatis et gratiæ, quæ in lege gratiæ exhibetur, ratione suæ excellentiæ et multiformitatis in opere et virtute, per unum signum exprimi non poterat, ut decebat; hinc est, quod in omni tempore et lege plura fuerunt sacramenta data, ad illam veritatem et gratiam exprimendam ; sed præcipue in tempore legis figuræ, cujus est figurare, multa signa et varia præcesserunt, quæ sua varietate Christi gratiam multipliciter exprimerent, et excellentius commendarent, et multipliciter commendando nutrirent parvulos, exercerent imperfectos, et duros onerando frangerent, et ad jugum gratiæ domarent, et quodammodo emollirent.

Dignitas sacramentorum novæ legis.

Postremo, quoniam superveniente veritate, cessat umbra; et figura prænuntians sortitur finem intentum, quo habito, cessare debet ejus usus et actus : hinc est, quod gratia superveniente, vetera sacramenta et signa impleta sunt pariter et sublata, quia signa erant prænostica futurorum, et quasi prænuntiantia de longinquo; et nova nihilominus instituta tanquam demonstrativa præsentis gratiæ, et rememorativa quodam modo passionis Dominicæ, quæ fons est, et origo gratiæ curativæ, sive in omnibus, sive in nobis, sive in his qui præcesserunt Christi adventum : sed in his qui præcesserunt, tanquam pretium promissum; in his qui sequuntur, tanquam pretium persolutum. Et quoniam non debetur gratia promissioni pretii, nisi ratione persolutionis, et abundantior debetur persoluto pretio, quam promisso; hinc est, quod passio Christi immediatius sanctificat sacramenta temporis legis novæ, et pleniori gratia in eis redundat. Propter quod illa præparaverunt et perduxerunt ad hæc, sicut via ad terminum, sicut signum ad signatum, sicut figura ad veritatem, et sicut imperfectum reducit et præparat ad perfectum.

[1] Hug. de S. Vict., *Dial. de Sacram. leg. nat. et scriptæ*, longissime post med.

CAPUT III.

De Sacramentorum numero et distinctione.

De distinctione autem et numero sacramentorum novæ legis, hoc tenendum est, quod ipsa sunt septem, secundum correspondentiam ad gratiam septiformem, quæ per septenarium temporis nos reducit ad principium, quietem et circulum æternitatis, sicut ad octavam resurrectionis universalis. Horum autem sacramentorum janua est Baptismus, deinde Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Unctio extrema, Ordo et Matrimonium : quod licet ultimo collocetur propter morbum concupiscentiæ annexum, ipsum tamen fuit ante omnia introductum in Paradiso, etiam ante peccatum.

Sufficientia septem sacramentorum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia principium nostrum reparativum, et curativum nostrorum morborum, Christus Dominus, Verbum incarnatum, cum sit Dei virtus, et sapientia, et misericordia nostra, sic potenter, sic sapienter, sic clementer, sic decenter sua debet instituere sacramenta in lege gratiæ, ut nihil prorsus desit curationi nostræ, quantum

competit statui vitæ præsentis. Ad perfectam autem curationem ægritudinis concurrunt hæc tria, scilicet expulsio ægritudinis, introductio sanitatis, et conservatio intro-

Ratio 1. ductæ salutis. Primum igitur, quoniam ad perfectam curationem perfecta et universalis requiritur morbi expulsio; et morbus est septiformis; triplex culpabilis, scilicet culpa originalis, mortalis, et venialis; et quadruplex pœnalis, scilicet ignorantia, malitia, infirmitas et concupiscentia; et non sanat oculum, quod sanat calcaneum, sicut dicit Hieronymus : hinc est, quod oportuit adhiberi contra hæc septenarium medicamentorum ad hunc septiformem morbum plenius expellendum, scilicet contra originalem, baptismum; contra mortalem, pœnitentiam; contra venialem, unctionem extremam; contra ignorantiam, ordinem; contra malitiam, eucharistiam; contra infirmitatem, confirmationem; et contra concupiscentiam, matrimonium, quod eam temperat et excusat.

Ratio 2. Rursus, quia perfecta curatio non potest esse sine restitutione integræ sanitatis, et sanitas animæ integra consistit in usu septem virtutum, trium scilicet theologicarum, et quatuor cardinalium; hinc est, quod ad harum usum sanum restituendum, institui oportuit septiforme sacramentum. Nam baptismus sanando disponit ad fidem, confirmatio ad spem, Eucharistia ad charitatem, pœnitentia ad justitiam, unctio extrema ad perseverantiam, quæ est fortitudinis complementum et summa, ordo ad prudentiam, matrimonium ad temperantiam conservandam, quam maxime persequitur infirmitas carnis, sed honestas remediat nuptiarum.

Ratio 3. Postremo, quoniam perfecta curatio esse non potest sine conservatione salutis introductæ, et salus introducta conservari non potest in conflictu certaminis, nisi in acie Ecclesiæ, quæ est [1] *terribilis ut castrorum acies ordinata*, et hoc quidem fit per septiformis gratiæ armaturam; hinc est, quod necesse est septem esse sacramenta. Nam ut hæc acies sit perfecte et continue communita, cum constet ex partibus corruptibilibus, indiget sacramentis munientibus, relevantibus et renovantibus; munientibus pugnantes, relevantibus cadentes, et renovantibus morientes. Sacramentum autem muniens, aut munit ingredientes, et sic est baptismus; aut stantes, et sic est confirmatio; aut exeuntes, et sic est extrema unctio. Sacramentum autem relevans, aut relevat a casu veniali, et sic est eucharistia; aut a mortali, et sic est pœnitentia. Sacramentum autem renovans, aut renovat in esse spirituali, et sic est ordo, cujus est administrare sacramenta, aut in esse naturali, et sic est matrimonium : quod quia renovat multitudinem in esse naturæ, quod est omnium fundamentum, ideo primo fuit ante omnia institutum, sive introductum, licet propter morbum concupiscentiæ annexum. Et quia minime est sanctificativum, quamvis significatione sit [2] *sacramentum magnum*, inter medicamenta spiritualia ultimo collocatur, et locum sortitur extremum. Unde, quia baptismus est ingredientium, confirmatio pugnantium, eucharistia vires resumentium, pœnitentia resurgentium, extrema unctio exeuntium, ordo novos milites introducentium, matrimonium novos milites præparantium, patet ex his sufficientia et ordo medicamentorum sacramentalium, et armorum.

Matrimonium cur ante omnia alia sacramenta institutum.

CAPUT IV.

De Sacramentorum institutione.

De institutione autem sacramentorum hoc tenendum est, quod septem sacramenta legis gratiæ Christus instituit, tanquam Novi Testamenti mediator, et præcipuus lator legis, in qua vocavit ad promissa æterna, dedit præcepta dirigentia, et instituit sacramenta sanctificantia. Instituit vero ea in verbis et elementis, ad evidentiam significationis, et efficaciam sanctificationis, ita quod semper habet significantiam verita-

[1] *Cant.*, VI, 3. — [2] *Ephes.*, V, 32.

tis, sed non semper efficaciam curationis; non propter defectum a parte sui, sed a parte suscipientis. Instituit autem prædicta sacramenta diversimode : quædam scilicet ex eis confirmando, approbando, et consummando, ut matrimonium et pœnitentiam ; quædam autem insinuando et initiando, ut confirmationem et unctionem extremam ; quædam vero initiando et consummando, et in semetipso suscipiendo, ut sacramentum baptismi, eucharistiæ, et ordinis. Hæc enim tria et plene instituit, et etiam primus suscepit.

Institutionis sacramentorum modus diversus.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est : quia principium reparativum nostrum est Christus crucifixus, Verbum scilicet incarnatum, quod quia Verbum est Patri coæquale et consubstantiale, est verbum summæ virtutis, summæ veritatis, et summæ bonitatis, ac per hoc et summæ auctoritatis : et ideo ipsius est proprie novum testamentum introducere; ipsius est etiam dare legem integram et sufficientem , secundum exigentiam summæ virtutis, et veritatis, ac bonitatis suæ. Ratione igitur summæ bonitatis, promissa proposuit beatificantia; ratione autem summæ veritatis, præcepta dedit dirigentia; ratione vero summæ virtutis, sacramenta statuit adminiculantia : ut sic per sacramenta virtus repararetur ad implenda præcepta dirigentia, et per præcepta directiva perveniretur ad promissa æterna, faciente hoc Verbo æterno Christo, scilicet Domino, in lege Evangelica, in quantum est [1] *via, veritas et vita.*

Rursus, quoniam reparativum principium non solum est Verbum in quantum Verbum, sed etiam in quantum incarnatum, quod, hoc ipso quod incarnatum, omnibus se offert quantum ad notitiam veritatis, et omnibus digne accedentibus se exhibet ad gratiam curationis; hinc est quod [2] *tanquam plenum gratiæ et veritatis*, ad majorem evidentiam significandi et efficaciam sanctificandi, sacramenta instituit in elementis simul, et verbis : ut dum elementa oculis, et verba auribus se offerrent, qui sunt duo sensus maxime cognoscitivi , evidentiam darent significationis expressæ ; deinde etiam verba sanctificarent elementa, ut plenior fieret efficacia curationis humanæ : quæ quoniam nulli datur repugnanti et impugnanti fontem gratiæ interius in corde; ideo sic instituta sunt, ut significarent semper et universaliter, non autem sanctificarent, nisi accedentes digne absque omni fictione.

Postremo, quoniam etsi Verbum incarnatum sit fons gratiæ sacramentalis, aliqua tamen gratia sacramentalis fuit ante incarnationem; aliqua vero non nisi post Spiritus sancti missionem ; quædam autem medio modo se habens : hinc est, quod oportuit sacramenta institui diversimode. Nam ante incarnationem necessaria fuit compunctio pœnitentialis, generatio matrimonialis ; ideo hæc duo sacramenta non de novo instituit, sed jam a se instituta, et naturali dictamine (*a*) quodam modo impressa consummavit et confirmavit in lege Evangelica, dum pœnitentiam prædicavit, et nuptiis interfuit, et legem conjugii approbavit, secundum quod colligitur ex diversis Evangelii locis. Ante vero Spiritus sancti missionem, nec fuit plena Spiritus sancti donatio ad confirmationem, et nominis Christi publicam confessionem, nec unctio mentis plenaria ad evolationem : ideo hæc duo sacramenta, scilicet confirmationem et extremam unctionem, Christus solum initiavit et insinuavit : confirmationem, manum parvulis imponendo [3], et prædicendo [4] discipulos baptizandos Spiritu sancto ; unctionem vero extremam, discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos *ungebant oleo*, sicut dicitur in *Marco* [5]. Medio autem tempore, et fuit regeneratio, et Ecclesiæ ordinatio, et spiritualis cibatio ; ideo Christus hæc tria sacramenta, scilicet baptismi, eucharistiæ, et ordinis, et complete, et clare instituit : primo baptismum

[1] *Joan.*, XIV, 6. — [2] *Joan.*, I, 14. — [3] *Matth.*, XIX, 13. — [4] *Act.*, I, 5. — [5] *Marc.*, VI, 13.

(*a*) *Cæt. edit.* dictamini.

suscipiendo, deinde formam dando et cæteris publicando; ordinem vero, dando primo potestatem ligandi et solvendi peccata humani generis, et potestatem conficiendi sacramentum altaris; eucharistiam vero, comparando se grano frumenti, et conficiendo et dando discipulis, imminente passione, sacramentum corporis et sanguinis sui. Et ideo hæc tria sacramenta per Christum distincte et integre debuerunt institui, et in lege veteri multipliciter figurari, tanquam sacramenta substantialia novi testamenti, et propria legislatoris, Verbi scilicet incarnati.

CAPUT V.

De Sacramentorum dispensatione.

De dispensatione vero sacramentorum hoc tenendum est, quod potestas dispensationis sacramentorum regulariter spectat ad solum genus humanum. In omnibus autem sacramentis dispensandis, necessaria est in dispensante intentio. In aliquibus etiam necessario cum intentione requiritur ordo sacerdotalis, vel pontificalis: pontificalis, inquam, necessarius est, dispensationi confirmationis et ordinis; sacerdotalis vero, dispensationi eucharistiæ, pœnitentiæ, et unctionis extremæ. Baptismus autem, et matrimonium, licet ad sacerdotes spectent, possunt tamen præter ordinem sacerdotalem dispensari de facto, maxime in articulo necessitatis. His autem existentibus, sacramenta dispensari possunt a bonis, et malis; a fidelibus, et hæreticis; intra Ecclesiam, et extra: sed intra, secundum veritatem et ad utilitatem; extra vero, non ad utilitatem, licet dispensentur secundum veritatem.

Ministri Sacramentorum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia reparativum principium nostrum, Verbum scilicet incarnatum, in quantum Deus et homo, sacramenta instituit ad salutem hominum, ordinavit, sicut et congruum fuit, ut hominibus dispensarentur per ministerium hominum, propter servandam conformitatem dispensatoris ad Salvatorem Christum, et ad ipsum hominem salvandum. Quoniam ergo Salvator Christus humanum genus salvavit, secundum quod exigebat æquitas juris, dignitas ordinis, et securitas salutis, operatus est enim salutem nostram modo recto, ordinato et certo: hinc est quod secundum horum trium exigentiam, sacramenta commisit hominibus dispensanda. Primo igitur, quia rectitudo juris exigit ut opera hominis, secundum quod homo, non fiant præcipitanter; et opera hominis, ut ministri Christi, aliquo modo referantur ad Christum; et opera hominis, ut ministri salutis, aliquo modo referantur ad salutem, vel in generali, vel in speciali; et dispensatio sacramentorum est opus hominis ut rationalis, ut ministri Christi, et ut ministri salutis: hinc est, quod necesse est quod fiat ex intentione, qua quis intendat facere quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facere quod facit Ecclesia, in quo clauditur in generali intentio prædicta, quia ipsa Ecclesia, sicut sacramenta a Christo accepit, sic ad fidelium salutem dispensat.

Intentio sacramentis necessaria.

Rursus, quia ordo dignitatis exigit, ut majora majoribus, minora minoribus, et media mediis committantur; et quædam sunt sacramenta, quæ præcipue respiciunt excellentiam virtutis, sive dignitatis, ut sacramentum confirmationis, et ordinis: quædam, quæ respiciunt indigentiam necessitatis, ut baptismus et matrimonium, quorum unum generat, alterum regenerat ad existentiam debitam; quædam autem media, ut eucharistia, pœnitentia, et unctio extrema: hinc est quod prima, tanquam suprema, non possunt dispensari nisi ab episcopis et pontificibus, quantum est de jure communi; alia vero, tanquam infima, dispensari possunt a quibuscumque ordinibus et personis inferioribus, maxime in articulo necessitatis, quod dico ratione baptismi; media vero a solis sacerdotibus, qui inter episcopos, et inferiores personas, sunt quasi in medio constituti.

Postremo, quia securitas salutis exigit, ut res sic fiat, ut in dubium non cadat, et nullus est, qui certus sit de bonitate et credulitate dispensatoris, et idem ipse non est certus de se [1], *utrum odio vel amore dignus sit:* ideo si sacramenta dispensari solum possent a bonis, nullus esset certus de susceptione sacramenti, et sic oporteret semper iterari, et sic malitia unius præjudicaret alienæ saluti. Nulla etiam esset stabilitas in gradibus hierarchiæ Ecclesiæ militantis, quæ maxime consistit in sacramentis dispensandis: et ideo congruum fuit, ut sacramentorum dispensatio committeretur homini, non ratione sanctitatis, quæ variatur secundum voluntatem, sed ratione auctoritatis, quæ semper manet, quantum est de se: ac per hoc oportuit, quod se extenderet ad bonos et ad malos; ad eos, qui sunt intra, et ad eos qui sunt extra Ecclesiam. Verum, quia extra unitatem fidei et charitatis, quæ facit nos filios Ecclesiæ et membra, nullus potest salvari; ideo si sacramenta extra recipiantur, non ad salutem recipiuntur, quamvis vera sint sacramenta; sed utilia possunt fieri, si quis redeat ad sanctam matrem Ecclesiam, unicam Christi sponsam, cujus filios tantum Christus sponsus reputat dignos hæreditate æterna. Unde Augustinus, *contra Donatistas* [2]: « Ecclesia Paradiso comparata, indicat nobis posse quidem baptismum ejus homines etiam foris accipere; sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere. Nam et flumina de fonte Paradisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter manaverunt: nominatim quippe commemorantur, per quas terras fluant, et quod extra Paradisum constituta sunt, omnibus notum est: nec tamen in Mesopotamia, vel in Ægypto, quo illa flumina perveniunt, est felicitas vitæ, quæ in Paradiso commemoratur. Ita fit, ut cum Paradisi aqua sit extra Paradisum, beatitudo tamen non sit nisi intra Paradisum. Sic ergo baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatæ vitæ non nisi intra Ecclesiam reperitur, quæ super petram etiam fundata est, quæ ligandi et solvendi claves accepit. Hæc est una, quæ tenet et possidet omnem Sponsi sui et Domini potestatem, per quam conjugalem potestatem, etiam de ancillis parere filios potest: qui si non superbiant, in sortem hæreditatis vocabuntur; si vero superbiant, extra remanebunt. Magis ergo, quia pro Ecclesiæ honore atque unitate pugnamus, non tribuamus hæreticis, quidquid apud eos ejus cognoscimus; sed eos arguentes doceamus, quod extra unitatem habent, non valere ad salutem, nisi ad eamdem venerint unitatem. »

Quare non a solis bonis dispensantur sacramenta.

[1] *Eccle.*, IX, 1. — [2] Aug., *de Bapt. cont. Donat.*, lib. IV, c. II.

CAPUT VI.

De Sacramentorum iteratione.

De iteratione autem sacramentorum, hoc tenendum est, quod licet commune sit omnibus sacramentis non iterari super eamdem personam et materiam, et ex eadem causa, ne fiat contumelia sacramento; specialiter tamen tria sunt sacramenta, quæ non sunt aliquatenus iteranda, scilicet baptismus, confirmatio et ordo. In his namque tribus imprimitur triplex character interior, qui non deletur; inter quos, character baptismalis retinet fundamentum, nec alii possunt imprimi, nisi ille primitus imprimatur. Unde si quis ordinatur non baptizatus, nihil prorsus efficitur, sed est totum de novo faciendum: quia non intelligitur iteratum, quod constat non fuisse factum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, licet ratione suæ summæ virtutis, et sapientiæ, et bonitatis, nihil agat inefficaciter, nihil inepte, nihil infructuose; potissime tamen hoc observare debet in nobilissimis operibus suis, cujusmodi sunt illa, per quæ reparatur genus humanum. Quoniam ergo

sacramenta sunt de genere hujusmodi operum divinorum; hinc est, quod contumelia quodam modo fit eis, quando super eamdem materiam et personam, et ex eadem causa iterantur : quia ex hoc ostenditur, quod prius dispensata fuerunt inefficacia, inepta et infructuosa, contra id quod exigebat ipsius reparativi principii virtus, et sapientia, et bonitas summa, quæ semper assistit ad operandum in illis, et per illa sacramenta.

Sacramentorum cur quædam iterabilia sint, quædam vero non.

Rursus, quoniam inter hæc sacramenta reparantia, in quibus est generaliter efficacia divinæ virtutis ad reparationem humani generis, quædam sunt quæ tantum introducta sunt propter remedia morborum; quædam etiam non solum ad hoc, sed ad statuendum, discernendum et ordinandum in Ecclesia hierarchicos gradus; et morbi possunt variari, expelli, et iterum introduci; gradus autem Ecclesiæ debent esse firmi, et solidi, et inconcussi : hinc est, quod sacramenta quæ respiciunt morbos iterabiles, habent effectus transeuntes, ac per hoc et iterabiles ratione novæ causæ. Sacramenta vero illa, quæ respiciunt gradus hierarchicos, et status fidei determinatos, necesse est quod, præter effectus remediantes, aliquos effectus tribuant permanentes, ad graduum et statuum Ecclesiæ distinctionem fixam et stabilem. Et quoniam hoc non potest fieri per data naturalia, vel dona gratuita gratum facientia, necesse est quod fiat per aliqua signa, substantiæ incorruptibili, scilicet animæ incorruptibili, a principio incorruptibili, secundum conformitatem ad incorruptibile, indelebiliter et gratis impressa, quæ characteres appellantur : qui quoniam nunquam delentur, ideo nec iterari possunt nec illa sacramenta, in quibus hujusmodi characteres imprimuntur.

Triplex status fidei.

Postremo, quoniam triplex est status fidei, secundum quem habet fieri distinctio in populo Christiano, in acie ecclesiasticæ hierarchiæ, scilicet status fidei genitæ, roboratæ, et multiplicatæ : secundum primum fit distinctio fidelium ab incredulis; per secundum fit distinctio fortium ab infirmis et debilibus; secundum tertium fit distinctio clericorum a laicis. Hinc est, quod illa sacramenta, quæ respiciunt triplicem fidei statum prædictum, characteres imprimunt, per quos indelebiliter impressos semper distinguunt : ac per hoc nunquam iterari possunt. Quoniam ergo baptismus respicit statum fidei genitæ, in quo populus Dei distinguitur ab incredulis, ut Israelitæ ab Ægyptiis; et confirmatio respicit statum fidei roboratæ, in quo distinguitur populus fortis ab infirmis, sicut pugiles ab his, qui ad pugnam non sunt idonei; et ordo respicit statum fidei multiplicatæ, in quo distinguitur clerus a laicis, sicut levitæ ab aliis tribubus : hinc est, quod in his tantum tribus sacramentis characteres imprimuntur. Quia vero distinctio populi a non populo prima est et radicalis; hinc est, quod character baptismalis est fundamentum omnium aliorum characterum : et ideo, illo non substrato, nihil poterit superædificari, ac per hoc oportet de novo fieri; si autem ille substernatur, alii imprimi possunt, nec nuquam ulterius iterandi sunt, nec sacramenta tria prædicta, quæ hos imprimunt, ex causa aliqua iterantur; et gravis de facto iterantibus debet pœna imponi, propter divini contumeliam sacramenti : licet alia quatuor ex causis diversis possint sine sui contumelia iterari.

Character per quæ sacramenta imprimitur.

CAPUT VII.

De integritate Baptismi.

Jam nunc septimo loco restat videre de integritate uniuscujusque sacramenti : quæ cum sint in numero septiformi, primo dicendum est de baptismi integritate, quod est janua omnium aliorum sacramentorum. De integritate igitur sacramenti baptismi, hoc tenendum est, quod ad hoc, quod aliquis baptizetur vere et plene, requiritur

expressio formæ vocalis a Domino institutæ, quæ est hæc : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen* : absque omissione vocabuli, et sine interpositione vocabuli : absque præposteratione ordinis supradicti, et sine commutatione nominis prænotati. Requiritur etiam mersio, vel ablutio, per elementum aquæ in toto corpore, vel saltem in digniori parte : ita quod expressio et mersio fiat ab uno et eodem, et in eodem tempore : quibus concurrentibus, si non sit fictio in baptizando, datur ei gratia regenerans, et rectificans, et purificans ab omni culpa. Quod ut efficacius fiat, catechismus et exorcismus tanquam præparatorii præmittuntur tam in parvulis, quam in adultis; ita tamen, quod in adultis requiritur fides propria, in parvulis sufficit fides aliena.

Forma baptismi.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, tanquam perfectissimum et sufficientissimum principium, reparare habeat genus humanum per medicamenta sacramentorum, ita quod nihil sit in eis superfluum, nihil inordinatum, nihil etiam diminutum; ita disponere debuit, quod sacramentum baptismi et alia integrarentur secundum quod exigebat sua virtus, nostra salus, et etiam noster morbus. Quoniam ergo virtus nos reparans est virtus totius Trinitatis, quam sancta mater Ecclesia credit in animo, confitetur in verbo, et profitetur in signo sub trium personarum distinctione, et proprietate, ordine, et origine naturali; est etiam virtus passionis Christi, qui mortuus, et sepultus fuit, et die tertia resurrexit : hinc est, quod ad horum expressionem in sacramento, quod primum omnium sacramentorum est, et in quo primo et principaliter hæc virtus operatur, debuit fieri expressio Trinitatis distincta, propria et ordinata nominatione, quantum est de forma communi; licet in tempore primitivæ Ecclesiæ potuerit fieri in nomine Christi, in quo intellectus clauditur totius Trinitatis. Debuit etiam fieri propria et ordinata nominatio verbi *Baptizandi*, cum trina mersione, ad expressionem mortis Christi, et sepulturæ, et resurrectionis post triduum factæ, quantum est de congruitate. Et quia simul operatur utraque virtus, et in uno Christo Salvatore, utrumque horum debet fieri ab uno et eodem simul, et eodem tempore, propter servandam unitatem in sacramento, et significandam unitatem in nostro Mediatore.

Trinitatis expressio in baptismo necessaria.

Baptismus in nomine Christi claudit intellectum totius Trinitatis.

Rursus, quoniam salus nostra requirebat inchoari per regenerationem, seu renovationem in esse gratiæ, conferentis spirituale esse, abstergendo immunditiam, effugando tenebras, et refrigerando concupiscentiam, quæ universaliter labefactat omnem hominem descendentem seminaliter ab Adam : hinc est, quod sacramentum primum, quod est regenerativum, debuit fieri in elemento quod haberet conformitatem ex naturali repræsentatione ad triplicem effectum prædictum gratiæ inchoantis nostram salutem. Quoniam ergo aqua sua puritate mundat, sua pervietate seu diaphaneitate luminis est delativa, sua frigiditate refrigerat, et maxime communis est omnibus inter omnia liquida : hinc est, quod sacramentum regenerationis nostræ perfici debuit in elemento aquæ indifferenter; quia omnis aqua omni aquæ est eadem specie, et etiam ne aliquis propter defectum elementi periculum salutis incurrere posset.

Cur baptismus in aqua fiat.

Postremo, quoniam morbus noster, contra quem principaliter est baptismus, est originale peccatum, quod animam privat vita gratiæ, et omnium virtutum rectitudine habilitante, et pronum quodam modo reddit ad omne genus culpæ, et traducitur aliunde, et parvulum facit concupiscibilem, et adultum actu concupiscentem, redigit etiam in diabolicam servitutem, et in potestatem principis tenebrarum : hinc est, quod ad hoc, quod per illud sacramentum per contrarium sufficiens adhibeatur remedii medicamentum, congruit in eo dari gratiam

In baptismo triplex gratia datur.

regenerantem contra privationem vitæ gratuitæ; gratiam rectificantem in septiformi virtute, contra privationem virtutis habilitativæ; gratiam purificantem ab omni culpa, contra pronitatem ad omnem deordinationem vitiosam.

Quid in parvulo, et quid in adulto ad baptismum requiratur.

Et quoniam originale peccatum trahitur aliunde, et parvulum facit concupiscibilem, et adultum actu concupiscentem, necessaria est adulto fides propria, et pœnitentia : sed parvulo sufficit aliena, quæ scilicet est in universali Ecclesia. Quia vero baptismus debet eruere a servitute diaboli, et de potestate principis tenebrarum, tam parvulos, quam adultos; hinc est, quod utrique exorcizari debent ad expulsionem potestatis contrariæ, utrique etiam catechizari : adulti, ut expulsa caligine erroris, informentur ad fidem ; parvuli vero, ut sciant patrini, quid eos debeant edocere, ne pro humano defectu impediatur baptismatis sacramentum quominus habeat finem suum.

CAPUT VIII.

De integritate Confirmationis.

Forma sacramenti confirmationis, et materia.

De sacramento confirmationis hoc tenendum est, quod ad ipsius integritatem requiritur forma vocalis, quæ secundum morem magis communem hæc est : *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen.* Requiritur etiam chrisma, quod conficitur ex oleo olivarum et balsamo, de quo cum per manus episcopi signum crucis fronti imprimitur sub prædicta forma verborum, confirmationis suscipitur sacramentum, per quod confirmatur homo ut pugil ad nomen Christi audacter et publice confitendum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia reparativum principium nostrum, Verbum scilicet incarnatum, sicut æternaliter conceptum est in corde Patris, et temporaliter in carne sensibiliter apparuit homini, sic neminem reparat, nisi ipsum et corde credendo concipiat, et creditum exterius confitendo depromat confessione debita : cujusmodi est confessio veridica, veritate plena, quæ non tantum est veritas speculativa, verum etiam practica. Hæc autem est in qua non tantum est adæquatio intellectus, sermonis et rei, verum etiam in qua totus homo veritati conformatur secundum intelligentiam rationis, secundum complacentiam voluntatis, et secundum adhærentiam virtutis, ut sit ex toto corde, tota anima, et tota mente : sit[1] *ex corde puro, conscientia bona, et fide non ficta :* et talis est confessio integra, placida et intrepida : ut sit (*a*) integra, ratione ejus de quo est; placida, ratione ejus coram quo fit; intrepida, ratione ejus a quo fieri habet illa confessio. Quoniam ergo ad hoc homo pusillanimis non est idoneus, nisi per manum supernæ gratiæ confirmetur; ideo ad hoc sacramentum confirmationis fuit divinitus institutum, tanquam immediate sequens baptismum.

Confessio vere christiana.

Integritas sacramenti confirmationis

Quia vero finis imponit necessitatem iis quæ sunt ad finem, ideo integrari debet hoc sacramentum secundum exigentiam confessionis prædictæ, et suarum conditionum, trium videlicet prædictarum. Primo ergo, quoniam confessio hæc debet esse integra; et integritas confessionis non est, nisi quis confiteatur Christum verum hominem pro hominibus crucifixum, eumdemque verum Dei Filium incarnatum in Trinitate Patri et Spiritui sancto per omnia coæqualem : hinc est, quod in forma vocali non tantum fit expressio actus confirmandi, verum etiam ipsius signi crucis, et nominis beatissimæ Trinitatis. Amplius, quia confessio debet esse placita ratione ejus coram quo fit; et fieri habet coram Deo et hominibus; et Deo non potest placere, nisi adsit lumen intelligentiæ, et nitor conscientiæ; nec proximis, nisi adsit odor bonæ famæ et vitæ honestæ : ideo ad horum designationem, in elemento exte-

[1] I *Tim.*, I, 5.

(*a*) *Cæt. edit. add.* ex.

riori commiscetur oleum olivarum, quod est nitidum, et balsamum, quod est odoriferum : ut per hoc significetur, quod confessio ad quam hoc sacramentum ordinat et disponit, conjunctum debet habere nitorem conscientiæ et intelligentiæ, cum suavi odore tam vitæ, quam famæ, ne contrarietas aliqua sit inter linguam et conscientiam, vel inter linguam et famam, propter quam talis confessio non acceptetur ab homine, nec approbetur a Christo. Postremo, quoniam talis confessio debet esse intrepida, ut nec pudore, nec timore, dimittat quis dicere veritatem; et tempore persecutionis ignominiosam mortem Christi in cruce confiteri publice formidat quis, et erubescit, præcipue horrens incidere in consimilem pœnam et ignominiam passionis; et hujusmodi timor et pudor potissime apparet in facie, et maxime in fronte : ideo ad omnem verecundiam et formidinem propulsandam, et manus potestativa imponitur, quæ confirmet, et crux fronti imprimitur, ut non erubescat eam publice confiteri, nec formidet pro confessione nominis Christi, si opus fuerit, quantamcumque pœnam vel ignominiam sustinere, tanquam verus pugil unctus ad prælium, et tanquam strenuus miles ferens in fronte regis sui signum, et crucis ejus triumphale vexillum, cum quo paratus sit penetrare hostium cuneos securus. Non enim potest crucis gloria libere prædicari, si crucis pœna et ignominia formidetur; juxta quod sanctus dicebat Andreas : « Ego si crucem expavescerem, gloriam crucis minime prædicarem. »

CAPUT IX.

De integritate Eucharistiæ.

Doctrina vere catholica de Eucharistia

De sacramento Eucharistiæ hoc tenendum est, quod in hoc sacramento verum Christi corpus et verus sanguis non tantum significatur, verum etiam veraciter continetur sub duplici specie, panis scilicet et vini, tanquam sub uno, et non sub duplici sacramento : hoc autem est post consecrationem sacerdotalem, quæ fit in prolatione vocalis formæ a Domino institutæ super panem, scilicet : *Hoc est corpus meum;* super vinum vero : *Hic est calix sanguinis mei :* quibus verbis cum intentione conficiendi a sacerdote prolatis, transsubstantiatur utrumque elementum secundum substantiam in corpus et sanguinem Jesu Christi, remanentibus speciebus sensibilibus, in quarum utraque continetur totaliter, non circumscriptibiliter, nec localiter, sed sacramentaliter totus Christus. In quibus etiam proponitur nobis ut cibus, quem qui digne accipit, non solum sacramentaliter, verum etiam per fidem et charitatem spiritualiter manducando, corpori Christi mystico magis incorporatur, et in seipso reficitur et purgatur; qui vero[1] indigne accedit, *judicium sibi manducat et bibit*, *non dijudicans* sanctissimum *corpus* Christi.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, et sufficientissimum est in virtute, et sapientissimum est in sensu : ideo sic nobis contulit sacramenta, secundum quod exigit sapientia et efficientia sua. Et quia sufficientissimum est, ideo largiendo medicamenta morborum et charismata gratiarum, non tantum instituit sacramentum quod nos in esse gratiæ generaret, ut baptismus, et genitos augmentaret et roboraret, ut confirmatio; verum etiam quod genitos et augmentatos enutriret, ut sacramentum Eucharistiæ : propter quod hæc tria sacramenta omnibus dantur, qui accedunt ad fidem. Quoniam ergo nutrimentum nostrum quantum ad esse gratuitum attenditur in unoquoque fidelium per conservationem devotionis ad Deum, dilectionis ad proximum, et delectationis intra seipsum; et devotio ad Deum exercetur per sacrificii oblationem ; dilectio ad proximum, per unius sacramenti communionem; et delectatio intra seipsum,

[1] *Cor.*, XI, 29.

per viatici refectionem : hinc est, quod principium nostrum reparativum istud sacramentum Eucharistiæ dedit in sacrificium oblationis, et sacramentum communionis, et viaticum refectionis.

Eucharistia est sacrificium, sacramentum, et viaticum

Quia vero principium nostrum reparativum non tantum est sufficientissimum, verum etiam sapientissimum, cujus est omnia agere ordinate; ideo sic dedit et disposuit nobis sacrificium, sacramentum et viaticum exhibere, secundum quod competit tempori (a) gratiæ revelatæ, statui viæ, et capacitati nostræ. Primo igitur, quoniam tempus gratiæ revelatæ requirit quod jam non offeratur oblatio qualiscumque, sed pura, placita (b) et plenaria; et nulla alia oblatio est talis, nisi illa quæ in cruce fuit oblata, scilicet Christi corpus et sanguis : hinc est, quod necessario oportet in hoc sacramento non tantum figurative, verum etiam veraciter corpus Christi, tanquam oblationem huic tempori debitam contineri. Similiter, quia tempori gratiæ consonat, quod sacramentum communionis et dilectionis non tantum sit communionem et dilectionem significans, verum etiam ad illam inflammans, ut efficiat quod figurat; et quod maxime nos inflammat ad dilectionem mutuam, et maxime unit membra, est unitas capitis, a quo per vim amoris diffusivam, unitivam et transformativam, manat in nos dilectio mutua : hinc est, quod in hoc sacramento continetur verum Christi corpus, et caro immaculata, ut se nobis diffundens, et nos invicem uniens, et in se transformans per ardentissimam charitatem, per quam se nobis dedit, se pro nobis obtulit, et se nobis reddidit, et nobiscum existit usque ad finem mundi. Per hunc etiam modum refectio competens statui gratiæ est refectio spiritualis, et communis, et salutaris. Refectio autem spiritus est verbum vitæ, ac per hoc refectio spiritualis ipsius spiritus in carne est Verbum incarnatum, seu caro Verbi, quæ cibus est communis et salutaris : quia licet sit una, omnes tamen salvantur per ipsam.

Christus vere et realiter continetur in Sacramento Eucharistiæ.

Quia ergo non est dare alium cibum spiritualem, communem et salutiferum, nisi ipsum verum corpus Christi; hinc est, quod necesse est ipsum in hoc sacramento veraciter esse contentum, exigente hoc perfectione sacrificii placativi, sacramenti unitivi, et viatici refectivi : quæ debent esse in tempore novi testamenti, et gratiæ revelatæ, et veritatis Christi.

Sacramentum Eucharistiæ cur sub panis et vini speciebus magis quam sub aliis debuit exhiberi.

Rursus, quia statui viæ non competit Christum aperte videre, propter velamen ænigmatis, et propter meritum fidei; nec convenit Christi carnem dentibus attrectare, et propter horrorem cruditatis, et propter immortalitatem ipsius corporis : ideo necesse fuit corpus et sanguinem Christi tradi velatum sacratissimis symbolis, et similitudinibus congruis et expressis. Et quoniam nihil magis idoneum est ad refectionem, quam cibus panis, et potus vini; nihil est etiam magis idoneum ad significationem unitatis corporis Christi veri et mystici, quam panis factus de mundissimis granis, et vinum expressum de purissimis acinis in unum collectis : ideo sub his speciebus, magis quam sub aliis, debuit hoc sacramentum exhiberi. Et quia Christus sub illis speciebus esse debebat, non secundum mutationem factam in ipso, sed potius in eis; ideo ad prolationem duplicis verbi prædicti, in qua insinuatur exigentia Christi sub speciebus illis, fit conversio substantiæ utriusque in corpus et sanguinem, remanentibus solis accidentibus, tanquam signis ipsius corporis contentivis, et etiam expressivis.

Christus cur sub utraque specie est unus, totus et indivisus.

Quia vero corpus Christi beatum et gloriosum non potest dividi in partes suas, nec separari ab anima, neque a divinitate summa; ideo sub utraque specie est unus Christus, et totus, et indivisus, scilicet corpus, et anima, et Deus : ac per hoc utrobique est unum et simplicissimum sacramentum continens totum Christum. Et quoniam quælibet pars speciei significat corpus Christi; hinc est, quod totum sic est in tota specie,

(a) *Edit. Vat. et Ven.* tempore. — (b) *Al.* placida.

quod in qualibet ejus parte, sive sit integra, sive divisa : ac per hoc non est ibi ut circumscriptum, ut occupans locum, vel habens situm, ut perceptibile per aliquem sensum corporeum et humanum; sed omnem latens sensum, ut fides habeat locum et meritum. Propter quod etiam, ut non deprehendatur, accidentia illa habent omnem operationem, quam etiam habebant prius, licet sint præter subjectum, quandiu continent intra se Christi corpus : quod quidem est quandiu durant in suis proprietatibus naturalibus, et sunt idoneæ ad cibandum.

Quo modo ad Eucharistiam digne accedatur.

Postremo, quoniam capacitas nostra ad Christum efficaciter suscipiendum non est in carne, sed in spiritu; non in ventre, sed in mente; et mens Christum non attingit, nisi per cognitionem et amorem, per fidem et charitatem, ita quod fides illuminat ad recognitionem vel recordationem, et charitas inflammat ad devotionem : ideo ad hoc, quod aliquis digne accedat, oportet quod spiritualiter comedat, ut sic Christum per recordationem fidei masticet, et per devotionem amoris suscipiat : per quæ non in se transformet Christum, sed ipse potius trajiciatur in ejus mysticum corpus. Propter quod manifeste colligitur, quod qui tepide, indevote et inconsiderate accedit, *judicium sibi manducat et bibit,* quia tanto sacramento contumeliam facit. Et ideo consilium est his, qui se sentiunt minus mundos mente vel carne, vel etiam indevotos, ut differant, quousque parati ad esum veri agni, mundi, devoti et circumspecti accedant. Propter quod etiam hoc sacramentum præceptum est celebrari cum solemnitate præcipua, tam quantum ad locum, quam etiam ad tempus, et quantum ad verba et orationes, et quantum ad vestimenta in celebratione missarum, ut tam ipsi sacerdotes conficientes, quam etiam suscipientes, percipiant gratiæ donum, per quam purgentur, illuminentur, perficiantur, reficiantur, vivificentur, et in ipsum Christum per excessivum amorem ardentissime transferantur.

CAPUT X.

De integritate Pœnitentiæ.

De sacramento pœnitentiæ hoc tenendum est, quod [1] ipsa est secunda tabula post naufragium, ad quam naufragans per mortale peccatum recurrere potest, quandiu est in statu præsentis vitæ, quandocumque, et quotiescumque divinam clementiam voluerit implorare. Ipsius autem partes integrales sunt contritio in animo, confessio in verbo, et satisfactio in facto. Ex quibus tunc pœnitentia integratur, cum peccator omnem mortalem culpam perpetratam et facto deserit, et verbo accusat, et animo detestatur, proponens nunquam iterare peccatum. His autem debito modo concurrentibus, cum absolutione facta ab eo in quo est ordo, clavis et jurisdictio, absolvitur homo a peccato, et reunitur Ecclesiæ, et reconciliatur Christo, mediante clave sacerdotali : per cujus etiam judicium non tantum fieri habet absolutio, verum etiam excommunicatio, et relaxatio, quæ proprie habet fieri ab episcopo tanquam ab Ecclesiæ sponso.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est : quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, eo ipso quod *verbum*, est fons veritatis et sapientiæ; eo ipso quod *incarnatum*, fons est pietatis et indulgentiæ : ideo reparare debet genus humanum per medicamenta sacramentorum, et præcipue contra morbum præcipuum, qui scilicet est mortale peccatum, juxta quod decet pontificem pium, medicum peritum, et judicem æquum : ut sic in curatione nostra appareat Verbi incarnati summa clementia, et summa prudentia, et summa justitia.

In Pœnitentia ostenditur summa Christi clementia, prudentia et justitia.

Primum igitur, quoniam in curatione nostra a mortali culpa per pœnitentiam apparere debet ipsius Christi Pontificis piissimi summa clementia, et summa clementia Pontificis superexcedit omnia peccata humana,

[1] Hieron., epist. LXIV.

qualiacumque et quantacumque sint, et quotiescumque fuerint perpetrata : hinc est, quod peccantes suscipere ad veniam est ipsius Pontificis clementissimi, non solum semel, nec bis, sed quotiescumque suppliciter imploraverint clementiam Dei. Et quia divina clementia tunc vere et suppliciter imploratur, quando intervenit pœnitentiæ lamentum; et ad hoc potest homo se convertere, quandiu est in statu præsentis vitæ, quia convertibilis est in bonum et in malum : hinc est, quod quantumcumque, et quandocumque, et quotiescumque peccator peccaverit, ad sacramentum pœnitentiæ potest habere refugium, per quod sibi fiat remissio peccatorum.

Rursus, quia in curatione nostra debet apparere et manifestari ipsius Christi medici peritissimi summa prudentia; et prudentia medici est in adhibendo remedia contraria, per quæ non tantum morbus auferatur, verum etiam præscindatur causa; et cum peccetur in Deum delectatione, consensu, et perpetratione, scilicet in corde, ore, et opere : hinc est, quod prudentissimus medicus instituit, ut contra deordinationem peccatoris secundum triplicem vim, scilicet affectivam (*a*), interpretativam, et operativam, quæ fit per delectationis complacentiam occultam, esset reformatio pœnitentis secundum triplicem vim prædictam, per dolorem pœnitentiæ conceptum in corde per compunctionem; expressum (*b*) in ore per confessionem; consummatum (*c*) in opere per satisfactionem. Et quia omnia peccata mortalia ab uno Deo avertunt, et uni gratiæ opponuntur, et unam principalem hominis rectitudinem pervertunt; hinc est quod ad hoc quod pœnitentiæ medicamentum sit sufficienter ex suis partibus integratum, necesse est quod pœnitentia habeatur de omnibus peccatis : et quantum ad præteritum, per displicentiam de perpetratis; et quantum ad præsens, per cessationem de perpetrandis; et quantum ad futurum, per propositum nunquam recidivandi, vel in idem, vel in aliud genus peccati : ut sic totaliter recedendo a culpa per pœnitentiam, divina gratia suscipiatur, per quam obtineatur venia omnium peccatorum.

Postremo, quoniam in curatione nostra manifestari debet ipsius Christi judicis recta justitia; et ipsius in propria persona non est judicare ante judicium ultimum et finale : ideo ad particularia judicia, ante finem, judices debuit constituere. Et quia judices isti inter Deum offensum, et hominem offendentem, sunt quasi intermedii, ut proximi Christo, præpositi populo; Domino autem illi præcipue sunt proximi et familiares ratione officii, qui sunt ejus præcipue ministerio consecrati, scilicet sacerdotes : ideo omnibus in sacerdotali ordine constitutis, et solis, datur potestas duplicis clavis : scilicet clavis scientiæ, ad discernendum; et clavis quæ est potestas ligandi et solvendi, ad dijudicandum, et absolutionis beneficium impendendum.

Potestas ligandi et solvendi, quibus et quo modo collata et distributa in Ecclesia.

Quia vero, propter confusionem vitandam, non quilibet cuilibet est prælatus in Ecclesia militante, cum ipsa ecclesiastica hierarchia debeat esse secundum potestatem judiciariam ordinata; ideo hæc potestas ligandi et solvendi concessa est, primo, uni primo et summo sacerdoti, cui collata est, tanquam summo capiti, potestas universalis; et deinde, secundum particulares ecclesias, dividitur in partes, ita quod primo in episcopos, deinde in presbyteros descendit a capite uno. Ideo licet unusquisque sacerdos habeat ordinem et clavem; ad eos tamen usus clavis tantum se extendit, qui sibi ordinarie sunt subjecti, nisi sibi ab eo, qui habet jurisdictionem ordinariam, committatur. Cum vero illa jurisdictio sit principaliter in capite summo, et deinde in episcopo, et postremo in sacerdote curato; potest quidem a quolibet eorum committi alteri, sufficienter quidem ab infimo, magis a medio, et maxime a supremo. Et quia in Pontifice summo, et etiam in episcopis est hujusmodi jurisdictio non tantum ad judicandum inter Deum et

(*a*) *Ita Edit. Lug.; Edit. Ven.* effectivam.— (*b*) *Cæt. edit.* expressam. — (*c*) *Cæt. edit.* consummatam.

hominem in occulto, verum etiam ad judicandum inter hominem et hominem in aperto, tanquam in illis, quibus commissum est Ecclesiæ regimen et custodia, sicut sponso committitur sponsa: hinc est, quod gladium habent prælati, quo possunt percutere ad juris defensionem in excommunicatione, et potestatem largiendi de thesauris meritorum Ecclesiæ, quos habent repositos et commendatos tam a capite, quam a membris, et hoc in relaxatione: ut sic, tanquam veri Dei judices, ligandi et solvendi integram possideant potestatem, per quam impœnitentes feriant, et compescant rebelles, et nihilominus absolvant et reconcilient Deo et sanctæ matri Ecclesiæ veraciter pœnitentes.

CAPUT XI.

De integritate Unctionis Extremæ.

De sacramento extremæ unctionis hoc in summa tenendum est, quod ipsa est sacramentum exeuntium ex hac vita, præparans et disponens ad sanitatem perfectam. Valet etiam ad delenda venialia, et ad recuperandam sanitatem præsentem, si infirmo expediat. Ad hujus autem sacramenti integritatem requiritur oleum simplex, sed consecratum; vocalis expressio orationum; inunctio infirmi in septem partibus determinatis, scilicet in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus, et lumbis. Nec debet illud sacramentum dari, nisi adultis et postulantibus, imminente periculo mortis, et hoc per manum et ministerium sacerdotis. Ex quo colligitur, quod inter hoc sacramentum, et confirmationem, est differentia septiformis, scilicet in efficacia, in materia, in forma, in suscipiente, in dante, in loco, et in tempore.

Differentia extremæ unctionis, et confirmationis

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, nos reparat in quantum [1] *mediator Dei et hominum, homo Christus* Jesus; et in quantum Jesus, habet salvare; in quantum autem Christus, scilicet (*a*) unctus, habet unctionis gratiam in alios derivare: hinc est, quod ipsius est in sacramentis suis unctionem membris suis tribuere salutarem. Quoniam autem anima, ad hoc quod perfecte sanetur, indiget triplici genere sanitatis, scilicet ad strenuitatem actionis, ad suavitatem contemplationis, et ad felicitatem comprehensionis: et prima est intrantium in aciem Ecclesiæ; secunda est præsidentium in eadem, quorum est alios erudire; et tertia est exeuntium de eadem per mortem: hinc est, quod non solum unctionem sacramentalem instituit Dominus in confirmatione, verum etiam mediam in ordine pontificali, et extremam imminente periculo mortis.

Anima triplici genere sanitatis indiget.

Quoniam ergo finis imponit necessitatem his quæ sunt ad finem; hinc est, quod secundum exigentiam hujus finis debet hoc sacramentum operari, debet etiam integrari, suscipi et dispensari. Primum igitur, quia hujus sacramenti operatio debet regulari a fine; et finis est, quia introductum est ad salutem felicitatis perpetuæ facilius et expeditius consequendam; et hoc fit per devotionem sursum levantem, et per exonerationem a culpis venialibus, et aliis sequelis, quæ deorsum deprimunt: hinc est, quod sacramentum istud efficaciam habet, et ad devotionem excitandam, et ad venialia dimittenda, et ad peccatorum scoriam facilius abolendam. Et quia plurimis infirmis expedit adhuc vivere ad suorum cumulum meritorum; hinc est quod sacramentum istud, et animam vigorando in bono, et exonerando a malo, frequenter etiam alleviat a morbo. Et hinc est, quod dicit beatus Jacobus [2], quod *oratio fidei alvabit infirmum, et si in peccatis fuerit, dimittentur ei.*

Efficacia extremæ unctionis.

Rursus, quia hujus sacramenti institutio debet esse secundum exigentiam finis, et hæc est acquisitio spiritualis salutis per remissionem culparum, et hæc salus respicit sanitatem et munditiam conscientiæ interioris, secundum quam judicat ille judex cœ-

[1] I *Tim.*, II, 5. — [2] *Jac.*, V, 15.

(*a*) *Cæt. edit. non habent* scilicet.

Cur oleo simplici consecrato et oratione deprecativa conficiatur extrema unctio.

lestis: hinc est, quod in isto sacramento debet esse oleum simplex et consecratum, quia sanctitatem et nitorem designat in habitaculo conscientiæ. Quia vero super istam salutem mortalis homo non habet potestatem; hinc est, quod oratio et forma vocalis exprimitur per verbum deprecativum, ad impetrandum gratiæ donum. Et quoniam anima infirmitates spirituales contrahit in corpore secundum quatuor virtutes ipsius corporis regitivas, scilicet sensitivam, interpretativam, generativam, et progressivam; hinc est, quod membra his virtutibus deservientia, sunt inungenda. Quia igitur quinque sunt membra deservientia quinque sensibus, scilicet oculi visui, aures auditui, nares olfactui, manus tactui, et os gustui, et etiam alii virtuti, scilicet interpretativæ, et pedes deserviunt progressui, et lumbi generationi, quia genitalia indignum et pudendum est contrectari, et etiam nominari; hinc est, quod inunctio debet fieri in septem locis prædictis, ut sic disponatur homo per hoc sacramentum ad plenitudinem sanitatis per deletionem omnis venialis peccati.

Postremo, quia istius sacramenti susceptio a fine dependet, et finis est velocior transitus ad cœlum per depositionem omnium venialium et conversionem mentis ad Deum; ideo non debet dari nisi adultis, qui venialiter peccant; nec aliquibus nisi petentibus, qui devotione sursum eriguntur: nec aliquibus nisi in periculo constitutis, et quasi in transitu ad alium statum. Et quia hoc sacramentum est periclitantium, et tamen habet materiam sacram, scilicet oleum consecratum; hinc est, quod propter periculum evitandum communiter committi debet sacerdotibus, et propter consecrationem olei non est nisi a consecratis manibus contrectandum. Ex variatione igitur finis in confirmatione, et unctione extrema, oritur diversitas in efficacia, in materia, et in forma, in loco, et in tempore, in suscipiente, et in dispensante: in efficacia, quia illud sacramentum disponit ad melius agonizandum, hoc ad celerius evolandum; in materia, quia illud in oleo permixto balsamo, hoc vero in oleo puro; in forma, quia illud in indicativa, hoc vero in deprecativa; in loco, quia illud in fronte, hoc vero in multiplici parte; in tempore, quia illud in sanitate, hoc vero in ægritudine; in suscipiente, quia illud non solum adultis, verum etiam parvulis, hoc vero tantum adultis; in dante, quia illud ab episcopis, hoc autem a sacerdotibus quibuscumque. Et hæc omnis diversitas a fine procedit: quia, sicut claruit, diversitas in finibus proximis diversitatem introducit in his, quæ ad fines illos habent finaliter ordinari.

Quare nonnisi adultis conferendum.

Minister hujus sacramenti.

CAPUT XII.

De integritate Ordinis.

De sacramento ordinis hæc in summa tenenda sunt: quod ordo est signaculum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato. Licet autem ordo sit unum de septem sacramentis, septiformis tamen est ordinis gradus. Primus est in Ostiariis, secundus in Lectoribus, tertius in Exorcistis, quartus in Acolytis, quintus in Subdiaconis, sextus in Diaconis, septimus in Sacerdotibus. His autem quasi per modum cujusdam præparatorii supponitur clericalis tonsura, et etiam Psalmistatus; per modum autem complementi superponitur Episcopatus, Patriarchatus, et etiam Papatus; a quibus manant ordines, et dispensari debent sub debitis signis, tam ex parte visus, quam ex parte auditus, solemnitate debita nihilominus observata, quantum ad tempus, locum, officium, et personam.

Sacramenti ordinis septem gradus.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, quia, ut Deus et homo, sacramentorum medicamenta ad salutem hominum instituit ordinate, discrete et potestative secundum exigentiam suæ bonitatis, sapientiæ et virtutis; hinc est, quod ipsa medicamenta sacramentorum commisit hominibus dispen-

sanda, non qualitercumque; sed eo modo, quo exigebat ordo, discretio et potestas. Oportuit ergo aliquas personas ad hujusmodi officium exequendum distingui et segregari, quibus ordinario jure potestas hujusmodi committeretur.

Et quia hujusmodi discretio non debuit fieri, nisi per signa sacra, cujusmodi sunt sacramenta; hinc est, quod debuit esse aliquod sacramentum, quod esset sacrum signaculum, ordinativum, distinctivum et potestativum, ad sacramenta cætera dispensanda modo distinctivo, potestativo et ordinativo. Et ideo ordo diffinitur signaculum quoddam, in quo spiritualis potestas traditur ordinato: ita quod simul in ejus notificatione clauduntur tria prædicta, ex quibus colligi possunt in summa, quæ ad integritatem ordinis exiguntur. Primum igitur, quoniam ordo est signaculum distinctivum, et sequestrativum ab omni populo, ut quis totaliter divino sit cultui mancipatus; ideo ordines præcedit distinctio quædam in tonsura et corona, per quam intelligitur appetituum temporalium resecatio, et mentis elevatio ad æterna, ut totus ostendatur clericus deputatus esse ad divinum cultum: ideo dicit in susceptione coronæ [1]: *Dominus pars hæreditatis meæ*. Et quia talis debet esse instructus in divinis laudibus, quæ maxime consistunt in Psalmis; ideo Psalmistatus, tanquam præambulans cæteros ordines, antecedit, quem tamen largo modo Isidorus [2] inter ordines numeravit. Secundo vero, quia ordo est signaculum ordinativum, et in seipso etiam est ordinatum; et ordo consistit in graduum disparitate et distinctione completa, secundum quod exigit septiformis gratia, ad cujus dispensationem sacramentum ordinis principaliter ordinatur: hinc est, quod septem sunt ordines gradatim ordinati usque ad sacerdotium, in quo status est ordinum, quia ipsius est consecrare sacramentum corporis Christi, in quo est plenitudo omnium gratiarum: unde alii sex sunt tanquam subministrativi, et quasi gradus quidam, per quos ascenditur ad thronum Salomonis. Qui, et sex sunt propter numeri perfectionem, quia senarius est primus numerus perfectus; et propter hoc, quod sic exigit perfectio et sufficientia officii ministrandi. Nam oportet aliquos ministrare quasi a remotiori; aliquos, a propinquiori; et aliquos a proximo, ut nihil desit ministerio ordinato. Et quia quodlibet istorum ministeriorum geminatur secundum actum purgandi et illumandi, hinc est quod sex sunt ordines ministeriales, et septimus omnium perfectissimus, in quo altaris conficitur sacramentum, qui consummatur in ordine uno, tanquam in termino ultimo et completo.

Ordo quid.

Tonsura clericalis

Postremo, quia ordo est signaculum potestativum, non tantum respectu aliorum sacramentorum dispensandorum, verum etiam respectu sui; et potestas super potestatem est potestas excellens: ideo sibi non tantum competit potestas simplex, cujusmodi est in ordine simplici, verum etiam eminentia potestatis, cujusmodi est his, quorum est ordines ordinare et dispensare. Et quia excellentia quanto magis descendit, tanto magis dilatatur; et quanto magis ascendit, tanto magis unitur: hinc est, quod plures sunt episcopi, pauciores archiepiscopi, paucissimi patriarchæ, et unus pater patrum, qui Papa merito appellatur, tanquam unus primus et summus Pater spiritualis omnium patrum, imo omnium fidelium, et hierarcha præcipuus, sponsus unicus, caput indivisum, Pontifex summus, Christi vicarius, fons, et origo, et (*a*) regula cunctorum principatuum ecclesiasticorum: a quo tanquam a summo derivatur ordinata potestas usque ad infima Ecclesiæ membra, secundum quod exigit præcellens dignitas in ecclesiastica hierarchia.

Ordo hierarchiæ ecclesiasticæ.

Summus Pontifex et ejus primatus

Et quia hæc dignitas præcipue manet in ordine, ideo hoc sacramentum non debet dispensari, nisi cum magna discretione et

Sacramenti ordinis dispensatio

[1] *Psal.* XV, 5. — [2] Isid., *de Eccles. Offic.*

(*a*) *Cæt. edit. deest* et.

solemnitate; ac per hoc non a quolibet, nec cuilibet, nec in quolibet loco, nec quolibet tempore, sed personis litteratis, honestis, et a cunctis irregularitatibus alienis, jejuno stomacho, loco sacro, tempore missæ; et temporibus ab ecclesiastico jure statutis debent hujusmodi ordines dispensari, et hoc ab episcopis, quibus propter eminentiam reservatur dispensatio ordinum, confirmatio per impositionem manuum, consecratio monialium et abbatum, et dedicatio ecclesiarum, quæ propter sui celebritatem non debent dispensari, nisi ab his, qui habent præeminentiam potestatis.

CAPUT XIII.

De integritate Matrimonii.

Matrimonii definitio.

De sacramento matrimonii hæc in summa tenenda sunt, quod matrimonium est conjunctio legitima maris et feminæ, individuam vitæ consuetudinem retinens. Hæc autem conjunctio non solum fuit post peccatum, verum etiam ante peccatum. Sed prius institutum fuit sacramentum conjugii in officium; nunc autem non solum in officium, verum etiam in remedium contra libidinis morbum. Prius significabat conjunctionem Dei et animæ; nunc autem præter hoc significat conjunctionem Christi, Ecclesiæ, et duarum naturarum in unitate personæ. Introducitur autem hæc conjunctio in esse per liberum consensum animorum ex parte utriusque personæ, exterius expressum in aliquo signo sensibili : consummari autem habet in copula carnali. Nam per verba de futuro dicitur matrimonium initiari, per verba de præsenti ratificari, sed per carnalem copulam habet consummari. Hujus autem sacramenti [1] tria sunt bona, scilicet fides, et proles, et sacramentum; et duodecim impedimenta quæ impediunt contrahendum, et dirimunt jam contractum, quæ in his versibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen;
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Si sis affinis, si forte coire nequibis;
Hæc socianda vetant conjugia, juncta retractant.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est : quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, eo ipso quod *Verbum Dei*, est fons sapientiæ in excelsis; eo ipso quod *incarnatum*, est clementiæ fons in terris : et ideo eo ipso, quod *Verbum increatum*, est humani generis formativum ex summa sapientia; eo ipso quod *incarnatum*, est ipsius reformativum ex summa clementia : ideo enim humanum genus reparat per clementiam, quia prius reparabile fecit ex sapientia, quæ pro suo summo ordine exigebat, quod genus humanum faceret potens stare, potens labi, potens etiam reparari, sicut in præcedentibus ostensum fuit. Quoniam ergo Verbum Dei in sua sapientia hominem fecit, sicut et congruum fuit, potentem stare, cadere, et surgere; hinc est, quod genus humanum eo modo propagandum ordinavit, quod ex ipso modo propagandi haberet, quod manuduceret ipsum ad standum; haberet etiam, quod manuduceret ad remedium; sicut etiam in propagatione illa est aliquid per peccatum, scilicet libido, quod traducit morbum. Et quia status hominis erat ex conjunctione ipsius animæ ad Deum per amorem unitivum modo castissimo, singulari et individuo, remedium veniebat ex conjunctione divinæ naturæ et humanæ in unitatem hypostasis et personæ; unitatem, inquam, divina gratia introductam, ut singularem et individuam. Hinc est, quod Deus ab initio instituit, ut propagatio fieret per conjunctionem maris et feminæ individuam et singularem, quæ significaret ante peccatum conjunctionem Dei et animæ, seu Dei, et subcœlestis hierarchiæ; post peccatum vero conjunctionem Christi et humanæ naturæ, seu Christi, et Ecclesiæ : et ideo utrobique est sacramentum, scilicet ante et post, licet alio et alio modo, quantum ad significationem et usum.

Matrimonium cur ab initio institutum

[1] Aug., *de Gen. ad litt.*, lib. III, c. VII

Cum enim esset sacramentum, antequam superveniret morbus; libido, quæ supervenit per peccatum, potius habet per matrimonium excusari, quam ipsum valeat vitiare; quia non morbus medicamentum corrumpit, sed medicamentum habet curare morbum. Ex quo manifeste apparet quid sit matrimonium, et qualiter divinitus sit introductum in esse.

Rursus, quia quælibet prædictarum spiritualium unionum in sacramento matrimonii significatarum est unio unius sicut agentis et influentis, alterius sicut patientis et suscipientis, et hoc faciente amoris vinculo, qui ex mera voluntate procedit : hinc est, quod matrimonium debet esse conjunctio duplicis personæ, differentis secundum rationem agentis et patientis, scilicet virilis sexus, et muliebris, et hoc ex mero consensu voluntatis. Et quia voluntas exterius non apparet, nisi per signa ipsam exprimentia; hinc est, quod necesse est ut consensus mutuus exterius exprimatur. Quia vero consensus ut de futuro non est proprie consensus, sed ipsius promissio; consensus vero ante commixtionem non facit plenariam unionem, quia nondum sunt una caro : hinc est, quod per verba de futuro dicitur matrimonium esse initiatum ; de præsenti, ratum et confirmatum; sed in carnali copula consummatum, quia tunc sunt una caro, et unum corpus fiunt : ac per hoc plene significat unionem illam, quæ est inter nos et Christum. Tunc enim plene traducitur corpus unius in corpus alterius secundum sui comparis potestatem ad procreandam prolem. Et ideo ipsius matrimonii sunt tria bona, scilicet sacramentum, propter vinculum insolubile; fides, propter debiti solutionem; proles vero, sicut effectus consequens ad utrumque.

Consensus conjugum mutuus exterius est exprimendus.

Postremo, quia dicta conjunctio matrimonialis debet esse ex libero consensu, procedens ad copulationem personarum distantium in unam matrimonii legem, et hoc potest duodecim modis impediri; hinc est quod duodecim sunt impedimenta matrimonii : quod patet sic. Ad matrimonialem namque consensum requiritur libertas in consentiente, et idoneitas ad conjunctionem. Sed libertas in consensu tollitur per duo, secundum duas partes involuntarii, scilicet per ignorantiam, et per violentiam. Et sic sunt duo impedimenta, scilicet error, et violentia. Libertas autem in consentiente tollitur per hoc, quod quis est alligatus alteri; et hoc vel Deo, vel homini : si Deo, hoc est vel per votum expressum, vel per aliquid quod habet votum annexum : primum est in voto; secundum in ordine. Si autem homini, hoc est dupliciter : aut per ligamen existens, aut per ligamen præcedens : primum est in ligamine, quo quis ligatus est uxori; secundum est in crimine, quando mœchus, vel mœcha, machinatus est in mortem conjugis, vel, ipso vivente, fidem de contrahendo dedit. Et sic sunt quatuor impedimenta, scilicet votum, ordo, ligamen, et crimen. Idoneitas autem ad unionem est distantia personarum conveniens, quæ tollitur per nimiam proximitatem, vel per nimiam elongationem. Nimia autem proximitas venit sive per generationem, sive per aliquid simile generationi, ut est cognatio legalis, aut spiritualis; aut venit per commixtionem sexuum, aut per contractionem sponsalium. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet cognatio, affinitas, et publicæ justitiæ honestas. Nimia autem distantia aut attenditur quantum ad ea quæ sunt naturæ, ut cum non possunt commisceri carnaliter; aut quantum ad ea quæ sunt fortunæ, quæ non sunt in nostra potestate, ut patet cum est unus servus, et alter liber; aut quantum ad ea quæ sunt religionis christianæ, ut cum unus est baptizatus, alter vero minime. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet impotentia coeundi, error conditionis, et disparitas religionis. Ac per hoc sunt in universo duodecim impedimenta, quæ Spiritu sancto dictante, introducta sunt in Ecclesia Dei. Cui, scilicet

Impedimentorum matrimonii sufficientia.

Potes-

las Ecclesiæ ad moderanda matrimonii jura. Ecclesiæ, etsi omnia sacramenta sunt commissa, potissime conjugii sacramentum commissum est regulandum, propter varietates quæ circa hoc sacramentum incidere possunt, et propter morbum annexum, qui est maxime infectivus, et minime tenens modum : et ideo ipsius Ecclesiæ est gradus cognationum limitare, sicut pro tempore expedire videt, et personas legitimas, vel illegitimas judicare, et divortia facere. Sed nunquam debet nec potest matrimonium, quod legitime introductum est, annullare; quia [1] quos Deus conjunxit, non potest homo, quantumcumque sit magnæ potentiæ, separare, cum ipsius Dei judicio judicandi remaneant universi.

SEPTIMA PARS

IN QUA

DE STATU FINALIS JUDICII TRACTATUR

CAPUT PRIMUM.

De Judicio in communi.

Postquam aliqua breviter dicta sunt de trinitate (a) Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de incarnatione Verbi, de gratia Spiritus sancti, et de medicina sacramentali; restat nunc septimo, et ultimo, aliqua breviter tangere de statu finalis judicii. De quo in summa tenendum est, quod sine dubio judicium universorum futurum est, in quo Deus Pater per Dominum nostrum Jesum Christum judicabit vivos et mortuos, bonos et malos, reddendo unicuique secundum exigentiam meritorum. In hoc autem judicio fiet apertio librorum, scilicet conscientiarum, quibus merita et demerita universorum sibiipsis et cæteris innotescent, faciente hoc virtute illius libri vitæ, Verbi scilicet incarnati, qui in forma divinitatis non videbitur nisi a bonis; in forma vero humanitatis, in qua et sententiam promulgabit, videbitur tam a bonis, quam a malis, licet terribilis in eadem forma appareat reprobis, et blandus justis.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est : quia primum principium, cum, hoc ipso quod primum, sit a seipso, secundum seipsum, et propter seipsum, hoc ipso ipsum est efficiens, forma et finis, universa producens, regens et perficiens : ita quod sicut producit secundum altitudinem summæ virtutis, sic etiam regit secundum rectitudinem veritatis, et consummat secundum plenitudinem bonitatis. Quoniam ergo altitudo summæ virtutis requirebat, ut non tantum esset productio creaturæ ad vestigium, verum etiam ad imaginem; non solum creaturæ irrationalis, verum etiam rationalis; non solum creaturæ quæ movetur secundum impetum naturalem, verum etiam secundum libertatem voluntatis; et creatura quæ est ad imaginem, quia capax est Dei, est beatificabilis; creatura rationalis, disciplinabilis; creatura habens libertatem voluntatis, est secundum legem justitiæ ordinabilis et deordinabilis : hinc est, quod rectitudo veritatis legem homini imponere debuit, in qua ad beatitudinem invitaret, et ad veritatem erudiret, et ad justitiam obligaret : ita tamen quod li- Ratio futuri universalis judicii.

[1] *Matth.*, XIX, 6; *Marc.*, X, 9.

(a) *Suppl.* personarum et unitate.

bertatem voluntatis non cogeret, quin pro suæ (a) libito voluntatis justitiam relinquere posset, et sequi, cum sic res, quas condidit, administret, ut eas agere proprios motus sinat. Et quia plenitudo bonitatis in consummando operatur secundum quod exigit altitudo virtutis, et rectitudo veritatis; hinc est, quod consummatio beatitudinis non datur a bonitate summa, nisi his qui servaverunt justitiam a rectitudine veritatis impositam; qui susceperunt disciplinam, ac amaverunt illam summam et perpetuam felicitatem plus, quam bona transitoria.

Et quoniam quidam hoc agunt, quidam autem oppositum, pro suarum varietate voluntatum, quæ interius occultantur, et in statu viæ secundum suum arbitrium currunt : hinc est, quod ad manifestationem altitudinis virtutis, rectitudinis veritatis, et plenitudinis bonitatis, necesse est universale judicium sequi, in quo fiant justæ retributiones præmiorum, apertæ declarationes meritorum, et irrevocabiles lationes sententiarum : ut in justis retributionibus stipendiorum, summæ bonitatis appareat plenitudo; in apertis declarationibus meritorum, veritatis appareat rectitudo; et in irrevocabilibus lationibus sententiarum, summæ virtutis et potestatis appareat altitudo. Primum igitur quoniam justa retributio respicit culpam, cui debetur pœna, vel justitiam, cui debetur gloria; et universi filii Adæ habent hanc, vel illam; hinc est, quod necesse est judicio retributionis omnes judicari, ut boni glorificentur, et impii condemnentur. Rursus, quia aperta declaratio meritorum requirit, quod simul appareat quid agendum est, et quid actum est, vel omissum a libertate voluntatis humanæ, secundum varietatem circumstantiarum : hinc est quod et libri conscientiarum aperientur, ut appareant merita; et liber vitæ, ut appareat ipsa justitia, secundum quam approbanda, vel reprobanda sunt merita illa. Et quoniam ille liber vitæ est liber in quo scripta sunt omnia simul et lucidissime, et in conscientiis scribuntur veraciter : ideo ex concursu apertionis horum librorum fiet aperta declaratio omnium meritorum; ita quod occulta cordis cujuslibet, et sibi, et cæteris innotescant. Unde, ut vult Augustinus [1], liber ille est vis qua fiet, ut ad memoriam cujuslibet cuncta mirabiliter revocentur, ut lucide appareat æquitas divinorum judiciorum in apertissimo lumine veritatis. Postremo, quia irrevocabilis latio sententiarum debet fieri ab eo qui possit audiri et videri, et a quo non possit appellari; et videri ab universis non potest summa lux, quam tenebrosi oculi videre non possunt, pro eo quod facie ad faciem videri non potest sine deiformitate mentis et jucunditate cordis : necesse est quod judex appareat in effigie creaturæ. Quia vero pura creatura auctoritatem non habet summam, a qua appellari non possit, hinc oportet quod judex noster et Deus sit, ut judicet per auctoritatem summam, et homo sit, ut videatur, et disceptet cum peccatoribus in effigie humana. Et quia una vox disceptationis terret culpabiles, et assecurat innocentes; hinc est, quod una ejusdem effigies justos lætificabit, et e contrario impios deterrebit.

Ratio retributionis præmiorum in judicio.

Apertio librorom conscientiæ.

Latio sententiæ irrevocabilis

CAPUT II.

De antecedentibus ad judicium, cujusmodi est pœna purgatoria.

Deinde in speciali circa statum finalis judicii consideranda sunt quædam, sicut præambula; quædam, sicut concomitantia; et quædam, sicut consequentia. Præambula autem sunt duo, scilicet pœna purgatorii, et suffragia ecclesiastica. Primo igitur de pœna purgatorii hoc tenendum est, quod ignis purgatorius est ignis corporalis, quo tantum spiritus justorum, qui in hac vita non impleverunt pœnitentiam et satisfactionem condignam, affliguntur secundum plus et minus, secundum quod plus vel

Summaria doctrina de purgatorio.

[1] Aug., *de civit. Dei*, lib. XX, c. XIX. — (a) *Al.* suo.

minus de cremabili secum ex hac vita traxerunt. Affliguntur autem minus graviter, quam in inferno, et gravius, quam in hoc mundo; non tamen ita graviter, quin semper sperent et sciant se in inferno non esse, licet forte, pro pœnarum magnitudine, hoc aliquoties non advertant. Hac autem afflictione, ab igne corporali inflicta, purgantur spiritus a reatibus, et scoriis, et etiam reliquiis peccatorum; quibus sufficienter expurgatis, immediate evolant et introducuntur in gloriam Paradisi.

Ratio purgatoriæ pœnæ.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium, eo ipso quod primum, sit optimum et perfectissimum; et eo ipso quod optimum, sit summe amativum boni, et summe detestativum mali, sicut summa bonitas non patitur quod bonum maneat irremuneratum, sic etiam non debet pati quod malum remaneat impunitum. Quoniam ergo viri justi aliquando decedunt, qui in hac vita non totaliter pœnitentiam impleverunt, cum meritum vitæ æternæ in eis non possit remanere irremuneratum, et vitium culpæ non possit remanere impunitum, ne perturbetur pulchritudo ordinis universi, necesse est quod ipsi finaliter præmientur, necesse est etiam quod iidem temporaliter puniantur secundum suarum culparum exigentiam et reatum.

Culpæ gravitas.

Et quia culpa commissiva, et offensiva fuit majestatis divinæ, et damnificativa Ecclesiæ, et deformativa imaginis divinæ menti nostræ impressæ, maxime si fuit culpa mortalis, et venialis etiam disponit ad hoc; et de offensa requiritur punitio, de damno vero agenda est satisfactio, et de deformatione requirenda est expurgatio: hinc est quod necesse est, quod pœna illa sit juste punitiva, digne satisfactoria, et sufficienter expurgativa. Primum igitur, quoniam pœna ista debet esse juste punitiva, et spiritus qui, contempto bono æterno et summo, se subjecit infimo, juste debet inferiori subjici, ut ab eis suscipiat pœnam, ex quorum occasione perpetravit culpam, et ratione quorum et Deum contempsit, et seipsum vilem fecit: hinc est, quod ordo divinæ justitiæ exigit, ut spiritus ab igne materiali habeat puniri, ut sicut secundum ordinem naturæ anima unitur corpori, ut influat vitam ipsi corpori, sic uniatur igni materiali secundum ordinem justitiæ, ut punibile punienti, a quo suscipiat pœnam. Et quia viri justi qui sunt in gratia, non sunt digni nisi pœna transitoria, et tanto majori digni sunt pœna, quanto majora commiserunt peccata, et minorem egerunt pœnitentiam: hinc est, quod ab igne materiali puniuntur temporaliter, quidam tamen diutius, quidam vero brevius, quidam acerbius, quidam levius, secundum quod reatus exigit offensarum. Necesse enim est, ut dicit egregius doctor Augustinus [1], quod tantum urat dolor, quantum hæserat amor. Tanto enim difficilius quis purgatur, quanto medullis cordis ejus intimius amor inhæserat mundanorum. Amplius, quoniam pœna illa debet esse satisfactoria, et satisfactio respicit libertatem voluntatis et statum viæ, potissime cum ibi jam non sit status merendi, et pœnæ illæ minime teneant rationem voluntarii: necesse est, quod illud quod defecit ex parte libertatis in voluntate sustinente, suppleatur in acerbitate ex parte pœnæ. Quia vero gratiam habent, qui purgantur, quam quidem ultra perdere non possunt; hinc est, quod nec a tristitia penitus absorberi, nec in desperationem incidere, nec in blasphemiam possunt, nec volunt aliquatenus prosilire; ac per hoc, licet graviter puniantur, longe tamen aliter et mitius, quam in inferno: et statum etiam illum indubitanter sciunt alium esse, quam istum in quo sunt illi, qui in inferno irremediabiliter cruciantur. Postremo quia pœna illa debet esse expurgatoria, et purgatio illa spiritualis; necesse est, vel quod ignis ille spiritualem habeat virtutem divinitus sibi datam, vel, ut magis credo, ipsa

Quo modo ab igne materiali in purgatorio spiritus patiantur.

[1] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXI, c. XXVI.

virtus gratiæ interius habitantis adjuta a pœna extrinseca, ipsam animam jam pro offensis punitam, et a reatuum onere alleviatam purget purgatione sufficienti, ut jam nulla remaneat dissimilitudo ad gloriam. Et quoniam tales spiritus dispositi sunt in summo ad deiformitatem gloriæ suscipiendam in se, cum janua sit aperta, et purgatio consummata, necesse est illos spiritus evolare, in quibus charitatis ignis sursum levans, et nihil retardans ex parte impuritatis animæ, vel reatus. Nec enim decet divinam misericordiam, seu justitiam, ut amplius differat gloriam, cum inveniat receptaculum idoneum, et magna sit pœna in dilatione præmiorum, nec amplius puniri debeat spiritus jam purgatus.

Animæ purgalæ statim evolant ad gloriam.

CAPUT III.

De antecedentibus ad judicium, cujusmodi sunt suffragia ecclesiastica.

De suffragiis autem ecclesiasticis hoc tenendum est, quod suffragia Ecclesiæ prosunt mortuis; suffragia dico, quæ pro mortuis Ecclesia facit, sicut sunt sacrificia, jejunia, eleemosynæ, et aliæ orationes, et pœnæ voluntarie assumptæ pro eorum culpis celerius et facilius expiandis. Prosunt autem mortuis non quibuscumque, sed mediocriter bonis, utpote illis, qui sunt in purgatorio; non valde malis, scilicet illis qui sunt in inferno; nec valde bonis, scilicet his qui sunt in cœlo: quin potius e converso eorum merita et orationes suffragantur Ecclesiæ militanti, cujus membris multa beneficia impetrant beati. Prosunt autem secundum magis et minus, vel pro diversitate meritorum in mortuis, vel pro charitate vivorum, quæ magis sollicitatur pro aliquibus, quam pro aliis; et hoc, vel ad pœnarum mitigationem, vel celeriorem liberationem, secundum quod supernæ providentiæ dispensatio melius eis viderit expedire.

Ratio suffragiorum

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quoniam primum principium, cum sit optimum, ac per hoc summæ severitatis contra malum, debet pariter summæ suavitatis esse ad bonum: et ideo cum, ratione severitatis justitiæ, justi in quibus est reatus culpæ debeant post hanc vitam in purgatorio tormentari; debent etiam, ratione suavitatis misericordiæ, relevari, et habere auxilium et munimen; maxime quia in miseria sunt constituti, et suis operibus et meritis non possunt amplius se juvare: disponere igitur debuit regimen divinæ providentiæ suffragia eis conferri ab eis, qui possunt, salva tamen rectitudine justitiæ, a qua nec debet nec potest dulcedo misericordiæ dissentire, nec aliquatenus separari. Quoniam igitur rectitudo justitiæ exigit conservationem honoris divini, regiminis universi, et qualitatis meriti humani; ideo superni et primi principii providentia summa disposuit, hæc suffragia valere defunctis secundum dulcedinem misericordiæ, et rectitudiuem justitiæ, servantis honoris divini dignitatem, universi regimen, et humani meriti qualitatem.

Pro mortuis.

Primo igitur, quoniam in hujusmodi suffragiis servari debet justitia, quæ divini præcipue est conservativa honoris; et honor divinus nihilominus exigit opera satisfactoria et pœnalia sibi persolvi pro culpis: hinc est, quod per illa opera habent suffragia fieri, per quæ potissime fit satisfactio, et honor recompensatur Deo. Quoniam igitur hujusmodi sunt tres partes satisfactionis, jejunium, oratio, et eleemosyna, et altaris sacrificium, in quo maxime redditur honor debitus propter placentiam illius, qui in sacrificio illo offertur; hinc est quod suffragia Ecclesiæ consistunt in hujusmodi operibus satisfactoriis, et maxime in Missis celebrandis, secundum quod Gregorius in Dialogis insinuat [1] aliquos, propter Missarum beneficia, de pœnis magnis celerrime liberatos. Et per hoc pompā exequiarum, et accuratio funeris, et hujusmodi non debent inter suffragia Ecclesiæ computari: propter quod et

Satisfactionis partes.

[1] Greg., *Dialog.*, lib. IV, c. LV.

sanctus Augustinus dicit[1], quod curatio funeris, conditio sepulturæ, et pompa exequiarum, magis sunt solatia vivorum, quam subsidia mortuorum.

Amplius, quia debet ibi servari justitia conservativa ordinis et regiminis universi, et hæc exigit ut in communicatione influentiarum salvetur ordo, et symbolum inter ea, in quibus et in quæ influentiæ illæ manant; ac per hoc inferius non debeat influere in illud quod est supra, neque in id quod est per omnimodam distantiam elongatum : hinc est quod suffragia Ecclesiæ non possunt valere his qui sunt in inferno, quia sunt a corpore Christi mystico penitus separati : unde nulla spiritualis influentia capitis ad eos pervenit, nec eis prodest, sicut nec influentia capitis prodest membris a corpore amputatis. Hinc est etiam, quod non prosunt beatis, quia sunt omnino superiores secundum statum, et jam in termino existentes non possunt ad altiora conscendere, sed magis e converso ipsi prosunt nobis, et eorum orationes, nam et hoc meruerunt in carne : ideo disposuit ordo divinus, ut etiam ipsis sanctis Dei orationes offerantur, ut et ipsi suffragentur nobis ad divina beneficia impetranda. Non prosunt ergo eis ecclesiastica suffragia, sed magis nobis prosunt sua. Restat igitur quod prosunt solis justis, qui sunt in pœnis purgatorii. Nam ibi ratione pœnæ, et impotentiæ se juvandi, sunt vivis inferiores ; ratione vero justitiæ, cæteris membris Ecclesiæ sunt conjuncti : ita ut merito eis Ecclesiæ sanctæ merita possint propter symbolum et ordinem suffragari.

Suffragia Ecclesiæ quibus non prosint.

Postremo, quoniam debet in his servari justitia, quæ pensat exigentiam meritorum; hinc est, quod suffragia illa, quæ communiter fiunt pro defunctis, licet omnibus bonis valeant pro modulo suo, his tamen amplius valent, qui magis meruerunt ut sibi valerent et prodessent, dum erant in statu viæ. Illa vero, quæ specialiter fiunt pro aliquibus, quia intentio facientis est recta, et secundum Deum procedit, et ecclesiastica institutio absque dubio non est cassa : ideo plus valent illis, pro quibus determinate fiunt, licet etiam aliis aliquo modo communicentur. Nec tamen possunt ita aliis subvenire, sicut illi principali personæ, pro eo quod licet sint spiritualia, tamen divina justitia pro majori culpa majorem exigit emendam, et pro pluribus culpis plures emendas. Unde exemplum de lumine, quod æqualiter illuminat ad unam mensam sedentes, non placet; quia hujusmodi suffragia potius assimilari habent pretiis redemptivis, quam hujusmodi influentiis diffusivis. Quantum autem cuilibet determinate valeant, ille certitudinaliter diffinire habet, cujus est in reatibus, et pœnis, et suffragiis attendere pondus, numerum et mensuram.

Ecclesiæ suffragia quibus magis prosint.

[1] Aug., *de Cura pro mort. agend.*, c. II. — [2] I *Cor.*, VII, 31.

CAPUT IV.

De concomitantibus judicium, sicut est conflagratio ignium.

Deinde aliquid dicendum est de concomitantibus judicium, quæ sunt duo, scilicet conflagratio ignium mundanorum, et resurrectio corporum. De conflagratione igitur hoc tenendum est, quod ignis præcedet faciem judicis, quo terræ facies exuretur, ita quod figura hujus mundi mundanorum ignium (a) conflagratione peribit, sicut factum est aquarum inundatione tempore diluvii. Dicitur autem [2] *transire figura hujus mundi*, non quantum ad destructionem totalem hujus mundi sensibilis, sed quia per actionem illius ignis omnia elementaria inflammantis, consumentur vegetabilia, et animalia purgabuntur, et innovabuntur elementa, maxime aer et terra; purgabuntur justi, et adurentur reprobi : quibus factis cessabit etiam motus cœli, ut sic completo numero electorum, fiat quodam modo innovatio et præmiatio corporum mundanorum.

Ratio autem ad intelligentiam prædic-

(a) *Cæt. ed t. add.* et.

torum, hæc est: quia principium rerum universale, cum sit sapientissimum, etsi in omnibus, quæ agit, attendit ordinem sapientiæ, potissime tamen in his debet attendere quæ spectant ad consummationem: ut sic non discordet primum a medio, nec medium a postremo; sed in cunctis congruentissime ordinatis appareat illius primi principii sapientia ordinans, et bonitas, et altitudo. Quoniam ergo Deus secundum sapientiam suam ordinatissimam cunctum mundum istum sensibilem et majorem fecit propter mundum minorem, scilicet hominem, qui inter Deum, et res istas inferiores, in medio collocatus est: hinc est, quod ut omnia sibi invicem congruant, et habitatio cum habitatore habeat harmoniam, homine bene instituto, debuit mundus iste in bono et quieto statu institui; homine labente, debuit etiam mundus iste deteriorari; homine perturbato, debuit perturbari; homine expurgato, debuit expurgari; homine innovato, debuit innovari; et homine consummato, debuit quietari.

Commotio totius creaturæ fine mundi.

Primo ergo, quoniam mundus ille perturbari debet, homine perturbato, sicut stetit cum stante, et quodammodo cecidit cum labente; et in futuro judicio, propter severitatem judicis ostendendam, necesse est omnium corda terreri, et peccatorum maxime, qui universorum Dominum contempserunt: ut sic omnis creatura divinum accipiat zelum, et conformetur auctori, conformetur etiam habitatori, necesse est totius orbis cardines horribilissime commoveri. Et quia nihil intensius, et velocius, et horribilius in agendo commovet alia elementa, quam ignis hinc inde ex omni parte concurrens; hinc est, quod necesse est, quod ipsius judicis faciem ignis præcedat, non ex una parte tantum, sed ex omni parte mundi, ut sit ibi concursus ignis elementaris, et terrestris; ignis purgatorii, et etiam infernalis: ut per infernalem, reprobi adurantur; per purgatorium, justi purgentur; per terrestrem, hæc terræ nascentia consumantur; per elementarem, elementa subtilientur, et ad innovationis faciem disponantur, et simul cum hoc cætera conturbentur, ut non solum homines, et dæmones, verum etiam angeli videntes terreantur.

Rursus, quoniam mundus iste purgari debet cum homine expurgato, et homo in statu finalis temporis indiget purgari a scoria avaritiæ et malitiæ, sicut in primo tempore a fæce luxuriæ; indiget etiam purgari et velociter, et intime, et perfecte: hinc est, quod sicut mundus prius deletus est, et quodam modo purgatus, per elementum aquæ, quod est frigidum, contra ardorem et fœtorem luxuriæ; sic finalis mundus per ignem, propter refrigerium charitatis et frigus malitiæ et avaritiæ, quæ regnabunt in fine quasi in ipsius mundi senectute. Quæ quia maximæ sunt adhærentiæ, necesse est quod purgans sit actionis intimæ, violentæ et acceleratæ: quod non contingit reperiri in elemento alio, quam in igne. Et ideo sicut factum est aquarum inundatione diluvium, sic per actionem ignis mundi sensibilis facies exuretur.

Avaritia et malitia in senectute mundi.

Amplius, quoniam mundus ille innovari debet cum homine innovato, nec innovari potest aliquid in novam formam, nisi perdat vetustam, et quodam modo disponatur dispositione nova superinducta: hinc est, quod cum ignis maxime habeat virtutem expulsivam formæ extraneæ, habeat etiam vim subtilitativam, et cœlesti naturæ cognatam: ideo per ipsum debet fieri purgatio simul et innovatio, ita quod, cum geminam habeat efficaciam, quantum ad aliquam, judicis adventum præcedet (*a*), quantum autem ad reliquam, habet sequi. Et cum innovatio sit ad novitatem, quæ amplius non redit ad vetustatem; ac per hoc ad novitatem incorruptibilem, quam dare non est in potentia alicujus creaturæ: hinc est, quod licet in illa purgatione et innovatione, ignis aliquid agat per naturalem virtutem, ut inflammare, purgare, rarefacere, et subtiliare;

Mundi innovatio.

(*a*) *Cæt. edit.* præcedit.

tamen necesse est, quod cum illa virtute naturali sit virtus operans supra naturam, cujus imperio fiet conflagrationis initium, et cujus etiam virtute fiet nihilominus complementum.

Completo numero electorum omnia terminantur.

Postremo, quoniam mundus ille debet consummari, homine consummato; et tunc est homo consummatus, quando in gloria completus erit numerus electorum, ad quem quidem statum omnia tendunt, sicut ad finem ultimum et completum : necesse est, facta completione illius numeri, terminari et quietari motus naturæ cœlestis; necesse est etiam terminari transmutationes elementares; necesse est etiam per consequens terminari generationem, quæ est in animalibus et in plantis. Cum enim omnia ista ordinentur ad formam nobilissimam, quæ quidem est anima rationalis, posito statu in animabus (a), necesse est et statum, et complementum poni in cæteris præcedentibus. Et ideo corpora cœlestia, habita quiete et luminis plenitudine, dicuntur remunerari; elementa vero, quæ amplius non habent vim multiplicandi per transmutationem mutuam, dicuntur interire, non quantum ad substantiam, sed quantum ad actionem et passionem mutuam, et hoc maxime, quantum ad qualitates activas. Vegetabilia vero et sensibilia, quia non habent potestatem et vitam perpetuam, et durationem sempiternam, qualis competit statui illius nobilitatis, necesse est in propria natura consumi, ita tamen quod salventur in principiis, et quodam modo in simili, videlicet in homine, qui similitudinem habet cum omni genere creaturæ: et ideo in ipsius innovatione et glorificatione possunt dici omnia innovari, et quodammodo præmiari.

CAPUT V.

De concomitantibus judicium, sicut est resurrectio corporum.

Universalis resurrectionis qualitas et ratio.

De resurrectione autem corporum hoc tenendum est, quod omnium corpora hominum in generali resurrectione resurgent, nulla in eis existente distantia quantum ad ordinationem temporis, sed magis quantum ad ordinationem dignitatis. Nam mali resurgent cum suis deformitatibus, et pœnalitatibus, miseriis, et defectibus, quos habuerant in statu viæ. In bonis autem natura servabitur, et vitia detrahentur, et omnes resurgent integro corpore, et plena ætate, et debita mensura membrorum, ut sic omnes sancti [1] *occurrant in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Surgent autem tam in bonis quam in malis corpora eadem numero, quæ prius, et ex eisdem partibus constituta, salva totius veritate naturæ, non solum quantum ad membra principalia, et humiditatem radicalem, verum etiam salvis capillis et cæteris membris, quæ faciunt ad decentiam corporis, ita quod in quascumque auras vel sinus naturæ pulvis humani corporis cedat, ad eam animam redibit, quæ ipsum primitus, ut viveret et cresceret, animavit.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est : quia primum principium, eo ipso quod primum et summum, est universalissimum, et sufficientissimum, ac per hoc principium est naturarum, gratiarum, et præmiorum; principium etiam potentissimum, clementissimum, et justissimum : et licet secundum quamdam appropriationem sit potentissimum in constitutione naturarum, et clementissimum in collatione gratiarum, et justissimum in retributione stipendiorum; tamen sigillatim singula sunt in singulis, quia summa potentia, clementia et justitia nullatenus possunt ab invicem separari : et ideo in opere retributionis necesse est, quod ipsa fiat secundum quod exigit rectitudo justitiæ, et reformatio gratiæ, et completio naturæ. Quoniam ergo justitia necessario requirit, ut homo qui meruit, vel demeruit, non in anima solum, nec in corpore solum, sed in anima simul et

[1] *Ephes.*, IV, 13.
(a) *Cæt. edit.* animalibus.

corpore puniatur, vel præmietur in utroque; reformatio autem gratiæ requirit, ut totum corpus assimiletur Christo capiti, cujus corpus mortuum necessarium fuit resurgere, cum unitum esset inseparabiliter deitati; completio vero naturæ requirit, ut homo constet simul ex corpore et anima, tanquam ex materia et forma, quæ mutuum habent appetitum, et inclinationem mutuam: necesse est, resurrectionem esse futuram, exigente hanc (*a*) constitutione naturæ, infusione gratiæ, et retributione justitiæ, secundum quas tota universitas habet regi. Et ideo, ex his tribus, omnia clamant hominem suscitandum, ut omnis tollatur excusatio illis, qui contra hanc veritatem fidei obsurdescunt, et merito contra tales [1] *universus pugnet orbis terrarum.*

Ratio justitiæ Dei in resurrectione.

Primo igitur, quoniam resurrectio debet esse secundum exigentiam ordinis divinæ justitiæ, et divina justitia reddit unicuique quod suum est pro loco et tempore, et omnis anima corpori semel et ad punctum temporis unita, vel habet in eo culpam, vel gratiam : necesse est quod omnes resurgant. Et quia distinctus debet esse status retributionis a statu viæ, et resurrectio spectat ad statum retributionis : ut non confundatur ordo universi, et ut fides habeat meritum, quæ credit quod non videt, et ut certius et clarius appareat æquitas divinæ justitiæ, et ut simul fiat consummatio et retributio finalis in angelis et hominibus; requirit hoc divina justitia, ut omnes resurgant simul, quantum est de lege communi. Quod dico propter Christum, et ejus beatissimam Matrem gloriosam virginem Mariam. Quia vero malis debetur pœna et miseria, et bonis gloria : ideo, etsi simul resurgant in tempore, valde tamen dissimiles erunt in conditione. Nam quia malis resurrectio non est ad vitam, sed ad supplicium, necesse est quod ipsi cum infirmitatibus, et deformitatibus, et defectibus suscitentur.

Ratio resurrectionis ex consummatione gratiæ.

Rursus, quia resurrectio debet esse secundum exigentiam consummationis gratiæ, et perfecta gratia facit nos conformes Christo capiti nostro, in quo nullus fuit defectus membrorum, sed perfecta ætas, et statura debita, et effigies formosa; opportunum est, quod boni suscitentur in optimis conditionibus, ac per hoc necesse est, quod in eis vitia detrahantur, et natura servetur. Opportunum etiam est, ut si aliquod membrum deerat, suppleatur; si aliqua erat superfluitas, auferatur; si aliqua membrorum deordinatio, corrigatur; si parvulus erat, ad quantitatem ætatis Christi, quam habebat in resurrectione, licet non in mole, divina virtute deducatur; si decrepitus, ad eamdem ætatem reducatur; si gigas, si nanus, ad mensuram congruam limitetur : ut sic omnes integri et perfecti [2] *occurrant in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Ratio ex conditione naturæ.

Postremo, quia resurrectio debet esse secundum exigentiam perfectionis naturæ, et natura spiritus rationalis exigit quod vivificet corpus proprium, quia proprius actus in propria materia habet fieri : necesse est, quod idem corpus numero resurgat, et alioquin non esset resurrectio vera. Requirit etiam natura animæ rationalis et immortalis, quod sicut habet esse perpetuum, sic corpus habeat cui perpetuo influat vitam : ac per hoc, corpus quod animæ unitur, ex ipsa unione ordinationem habet ad incorruptionem perpetuam : ita tamen quod illud in quo consistit substantia totius corporis, sicut sunt membra principalia, et etiam humiditas radicalis, et caro secundum speciem, habeat ordinationem necessariam; alia vero, scilicet caro secundum materiam, et partes quæ sunt de bene esse corporis, habeant ordinationem de congruo : et ideo primæ partes sunt ordinatæ ad resurrectionem secundum ordinem necessitatis; aliæ vero omnes secundum ordinem congruitatis. Quem quidem ordinem quia Deus impressit naturæ, et natura non potest perficere,

(*a*) *Cæt. edit.* hac.

[1] *Sap.*, v, 21. — [2] *Ephes.*, iv, 13.

quia non potest mortuum suscitare, et ipsa divina Providentia nihil debuit facere frustra; necesse est, quod ipsius virtute reparetur corpus idem numero, et immortale, et ex omnibus partibus constitutum, et salva tota veritate humanæ naturæ. Cum autem hæc natura non habeat in potestate, sed solum in appetitu, quia nec idem corpus numero destructum reparare potest, cum non possit in totam rei substantiam; nec corpus immortale possit efficere, cum omne per naturam generabile sit corruptibile; nec dispersa colligere potest : necesse est, quod resurrectio non seminalibus, nec naturalibus causis, sed primordialibus attribuatur, ut fiat secundum cursum mirabilem et supernaturalem, et secundum divinæ imperium voluntatis.

CAPUT VI.

De consequentibus ad judicium, scilicet de igne infernali.

De pœna infernali sommatim.

Consequenter de consequentibus ad judicium est dicendum; quæ sunt duo, scilicet pœna infernalis, et gloria cœlestis. De pœna igitur infernali hoc tenendum est, quod pœna infernalis est in loco corporali deorsum, in quo æternaliter affligentur omnes reprobi, tam homines, quam spiritus mali. Affligentur autem eodem igne corporali, qui concremabit et affliget spiritus, et etiam corpora : nec tamen corpora illa consumet; sed semper affliget alios plus, alios minus, secundum exigentiam meritorum. Hujusmodi autem afflictioni ignis conjuncta erit afflictio secundum omnes sensus; conjuncta erit pœna vermis, et carentia visionis Dei; ita quod in his pœnis erit varietas, et cum varietate acerbitas, et cum acerbitate interminabilitas, ut ad reproborum supplicium [2], *tormentorum fumus ascendat in sæcula sæculorum.*

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est : quia cum primum principium summum sit, quidquid habet, habet in summo : ideo necesse est ipsum esse rectissimum. Cum ergo in retribuendo agat secundum rectitudinem; sicut contra se facere non potest, nec se negare, nec suam justitiam impugnare, sic necessario, sua rectitudine exigente, oportet quod peccatum puniatur secundum quantitatem culpæ, in his maxime, qui legem misericordiæ contemnentes, per impœnitentiam impegerunt in severitatem justitiæ. Quoniam ergo severitatis justitiæ est considerare culpam non solum quantum ad radicem, verum etiam quantum ad circumstantias aggravantes; congruissimum est, ut judex justus pœnas debitas ab impiis exigat usque ad ultimum quadrantem, et sic non remaneat dedecus peccati sine decore justitiæ; et sicut manifesta est potestas in creando, et sapientia in gubernando, et clementia in reparando, sic manifestetur summa justitia in puniendo. Quoniam ergo divina justitia peccatorem impium debet punire secundum exigentiam culpæ, et culpa mortalis, ad quam succedit finalis impœnitentia, ipsa habet rationem deordinationis perpetuæ, deordinationis libidinosæ, deordinationis multimodæ; necesse est, quod ipsa puniatur pœnarum æternitate, acerbitate, et multiformitate. Divinæ justitiæ severitas

Deordinationis perpetuæ pœnæ.

Primo igitur deordinationis perpetuæ pœna debet esse perpetua, quia peccatum, quod quis committit, et de quo nunquam pœnitet, perpetuo in animo durat, et a vita perpetua, scilicet Deo, separat, et a voluntate procedit, quæ in peccato vellet perpetuo delectari. Et licet delectatio illa transiens sit momentanea, quia tamen deordinatio tenet rationem perpetuitatis, pœna deordinationi respondens debet habere carentiam finis : ut sicut homo in suo perpetuo finem non apposuit a peccato recedendo, sic Deus in suo perpetuo non desistat a puniendo : et sicut homo contra infinitum peccavit, sic pœnam habeat infinitam : et quia non potest habere pœnam infinitam intensive, habeat saltem duratione : et sicut voluntas ejus post mor-

[1] *Apoc.*, XIV, 11.

tem semper malo adhæret sine susceptione pœnitentiæ, sic Deus semper affligat sine immutatione sententiæ, requirente hoc perpetuitate deordinationis in impiis damnatis.

Libidinosæ deordinationis pœna.

Rursus, quoniam deordinationis libidinosæ pœna debet esse afflictiva, quia delectatio punitur per tristitiam contrariam, et spiritus rationalis in peccando convertit se ad bonum proprium, et ut nunc, et partiale libidinose amandum, et ex hoc contemnit divinum imperium et dominium : hinc est, quod ad hoc, quod illa delectatio improba perfecte puniatur, in qua simul est delectatio cum contemptu, necesse est quod ad punitionem illius contemptus et delectationis, peccator, sive sit homo, sive spiritus, præcipitetur in locum infimum, et maxime a statu gloriæ longinquum, hoc est in profundissimum infernum. Necesse est etiam, quod ibi exponatur affligendus infimæ naturæ, ac per hoc non a substantia spirituali patiatur, sed a corporali, et infima, hoc est a fæcibus corporum mundanorum, ut in fæcibus defigatur, et igne, et sulphure concremetur. Et quoniam spiritus, qui per naturam præponitur corpori, et in corpus habet influere, et ipsum movere, dignitatem naturæ per culpam pervertit, et se subjicit quodam modo vilitati et nihilitati peccati; hinc est, quod secundum ordinem justitiæ debet ordinari, ut tam peccator spiritus, quam homo, igni corporeo alligetur, non ut in illum influat vitam, sed ut divino decreto suscipiat pœnam. Cum enim rei, quam horret per timorem divinitus immissum, et quam sentit per vim naturalis sensus, sit inseparabiliter alligatus, necesse est quod acriter tormentetur. Et quia ille ignis non agit nisi per dispositionem peccati, et reatus, et maculæ, ex improbitate libidinis procedentis; et hæc non est æqualiter in omnibus : hinc est, quod ab eodem igne alii cremantur plus, alii vero minus, sicut ab eodem igne aliter uritur palea, et aliter comburitur lignum. Quoniam autem illa peccati distinctio, et reatus, secundum quam actio ignis moderatur, est in eodem uniformis, et nunquam crescit, nec decrescit, nec mutatur; hinc est, quod divino imperio ordinante, ignis ille sic agit, quod semper urit, et non consumit; semper affligit, et non interimit: quia non agit ad suæ formæ multiplicationem, sed ad pacis animæ in corpore perturbationem, sive ipsius spiritus in seipso. Unde non fit nova ademptio, sed ademptæ pacis continuatio : ut sic in eadem pœna, nec acerbitas æternitatem, nec æternitas tollat acerbitatem.

Deordinationis multimodæ pœna.

Postremo, quoniam deordinationis multimodæ pœna debet esse multimoda; et in omni peccato actuali mortali est deordinata aversio a summa luce et bonitate, et inordinata conversio ad bonum commutabile, et deordinatio voluntatis contra dictamen rationis rectæ : hinc est, quod omnes actualiter peccantes, qui erunt damnati, punientur pœna triplici : propter aversionem, carentia visionis Dei; propter conversionem, pœna incendii materialis; propter pugnam voluntatis et rationis, pœna vermis : ut sic ex hac multiplicitate pœnarum afflicti, et varie, et acerbe, et æternaliter crucientur, et [1] *tormentorum fumus ascendat in sæcula sæculorum*. Amen.

CAPUT VII.

De consequentibus ad judicium, scilicet gloria paradisi.

Præmium beatorum triplex.

De gloria autem cœlesti hoc in summa tenendum est, quod in ipsa est præmium substantiale, consubstantiale, et accidentale. Præmium, inquam, substantiale consistit in visione, fruitione, et tentione unius summi boni, scilicet Dei : quem beati videbunt facie ad faciem, hoc est nude et sine velamine; fruentur avide et delectabiliter; quem etiam tenebunt sempiternaliter : ut sic verificetur illud Bernardi [2], quod Deus futurus est rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, et memoriæ continuatio æterni-

[1] *Apoc.*, XIV, 11. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. XI, post med.

tatis. Præmium vero consubstantiale consistit in gloria corporis, quæ secunda stola dicitur : qua resumpta, perfectius anima beata tendit in summum cœlum. Et hæc stola consistit in quadruplici dote corporis, scilicet in dote claritatis, subtilitatis, agilitatis, et impassibilitatis : quæ erunt secundum plus et minus in diversis, secundum majoritatem et minoritatem prius habitæ charitatis. Præmium autem accidentale consistit in quodam decore speciali superadjecto, qui quidem aureola nuncupatur, et secundum Doctorum sententiam, debetur triplici generi operum, scilicet martyrio, prædicationi, et continentiæ virginali. Et in omnibus prædictis servabitur gradus et distinctio, secundum exigentiam meritorum.

Dotes corporis quatuor.

Aureola.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est : quia primum principium, hoc ipso quod primum, habet summam unitatem, veritatem, et bonitatem ; et hoc ipso in eo etiam est ponere summam potentiam, sapientiam, clementiam, et justitiam. Quoniam autem hæc invisibilia Dei manifestari decet per opera ; ideo Deus mundum istum sensibilem principians, sic produxit, sic gubernat, sic reparat, sic remunerat et consummat, quod in productione manifestetur summa potentia ; in gubernatione, summa sapientia ; in reparatione, summa clementia ; et in remuneratione, justitia consummata. Ut ergo manifestaretur potentia ad suiipsius laudem, et gloriam, et honorem, omnia produxit de nihilo, faciens aliquid prope nihil, scilicet materiam corporalem ; et aliquid prope se, scilicet substantiam spiritualem ; et simul hæc jungens in uno homine, in unitate naturæ et personæ, scilicet rationalem animam et materiam corporalem. Ut manifestaretur sapientia, ipse quidem providentissime omnia gubernat et ordinate. Nam ipse supremum hominis regit per seipsum, mentem scilicet quam illustrat; et infimum, scilicet corpus, per liberum arbitrium voluntatis, ut sic corpus et corporalia quoad regimen subjaceant spiritui, spiritus vero Deo. Ut manifestaretur clementia, lapsum hominem reparavit assumendo hominis naturam, suscipiendo pœnalitates, et tandem perferendo pœnam : ut sic summa misericordia misero misericordem faceret esse conformem ad revelationem miseriæ, non solum in dignitate naturæ conditæ, verum etiam in defectibus naturæ in miseria constitutæ. Ut tandem manifestetur justitia, retribuet unicuique secundum exigentiam meritorum, non solum malis pœnam, verum etiam justis gloriam sempiternam. Sic enim exigit retributio æqua, et reparatio gratuita, et gubernatio ordinata, et productio virtuosa. Nam omnium horum consummatio est in fine.

Beatitudinis nostræ ratio.

Primum igitur, quoniam omnium justorum præmiatio fieri debet secundum quod exigit retributio justa, et etiam productio virtuosa ; et productio Dei fecit rationalem spiritum prope Deum, capacem Dei, capacem scilicet secundum vim inditæ imaginis ipsius beatissimæ Trinitatis, cui in justis totus hominis spiritus secundum integritatem imaginis deservivit : hinc est, quod a nullo minus Deo potest rationalis spiritus præmiari, nec impleri, nec ejus capacitas terminari : ideo in præmium datur ei deiformitas gloriæ, per quam Deo effectus conformis, et ratione ipsum videat clare, et voluntate diligat plene, et memoria retineat in æternum : ut sic anima tota vivat, tota dotetur in tribus animæ viribus, tota Deo configuretur, tota in illo requiescat : in ipso, sicut in omni bono, inveniens pacem, lucem et sufficientiam sempiternam, per [1] quam in statu omnium bonorum congregatione perfecto constituta, et æterna vita vivens, dicatur beata, et etiam gloriosa.

Ratio præmii justorum quoad corpus et animam.

Rursus, quoniam retributio illa debet fieri secundum quod exigit non solum retributio justa, et productio virtuosa, verum etiam gubernatio ordinata, et Deus in productione corpus animæ alligavit, et naturali et mutuo

[1] Boet., *de Consol. philos.*, lib. III, pros. 2, circa princ.

appetitu invicem copulavit; ad gubernationem vero subjecit, et in statu meriti fecit, ut spiritus condescenderet et intenderet corpori gubernando, propter exercitium in merendo; nec naturalis appetitus patitur, quod anima sit plene beata, nisi restituatur ei corpus, ad quod resumendum habet inclinationem naturaliter insertam; nec regiminis ordo sustinet, quod restituatur corpus spiritui beato, nisi per omnia illi conforme et subjectum, quantum potest corpus spiritui conformari: quoniam ergo spiritus est visione lucis æternæ clarificatus; ideo debet in ejus corpore claritas lucis permaxime resultare. Quia vero dilectione illius summi spiritus est summe spiritualis effectus; ideo in corpore habere debet correspondentem subtilitatem et spiritualitatem. Quia tentione æternitatis factus est omnino impassibilis; ideo in corpore ejus debet esse impassibilitas omnimoda, tam intra, quam extra. Quia vero ex his omnibus spiritus promptissimus est ad tendendum in Deum; ideo in corpore glorioso debet summa agilitas reperiri. Quoniam igitur per has quatuor proprietates fit corpus spiritui conforme, et etiam subjectum; hine est, quod in his quatuor præcipue dotari dicitur, ratione quorum idoneitatem habet sequi spiritum, et locari in regione cœlesti, quæ est regio beatorum. In istis enim proprietatibus, cœlestibus corporibus assimilatur, per quas quasi gradatim distat corpus cœleste a quatuor elementis; et sic dos corporum quadruplicata et corpus in se perfectum reddit, et conforme habitationi cœlesti, et spiritui beato, per quem a summo capite Deo usque in oram vestimenti, scilicet corporis, plenitudo dulcedinis et beatitudinis ebrietas redundat, et quantum est possibile, derivatur.

Postremo, quoniam illa præmiatio debet fieri secundum quod exigit retributio justa, et productio virtuosa, et gubernatio ordinata, et etiam reparatio gloriosa; et in diversis Christi membris diversa sunt charismata gratiarum non solum quantum ad interiora dona, verum etiam quantum ad exercitia exteriora; non solum quoad habitus, verum etiam quoad status; non solum quoad perfectionem charitatis in mente, verum etiam quoad perfectionis decorem et pulchritudinem in opere corporali: hinc est, quod aliquibus membris non solum stola animæ cum tribus ejus dotibus, et stola corporis cum quatuor, verum etiam excellentia quædam decoris et gaudii debetur, propter excellentiam perfectionis et decoris habiti in corpore virtuoso. Quoniam igitur triplex est genus operis præcellentis, perfectum, et pulchrum, et spirituali forma formosum, secundum triplicem vim animæ: secundum rationalem, prædicatio veritatis perducens alios ad salutem; secundum concupiscibilem, perfecta declinatio concupiscentiarum, per integritatem perpetuam continentiæ virginalis; secundum irascibilem, perpessio mortis ad honorem Christi: hinc est, quod his tribus generibus justorum, scilicet prædicatoribus, virginibus et martyribus debetur illa excellentia præmii accidentalis, quod aureola nuncupatur, quod ad decorem facit, non solum animæ, verum etiam corporis: quia non redditur voluntati tantum, sed operi extrinseco, substernens sibi meritum et præmium charitatis, quod consistit in septiformi dote, triplici animæ, et quadruplici corporis, in quibus clauditur consummatio, integritas et plenitudo omnium bonorum spectantium ad gloriæ complementum. Qualia autem et quanta sint illa, non verba mea, sed beati Anselmi ponantur. Ait enim in fine *Proslogii*[1]: « Excitare nunc, anima mea, et erige totum intellectum tuum, et cogita, quantum potes, quale et quantum sit illud bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente, quam delectabile illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum: non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt Creator a creatura. Si enim bona est vita creata, quam bona est vita creatrix! Si jucunda est

Aureola quibus reddenda.

[1] Anselm., *Proslog.*, c. XXIV.

salus facta, quam jucunda est salus, quæ fecit omnem salutem! Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum, quam amabilis est sapientia quæ omnia condit ex nihilo! Denique si multæ et magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis et quanta est delectatio in illo, qui fecit ipsa delectabilia!

« [1] Qui hoc bono fruetur, quid illi erit, et quid illi non erit? Certe quidquid volet, erit; et quod nolet esse, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animæ, qualia [2] *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit.* Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est. Quid enim amas, caro mea, quid desideras, anima mea? Ibi est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo [3] : *Fulgebunt justi sicut Sol.* Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit [4] : *Erunt similes angelis Dei:* quia [5] *seminatur corpus animale, et resurget corpus spirituale*, potestate utique, non natura. Si longa et salubris vita, ibi erit sana æternitas, et æterna sanitas; quia [6] *justi in perpetuum vivent,* et [7] *salus justorum a Domino.* Si satietas [8] : *Satiabuntur cum apparuerit gloria Dei.* Si ebrietas [9] : *Inebriabuntur ab ubertate domus Dei.* Si melodia, ibi angelorum chori concinunt sine fine Deum laudantes. Si quælibet, non immunda, sed munda voluptas [10] : *Torrente voluptatis tuæ potabis eos,* Deus. Si sapientia, ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia, diligent Deum plus, quam seipsos; et invicem, tanquam seipsos; et Deus illos, plus quam seipsos: quia illi illum, et se invicem per illum, et ille se, et illos, per seipsum. Si concordia, omnibus illis erit una voluntas, quia nulla illis erit nisi Dei voluntas. Si potestas, omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod volet per seipsum, ita poterunt illi per illum quod volent; quia sicut illi non aliud volent, quam quod ille, ita ille volet, quidquid illi volent; et quod ille volet, non poterit non esse. Si honor et divitiæ, Deus suos servos bonos et fideles supra constituet: imo filii Dei, et dii vocabuntur et erunt, et ubi erit Filius Dei, ibi erunt et illi [11] : *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Si vera securitas, certe ita certi erunt nunquam et nullatenus ista, vel potius istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum; nec aliquid Deo potentius invitos Deum et illos separaturum. Gaudium vero quale, aut quantum est, ubi tale ac tantum bonum est! Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imo obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares! Interroga intima tua, si capere possunt gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed certe si quis alius, quem omnino sicut te ipsum diligeres, eamdem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo, quam pro te ipso. Si vero duo, vel tres, vel multo plures idipsum haberent, tantumdem pro singulis, quantum pro te ipso gauderes, si singulos sicut te ipsum amares. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium angelorum, et hominum beatorum, ubi nullus minus alium, quam seipsum diligit, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis, quam pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet suum gaudium, quomodo capax erit tot et tantorum gaudiorum? Et utique, quia quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet, sicut in illa perfecta felicitate unusquisque plus amabit sine comparatione Deum, quam se et omnes alios secum; ita gaudebit plus absque æstimatione de felicitate Dei, quam de sua et omnium aliorum secum. Sed si

[1] Anselm., *Proslog.*, c. XXV. — [2] I *Cor.*, II, 9. — [3] *Sap.*, III, 7. — [4] *Matth.*, XXII, 30. — [5] I *Cor.*, XV, 44. — [6] *Sap.*, V, 16. — [7] *Psal.* XXXVI, 39. — [8] *Psal.* XVI, 15. — [9] *Psal.* XXXV, 9. — [10] Ibid. — [11] *Rom.*, VIII, 17.

Deum sic diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis, profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudii.

« [2] Nondum ergo, Domine, dixi aut cognovi, quantum gaudebunt illi beati tui : utique tantum gaudebunt, quantum amabunt; tantum amabunt, quantum cognoscent te. Quantum cognoscent te, et quantum amabunt te? Certe *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* in hac vita, quantum te cognoscent, et amabunt in illa vita. Oro, Deus, cognoscam te, amem te, ut gaudeam te : et si non possum ad plenum in hac vita, ut proficiam in dies, usque dum veniat illud ad plenum; proficiat hic in me notitia tui, et ibi fiat plena; crescat hic amor tuus, et ibi fiat plenus ; ut hic gaudium meum sit in spe magnum, et ibi sit in re plenum. Domine, per Filium tuum jubes, imo consulis petere, et promittis accipere, ut gaudium nostrum plenum sit. Deus verax, peto, accipiam, ut gaudium meum plenum sit. Peto, Domine, quod per admirabilem consiliarium nostrum consulis ; accipiam, quod promittis per veritatem tuam, ut gaudium meum plenum sit. Meditetur interim inde mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, sermocinetur os meum, esuriat illud anima mea, sitiat caro mea, desideret tota substantia mea, donec intrem in gaudium Domini mei, qui est trinus et unus Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen. »

[1] Anselm., *Prosl.*, c. XXVI.

CENTILOQUIUM

QUOD COMPENDIUM THEOLOGIÆ DICITUR

OPUSCULI SEQUENTIS ARGUMENTUM [1]

(*Ex edit. Vatic.*)

Ingredientem ad sacram Theologiam generalibus præceptis instruit hoc opusculo eximius Ecclesiæ Doctor : idque brevitate verborum, ac sententiarum ubertate, quibus in *Breviloquio* usus est, egregie præstat. Tractatus vero iste in partes quatuor distributus est, quæ omnes continent sectiones centum, unde *Centiloquium* sibi nomen sortitur. Prima igitur pars est de malo sub ratione culpæ; secunda de malo sub ratione pœnæ; tertia de bono sub ratione gratiæ; quarta de bono sub ratione gloriæ. Ut autem notum sit perspicere volenti, quomodo *Centiloquium* et *Breviloquium* connexa sint, animadvertendum est primam et secundam partem Centiloquii, tertiæ omnino, et partim septimæ Breviloquii respondere; tertiam primæ, secundæ, quartæ, quintæ et sextæ similiter; quartam vero septimæ pro sua ratione. Adeo vero conformis est doctrina utriusqu etractatus, ut eumdem et sibi maxime constantem demonstret auctorem.

PROŒMIUM

Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus et scientia, ut ostenderem tibi firmitatem et eloquia veritatis, respondere ex his, illis qui miserunt te [2]. Informans Sapiens in his verbis eum, qui intendit ad prædicationis officium promoveri, quatuor innuit studioso discipulo videnda, scilicet in quo est studendum, quia in trina traditione, cum dicit : *Ecce descripsi eam,* scilicet doctrinam sacram, *tripliciter :* quia ad discretionem boni et mali, informavi rationalem; ad rejectionem mali, animavi irascibilem; ad dilectionem boni, excitavi concupiscibilem. Item tripliciter doctrina sacri canonis est descripta, quia præter litteralem sensum tribus modis traditur exponenda, scilicet moraliter sive tropologice, allegorice, et anagogice. Tropologia, sive moralitas, est quando, per illud quod factum est, datur intelligi quod faciendum est. Allegoria est quando, per illud quod factum est, indicatur illud quod credendum est. Anagogia est, quasi *sursum ductio,* quando per unum factum intelligendum est aliud, quod desiderandum est, scilicet æterna felicitas beatorum. Secundo, de quo est conferendum, quia de audita lectione, cum addit : *In cogitationibus et scientia,* id est, ut cogites quæ audisti, et intellectum frequenter cogas

Præfatio Auctoris.

Sacra Scriptura quot modis exponitur.

[1] *Cf.* Edit. Argentin., anno 1495, part. I; Edit. Vatic., anno 1596, tom. VI, part. I, pag. 58; Edit. Ven., anno 1611, tom. I; Edit. Lugd., anno 1647, tom. I, pag. 57; Edit. Ven., anno 1754, pag. 104. — [2] *Prov*, XXII, 21.

circa ruminationem, ut scias ubi audita et ruminata comprehendas per cognitionem. Tertio, quid proponendum in prædicatione, quia præcepta moralia, quæ sub lege naturæ, scripturæ, et gratiæ, et firma et immobilia permanserunt, et Evangelia præcipue, quæ ex ore Altissimi prodierunt, cum dicit: *Ut ostenderem tibi firmitatem et eloquia veritatis.* Quarto, per quid respondendum in interrogatione, quia per ea quæ sunt ex lectione percepta, in ratione collecta, et prædicatione concepta, cum subjungit: *Respondere ex his illis*, id est examinatoribus (*a*), *qui miserunt*, id est missi sunt, quo modo examinent te.

Intentio Auctoris. In adminiculum itaque parvulorum rudis rogatus a rudibus, rudem tractatum rudibus compilavi, in quo rudium ruditas, circa generalia theologiæ, saltem ruditer poterit erudiri, et ex lacte infantiæ ad cibum solidum, prævia Dei gratia, cum sensus industria præparari. Collegi autem hoc ex dictis proborum, quæ hinc inde decerpens, in unius opusculi angustiam coarctavi. Quod cum et centum recipiat sectiones, *centiloquium* poterit appellari. Cujus continentiæ (*b*), ut facilius pateat requirenti, præmittuntur centum tituli sectionum, quæ ex quatuor partibus distinguuntur. In universo enim agitur de quatuor in præsenti opusculo: primo scilicet, de malo sub ratione culpæ; secundo, de malo sub ratione pœnæ; tertio, de bono sub ratione gratiæ; quarto, de bono sub ratione gloriæ. Centiloquium. Materia tractanda.

PRIMA PARS

SECTIONIBUS TRIGINTA TRIBUS COMPREHENSA

SECTIO I.

De malo culpæ in generali.

Malum considerare occurrit quantum ad diffinitionem. Quod diffiniens Augustinus ait [2]: « Malum est privatio modi, speciei, et ordinis. » Ad cujus intelligentiam est notandum, quod creatura quælibet, quantumcumque modica, comparari habet ad Deum secundum triplex genus, causæ scilicet efficientis, formalis, et finalis: et sic habet modum, speciem, et ordinem. Creatura vero rationalis non solum habet modum, speciem et ordinem, prout est natura quædam, sicut cæteræ creaturæ; verum etiam prout est voluntate libera. Voluntas nostra Voluntas autem nostra, quando habet modum, speciem et ordinem, tunc est bona. Tunc autem habet hæc tria, quando in operando continuatur virtuti divinæ, ut principio moventi; conformatur ei, ut regulæ dirigenti; unitur ei, ut fini quietanti. In primo est modus; in secundo est species; in tertio ordo attenditur secundum triplex genus causæ. quando bona. Quandocumque vero quis peccat mortaliter, discontinuatur necessario a Deo, tanquam a principio movente, quia Deus nunquam movet ad peccatum; discordat a Deo, tanquam a regula dirigente; elongatur et deordinatur a Deo, tanquam a fine quietante, ponens creaturam finem sui. Peccatum mortale corrumpit modum, speciem et ordinem. Et sic malum culpæ privat et corrumpit hæc tria inseparabiliter et æqualiter, non tamen totaliter in rationali creatura, in quantum est agens voluntarie et libere ultra alias

[1] *Breviloq.*, p. III, c. 1. — [2] Aug., *de Nat. boni*, c. IV.

(*a*) *Cæt. edit.* ex his, id est ex animatoribus illis. — (*b*) *Item* continentia.

creaturas. Malum vero pœnæ corrumpit hæc tria prædicta, prout cum aliis creaturis convenit in natura.

Malum triplex. Item consideratur malum quantum ad distinctionem : distinguitur enim malum per triplicem differentiam, scilicet in malum culpæ, sive transgressionis; malum pugnæ, sive tentationis; malum pœnæ, sive punitionis. Malum culpæ idem est, quod injustitia generalis, sive absentia debitæ honestatis, vel passio voluntaria. Malum pœnæ est absentia debitæ delectationis, cum sensu sui contrarii, sive passio involuntaria. Malum pugnæ tenet medium inter ista : nam diabolo est culpa in instigando, justo est pœna in reluctando.

Mali subdivisio. Quantum ad subdivisionem : subdividitur enim malum in malum culpæ secundum se et per se, quod nullo modo potest bene fieri, ut odire Deum, et blasphemare Deum ; in malum in se, sive in genere, ut occidere, quod potest bene fieri propter justitiam ; in malum ex circumstantia, ut dare eleemosynam propter vanam gloriam.

Mali introductio. Item consideratur quantum ad introductionem : et sic malum originatur a bono, id est a voluntate et libero arbitrio non efficiente, sed deficiente ; substantificatur in bono, non enim est essentia aliqua, vel natura, sed corruptio boni, quæ non potest esse nisi in bono quod corrumpitur, id est in libera voluntate contrariatur bono. Ad quod intelligendum nota, quod malum corrumpit et perimit justitiam, id est rectitudinem voluntatis. Tria enim circa rectitudinem animæ attenduntur, scilicet : potentia rectificabilis, hanc non corrumpit; habitus rectificans, hunc privat simpliciter, et corrumpit, scilicet gratiam et virtutes; habilitas media, et hanc diminuit, dum minus redditur homo habilis ad bonum per peccatum, non tamen tollit eam. Non enim opponitur malum illi habilitati ratione naturæ, cujus est, sed ratione gratiæ et virtutis, sive finis, ad quæ est.

SECTIO II.

De tentatione.

Malum tentationis, sive pugnæ, notificatur per diffinitionem Hugonis de sancto Victore : « Tentare est callide experiri, et quasi quibusdam blandis conatibus probare. » Augustinus [1] : « Omnis tentatio probatio est. » Cassiodorus : « Tentatio diaboli est assimulatio apparentis boni ad fallendum. » Sic etiam aliter diffinitur : « Tentatio est pulsatio ex intentione, vel proposito, ad declarandum bonum hominis, sive malum. » Multiplicatur per divisionem : potest enim tentatio considerari quantum ad motivum, et sic dividitur tentatio in eam quæ est ab hoste, a carne, et a mundo, juxta illud : « Mundus, caro, dæmonia, diversa movent prælia. » Tentationis divisio. Item in eam, quæ est tentatio alia ab hoste, alia a carne : prima generaliter, secunda specialiter. Dividitur etiam quantum ad instrumentum ; et sic generaliter est illa divisio Gregorii : « Est quædam tentatio per vitia, quædam per flagella; » specialiter, et sic est illa super Psalmo [2] : « *Omnem escam abominata est anima eorum ;* » Multiplex est tentatio, quarum prima est error, sive nescientia viæ veritatis; secunda, difficultas vincendarum concupiscentiarum; tertia, tædium boni; quarta, tempestas sæculi. Quantum ad effectum : et sic generaliter est illa de qua dicitur [3] : *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Tentatio alia diabolica, alia humana : diabolica malum habet exitum, quia terminatur in mortali; humana non habet periculosum exitum, quia vel ibi est peccatum veniale, vel nulla est ibi culpa. Specialiter, et sic est illa *de Doctrina Christiana :* « Diabolus tentat aut vexando carnem, aut vulnerando naturalia, aut expoliando gratuita. » Quantum ad gradum, et sic generaliter est illa : tentatio alia exterior, alia interior; specialiter, et sic est illa Gregorii [4] :

[1] August., *Enarr. in Psalm.* LV. — [2] Id., *in Psal.* CVI, 18. — [3] I *Cor.*, X, 13. — [4] Greg., *in Evang.*, hom. XVI.

« Tentatio tribus modis perficitur, scilicet suggestione, delectatione, et consensu. » Quantum ad tentandi modum : et sic est illa generaliter et implicite super Psalmum (a) *Qui habitat in adjutorio* [1] *:* « Quædam tentatio est levis et occulta; quædam levis et occulta; quædam levis et manifesta; quædam gravis et manifesta. » Generaliter et explicite, sic est illa Richardi per septem membra [2] : « Prima est importuna, quæ pertinaciter insistit; secunda est dubia, quæ animum dubietatis nebula involvit; tertia est subita, quæ judicium rationis prævenit; quarta occulta, quæ deliberationis ordinem præterfugit; quinta est violenta, quæ vires nostras transcendit; sexta fraudulenta, quæ animum seducit; septima perplexa, quæ variis vitiis impetit. » Si specialiter et implicite, sic est illa Augustini : « Diabolus tentat ut leo, tentat ut draco. » Si specialiter et explicite, sic est illa Gregorii *super Job:* Diabolus premendo rapit, insidiando circumvenit, minando terret, suadendo blanditur, desperando frangit, promittendo decipit. » Diversificatur autem per intentionem : nam tentat Deus ut erudiat; diabolus, ut decipiat; mundus, ut alliciat; homo, ut conjiciat; caro, ut inficiat.

SECTIO III.

De diffinitione peccati.

Viso de malo culpæ in generali, et de malo pugnæ quod impellit ad culpam, descendendum est ad peccatum in speciali. Circa quod tria considerare debemus, scilicet modum divisivum, modum diffinitivum, modum punitivum. Potest autem peccatum considerari formaliter, prout dicit privationem, et materialiter, prout substernit sibi aliquam actionem. Habet ergo formales diffinitiones, prout dicit privationem, per hunc modum. Nam ut dicit recessum a bono, et sic tribus diffinitionibus quasi idem circumloquentibus diffinitur. Prima ex Augustino hæc est [3] : « Peccatum est absentia boni, ut debet esse. » Secunda [4] : « Peccatum est appetitio non naturarum malarum, sed desertio meliorum. » Tertia [5] : « Peccatum est corruptio speciei, modi et ordinis. » Aut dicit recessum a naturæ rectitudine, et sic triplex diffinitio idem circumloquens invenitur. Prima est Damasceni [6] : « Peccatum est ab eo, quod est secundum naturam, in id, quod est præter naturam, conversio. » Secunda est Anselmi [7] : « Peccatum est carentia debitæ justitiæ. » Tertia est Augustini : « Peccatum est defectus quidam a luce veritatis, naturam non perimens, sed obscurans. » Aut dicit recessum ab omnis boni complemento et perfectione, et sic tripliciter diffinitur. Primo, ab Augustino [8] : « Peccatum est aversio a bono incommutabili. » Secundo, ab eodem in libro *de Christiana Religione :* « Peccatum est carere bonis incommutabilibus, quibus fruendum est. » Tertio etiam ab eodem : « Peccatum est tenebra intellectus. » Habet quoque peccatum materiales diffinitiones, prout substernit sibi actum, et secundum hoc potest tripliciter comparari : aut ad Deum quem offendit, et sic tripliciter diffinitur. Primo, ab Augustino [9] contra Manichæos : « Peccatum est in præceptis veritatis, vel in ipsa veritate errare. » Secundo ab Ambrosio [10] : « Peccatum est prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia mandatorum, vel præceptorum. » Tertio ab Augustino [11] : « Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. » Aut ad virtutem quam excludit, et sic triplex datur diffinitio de peccato. Prima est Basilii [12] : « Peccatum est dispositio animæ contrarie se habens ad virtutem. » Secunda

[1] Gloss. *in Psal.* XC. — [2] Richard., *in Psal.* XC, p. II. — [3] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XI, c. IX et XXII. — [4] Id., *de Nat. Boni*, c. XXXIV. — [5] Id., ibid., c. IV. — [6] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. IV, c. XXI. —
(a) *Cœt. edit.* Psalmos.

[7] Anselm., *de Concept. Virg. et Peccat. origin.*, c. VI. — [8] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. I, c. XVI. — [9] Imo Fulgent., *de Fid.*, c. VIII. — [10] Ambros., *de Parad.*, c. VIII. — [11] Aug., *cont. Faust.*, lib. XXII, c. VII. — [12] Basil., Orat. *de Virt. et Vit.*

Augustini [1] : « Peccatum est voluntas retinendi vel assequendi quod justitia vetat. » Tertia est etiam Augustini : « Peccatum est appetere quæ Christus contempsit, vel contemnere quæ Christus appetiit. » Aut ad bonum quod prætendit, et sic tripliciter diffinitur. Primo, ab Augustino, in libro *de Civitate Dei* : « Peccatum est, male uti bono. » Secundo, ab eodem [3] : « Peccatum est uti fruendis, et frui utendis. » Tertio, etiam ab eodem [4] : « Peccatum est, spreto bono incommutabili, rebus commutabilibus adhærere. » Duæ autem inveniuntur diffinitiones pecccati. Una hæc est : « Peccatum est actus incidens ex defectu boni. » Secunda est hæc : « Peccatum est demeritum pœnæ æternæ. »

SECTIO IV.

De peccato originali.

Peccati divisiones.

Viso de peccati diffinitione, sequitur videre de divisione. Dividitur autem peccatum in originale et actuale, veniale et mortale, delictum et commissum. Et hæ divisiones sumuntur penes causam formalem. Item in peccatum cordis, oris, et operis. Item in peccatum superbiæ sive inanis gloriæ, invidiæ, iræ, acidiæ, avaritiæ, gulæ, luxuriæ. In concupiscentiam carnis, in concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ. In peccatum cogitationis, delectationis, consensus, operis, et consuetudinis. Et hæ sumuntur penes causam materialem. Item peccatum aliud ex ignorantia, aliud ex infirmitate, aliud certa malitia perpetratur. Item peccatum aliud ex timore male humiliante, aliud ex amore male accendente ; et hæ sumuntur penes conditiones peccantis. Item peccatum aliud in Deum, aliud in se, aliud in proximum ; et hæ sumuntur penes circumstantias ejus in quem peccatur.

Peccatum originale.

Primam divisionem prosequamur primo quantum ad peccatum originale : circa quod sunt quatuor attendenda, diffinitio, corruptio, curatio, et nominatio. Diffinitur autem peccatum originale ab Anselmo sic [5] : « Peccatum originale est carentia sive nuditas debitæ justitiæ per inobedientiam Adæ facta, quam comitatur carentia visionis Dei. » Ista diffinitio est formalis, indicans hujus peccati essentiam, causam, et pœnam. Item aliter diffinitur sic : « Peccatum originale est vitium ex qualitate seminis in humana natura natum. » Ista est materialis, ostendens originalis peccati effectum et originem. Item diffinitur tertio ab Augustino sic [6] : « Peccatum originale est concupiscentia, vel concupiscibilitas, quæ parvulum facit concupiscibilem, adultum concupiscentem. »

Corrumpitur autem genus humanum per originale peccatum, quia licet anima non sit ex traduce, originalis tamen culpa transit ab anima Adæ ad animas posterorum, mediante carne infecta, tanquam per concupiscentiam generata, et per libidinem seminata, quæ infectionem secum trahens, animam sibi unitam inficit et vitiat, non tantum pœna, sed et culpa. Et sic homo per concubitum generatus nascitur [7] *natura filius iræ*, quia privatus est rectitudine divinæ justitiæ, propter cujus absentiam incurrit, quantum ad animam, infirmitatem, ignorantiam, malitiam et concupiscentiam ; quantum vero ad corpus, pœnalitates, labores, dolores, defectus, morbos multiplices : præter hæc pœnam mortis, incinerationis, pœnam carentiæ visionis Dei, et amissionis gloriæ cœlestis, tam in parvulis, quam in adultis.

Curatio originalis peccati.

Curatur autem originale peccatum per baptismum sic quantum ad culpam, quod tamen remanet quantum ad temporalem pœnam ; sic curatur quantum ad reatum pœnæ æternæ, quod remanet quantum ad

[1] Aug., *Retract.*, lib. I, c. XV; *de duab. Animab.*, c. XI. — [2] Aug., *de ver. Relig.*, c. XVI. — [3] Id., *de Trinit.*, lib. XII, c. X, n. 15 ; *de LXXXIII Quæst.*, q. XXX. — [4] Id., *de Lib. Arb.*, lib. I, c. XVI. —

[5] Anselm., *de Conc. Virg. et Pecc. orig.* — [6] Ex Aug., colligit Mag. *Sent.*, lib. III, dist. XXX, § *Nomine autem*, huj. edit. tom. III, p. 323. — [7] *Ephes.*, II, 3.

actum et motum concupiscentiæ; sic curatur in parente, quod nihilominus a curato parente transmittitur in generatam prolem; sic tollitur originalis culpæ macula, quod remanet sequela, cum qua oportet nos pugnare, quandiu vivimus in hac vita.

Originale peccatum varia sortitur vocabula

Nominatur autem originale diversis vocabulis, tam ex parte culpæ, quam ex parte pœnæ. Comparatum enim ad animam, dicitur *infirmitas*, quia reddit animam impotentem resistere motibus. Dicitur *fœditas*, quia secundum eam anima ratione corporis coinquinatur. Dicitur *pronitas*, propter inclinationem appetitus ad malum. Dicitur *corruptio*, quia ducit ad nihilum, scilicet ad peccatum. Dicitur *vitium*, quia diminuit naturales virtutes. Dicitur *languor naturæ*, propter diminutionem boni naturalis et delectabilis. Comparatum vero ad corpus, dicitur *lex carnis*, quia est pœna a lege justitiæ naturaliter inflicta. Dicitur *lex membrorum*, quia præstat aptitudinem ad faciendum opera mala. Dicitur *tyrannus*, propter dominationem quasi violentam in concupiscentiis. Dicitur *fomes*, quia est causa materialis conservandi peccatum in carne. Ambrosius, diffiniens fomitem, dicit sic: « Fomes est morbidus quidam affectus, qui commovet ad illicitum desiderium quantum ad actum generativæ et nutritivæ. Comparatum ad actus delectabiles illicitos, dicitur *concupiscentia* vel *concupiscibilitas*. Differunt tamen, quia *concupiscibilitas* dicit potentiam, *concupiscentia* vero actum. Dicitur etiam *libido*, quia sequitur quidquid libet, scilicet voluptuosas delectationes in sensu. Comparatum vero ad pœnam, ad quam obligat, dicitur *peccatum originale*, quia est carentia vel nuditas debitæ et originalis justitiæ.

SECTIO V.

De peccato actuali.

Sequitur videre de peccato actuali. Circa quod quatuor videamus, scilicet diffinitionem essentialem, originalitatem, differentiam materialem, et majoritatem.

Peccatum actuale quid et quomodo perpetretur.

Diffinitur autem peccatum actuale sic. Peccatum actuale est carentia debitæ justitiæ, facta per inobedientiam propriæ voluntatis; vel est aversio ab incommutabili bono, et ad bonum commutabile conversio. Trahit autem peccatum actuale originem a libera voluntate uniuscujusque per suggestionem, et delectationem, consensum, et operationem. Si autem suggestio et delectatio sistat citra consensum, peccatum est veniale; si autem sequatur consensus, et opus in his quæ divina lege prohibentur, peccatum est mortale consummatum. Si autem medio modo fiat, ut sit consensus sine opere, hoc potest esse dupliciter: quia aut homo vult in opus procedere, sed non potest, et tunc voluntas pro facto reputatur, nec minus culpabilis est, quam si in ipso facto deprehenderetur; aut non vult in opus procedere, sed vult interius voluptari in delectatione, et tunc, licet non sit peccatum plenarie consummatum, est tamen inter mortalia reputandum, quod maxime de peccatis carnalibus habet intelligi.

Peccatum Angeli.

Differentiæ materiales actualis peccati sunt duæ, scilicet peccatum angeli, et hominis. Peccatum angeli inchoatum est in præsumptione: statim enim ut vidit suam pulchritudinem, præsumpsit; et consummatum est in ambitione, quia præsumens de se, appetiit quod est supra se; atque confirmatum est in invidiæ et odii aversione, quia ex quo non potuit hoc obtinere quod appetiit, cœpit odio et invidia contraire. Et sic, in peccato Luciferi, superbia præsumtionis fuit prima generatione, superbia ambitionis fuit prima consummatione.

Peccatum hominis.

Peccatum vero hominis fuit inobedientia, ad quam præcipitavit diabolus hominem per triplex appetibile naturale, scilicet per bonum gloriosum, copiosum, et deliciosum. Tentavit enim de excellentia, sufficientia, experientia sive demulcentia. Diabolus enim per mulierem volens dejicere hominem,

promisit mulieri dignitatis excellentiam, dicens[1] : *Eritis sicut dii.* Deinde subjunxit cognitionis abundantiam, dicens : *Scientes bonum et malum.* Tertio prætendit suavitatis experientiam, cum ostendit ei *lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave.* Unde peccatum mulieris inchoatum fuit in superbia; progressum habuit in avaritia, quia non in rebus solum, sed etiam in scientia invenitur avaritia; consummatum fuit in gula. Et sic deordinatum fuit quantum ad irascibilem, appetendo alta; quantum ad rationalem, appetendo scire occulta; quantum ad concupiscibilem, volendo gustare suavia.

Peccatum majus unum altero duodecim modis.

Peccatum majus unum altero dicitur duodecim modis : primo, causalitate, et sic peccatum diaboli dicitur majus esse, quia ejus[2] *invidia mors intravit in orbem terrarum;* secundo, generalitate, et sic peccatum primi parentis fuit majus, quia se per totum genus humanum diffudit; tertio, enormitate, et sic peccatum Judæ fuit maximum, quia tradidit Dominum Salvatorem; quarto, ingratitudine, et sic ejus peccatum dicitur esse majus, qui plura gratiarum dona percepit; quinto, periculositate, et sic peccatum ignorantiæ dicitur esse gravius, quia periculosius; sexto, inseparabilitate, et sic peccatum cupiditatis dicitur esse majus, quia cum cætera vitia cum homine consenescant, sola avaritia juvenescit; septimo, importunitate, et sic superbia dicitur esse maximum peccatum, quia etiam ex bonis operibus generatur; octavo, pronitate, et sic luxuria dicitur esse gravius, ad quam homines pronius inclinantur; nono, majoris gratiæ impugnatione, et sic peccatum in Spiritum sanctum dicitur esse gravius; decimo, ratione majoris offensæ, et sic peccatum idololatriæ dicitur esse majus; undecimo, ratione majoris facilitatis resistendi, et sic peccatum Adæ fuit gravissimum; duodecimo, ratione majoris improbitatis et libidinis : et sic peccatum cujuslibet generis potest fieri majus altero.

SECTIO VI.

De peccato veniali, et mortali.

Sequitur videre de divisione peccati in veniale, et mortale. Ad cujus evidentiam tria sunt breviter attendenda, scilicet : ordo divinæ justitiæ, qui imponitur; peccatum veniale, quod contrahitur; et peccatum mortale, quod incurritur. Ordo autem divinæ justitiæ, ad quem Dominus hominem obligavit, est ut bonum incommutabile præferatur bono commutabili; ut bonum honestum præferatur bono utili; et voluntas Dei præferatur voluntati nostræ; et judicium rationis rectæ præferatur et præsit sensualitati humanæ. Peccatum vero actuale est inordinatio actualis voluntatis. Ista autem inordinatio, si est tam modica, quod ordinem istum non exterminat, quamvis in aliquo perturbet, tunc peccatum est veniale. Quod habemus pertractare breviter, quantum ad diffinitionem, distinctionem, et curationem. Diffinitur autem sic : Peccatum veniale est libido sive amor voluptatis in creatura citra Deum.

Veniale, quid et quoluplex.

Distinguitur autem veniale tripliciter. Nam quoddam est veniale ex surreptione, et ideo veniale est, quia non potest vitari tunc : et quia committitur præter rationem, semper est veniale. Quoddam est veniale ex cogitatione sine consensu : et ideo veniale, quia non plene consentitur, ut in cogitatione, et delectatione : et ideo veniale fit mortale per complacentiam et consensum. Quoddam est veniale cum delectatione et consensu, et ideo veniale est, quia non est deordinatio contra præceptum, ut ebrietas et mendacium jocosum : et istud cum sit veniale propter delectationem quæ est citra Deum, tamen potest fieri mortale propter nimiam libidinem et contemptum. Non tamen intelligendum est, quod aliquod veniale per essentiam fiat mortale, sed quia de veniali fit transitus ad mortale per com-

[1] *Gen.*, III, 5-6. — [2] *Sap.*, II, 24.

placentiam et consensum, sive per libidinem et contemptum.

Remedia undecim contra venia'e. Curatur autem peccatum veniale per actus in quibus est aliqua humiliatio et devotio, qui quidem actus gratia informati repugnant veniali, et sic ad actum curationis, et deletionis venialium, gratiam gratum facientem coadjuvant et vigorant. Hujusmodi remedia his versibus continentur:

Confiteor, tundo, respergo, conteror, oro,
Signor, edo, dono, per quæ venialia pono,
Unctio, pœna levis, compassio, quæ fit egenis

Hæc enim remedia sunt: generalis confessio, pectoris tunsio, aquæ benedictæ aspersio, cordis contritio, Dominica Oratio, signatio ab episcopo, Eucharistiæ sumptio, offensæ condonatio, extrema unctio, levis pœnitentia, compassio fraterna.

Peccatum mortale. Si autem est tanta deordinatio voluntatis, quod ordinem exterminat supradictum, tunc mortale est peccatum, quod potest considerari quantum ad diffinitionem, punitionem, et remissionem. Diffinitur autem ab Ambrosio sic[1]: « Peccatum mortale est prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia mandatorum, vel præceptorum. » Pœna peccati mortalis est æterna damnatio : dicitur enim mortale, quia per ipsum vitæ gratia perditur in præsenti, et vita gloriæ in futuro; et sic contrahitur mors culpæ, et infligitur mors gehennæ.

Juste autem propter mortale, in quo quis finaliter perseverat, sempiternaliter cruciatur. Unde secundum Gregorium[2], quia peccator peccat in suo æterno, æternaliter est cruciandus; secundum Augustinum[3] vero, quia peccat contra bonum æternum et infinitum, æternaliter punietur.

Remedia septem contra mortale. Curatur autem, sive remittitur mortale peccatum per septiforme remedium, scilicet per baptismum, eleemosynam, martyrium, conversionem proximorum, dimissionem injuriæ, fletum pœnitentiæ, et per dignam Eucharistiæ sumptionem. Attende tamen quod baptismus et pœnitentia non solum valent contra pœnam peccati, verum etiam contra culpam; cætera vero valent contra pœnam tantum. Unde versus:

Sunt septem, delere quibus mortalia possis;
Fons, eleemosyna, martyrium, conversio fratrum;
In te peccanti dimittere, flere reatum;
Sanguinis et carnis Christi perceptio digna.

SECTIO VII.

De ignorantia.

Delictum et commissum. Sequitur videre de divisione peccati in delictum, et commissum. Prævaricatio præceptorum est *delictum*, hoc est, transgressio præceptorum affirmativorum. Prævaricatio prohibitionum est *commissum*, hoc est, transgressio præceptorum negativorum. Differentiæ delicti sunt ignorantia, omissio, negligentia. *Delictum* dicitur quasi *derelictum*, id est boni desertio. Bonum est duplex, scilicet : sciendum, cujus desertio dicitur ignorantia; et faciendum, ad quod duo requiruntur, scilicet quod fiat bonus actus, cujus desertio dicitur omissio; et quod bene fiat, id est cum debitis circumstantiis, quarum desertio dicitur negligentia. Bonum duplex.

Ignorantiæ prima divisio. Circa ignorantiam quadruplex divisio est attendenda. Prima est hæc : Ignorantia alia negationis, alia privationis, alia pravæ dispositionis. Ignorantia negationis est in parvulis, quæ non est culpa neque pœna, usque ad præfinitum tempus. Ignorantia privationis est in adultis, qui tempore determinato ignorant quæ possent scire, vel obliti sunt quæ aliquando didicerunt. Ignorantia pravæ dispositionis est, qua quis opinatur contraria fidei; quæ potest erronea dici, et est in hæreticis. Prima excusat a toto; secunda a parte, non a toto; tertia accusat in toto, quia perversam sequitur voluntatem.

Secunda divisio. Secunda divisio est hæc : Ignorantia alia facti, alia juris. Juris : aut juris naturalis, et hæc non excusat, cum sit scriptum in corde hominis; vel juris divini, ut Legis, Prophe-

[1] Ambros., *de Parad.*, c. VIII. — [2] Greg., *Dialog.*, lib. IV, c. XLIV. — [3] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXI, c. XII.

tarum, Evangelii, et doctrinæ apostolicæ, et ista accusat, sicut de magno et mortali delicto, prælatos, maxime episcopos et metropolitanos, qui tenentur de fide et spe reddere rationem. Accusat autem sicut de veniali clericos simplices et illiteratos, qui cum potuissent discere, noluerint. Laicos vero in nullo accusat, quia ad ipsos non pertinet, dummodo non contemnant. Si est juris positivi, ut legum et decretorum, solos judices accusat. Si est ignorantia juris continentis morales constitutiones ecclesiasticas ad discernenda peccata, accusat sacerdotes et confessores. Si vero est ignorantia facti : aut indifferentis, sic sufficienter excusat; aut necessarii ad salutem, et sic aut non potest vitari, sicut in amente, qui a nativitate caruit judicio rationis, et hæc excusat; aut potest vitari, sicut in Judæis et Paganis, qui potuerunt scire Christum passum fuisse pro salute hominum, et hæc non excusat.

Tertia divisio. Tertia divisio ignorantiæ est, quia alia est simplex, ut quando aliquis nescit quæ tenetur scire, facit tamen aliquid, sed non plene, ut illa sciat : hæc excusat a tanto, sed non a toto; alia est crassa sive supina, ut quando quis negligit scire quæ tenetur, et tamen non est determinatum ei quod teneatur scire illa : hæc minus excusat, non excusat a toto, sed a tanto; alia est affectata sive affectiva, ut quando aliquis negligit scire quæ tenetur scire, cum ei sit determinatum, quod tenetur scire illa : hæc accusat potius, quam excusat.

Quarta divisio. Quarta divisio est : Ignorantia alia vincibilis, alia invincibilis. Vincibilis : alia potest removeri cum magna difficultate, ut in valde hebetibus; hæc excusat a tanto, non a toto, si est de necessariis ad salutem. Alia potest removeri cum facilitate, ut in ingeniosis : hæc non excusat. Invincibilis : alia est invincibilis per naturam, ut in puero qui non utitur ratione, et in decrepito qui non discernit, et in eo qui nascitur amens : hæc excusat a toto. Alia est invincibilis per culpam, ut in eo qui per culpam efficitur furiosus : et secundum quosdam non excusat a toto.

SECTIO VIII.

De omissione et negligentia.

Viso de ignorantia, quæ est desertio debitæ scientiæ, sequitur videre de omissione et negligentia, quæ dicunt desertionem rei debitæ faciendæ. Omissio est desertio actus debiti in tempore determinato; et dicitur actus debitus, quem tenemur facere. Circa omissionem autem habemus videre quatuor actus debitos : tentionem, distinctionem, descriptionem, absolutionem. Dicitur autem omissio, derelictio actus, non circumstantiæ; actus principalis, non annexi; præcepti affirmativi, non negativi. Est autem triplex tentio, quam omittere non debemus. Quædam est ratione divinæ obligationis, et hæc est duplex : una ad agendum, ut in præceptis affirmativis, ut : *Honora patrem tuum*; alia ad non agendum, ut in præceptis negativis, sive prohibitionibus, ut : *Non occides*. Prima obligat semper, sed non ad semper, nisi pro loco et tempore. Secunda obligat semper, et ad semper. Quædam est ratione spontaneæ consensionis, ut in contractibus, votis, juramentis, promissis, et obligatione quam facit conscientia ; quædam ratione culpabilis offensionis : nam propter culpam mortalem obligatur homo, sive tenetur, ad pœnam æternalem ; propter venialem vero, ad pœnam temporalem. Describitur autem tentio sic : Tentio est alieni præcepti, vel prohibitionis (a), vel culpæ, ad agendum, vel non agendum, vel patiendum obligatio : ad agendum, quantum ad præcepta affirmativa; ad non agendum, quantum ad præcepta negativa et prohibitiones; ad patiendum, quantum ad culpam. Triplex est autem absolutio prædictæ triplicis rationis, scilicet impossibilitas, dispensatio, et pœnitentia.

Omissio quid.

Obligatio multiplex.

Negligentia est debitæ circumstantiæ derelictio in bono opere faciendo. Circa quam Negligentia quid.

(a) *Cæt. edit. add.* vel propriæ, assensus, *sine sensu.*

breviter sunt videnda tria, scilicet ejus originatio, denominatio, concomitatio. Oritur autem negligentia ex torpore, unde dicit Gregorius [1] : « Duo sunt in bonis operibus timenda, desidia scilicet et fraus. » Desidiam facit minor amor Dei; fraudem, major amor sui. Item desidia per torporem nascitur; fraus, per privatam dilectionem. Fraus ista sic notificatur. Fraudem in opere Dei perpetrat, qui se inordinate diligens, ad remunerationis transitoriæ bona festinat. Tripliciter autem fraus ista committitur : aut cum cordis humani gratia, aut favoris aura, aut cum quælibet res exterior desideratur. Ut enim bonum opus bene fiat, requiritur bonus finis; quem qui omittit, fraudatur. Requiruntur et aliæ circumstantiæ, ut locus, tempus, modus; quas qui omittit, utique negligit. Nominatur autem duplici vocabulo, scilicet negligentia, et desidia : quæ si large accipiantur, communia sunt ad quamcumque omissionem, tam actus debiti, quam circumstantiæ. Si vero accipiatur stricte per omissionem circumstantiæ, tunc desidia magis respicit communem significationem. Desidia dicitur quasi *desistentia* : negligentia vero magis respicit significationem propriam, scilicet omissionem circumstantiæ debitæ, quasi *non diligentia* : quæ diligentia circumstantias diligenter prosequitur. Sunt autem comites negligentiæ, torpor et pigritia; quæ quamvis sint idem, tamen pigritia dicitur eo, quod pigeat difficultas laboris. Torpor vero aspicit appetitum quietis. Triplex est autem torpor sive pigritia, scilicet infirmitatis naturalis, sicut in flegmaticis, et est pœna, et non culpa; et est torpor infirmitatis acquisitæ ex culpa præcedente, ut in ebriosis et gulosis, et talis non excusat secundum quosdam; et est torpor libidinosus, et dicitur torpor captatus, et ille torpor est voluntas recusans facere bonum difficile, eo quod difficile. Et talis torpor, sive pigritia, cum sit peccatum, reprehenditur in Scripturis.

Fraus. Desidia. Torpor.

[1] Greg., *Moral.*, lib. IX, c. XVII.

SECTIO IX.

De commissione.

Sequitur videre de commisso. De quo est breviter videndum, et adjungendum quod est transgressio legis divinæ prohibentis, quantum ad præcepta negativa. Potest autem aliquid committi contra naturam; et hoc dupliciter, scilicet : contra naturam communem hominibus et brutis, ut quod masculus pro femina sit, et hoc est peccatum sodomiticum; aut contra naturam particularem, ut in natura angelica, aut humana, et hoc est naturale judicatorium dictans malum esse fugiendum, et bonum faciendum. Ista natura dictat, quod debemus Deo obedire, Deum colere et diligere. Dictat etiam quod proximo debemus facere, quod nobis volumus fieri ab eodem; et quod nobis nolumus fieri, alii non debemus irrogare. Sic largo modo, omne peccatum quod committitur, est contra naturam. Potest etiam aliquid contra legem committi; et hoc dupliciter variatur: nam lex prohibet aliquid quantum ad omne tempus, et hoc est prohibitum quia est malum, et sic sunt prohibitiones Decalogi; prohibet etiam aliquid non simpliciter, sed ad tempus, et sic sunt prohibitiones cæremonialium, et hoc est malum quia prohibitum. Committi potest etiam aliquid contra consuetudinem, et hoc est quod committitur contra mores. Proprie autem loquendo, mos non scriptus dicitur consuetudo; mos vero scriptus constitutio nominatur. Nota tamen quod facere contra consuetudinem conservativam honesti, est peccatum; facere contra consuetudinem destructivam honesti, sanctum est; facere contra consuetudinem indifferentem, malum non est. Honestum autem est, quod sua vi nos trahit, et sua dignitate nos allicit. Item nota, quod lex respicit honestum; consuetudo sive constitutio respicit utile, quod est conservativum honesti.

Peccatum contra naturam. Peccatum contra legem. Peccatum contra consuetudinem.

SECTIO X.

De errore, pravo judicio, et personarum acceptione.

Sequitur de divisione peccati in peccatum cordis, oris, et operis. Et primo aliquid de peccato cordis breviter videamus; et primo de ejus diffinitione, postea de differentiis.

Peccatum cordis quid.

Peccatum cordis sic diffinitur: Peccatum cordis est transgressio legis divinæ per inordinationem intrinseci motus mentis. Differentiæ autem ejus sunt peccatum cogitationis, delectationis, et consensus. De peccato delectationis visum est supra [1], cum de peccato actuali ageretur. Ad peccatum cogitationis pertinet error, pravum judicium, et acceptio personarum. Ad peccatum consensus reducitur peccatum conscientiæ. Quantum ad peccatum cogitationis, primo videndum est de ipsa, deinde de pravo judicio, postremo de personarum acceptione. Cogitationum alia speculativa pure, et ista non est peccatum; alia practica, sive affectiva. Prima est in conspectu mentis, et est involuntaria, quantum est de se; secunda in aspectu cum affectu, et est voluntaria, et ideo potest esse peccatum.

Error.

Error quidam est infirmantis, qualis est in febricitantibus, quibus dulcia videntur amara; quidam est infirmitatis naturalis originalis, quo corrumpitur ratio in judiciis, et frequenter deviat. Iste error, quia non est voluntarius, non est peccatum, sed pœna peccati. Quidam est error perversæ voluntatis, cujus est habere falsa pro veris. Talis autem error aut est contra fidem vel bonos mores, et ille semper est peccatum. Si non est contra fidem vel bonos mores, tunc aut accidit in his quæ sunt supra judicium humanum, ut judicare de intentionibus cordium, et sic semper est peccatum, quia tunc usurpatur quod solius Dei est; aut accidit in his, quæ subsunt judicio humano, ut errare in logicis, naturalibus et mathematicis, et tunc non est peccatum.

Pravum judicium

Pravum judicium recipit diffinitionem et distinctionem. Diffinitur autem sic: Pravum judicium est ex errore proveniens temeraria sententia, vel suspicio mali de occcultis aliorum. Error est habere ignota pro notis. Sententia est in asserendo (*a*), vel diffiniendo quod ita est. Suspicio est in opinando cum dubitatione temeraria, etiam sententiando quæ ad ipsum non pertinent. Distinguitur autem humanum judicium secundum hunc modum: judicium aliud est certitudinis, aliud temeritatis, aliud suspicionis. Primum, scilicet judicium certitudinis, non est peccatum, quia de manifestis licite judicamus. Secundum judicium temeritatis est triplex, videlicet diffinitionis, arguitionis, assertionis. Diffinitionis, cum quis de futuris male judicat: nam de alicujus correctione desperare, et eum tanquam abjectum reprehendere, qui nunc apparet malus, cum nesciamus qualis futurus sit, temerarium judicium est. Arguitionis, cum quis judicat de his, quæ ad eum non pertinent, de quo Paulus dicit [2]: *Tu quis es, qui alienum servum judicas?* Assertionis, cum quis judicat de occultis. Glossa super prædictum locum: « De quibus incertum est quo animo fiant, sine periculo nemo judicat. » Augustinus, vel Beda, super illud dictum Christi [3]: *Nolite judicare,* dicit, « hoc loco, nihil aliud nobis præcipi, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. » Primum est perniciosum; secundum præsumptuosum; tertium suspiciosum (*b*). Tertium judicium, scilicet suspicionis, est triplex, scilicet: suspicionis violentæ, quando omnia signa apparent mali, nulla vel pauca boni; temerariæ, quando multa boni, pauca mali; levis, quando multa mali, pauca boni. Primo modo non est peccatum; secundo, veniale grave; tertio, veniale parvum. Nota, quod judicium certitudinis nec veniale est, nec mortale. Judicium temeritatis men-

[1] Supra, sect. v, pag. 340. — [2] *Rom.*, XIV, 4. — [3] *Matth.*, VII, 1.

(*a*) *Cat. edit.* asserentia. — (*b*) superstitiosum.

suratur juxta illud Salvatoris [1] : *In quo judicio judicaveritis, judicabimini.* Glossa : « Si quem judicaveris temerarie damnatione veniali, venialiter condemnaberis; si damnatione mortali, mortaliter condemnaberis. » Et hoc intellige sine præjudicio. Judicium suspicionis, quandiu manet in suspicione, non est mortale, nisi veniat in assertionis judicium.

Personarum acceptio. Circa personarum acceptionem attendendum est quantum ad diffinitionem, et differentiam triplicem. Diffinitur autem sic : Personarum acceptio est injustitia qua præfertur persona personæ propter causam indebitam. Differentiæ acceptionis personarum sunt tres. Una committitur in honoris exhibitione ; de qua Jacobus dicit [2] : *Fratres mei, nolite habere fidem Jesu Christi in personarum acceptione.* Alia est in judicii executione ; de qua in Deuteromio [3] : *Non accipies personam in judicio.* Alia in promotione ad dignitates, quæ prohibetur in electione David, cui non prætulit Dominus fratres suos propter vultus pulcritudinem, seu propter altitudinem staturæ.

SECTIO XI.

De peccato consensus, et de peccato contra conscientiam, et de perplexitate.

Consensus quid. Sequitur videre de peccato consensus, ubi primo videndum est de ipso consensu, quid est; secundo, de peccato contra conscientiam; tertio, de differentiis perplexitatis. Consensus diffinitur sic : Consensus est nutus voluntatis spontaneus, vel motus animi liber sui. Et cum nihil ita sit in potestate nostra, sicut consentire, vel dissentire; hinc est, quod consummatur ibi omne peccatum. Initiatur enim in cogitatione, crescit in delectatione, perficitur vero in consensu.

Ad intelligentiam, quo modo peccatur quando agitur contra conscientiam, multiplicitas conscientiæ attendenda est. Conscientia. Conscientia enim uno modo dicitur superior pars rationis, quam Græci synderesim vocant, et apud nos scintilla conscientiæ potest dici. Hæc diffinitur a Basilio sic [4] : « Conscientia est naturale judicatorium faciendi, vel non faciendi. » Differunt tamen secundum rationem synderesis, et conscientia : nam synderesis judicat faciendum, id est dignum fieri; conscientia vero judicat faciendum, id est debitum fieri. Alio modo dicitur conscientia habitus naturalis dictandi bonum vel malum, et sic diffinitur a Damasceno [5]: « Conscientia est lex intellectus nostri naturalis, opposita (a) peccato : » et secundum hoc, conscientia nunquam errat. Tertio dicitur conscientia opinio habita de agendis, vel non agendis, id est debitis fieri, vel non fieri, formata. De qua Apostolus [6]: *Quidam cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant.* Et alibi [7]: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Glossa : « Id est, omne quod est contra conscientiam. » Isto tertio modo, conscientia est habitus acquisitus, frequenter erroneus in judicando esse faciendum, quod non est faciendum, et e converso. Potest autem dictare conscientia, tertio modo dicta, aliquid secundum legem Dei, præter legem Dei, contra legem Dei : et est hic sermo de dictamine conscientiæ per modum præcepti sive prohibitionis, non per modum consilii vel persuasionis. Primo modo conscientia ligat simpliciter et universaliter, quia legi Dei concordat, qua conscientia ostendit esse ligatum. Secundo modo conscientia ligat, quandiu manet : unde tenetur homo vel eam deponere, vel, quod dictat, opere adimplere; utpote si dictat conscientia, quod levare festucam de terra est necessarium ad salutem. Tertio modo conscientia non ligat ad faciendum, vel non faciendum, sed potius ad se deponendum : Conscientia erroneæ. quia cum talis conscientia sit erronea, et error ille repugnet legi divinæ, necessario,

[1] *Matth*,, VII, 2. — [2] *Jac.*, II, 1. — [3] *Deut.*, XVI, 19. — [4] Basil., hom. *in princip. Prov.* — [5] Damasc., *de Fid. Orth.*, lib. IV, c. XXIII. — [6] I *Cor.*, VII 7. — [7] *Rom.*, XIV, 23.

(a) *Cæt. edit.* apposita.

quandiu durat, ponit hominem extra statum salutis, utpote si dicat peccatrix alicui : « Moriar, si non cognoscas me : » et ille incipiat habere conscientiam de mortali, si non cognoverit peccatricem ; non est in statu salutis, ipsa conscientia perdurante : quia si non cognoscit eam, peccat mortaliter contemnendo Deum, cum dictet conscientia hoc Domino displicere ; si cognoscit eam, facit contra præceptum Domini.

Perplexitas triplex. Perplexitas nascitur ex errore conscientiæ. Est autem triplex perplexitas : prima est circa intelligentiam (*a*) verborum sacræ Scripturæ, quæ videntur sibi repugnare ; secunda est circa intelligentiam (*b*) faciendorum, de qua Paulus[1] : *Quid oremus, nescimus*, etc. Tertia est inevitabilitas peccandi. Prima dissolvitur per distinctionem et considerationem causarum dicendi utrumque ; secunda dissolvitur per inspirationem Spiritus sancti, quæ est unctio docens de omnibus per meritum orationis, de qua Jacobus dicit[2] : *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo*, etc. Et[3] *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Tertia dissolvitur per depositionem erroneæ conscientiæ.

SECTIO XII.

De mendacio, perjurio, et contentione.

Peccatum oris. Sequitur videre de peccato oris, quod pluribus differentiis variatur. Peccata enim oris sunt mendacium, in quo veritas destruitur ; perjurium, in quo veritas contemnitur ; contentio, in qua (*c*) veritas impugnatur : est enim contentio veritatis impugnatio cum confidentia clamoris. Hæc tria præcipue sunt contra veritatem. Ista vero contra bonitatem sunt : scurrilitas, quæ est contra honestatem ; vaniloquium, sive multiloquium, quod est contra utilitatem ; adulatio, quæ est contra rectitudinem in laude aliena ; jactantia, quæ est contra rectitudinem in laude propria ; blasphemia, quæ est contra rectitudinem in vituperium Dei ; maledictum, quod est contra rectitudinem in vituperium proximi, quantum ad pœnam ; contumelia, quæ est contra rectitudinem in vituperium proximi, quantum ad culpam apertam, quæ improperatur ; detractio, quæ est contra rectitudinem in vituperium proximi, quantum ad occultam culpam.

Mendacium. De mendacio est videre quantum ad diffinitionem, et divisionem. Diffinitur autem ab Augustino[4] sic : « Mendacium est falsa signatio vocis, cum intentione fallendi. » Et nota, quod cum mentiri sit *contra mentem ire*, potest homo mentiri dicendo falsitatem ex certa scientia ; item potest homo mentiri dicendo veritatem, quia, quamvis sit verum quod loquitur, tamen aliud sentit in conscientia. Item potest homo dicere falsum non mentiendo, nec peccando, ut quando fallitur, adhibita tamen debita diligentia. Dividitur autem mendacium divisione trimembri, scilicet in mendacium officiosum, perniciosum, jocosum. Officiosum est, quod juvat ; perniciosum, quod nocet ; jocosum, quod delectat. Dividitur autem divisione octimembri sic[5] : Octo sunt genera mendaciorum : primum, quod fit in doctrina religionis, ut dicere Christum non esse de Virgine Maria natum ; secundum, quod nulli prodest, et alicui obest, ut mendacium detractionis, et si quis est testis falsus in causa criminali ; tertium, quod alicui obest, ut prosit alii, ut quod aliquis sit testis falsus in causa pecuniaria ; quartum, quod fit solum mentiendi libidine ; quintum, quod fit cupiditate placendi aut delectandi suavi eloquio, ut mendacium adulationis ; sextum, quo quis mentitur pro conservanda pecunia alicujus ; septimum, quo quis mentitur pro conservanda vita alterius ; octavum, quo quis mentitur pro conservanda castitate alterius. Nullo horum mendaciorum est men-

[1] *Rom.*, VIII, 26. — [2] *Jac.*, I. 5. — [3] II *Paralip.*, XX, 12. — [4] Aug., *cont. Mend. ad Consent.*, c. XII. — [5] *Cf.* ibid., c. XIV.

(*a*) *Cœl. edit.* est intelligentiæ. — (*b*) *Item* est intelligentia. — (*c*) *Cœl. edit.* quo.

tiendum. Dat autem talem regulam Augustinus [1], quod quanto aliquid mendacium magis accedit (a) ad primum, tanto majus est peccatum; et quanto magis recedit a primo mendacio, tanto minus est peccatum.

Post mendacium, quo veritas destruitur, sequitur perjurium, quo veritas contemnitur. Sed quia perjurium est violatio juramenti, prius videndum est de juramento quantum ad essentiam, et sic jurare est invocare Deum in testem suæ locutionis; quantum ad licentiam, et sic jurare licet propter pacem et justitiam conservandam, vel amicitiam confirmandam; propter veritatem astruendam, et sic Paulus frequenter jurabat; propter calumniam vitandam, sicut jurant actor et reus; propter fidelitatem servandam, sic jurant principes regi; quantum ad formam, et sic est forma concessa, ut jurare per Deum, et hæc variatur: nam in Veteri Testamento dicebatur: *Vivit Dominus*, id est per Deûm vivum; in Ecclesia primitiva dicebatur: *Testis est mihi Deus*, id est testem Deum invoco; modo vero dicitur: *Per Deum;* et est forma non concessa, ut jurare per idola. Quantum ad comites, et sic dicitur quod juramentum tres debet comites habere, scilicet veritatem, quæ debet esse in conscientia, ut noverit ita esse; judicium, ut discrete juret, et cum deliberatione; justitiam, ut quod juratur sit licitum et honestum. Quantum ad differentias, quæ sunt duæ, scilicet juramentum assertorium, ut quando juratur vel de præsenti, vel de præterito, ita esse vel fuisse; promissorium, ut cum jurat aliquis de futuro aliquid se facturum. Modo videri potest perjurii diffinitio, quæ est talis [2]: Perjurium est mendacium juramento firmatum. Potest etiam videri distinctio, quæ est hæc: « Perjurium dicitur falsa juratio. » Item, perversa juratio: quod fit, quando est illicitum quod juratur. Tertio dicitur transgressio juramenti.

Juramentum.

[1] Aug., *cont. Mend. ad Consent.*, c. XIV. — [2] Mag. *Sent.*, lib. III, dist. XXXIX; vid. sup., tom. V, pag. 198.—
(a) *Item* accedat.

SECTIO XIII.

De adulatione, maledicto et detractione.

Sequitur videre de adulatione, maledicto et detractione, quæ contra rectitudinem laudis et vituperii committuntur. Adulatio autem diffinitur sic: Adulatio est sermo laudis alicui exhibitus, intentione placendi. Distinguitur autem sic: est enim quædam adulatio, quæ bonum non habitum attribuit; quædam, quæ habitum extollit, dicendo majus esse, quam sit; quædam est, quæ malum nutrit, laudando malum, et dicendo esse bonum et licitum; unde in *Psalmo* dicitur [3]: *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur;* quædam est, qua homo homini vult placere, non propter Deum, laude tamen vera; de qua Paulus [4]: *Si adhuc hominibus placerem,* id est placere vellem non propter Deum, *Christi servus non essem.*

Adulatio quid.

Maledictum quadrupliciter variatur. Est enim maledictum surreptionis, de quo dicit Augustinus [5]: « Si enim cum omni facilitate et temeritate maledixerimus, ad minima pertinet peccata. » Lasciviæ est, cum alicui non ex animo maledicimus, de quo dicit Hieronymus: « Qui negligit oris maledici resecare consuetudinem, etsi non corde maledicat, immunditiam tamen labiorum, et oris inquinamentum incurrit. » Est et maledictum odii, quod ex malo corde procedit zelo vindictæ. Quartum est maledictum justitiæ, quod ex charitate procedit, scilicet cum alicui amico nostro maledicimus ad ejus correctionem. De his duobus ultimis dicit Gregorius [6]: « Scriptura sacra duobus modis maledictum commemorat; aliud quod approbat, aliud quod condemnat. Aliter enim profertur amore justitiæ, aliter amore vindictæ. »

Detractio sic diffinitur: Detractio est alie-

Detractio.

[3] *Psal.* X, 3. — [4] *Galat.*, I, 10. — [5] *De Sanct.*, serm. XLI, qui est CIV, n. 3, Append. tom. V, inter Oper. S. Aug. *de Anim. defunctor.*, ante med. — [6] Greg., *Moral.*, lib. IV, c. VI.

næ famæ denigratio. Committitur autem sex modis, scilicet cum bonum negamus, quod novimus esse factum; vel cum tacemus, ne fiat aliis manifestum; vel cum pervertimus, dicendo illud mala intentione esse factum; item malum occultum revelando, in casu non concesso; vel augmentando, dicendo majus esse, quam sit: vel adinveniendo mendaciter malum, quod factum non fuit. Tenetur autem detractor ad restitutionem bonæ famæ, quam abstulit. Majus enim bonum aufert detractor, quam raptor : et[1] « non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. »

SECTIO XIV.

De peccato operis.

De peccato operis breviter est videndum, quantum ad diffinitionem, et distinctionem ab offensa voluntatis, et superadditionem ad malitiam voluntatis. Est autem peccatum operis transgressio legis divinæ per inordinationem extrinseci motus mentis. Ad peccatum operis reducitur peccatum consuetudinis : peccamus enim cogitatione, delectatione, consensu, verbo, opere, et consuetudine. Peccatum autem operis comparari habet ad peccatum voluntatis interioris, prout sunt conjuncta; et sic sunt unum peccatum, pro eo quod est ibi unus contemptus, et una aversio. Unum, inquam, sunt, loquendo formaliter, cum sit ibi una deordinatio prævia. Loquendo tamen materialiter, plura sunt peccata, quia plura sunt deordinata, scilicet voluntas interior, et actus exterior. Si autem hæc duo ad invicem comparentur tanquam disjuncta, ita quod unus peccet voluntate tantum, alius voluntate et opere; tunc diversa sunt peccata, non solum materialiter, sed etiam formaliter. Superaddit vero malitia operis super malitiam voluntatis, quando voluntas mala non vult in opus procedere, quia tunc non est omnino plenus consensus. Nam si actus operis subsequatur contemptum, aversio et conversio consummantur. Si autem voluntas mala vult in opus malum procedere, sed non potest, tunc distinguendum est : nam unum peccatum majus altero tripliciter judicatur, scilicet : aut ratione majoris contemptus Dei, et sic opus non addit ad iniquitatem voluntatis; aut ratione majoris delectationis et libidinis, et sic opus aggravat, maxime quantum ad genus carnalis peccati, quo peccat quis in seipso; aut ratione majoris damnificationis, et sic opus addit ad malam voluntatem, maxime quantum ad genus peccati, quo quis peccat in proximum. Quantumcumque enim velit quis fornicari, non tantum delectatur in voluntate, quantum in opere. Et quantumcumque velit quis occidere, non tantum nocet volendo, quantum actualiter occidendo.

Peccatum operis.

SECTIO XV.

De septem vitiis capitalibus in generali.

Sequitur videre de divisione peccati in septem vitia capitalia, quæ sunt: Superbia, invidia, ira, acidia, avaritia, gula, luxuria. De quibus primo videndum est in generali, deinde de singulis in speciali. In generali tria sunt in vitiis capitalibus attendenda, scilicet diversa nominatio, connexiva ordinatio, sufficiens assignatio. A beato Gregorio[2] et aliis doctoribus sic nominantur : « Superbia, invidia, ira, acidia, avaritia, gula, luxuria. » Ab Isidoro[3] sic : « Gastrimargia, fornicatio, philargyria, tristitia, acidia, cenodoxia, superbia. »

Item superbiam quidem, et cenodoxiam sive vanam gloriam, distinxit Isidorus. Sed Gregorius conjunxit, quia idem sunt in re, differentes tantum ratione. Superbia enim dicitur, quando aliquis sibi magnus apparet intra animum, vana gloria est, quando aliquis nititur magnus apparere per laudem in facie aliorum. Similiter Isidorus distinxit acidiam, et tristitiam; sed Gregorius con-

[1] Aug., *ad Maced.*, epist. LIV. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII. — [3] Isid., *in Deut.*, c. XVI.

junxit, quia idem sunt in re, sed differunt ratione. Idem enim motus est in acidia, et tristitia, differens ratione terminorum. Nam secundum aversionem et recessum ab arduo gravi, dicitur tristitia; secundum vero accessum et conversionem ad levia, dicitur acidia : ut quia isti est grave surgere ad matutinas, tristis avertit se; quia vero leve est ei quiescere, acidiosus convertit se.

Vitiorum connexio. Ordinantur autem vitia capitalia secundum connexionem, qua fit, ut unum ex altero proferatur. Nam superbus non vult subesse majoribus; vult præferri æqualibus; vult conculcare minores. Et si non potest, invidet majoribus, quia principantur; æqualibus, quia prosperantur; minoribus, quia exaltantur. Et cum sic nihil proficiat, concipit iram de facili ad majores, mediocres, et minores. Deinde decidit in acidiam, qua mentis tranquillitas perturbatur. Et tunc cum interiorem consolationem amiserit, ad exteriorem per avaritiam se convertit, et sic factus opulentus immoderate per ingluviem farcit ventrem, et postremo ad luxuriam resolvit carnem, a summo rationis vertice, usque ad carnis infimum depravatus. Sic patet quod quinque prima sunt spiritualia, duo vero ultima sunt carnalia.

Numerus vitiorum capitalium. Accipitur autem sufficientia septem capitalium vitiorum, penes pronitatem ad apparens bonum. Hæc autem pronitas, si est respectu boni, quod respicit spiritum secundum se, potest esse quadruplex, secundum quatuor conditiones boni, ad quod appetitus hominis inclinatur. Appetit enim quis bonum sub ratione dignitatis, et sic est superbia; aut sub ratione proprietatis, et sic est invidia; aut sub ratione securitatis, et sic est ira; aut sub ratione quietis et tranquillitatis, et sic est acidia. Si vero sit pronitas respectu boni quod respicit carnem, sive spiritum in carne, sic potest esse tripliciter. Nam spiritus carnalis appetit bonum sub ratione sufficientis, et sic est avaritia; aut sub ratione demulcentis, et sic est luxuria; aut sub ratione reficientis, et sic est gula. Et ex hoc patet numerus et sufficientia vitiorum capitalium.

SECTIO XVI.

De differentia inter capitale vitium, initium peccati, et radicem malorum.

Attendenda est differentia inter capitale vitium, peccati initium, et radicem malorum. Capitale vitium dicitur, quia sicut caput est membrum principale et completum, et aliorum membrorum principium quantum ad motum et sensum; sic vitium quod dicitur capitale, nominat peccatum completum, a quo alia vitia oriuntur. Initium vero nominat proprie illud, in quo actus inchoatur. Radix autem illud, a quo nutrimentum trahitur, et fomentum. Unde cum peccatum nutrimentum trahat ex parte appetibilis, et dicat recessum a Deo; hinc est, quod initium peccati attenditur ex parte aversionis, radix vero ex parte conversionis. Et sic aversio est ratione contemptus, conversio vero est ratione cupiditatis et libidinis. Et ideo superbia dicitur initium omnis peccati, cupiditas radix omnium malorum. Caput peccati.

Dicitur autem initium peccati tripliciter, sive nominatur : aut prout dicit recessum liberi arbitrii a lege majestatis, et sic superbia, sive contemptus Dei, dicitur initium peccati, quia qui præceptum transgreditur Creatoris, a superbia incipit et contemptu; aut a lege veritatis, et sic error dicitur initium peccati, quia, sicut dicit sapiens[1] : « Omnis malus, ignorans. » Et vere ab ignorantia incipit et errore, quia æterna deserit pro terrenis. Aut a lege bonitatis, et sic insipientia dicitur initium peccati; unde Chrysostomus super illud Psalmi[2], *A facie insipientiæ meæ*, dicit[3], quod omnis peccati initium insipientia est. Insipientia enim est contraria sapientiæ, in qua divina bonitas prægustatur. Merito ergo Initium peccati.

[1] Arist., *Ethic.*, lib. III, c. I. — [2] *Psal.* XXXVII, 6. — [3] Chrysost., *in Joan.*, c. V, hom. IV.

ab insipiditate dicitur inchoare, qui potius in malitia peccati, quam in suavitate Dei elegit delectari.

Radix. Radix etiam peccati, sive mali, quæ circa peccatum dicit libidinis pronitatem, tripliciter potest sumi, scilicet : generalissime, cum dicitur : « Cupiditas, sive libido est radix omnium malorum ; » generaliter, ut cum dicitur : « Duplex est radix malorum, scilicet amor male accendens, et timor male humilians, sive dejiciens : amor est respectu boni, timor respectu mali ; » minus generaliter, ut cum dicitur, quod triplex est radix peccati, scilicet [1] concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Et sic patet ex prædictis, quo modo accipiatur vitium capitale. Patet etiam, quod *initium* dicitur aliquando de superbia, aliquando de errore, aliquando de insipientia. Patet nihilominus, quod aliquando dicitur una radix, aliquando duæ, aliquando tres.

SECTIO XVII.

De Superbia.

Jam de singulis vitiis capitalibus est videndum : et primo de superbia, circa quam tria sunt attendenda, scilicet diffinitio, differentia, et gradus. Superbia diffinitur sic a Bernardo [2] : « Superbia est propriæ excellentiæ appetitus. » Sic ab Augustino [3] : « Superbia est amor propriæ excellentiæ. » Item ab eodem [4] : « Superbia est perversæ celsitudinis appetitus. »

Superbia, secundum Gregorium [5], habet quatuor differentias : prima est, quando homo attribuit sibi bonum, quod habet; secunda est, quando, etsi non sibi, tamen suis meritis; tertia est, quando jactat se habere, quod non habet ; quarta est, quando se existimat aliis prævalere. Unde versus :

A se, pro meritis, falso, plus omnibus inflat.

Secundum Anselmum [6], quatuor sunt exaltationis species : quædam est exaltatio in opinione ; quædam in voluntate; quædam in sermone; quædam in opere. Exaltatio in opinione est, cum quis reputat se dignum episcopatu , vel aliqua dignitate, tamen nollet eam habere. Exaltatio in voluntate est, cum quis vellet habere episcopatum, tamen non reputat se dignum, vel etiam opinatur. Exaltatio in sermone est, quando nec se dignum reputat, nec vellet habere ; tamen loquitur ampullosa de aliqua scientia, ut magis appareat. Exaltatio in opere est, quando aliquis nec se dignum reputat, nec vellet habere, nec loquitur magna; tamen exaltatur in opere, ut quando vocatur ad consilia, et hujusmodi.

Gradus superbiæ, secundum Bernardum [7], sunt duodecim, scilicet : curiositas, levitas mentis, inepta lætitia, jactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas peccandi, consuetudo. His quasi quibusdam passibus, superbus diligenter ad finem, quem intendit, pervenit. Curiositas est, quando superbus diligenter inquirit rumores, scilicet quid de ipso dicatur. Levitas mentis est, quando leviter aliquis mutatur de delectatione ex verbis laudis, in tristitiam propter verba vituperii. Inepta lætitia est, quando lætatur ex defectibus et criminibus aliorum. Jactantia est, quando narrat ea quæ habet, ut laudetur. Singularitas est, quando præter consuetudinem aliqua singulariter operatur, ut solus appareat et laudetur. Arrogantia est, quando jactat se habere, quod non habet. Præsumptio est, quando ingerit se ad faciendum, quod ad eum non pertinet. Defensio peccati est, quando peccatum suum et errorem defendit, et excusat quis manifeste et aperte. Simulata confessio est, quando peccatum suum excusat occulte. Rebellio, quando dissidet, scilicet superioribus, paribus et inferioribus; superioribus obviat,

[1] I *Joan.*, III, 16. — [2] Bern., *Epist.*, XLII, ante med. — [3] Aug., *de Gen. ad litt.*, lib. XI, c. XIV. — [4] Id., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. XIII. — [5] Greg., *Moral.*, lib. XXIII, c. IV. — [6] Anselm., *de Similit.*, c. XXI. — [7] Bern., tract. *de grad. Humil.*, § *Primus itaque*, etc.

inferiores opprimit, pares molestat et perturbat. Tunc libertas peccandi succedit, quia nec Deum timens, nec homines reverens, peccat libere, consuetus ad mala, in profundum decidens peccatorum.

SECTIO XVIII.

De inani gloria.

Sequitur videre de inani gloria, quæ idem est, quod superbia, secundum rem, ab eadem differens ratione. Circa quam breviter videnda sunt quatuor, scilicet : diffinitio, oppositio, differentiæ, et filiæ.

Inanis gloriæ diffinitio

Inanis gloria sic diffinitur : Inanis gloria est amor laudis propriæ, propter excellentiam apparentem. Inanis gloria ad humilitatem habet opponi. Humilitas autem quatuor habet actus, et sic habet quatuor oppositiones. Primus actus est, velle subjici ; et sic opponitur superbiæ large sumptæ. Secundus est, de se parva sentire; unde Augustinus dicit : « Humilitas est sensus propriæ parvitatis ; » et sic opponitur tumori, vel elationi. Tertius est, velle subesse omnibus, scilicet superioribus, paribus, et inferioribus; et sic opponitur superbiæ stricte sumptæ, quæ est amor propriæ excellentiæ. Quartus est, de se velle parva dici ; et sic opponitur inani gloriæ.

Habet inanis gloria duas differentias formales, scilicet appetitum favoris, et appetitum laudis. Favor est excellentia alicujus in corde, laus in ore. Tres autem habet differentias materiales, quæ ponuntur in Hieremia, ubi dicit[1] : *Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, dicit Dominus.* Cum gloria sit beatissimæ Trinitatis propria, non est gloriandum in sapientia, quæ attribuitur Filio ; nec in fortitudine, quæ attribuitur Patri; nec in divitiis, tam temporalibus, quam spiritualibus, quæ attribuuntur Spiritui sancto.

Inanis gloriæ, secundum beatum Gregorium[2], septem sunt filiæ, scilicet : inobedientia, jactantia, hypocrisis, incontinentia, pertinacia, discordia, novitatum præsumptio. Inobedientia est voluntas fugiens minorationem potestatis, nolens subjacere superioribus in debitis. Jactantia est voluntas, propter apparentem potestatem propriam, se ostentans. Hypocrisis est voluntas per speciem sanctitatis se simulans fallaciter in aperto, et viliter agens in occulto, sive intentione, sive opere. Incontinentia est voluntas, per conformationem sui, ab his, qui mali sunt, laudari appetens. Pertinacia est voluntas fugiens minorationem probitatis, dicta vel facta sua irrevocabiliter defendens. Discordia est voluntas fugiens minorationem sapientiæ, ab his, quæ ab aliis dicuntur, dissentiens. Novitatum præsumptio est voluntas excedens qualitatem sui ordinis, propter apparentem novitatem scientiæ, vel sapientiæ, ostentari cupiens. Isidorus vero, distinguens inter superbiam et inanem gloriam, propter differentiam rationis, dicit[3], quod de superbia oriuntur contemptus, invidia, inobedientia, blasphemia, murmuratio, detractio, et plura alia. De inani gloria vero, secundum eumdem, oriuntur contentiones, hæreses, jactantia, et præsumptio novitatum.

SECTIO XIX.

De Invidia.

Sequitur videre de invidia quantum ad quinque, scilicet quantum ad diversam nominationem, diversam diffinitionem, oppositionem, differentias, et filias.

Invidia dicitur aliquando nomine iræ, ut dicitur in *Genesi*[4] : « *Quare irasceris* (*a*)? » Glossa : « Id est (*b*), livore torqueris ». Aliquando nomine odii, ut habetur in eodem[5] : *Oderant eum fratres*, id est invidebant.

[1] *Jerem.*, IX, 23-24. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XXVII. — [3] Isid., *in Deut.*, c. XVI. — [4] *Gen.*, IV, 6. — [5] *Gen.*, XXXVII, 4.

(*a*) Vulg. *iratus es.* — (*b*) *Cæt. edit.* Gloss. 1.

Aliquando nomine æmulationis, sicut constat ex primo *Regum* [1] : *Affligebat eam æmula ejus*. Tamen æmulatio quatuor habet significationes hoc versiculo comprehensas :

Æmulus (*a*) inflatur, amat, invidet, ac imitatur.

Aliquando nomine proprio; et sic Damascenus dicit [2], quod quatuor sunt species tristitiæ, scilicet acidia, quæ est tristitia aggravans; achos [3], quæ est tristitia vocem auferens; misericordia, quæ est tristitia de alieno malo; invidia, quæ est tristitia de alieno bono.

Diffinitur autem sic invidia ab Augustino [4] : « Invidia est odium felicitatis alienæ. » A Remigio sic : « Invidia est dolor de alieno bono. » A Damasceno [5] : « Invidia est tristitia de alienis bonis. » A Philosopho [6] : « Invidia est tristitia in apparenti felicitate alicujus inimicorum. » Item aliter : « Invidia est dissensio ab alieno bono, existimato diminuere proprium. »

Differentiæ invidiæ materialiter assignatæ secundum Augustinum [7] sunt tres, scilicet invidere superioribus, paribus, et minoribus, sive inferioribus. Invidet enim homo superioribus, quia eis non æquatur; paribus, quia in melius prosperantur; inferioribus, ne ei æquentur.

Opponitur autem timor Domini superbiæ, ratione humilitatis quam generat; et pietas invidiæ, ratione charitatis ex qua generatur. Prima enim et potissima filia charitatis est pietas, quæ ad omnia valet.

Filiæ invidiæ secundum beatum Gregorium [8] sunt quinque, scilicet odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio in prosperis ipsius. Odium est voluntas affectans proximo malum, ut careat contristante bono. Susurratio est voluntas loquendi seminans discordias inter fratres, ut persequatur proximum propter ipsius bonum contristans. Detractio est voluntas famam proximorum per verba denigrans, ut destruat in aliorum opinione contristans bonum. Exultatio in adversis proximorum est voluntas procurata in proximi adversitate delectans. Afflictio in bonis proximi est voluntas procurans malum suo desiderio, per eventum prosperitatis contrariæ defraudata.

SECTIO XX.

De Ira.

Sequitur videre de ira quantum ad quatuor, scilicet quantum ad diffinitionem, oppositionem, differentias et filias.

Diffinitur autem ira a Cassiodoro sic : « Ira est animi motus concitatus ad pœnam provocans inferendam. » A Rabano : « Ira est omnis malus motus ad nocendum. » Ab Augustino : « Ira est tristitia ex impotentia ulciscendi. » A Damasceno [9] : « Ira est fervor ejus, qui circa cor est, sanguinis, ex evaporatione fellis, vel perturbatione (*b*) fluens (*c*). » Item ab eodem sic [10] : « Ira est rationis velut satelles et vindex concupiscentiæ (*d*). Item ab eodem : « Ira est desiderium repunitionis. » A Philosopho [11] : « Ira est appetitus contrarii doloris, propter apparentem exanimationem; et appetitus inferendi dolorem sibi adversanti, propter illatam injuriam apparentem : » quæ quodam modo exanimat, per hoc, quod debito ordine hominem quantum ad judicium animæ privat.

Habet autem ira (*e*) oppositionem ad mansuetudinem ratione sui initii, quia mansuetus etiam nunquam vult incipere irasci; (*f*) ad iram per zelum, ratione materiæ. Sunt enim circa eamdem materiam,

[1] I *Reg.*, I, 6. — [2] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. XIV. — [3] Ἄχος — [4] Aug., *Enarr. in Psal.* CIV. — [5] Damasc., loc. cit. — [6] Arist., *Rhetor.*, lib. II, c. X et XII. — [7] Aug., *de Gen. ad litt.*, lib. XI, c. XIII. — [8] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII. — [9] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. XVI. — [10] Ibid. — [11] Arist., *Rhet.*, lib. II, c. II.

(*a*) Cæt. edit. *Æmulor.* — (*b*) *Cæt. edit.* returbatione. — (*c*) *Item* fiens. — (*d*) *Item* id quod est audax mentis concupiscentiæ. — (*e*) *Suppl.* per vitium. — (*f*) *Supp.* similitudinem vero.

scilicet circa personam, ira per vitium, et ira per zelum, quam utraque vult puniri. Sed ira per vitium vult quod persona puniatur, ut sic satietur vindicta personæ; ira vero per zelum appetit punitionem personæ, ut destruat vitium in persona. Breviter ira per zelum vult punitionem personæ cum debitis circumstantiis; ira per vitium cum indebitis. Ad patientiam vero habet ira oppositionem ratione finis, quia patientia extinguit iram, ne procedat. Nam *qui patiens est, iras mitigat suscitatas*, ut testatur Salomon [1].

Species sive differentiæ iræ sunt tres secundum Damascenum [2], scilicet fel, mania, cotus [3]. Fel, sive fellea passio, dicitur subitus animi motus impatiens læsionis. Et accidit ex parte corporis, ex commotione fellis; et ex parte animæ, ex corruptione vis irascibilis : et tunc movetur fel ad vindictam, ut expellatur tristitia. De qua dicit Augustinus : « Ira est commotio passionis illatæ. » Hæc ira cito transit. Mania dicitur manens ira, et memoriæ tradita. Cotus est ira observans tempus ad vindictam.

Filiæ iræ, secundum beatum Gregorium [4], sunt sex, scilicet : rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia. Rixa est audax vindicandi voluntas, in injuriam facti procedens. Tumor mentis est voluntas vindicandi, fugiens adversantem, propter æstimatas inimicitias. Contumelia est voluntas vindicans per exprobrationem malorum. Clamor est voluntas se vindicans in exaltando vocem per vituperium, ad aliorum aures perveniens. Indignatio est voluntas se vindicans per signum molestiæ exterius declaratum. Blasphemia est voluntas se vindicans per opprobrium Deo vel sanctis illatum. Secundum Isidorum [5] sunt tres filiæ iræ, scilicet homicidium, clamor, indignatio; quæ sic distinguuntur : nam vindicta infertur homicidio per manum; clamore, per os; indignatione, per signum.

SECTIO XXI.

De Acidia.

Sequitur videre de acidia quantum ad tria, scilicet quantum ad diffinitionem, oppositionem, et filias. Diffinitur autem sic ab Augustino : « Acidia est tædium interni boni. » A Richardo : « Acidia est torpor animi, bonum inchoare negligentis. » A Damasceno [6] : « Acidia est tristitia aggravans. » A magistris : « Acidia est diffidentia de propriis viribus et auxilio Dei implendi ardua, sive mandata. »

Opponitur autem acidia, in quantum est diffidentia implendi præcepta, virtuti spei, cujus est confidere. In quantum est tædium interni boni, ex quo generatur pusillanimitas, opponitur virtuti fortitudinis. In quantum vero, quod est facile, reputat difficile, opponitur virtuti charitatis, quæ omnia etiam difficilia facit facilia reputari. Quantum vero ad suam essentiam, quæ est tristitia, opponitur gaudio spiritus.

Acidia, secundum beatum Gregorium [7], habet sex filias, quæ sunt videlicet malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, vagatio mentis circa illicita. Malitia est voluntas gravedinis impatiens, machinans malum illius, quem æstimat inferentem. Rancor est voluntas ex impotentia repellendæ gravedinis amaricata, amaritudinem intus clausam per signum exterius manifestans. Pusillanimitas est voluntas immoderate metuens gravedinem in aggressu agendorum, sive de propriis viribus immoderate diffidens. Desperatio est voluntas gravedinem reprimens, de adjutorio ad perficienda agenda diffidens, sive de remuneratione divina, propter sustinentiam gravedinis quæ est in implendis præceptis, diffidens. Torpor est voluntas gravedinis impatiens, tepida, vel pigra ad expletionem

[1] *Prov.*, XV, 18. — [2] Damasc., loc. cit. — [3] Κόλος, μῆνις, κότος. — [4] Greg., loc. cit. — [5] Isid., loc. cit. — [6] Damasc., *de Fid. Orth.*, lib. II, c. XIV. — [7] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII.

agendorum inchoatorum. Vagatio mentis circa illicita, est voluntas interno gaudio destituta, in rebus exterioribus illicitis quietem vel solationem quærens. Secundum Isidorum [1] aliæ sunt filiæ tristitiæ, aliæ acidiæ. Ipse enim tristitiam vocat voluntatem, in quantum a gravi debito se avertit; acidiam vero vocat voluntatem, in quantum se ad quietem indebitam convertit. Dicit ergo: « De tristitia exeunt rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio. » De acidia secundum ipsum oriuntur otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo mentis, corporis instabilitas, verbositas, curiositas.

SECTIO XXII.

De Avaritia.

Sequitur videre de avaritia quantum ad quinque, scilicet quantum ad diffinitionem, comparationem, oppositionem, differentias, et filias. Augustinus, *super Genesim ad litteram*, diffinit sic avaritiam: « Avaritia est appetitus non solum pecuniæ, sed etiam altitudinis et scientiæ. » Idem, in libro *de Civitate Dei* [2]: « Avaritia est libido habendi pecuniam. » Item Tullius diffinit eam sic: « Avaritia est amor immoderatus habendi. »

Comparatur autem avaritia idololatriæ; unde sæpe dicitur *idolorum servitus* in Scriptura. Hoc autem dicitur, quia cultor Dei ad Deum tripliciter comparatur, scilicet diligendo, honorando, et in ipso confidendo: quæ tria in avaro respectu pecuniæ inveniuntur et reperiuntur, propter quod avaritia non immerito dicitur servitus idolorum.

Duplex est etiam actus avaritiæ, scilicet diligere pecuniam, et retinere, sive non dare. Ratione primi actus, avaritia opponitur charitati, quæ bonum diligit incommutabile; ratione vero secundi actus, opponitur largitati, sive liberalitati, quæ dat danda, et retinet retinenda. Duplex quidem est actus largitatis, scilicet dare danda, et retinere retinenda. Cujus duplex est extremitas vitiosa, scilicet prodigalitas, quæ dat non danda, et avaritia, quæ retinet non retinenda. Largitas, sive parcitas, quod idem est, est virtus, tamen ratione actuum differens erit medietas. Si enim (*a*) attendatur oppositio secundum actum dandi, prodigalitas est superfluitas, quæ dat non danda; avaritia est diminutio, quæ nihil dat; largitas est medietas. Si vero ordinatur secundum actum retinendi, avaritia est superfluitas, quæ retinet retinenda, et non retinenda; prodigalitas est diminutio, quæ nihil retinet; parcitas vero est medietas.

Differentiæ avaritiæ sunt quinque, scilicet beneficii subtractio, furtum, rapina, usura, simonia. Subtractio beneficii est avaritia retinens beneficium, quod tenetur dare pauperibus in tempore necessitatis, ut dives indigenti. Furtum est avaritia retinens rem alienam invito domino. Rapina est avaritia per vim occupans rem alienam. Usura est avaritia acquirens per mutuum aliquid præter sortem. Simonia est avaritia studiose appetens vendere vel emere spiritualia, vel spirituali annexum.

Filiæ avaritiæ, secundum Gregorium [3], sunt septem, scilicet proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo mentis, violentia, obduratio contra mentis misericordiam. Proditio est voluntas per deceptionem domesticorum acquirendis inhians. Fraus est voluntas profectum proximi decipiens propter terrenum emolumentum. Fallacia est voluntas per verba decipiens proximum causa lucrandi. Perjurium est voluntas violans sacramentum et juramentum. Inquietudo mentis est voluntas cogitare non cessans, qualiter possit divitias congregare. Violentia est voluntas per vim aliorum bona rapiens. Obduratio mentis contra misericordiam est voluntas concitata adversus postulationem indigentis, ex nimio ardore pecuniæ retinendæ. Secundum Isidorum [4], octo sunt filiæ avaritiæ, scilicet mendacium,

[1] Isid., *in Deut.*, c. XVI. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. XV. — [3] Greg., loc. cit. — [4] Isid., loc. cit.

(*a*) *Cæl. edit.* autem.

fraus, furtum, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentia, inhumanitas, et rapacitas.

SECTIO XXIII.

De Gula.

Gulæ diffinitio

Sequitur videre de gula quantum ad quatuor, scilicet quantum ad diffinitionem, oppositionem, differentias, et filias. Diffinitur autem gula quantum ad excessum in cibo sic : Gula est immoderatus amor edendi. Quantum vero ad excessum in potu dicitur ebrietas, quam diffinit Seneca [1] sic : « Nihil aliud diffinio ebrietatem, quam insaniam voluntariam. » Quantum vero ad excessum cibi et potus, sic potest diffiniri : Gula est immoderatus amor elementi. Item sic : Gula est immoderatus amor delectationis ejus, quæ est circa vel secundum gustum.

Secundum hoc gula potest sumi stricte pro immoderantia in cibo, et sic opponitur ei parcimonia; vel large potest accipi pro immoderantia in cibo et potu pariter, et sic opponitur ei sobrietas, quæ modum servat in utroque.

Differentiæ sive conditiones gulæ, secundum Isidorum [2], sunt quatuor, scilicet quid, quantum, quando, quomodo. *Quid*, ad ipsam rem pertinet; *quando*, si ante legitimum tempus appetat; *quantum*, ad immoderantiam refertur; *quomodo*, si nimis ardenter appetat. Secundum beatum Gregorium [3], sunt quinque differentiæ, hoc versu comprehensæ :

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Præpropere, pertinet ad sumptionem cibi ante tempus; *laute*, pertinet ad cibi substantiam, cum scilicet ex se pretiosus et delicatus est; *nimis*, ad cibi quantitatem; *ardenter*, attenditur ex parte affectivæ; *studiose*, ex parte cognitivæ. Duas istas ultimas differentias secundum beatum Gregorium [4], sub illa, quæ est quarto modo, apprehendit Isidorus.

Quinque sunt filiæ gulæ secundum Gregorium, scilicet inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis vel sensus circa intelligentiam. Inepta lætitia est voluntas per exteriores lusus excitans libidinem in gustu, et ex ipsa postmodum excitata. Scurrilitas est voluntas per verba carnalia libidinem gustus commovens, et ex ipsa postmodum commota. Immunditia est voluntas, per nimiam cibi sumptionem, libidinem in gustu continuare desiderans. Multiloquium est voluntas, per multiplicationem verborum, intendens in gustu conservare libidinem. Hebetudo mentis est voluntas libidine (*a*) conservandæ propriæ carnis absorpta, intelligere spiritualia fastidiens. Secundum Isidorum [5], duæ sunt filiæ gulæ, scilicet comessatio, et ebrietas, quarum una in cibo attenditur, alia in potu.

SECTIO XXIV.

De Luxuria.

Luxuriæ diffinitio.

Sequitur videre de luxuria quantum ad diffinitionem, oppositionem, tentationem, differentias, et filias. Diffinitur sic : Luxuria est libidinosæ voluptatis appetitus. Item sic: Luxuria est concupiscentia nimia experiendæ voluptatis. Item sic : Luxuria est inordinatus appetitus illius delectationis, quæ est secundum coitum.

Opponitur autem luxuria continentiæ, cujus triplex est differentia. Est enim continentia conjugalis, vidualis, et virginalis.

Tentationes.

Quintuplex autem tentatio est luxuriæ, secundum quod in hoc versu continetur :

Visus, et alloquium, contactus, et oscula, factum.

Hoc quippe ordine tentatio luxuriæ consummatur. Primo enim inchoatur in visu exteriori, sive interiori, ut in cogitatione; deinde venitur ad alloquium; postea tran-

[1] Senec., *Epist. ad Lucil.*, epist. LXXXIII. — [2] Isid., *Sent.*, lib. II, c. XLII. — [3] Greg., *Moral.*, lib. XXX, c. XIII. — [4] Ibid., lib. XXXI, c. XVII. — [5] Isid., *in Deut.*, c. XVI.

(*a*) *Cæt. edit.* libidinis.

situr ad contactum; deinde prorumpitur ad osculum; postea consummatur per factum.

Differentiæ. Differentiæ luxuriæ sunt sex, scilicet fornicatio, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestus, peccatum contra naturam. Fornicatio est luxuria, qua solutus cognoscit solutam naturali usu. Et intelligitur et solutus et soluta a vinculo conjugii, consanguinitatis, affinitatis, ordinis, et religionis, vel voti continentiæ. Adulterium est luxuria, qua conjugalis thorus violatur. Stuprum est luxuria, qua virginalis incorruptio violatur, seu defloratur. Sacrilegium hic appellatur sacræ personæ læsio per vitium luxuriæ: et melius luxuria sacrilega diceretur. Hæc est luxuria, qua votum continentiæ violatur, et hoc in se, vel quando in sacris ordinibus constitutus, vel religiosus aliquis fornicatur, cum aliqua soluta, vel soluta aliqua cum religioso, vel sacerdote. Incestus est coitus contra consanguinitatem, affinitatem, vel compaternitatem commissus. Peccatum contra naturam est luxuria, qua naturalis usus coeundi maris et feminæ dissipatur.

Filiæ luxuriæ, secundum Gregorium [1], sunt octo, scilicet cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror sive desperatio futuri sæculi. Cæcitas mentis est voluntas fastidiens et despiciens superiora et spiritualia. Inconsideratio est voluntas prævidere renuens agenda inferiora. Inconstantia agenda inferiora. Inconstantia est voluntas libidine carnis confracta, statum suum tenere non valens. Præcipitatio est voluntas aggrediens (*a*) quælibet impetuose. Amor sui est voluntas affectione carnis imbuta, sibi propter se super omnia adhærens. Odium Dei est voluntas Deum, tanquam impedimentum propriæ voluntatis carnalis, vel voluptatis, detestans. Affectus præsentis sæculi est voluntas præsens sæculum semper manere desiderans, propter fruitionem voluptatis carnis. Desperatio, sive horror futuri sæculi, est voluntas voluptate præsenti cæcata, de æterna jucunditate desperans. Secundum Isidorum [2], quatuor sunt filiæ fornicationis, scilicet turpiloquia, scurrilia, ludicra, stultiloquia. Sapientiæ in sermone opponuntur stultiloquia; bonitati in sermone opponuntur alia tria. Nam cum triplex sit bonitas, scilicet utilitas, delectatio licita, et honestas: sermoni utili opponuntur ludicra; sermoni delectabili licito opponuntur scurrilia; sermoni honesto opponuntur turpiloquia.

SECTIO XXV.

De peccato ex infirmitate, et ignorantia, et industria.

Sequitur videre de divisione peccati trimembri, quæ est: Peccatum aliud ex infirmitate, aliud ex ignorantia, aliud ex certa malitia sive industria perpetratur. Quod aliis verbis dicitur in Evangelio: Est peccatum in Patrem, peccatum in Filium, peccatum in Spiritum sanctum: in Patrem, cui attribuitur potentia, peccare dicitur, quando quis peccat ex infirmitate; in Filium, cui attribuitur sapientia, qui peccat ex ignorantia; in Spiritum sanctum, cui attribuitur bonitas, qui peccat ex industria, sive ex certa malitia.

Primo videndum est de peccato ex infirmitate, quod est aversio voluntatis male humiliatæ, vel male accensæ ab infima (*b*) creatura, a Deo omnipotente. Duæ sunt differentiæ hujus peccati effectivæ: timor male humilians, et amor male accendens. Tripliciter autem distinguitur amor, scilicet amor gratuitus, libidinosus, et naturalis. Amor triplex. Gratuitus habet finem principalem summum bonum, scilicet incommutabilem Deum; libidinosus habet finem voluptatem, sive delectationem in creatura; naturalis habet finem necessitatem, sive utilitatem propriam. Primus est laudabilis, quia virtus; secundus vituperabilis, quia peccatum; ter-

[1] Greg., loc. cit. — [2] Isid., loc. cit.

(*a*) *Cæt. edit.* ad aggredi. — (*b*) *Cæt. edit.* infirma.

tius nec laudabilis, nec vituperabilis, quia naturalis est. Similiter distinguitur triplex timor, scilicet naturalis, gratuitus, libidinosus. Naturalis est passio, id est primus motus, et in testimonium humanitatis veræ fuit in Domino Jesu Christo; gratuitus multiplicatur in servilem, initialem, et filialem, de quibus alibi dicetur, scilicet in libro *de Donis*; libidinosus dividitur in humanum, quo quis eligit peccare ne lædatur in corpore, et mundanum, quo quis eligit peccare ne lædatur in possessione. Timore libidinoso homo male humiliatur; timore gratuito, bene; timore naturali, nec laudabiliter nec vituperabiliter. Item amore libidinoso homo male accenditur; amore gratuito, bene; amore naturali, indifferenter.

Timor triplex.

Peccatum ex ignorantia est aversio voluntatis ignorantis, et perpetrantis quod malum est, ab omni scientia Dei. Nota tamen, quod aliud est peccatum ex ignorantia, aliud peccatum ignorantiæ. Peccatum ignorãntiæ, est omissio debitæ scientiæ; peccatum ex ignorantia, est peccatum quod committitur ignoranter. Est ignorantia juris, et ignorantia facti. Ignorantia facti duplex : aut adhibita debita diligentia, et hoc excusat a toto; aut non adhibita debita diligentia, et hoc excusat a tanto, et non a toto. Ignorantia juris quædam est vincibilis, quæ est culpa : hæc autem aut est ex vero consensu, ut ignorantia affectata, et ista sic ex una parte excusat, ex (*a*) alia magis aggravat; aut est ex negligentia et ignavia, sicut ignorantia crassa et supina, et ista, etsi aliquo modo excusat, non tamen sic excusat, quin æterno igne ardeat, sicut dicit Augustinus. Sic et ignorantia juris invincibilis potest esse duplex : aut enim est introducta per præambulam culpam, aut præter omnem culpam. Si præter omnem culpam, aut simpliciter privat cognitione juris, sicut in infantibus et furiosis, qui omnino carent usu rationis, et hæc excusat a toto : unde dicit Bernardus quod parvulis infantibus, et dormientibus nihil imputatur, quod faciunt; aut non tollit omnino usum rationis, sed semiplenum, et tunc non excusat a toto, sed a tanto, sicut in his qui non plene sunt furiosi, sed habent aliquo modo aliqua intervalla lucida, et in pueris qui sunt aliquo modo capaces præcepti, licet non plene. Si autem ignorantia est introducta per præambulam culpam, sicut in ebrio et furioso, quorum uterque præcipitavit se in hoc per culpam suam, sic non excusat a toto, sed, ut dicit Philosophus [1], ebrius habet duplices maledictiones, unam pro culpa præcedenti, aliam pro culpa sequenti. Non tamen proprie loquendo est dicendum, quod ebrius aliquid perpetrans novam culpam committat; sed ex consequenti culpa, aggravatur prima, ut videtur magis peritis, quamvis aliqui dixerunt, quod præter culpam primam in ebrietate commissam, secundo committat novam.

Ignorantia.

(*a*) *Cæl. edit.* et.

Peccatum ex industria, sive in Spiritum sanctum, est aversio voluntatis malignantis a summo clemente Deo. Cujus sunt sex differentiæ, scilicet desperatio, præsumptio, impugnatio veritatis agnitæ, invidentia fraternæ gratiæ, obstinatio mentis, finalis impœnitentia. Quarum sufficientia accipitur sic : Istud peccatum impugnat gratiam pœnitentialem, per quam fit remissio peccati a Deo intra ecclesiasticam unitatem. Potest ergo impugnare pœnitentiam in se, et sic sunt duæ species, quia pœnitentia facit resilire a commissis, contra quod est obstinatio mentis; facit etiam præcavere a committendis, contra quod est finalis impœnitentia, id est propositum nunquam finaliter pœnitendi. Si autem impugnat gratiam pœnitentialem in comparatione ad Deum, a quo datur, sic est duplex species. Nam [2] *universæ viæ Domini, misericordia et veritas*, sive justitia. Misericordiam impugnat desperatio; justitiam impugnat præsumptio. Si autem impugnat gratiam pœnitentialem in comparatione ad unitatem Ecclesiæ, in qua recipitur, sic est duplex peccatum. Nam

Peccati in Spiritum sanctum sex species.

[1] Arist., *Ethic.*, lib. III, c. V. — [2] *Psal.* XXIV, 10.

unitas Ecclesiæ maxime consistit in duobus, scilicet in fide, sive veritate, contra quam est impugnatio veritatis agnitæ; et in gratia sive charitate, contra quam est invidentia fraternæ gratiæ.

SECTIO XXVI.

De idololatria, et hæresi.

Sequitur videre de divisione peccati, quæ est : peccatum aliud in Deum, aliud in proximum, aliud in se ipsum. Peccatum in Deum dicitur impietas; peccatum in proximum, iniquitas; peccatum in se ipsum, impuritas.

Primo videndum est de peccatis quibus inhonoratur divinæ majestatis omnipotentia superstitione colendi, quæ sunt idololatria, ritus judaicus, ritus saracenicus, apostasia, schisma, hæresis. Idololatria est falsa et superstitiosa protestatio majestatis divinæ in idolo. Idololatriæ duæ sunt species : una in rebus naturalibus, alia est in rebus artificialibus, sicut ostenditur in libro *Sapientiæ* [1]. Committitur autem tripliciter, scilicet : protestatione cordis, ut credere de creatura quod sit omnipotens, quod est proprium Creatoris; confessione oris, ut est non solum credere, sed etiam verbis exprimere; exhibitione operis, ut fit in reverentia et in sacrificiis.

Idololatria.

Triplex est apostasia, scilicet : perfidiæ, cum quis recedit a fide, ut Julianus Apostata; inobedientiæ, cum quis recedit a præceptis Ecclesiæ, et sic [2] : *Initium superbiæ hominis est apostatare a Deo;* irregularitatis, cum quis recedit a religione claustrali, vel clericali. Apostasia sic potest describi : Apostasia est temerarius a statu fidei, vel obedientiæ, vel religionis recessus.

Apostasia.

Schisma est illicita dissensio eorum, inter quos unitas esse debet, vel illicitus ab unitate dissensus. Omnis hæresis est schisma, sed non convertitur. Hæresis est recessus a fidei veritate. Item differunt schisma, et hæresis : nam hæresis addit pravum dogma. Schisma in fine confingit aliquam hæresim : post recessum enim ab unitate Ecclesiæ, sequitur inobedientia in mandatis Ecclesiæ; in fine vero sequitur assertio, quod non est obediendum Ecclesiæ.

Schisma.

Hæresis idem est, quod divisio, et sic dicitur hæresis propriissime recessus a fide; proprie, falsa interpretatio Scripturarum; minus proprie, excommunicatio. Secundum hoc hæreticus dicitur multipliciter : uno modo, secundum Augustinum [3], hæreticus est, qui alicujus temporalis lucri, et maxime gloriæ, principatusque sui gratia falsas opiniones de fide ac novas gignit, aut sequitur : gignit, ut hæresiarchæ, Sabellius, et Arius; sequitur, ut Sabelliani, et Ariani decepti per tales. Secundum Hieronymum [4], potest hæreticus appellari, licet ab Ecclesia non decesserit, qui aliter intelligit Scripturam, quam sensus Spiritus sancti expostulat. Tertio dicitur hæreticus quicumque a sacramentis Ecclesiæ, vel communione fidelium est divisus, ut excommunicatus, seu subversor Ecclesiæ, seu subrisor sacramentorum : unde simoniacus hæreticus reputatur.

Hæresis.

SECTIO XXVII.

De interdicto, et duabus speciebus excommunicationis.

Sequitur de hæresi, quæ est excommunitio, diffusius videre in speciali : et primo de interdicto, quod est excommunicationis initium. Ad quod notandum, quod nomine censuræ ecclesiasticæ intelligitur sententia interdicti, excommunicationis, et suspensionis. Proprie autem excommunicatur persona a communione sacramentorum et fidelium separata. Suspenditur etiam persona quandoque ab officio, quandoque a beneficio, quandoque ab utroque. Interdicitur locus, utputa civitas, villa, vel castrum.

Censuræ ecclesiasticæ.

In generali interdicto debent ista conferri ab Ecclesia : Baptismus parvulorum, morien-

[1] *Sap.*, XIII, 2, 10 et seq. — [2] *Eccli.*, X, 14. — [3] Aug., *de Utilit. Credendi*, in princ.— [4] Hieron., *in Epist. ad Galat.*, c. V.

tibus pœnitentia, peregrinis crucem accipientibus, ob reverentiam crucifixi, non est pœnitentia deneganda. Potest Episcopus baptizatos parvulos confirmare, semel in mense, vel septimana; populum interdictum causa prædicationis ad ecclesiam convocare. Item morientibus, si digne pœniteant, potest Eucharistia ministrari. Clerici decedentes, sine pulsatione campanarum, cessantibus solemnitatibus, cum silentio in cœmeterio sepeliri possunt, si bene servaverunt interdictum. In conventualibus ecclesiis, bini vel tres simul horas canonicas possunt legere, non cantare, januis clausis, et interdictis exclusis; et hoc ita demisse, quod exterius non possint audiri. Ex quo colligitur, quod interdicti, et multo fortius excommunicati, non debent horas intra (*a*) ecclesiam auscultare. Plerisque tamen religiosis indultum est, ut januis clausis, et interdictis exclusis, possint simul celebrare divina: quod hodie ad Episcopos extenditur, nisi specialiter eis prohibeatur.

Excommunicatio. Excommunicatio vero est animadversione gladii spiritualis Ecclesiæ a communicatione sacramentorum et fidelium separatio. Excommunicationis duæ sunt species: una, quæ dicitur major, excludens a sacramentis et legitimis actibus fidelium, hoc versiculo comprehensis:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Alia, quæ dicitur minor, separans a sacramentis. Item excommunicatio quædam infligitur a jure, et hæc est conservativa, quia licet videatur esse ad libertatem Ecclesiæ conservandam, principalius tamen est ad culpam præcavendam; quædam infligitur a judice, et hæc est curativa: nam licet videatur esse propter emendam faciendam, principalius tamen est propter contumaciam confringendam. Pœna sustinentis excommunicationem est multiplex, quæ in hoc versu continetur:

Gratia subtrahitur, magis ac magis obice rupto.
De vitio cadit in vitium, suffragia perdit.
Ecclesiæ Satanæ vexandus traditur ille,
Quem ligat ex propriis anathematis ultio culpis.

Circumstantia vero præservans personam participantem cum excommunicato, ne excommunicationis vinculo involvatur, est multiplex, ut his versibus continetur:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse:
Hæc anathema quidem faciunt ne possit obesse.

Utilitas communicantis, ut quando petit quod sibi debetur; excommunicati, ut quando secum tractat de correctione. *Lex* matrimonii, quæ ligat virum et uxorem. *Humile*, ut filii non emancipati, servi, ancillæ, rustici, mancipiis et aliis obnoxiis astricti. *Res ignorata*, ut quando nescitur esse excommunicatus, cum quo participatur. *Necesse*, ut peregrini, et pauperes, ac cæteri viatores.

SECTIO XXVIII.

De duabus regulis generalibus circa excommunicationem.

Circa excommunicationem nota duas regulas generales. Prima est hæc: quicumque in clericum, vel in personam ecclesiasticam, manus injicit temere violentas, excommunicatus est. Hoc fallit in quatuordecim casibus. Primus est in apostata percusso, qui clericus ignoratur; secundus est in apostata admonito, se non corrigente; tertius est in eo qui gerit procurationem et administrationem sæcularium personarum; quartus est in eo qui ex loco injicit manus in clericum; quintus in magistro, qui causa disciplinæ verberat clericum; sextus in eo qui vim sibi illatam a clerico vi repellit; septimus in eo qui clericum deprehendit cum uxore, matre, vel sorore, aut filia commisceri; octavus in eo qui auctoritate suæ prælationis, vel de mandato prælati, manus injicit in clericum; nonus in senioribus Ecclesiæ; decimus in dominis; undecimus in patribus familias; duodecimus in

Casus ab excommunicatione excepti in clerici percussione.

(*a*) *Cæt. edit.* extra.

propinquis; tertiusdecimus in eo qui manus in clericum injicit depositum, et curiæ traditum; quartusdecimus, cum clericus transfert se ad vitam clericatui prorsus contrariam, ut quando fit miles, vel contrahit bigamiam.

Secunda regula est hæc : Quicumque est excommunicatus propter manus injectas in clericum violentas, pro absolutione ad sedem Apostolicam est mittendus. Hoc autem fallit in quindecim casibus. Primus est, quando percussor est in mortis articulo constitutus; secundus casus est in eo, qui justam excusationem habet, ut inimicitias capitales; tertius est in ostiario, qui necessitate officii sui aliquem clericum non enormiter percusserit; quartus in infirmo; quintus in paupere; sextus in senectute depresso; septimus in claustrali, qui enormem non intulit læsionem; octavus in muliere; nonus in eis qui sui juris non sunt; decimus in his qui sunt magnæ potentiæ, et nimium delicati, ita ut laborem in eundo ad curiam non possint sustinere; undecimus in his qui non gravem læsionem, sed levem, vel modicam injuriam intulerunt clericis; duodecim in impubere, sive ante pubertatem, sive post postulet se absolvi; tertiusdecimus, in servo, de cujus absentia dominus nimium gravaretur, vel cum ipse servus verberaret clericum, ut materiam habeat evadendi; quartusdecimus, in (a) monialibus : quintusdecimus, in omnibus communiter viventibus.

Casus in quibus percussor sedem Apostolicam adire non tenetur.

SECTIO XXIX.

De divinatione.

Sequitur videre de peccatis, quibus inhonoratur divinæ sapientiæ altitudo superstitione sciendi, quæ sunt sortilegium, et divinatio. Ad cujus mali notitiam, est videndum quid sit divinatio, quæ sint (b) ejus species, utrum omnis divinatio sit prohibita.

Divinatio quid, et quotuplex.

Divinatio sic describitur : Divinatio est superstitiosa investigatio præscientiæ futurorum. Cujus quinque sunt species, scilicet mantia, maleficium, sortilegium, augurium, præstigium. Mantia dicta est a *Mante* [1], quæ in ea prævaluit; et hæc habet quinque species, scilicet necromantiam, quæ est divinatio facta in cadaveribus mortuorum, a *necron* [2], quod est mortuus, et *mantia*, divinatio : geomantiam, quæ est divinatio facta in terra, a *Gea* [3], quod est terra, ut in circulo; hydromantiam, quæ est divinatio facta in aqua, ab *hydor* [4], quod est aqua, ut in aqua pluviali; aeromantiam, quod est divinatio facta in aere, ut in contemplativis circulis; pyromantiam, quæ est divinatio facta in igne, a *pyr* [5], quod est ignis. Istæ sunt species mantiæ. Maleficium est peritia per quam mulieres faciunt aliquas ligaturas in damnum vel incommodum alicujus, ut de crista galli, et de rana, et de imagine cum eis. Sortilegium est ratio divinandi per sortes. Usus hujus divinationis fuit in Veteri Testamento. Sorte etiam usi sunt apostoli, ante Spiritus sancti plenitudinem. Augurium est ratio divinandi per garritus avium, vel gestus, ut per volatum. Præstigium est, per quod diabolicis illusionibus oculi hominum perstringuntur, ne possint cernere quod verum est, sed phantastica figmenta, ut faciunt incantatores. Præter hos modos, sunt alii multi et plures, qui quotidie per diabolum adinveniuntur.

Est etiam divinatio facta in varia inspectione Psalterii et Evangelii. Est et divinatio, quæ futura prædicit in fatis et constellationibus, dicta *mathesis* [6], media producta. Est et divinatio facta per aurarum vel astrorum inspectionem, dies et horas custodiens in agendis, et dicitur aruspicium (c). Est quæ exta vel intestina pecudum inspicit. Est quæ in aris idolorum a dæmonibus responsa accipit. Dicitur autem *ariolus* divinator in aris. Est quæ somnia observat. *Conjecturatro* dicitur observator in somniis; *augur* in gar-

(a) Cæt. edit. de. — (b) sunt. — (c) Cæt. edit. auruspex, *et sic deinceps*.

[1] Μαντεία. — [2] Νεχρὸν. — [3] Γαῖα. — [4] Ὕδωρ. — [5] Πῦρ. — [6] Μάθησις.

ritu avium; *maleficus,* immolans dæmonibus pueros, vel saltem lustrans, *magus* alio nomine dictus. *Incantator* est præstigiosus fallens oculos intuentium; *pytho* (*a*) est ventriloquus per spiritum malignum loquens, a Pythone, vel Pythio, id est, Apolline dictus. *Divinus*, id est aruspex, id est, inspector astrorum. *Auspex*, qui volatum avium aspicit. *Augur*, qui voces audit avium. *Estipex*, qui exta, id est, intestina pecudum inspicit. *Astrologus*, qui in astris auguratur. *Genethliacus,* qui mores hominum prædicere conatur secundum signa sub quibus homines nascuntur : hic vulgo *mathematicus* vocatur, cujus superstitio constellatio dicitur a Latinis. *Horoscopus*, qui per horas nativitatem hominum speculatur diverso et dissimili facto. *Sortilegus* est, qui sub nomine fictæ religionis, divinationis scientiam profitetur, vel ex inspectione aliquarum scripturarum prædicit futura. *Saliator*, qui dum quæcumque pars membrorum ei salierit, exinde aliquid prosperum vel triste significari prædicit.

Omnis divinatio damnabilis.

Est autem omnis divinatio deceptio et delusio diabolica; ideo maledicta a Deo, et ab Ecclesia interdicta. Nec potest ea ex voluntario commercio quisquam uti sine peccato. Aut enim est ibi peccatum infidelitatis, dum aliquid divinum diabolo attribuitur, quod Dei est; aut est peccatum idololatriæ, utpote in oblationibus et sacrificiis; aut est peccatum inobedientiæ, quia fit contra prohibitionem Dei et Ecclesiæ. Talis autem prohibitio est sancta, quia talis peccat in seipsum, dum discrimini se committit; peccat in majestatem divinam, dum recurrit ad diabolum, quasi non sit omnipotens, omnisciens, benignus Deus Christianorum; peccat in Ecclesiam, cum commercium habeat cum illo, qui omnino præcisus est ab Ecclesia, et eidem adversatur.

[1] Richard., *de Erudit. inter. hom.*, c. XIII, p. 1. — [2] *Dan.*, VII, 6. — [3] Greg., *in Evang.*, hom. IV, longe post med.

(*a*) *Cæt. edit.* Phyto, *et sic deinceps.*

SECTIO XXX.

De hypocrisi, simonia, et sacrilegio.

Sequitur videre de peccatis quibus vilipenditur sanctitas bonitatis divinæ perversitate utendi : quod fit tripliciter, scilicet apparentis sanctitatis simulatione, ut in hypocrisi; abusione doni gratuiti, ut in simonia; violatione loci sacri, ut in sacrilegio.

Hypocrisis, quid, et quotuplex.

Primo, de hypocrisi sunt videndæ notificationes et differentiæ. Hypocrisis sic diffinitur a Rabano : « Hypocrita est, qui vult videri quod non est, scilicet bonus, quasi alterius personæ repræsentator. » Item aliter diffinitur : Hypocrita est, qui vult videri bonus, cum non sit. Item aliter : Hypocrisis est vitium clausum, simulatione virtutis palliatum. Potest etiam hoc modo diffiniri : Hypocrisis est vitium, quo quis vult videri bonus inordinate. Species hypocrisis secundum Richardum [1] sunt quatuor, scilicet affectatio dignitatis, affectatio libertatis, affectatio auctoritatis, affectatio potestatis. Secundum Gregorium, pardus in Daniele [2] habens quatuor alas, hypocrita habens quatuor species. Prima est jactantia de bono manifesto; secunda, simulatio de bono occulto; tertia, excusatio de malo manifesto; quarta, dissimulatio de malo occulto.

Simonia

Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum. Hæc autem contrahitur tripliciter, secundum Gregorium [3], scilicet : munere a manu, quod est pecunia; munere ab obsequio, quod est servitus indebite impensa; munere a lingua, quod est favor. Tres autem sunt differentiæ materiales simoniæ : prima est, quando venditur spirituale, sicut sunt Ecclesiæ sacramenta; secunda est, quando venditur annexum spirituali, ut est præbeuda, quæ ratione consanguinitatis, sive pretii, vel favoris, datur et obtinetur indigne; tertia est, quando venditur spirituale, et annexum spirituali, ut est prædicatio.

Sacrilegium.

Sacrilegium est sacræ rei violatio, vel ejusdem usurpatio, quasi *sacrilædium.* Committitur autem sacrilegium aliquando ratione personæ, ut cum religiosus vel clericus verberatur; quandoque ratione loci, ut quando ecclesiæ vel cœmeterii immunitas violatur; quandoque ratione rei, ut quando res sacra, vel sacro usui deputata, usurpatur. Circa quod est distinguendum, quia sacrilegium committitur, aut auferendo sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro, aut non sacrum de sacro.

SECTIO XXXI.

De rapina, furto, usura, homicidio, et scandalo.

Tripliciter in proximum peccamus.

Sequitur videre de peccatis quæ committuntur in proximum, quorum tria sunt genera. Quibusdam enim læditur proximus in possessione, quæ sunt rapina, furtum, usura. Rapina est manifesta et violenta alienæ rei contrectatio. Furtum est occulta, et ignorante domino, et invito, alienæ rei contrectatio. Usura est, sub specie negotiationis, domino sciente, alienæ rei contrectatio.

Quibusdam etiam læditur in persona, ut in homicidio, et in bello. Est autem homicidium hominis occisio ab homine facta. Duplex est autem homicidium, scilicet spirituale, et corporale. Spirituale est, quo quis occiditur spiritualiter; quod fit duobus modis, scilicet : odiendo, nam [1] *qui odit fratrem suum, homicida est;* et detrahendo, lingua enim detractoris est gladius acutus. Corporale vero homicidium est, quo quis corporaliter occiditur; quod etiam fit duobus modis, scilicet lingua, et opere : lingua tripliciter, scilicet præcipiendo, consulendo, et non defendendo; opere quadrupliciter, scilicet justitia, casu, necessitate, et voluntate.

Quibusdam vero læditur in mente proximus, ut sunt scandala. Est autem scandalum, dictum, vel factum minus rectum, præbens aliis occasionem ruinæ. *Scandalon* [2] græce, latine obex. Sicut ad obicem in via positum læditur pes euntis; sic dictum vel factum minus rectum est obex infirmis in via morum. Scandalum aliquando dicitur obex, scilicet dictum vel factum minus rectum; aliquando dicitur actio sive impactio illius, qui scandalizat; aliquando dicitur casus, et ruina illius, qui scandalizatur. Unde versus :

Scandalum.

Scandalon (*a*) æquivocat, obex, impactio, casus.

Est autem duplex differentia scandali : est enim scandalum activum, et passivum : activum, quo quis alii dat occasionem ruinæ spiritualis; passivum est ipsa ruina facta ad obicem mali exempli alterius, ut cum fornicatur quis exemplo alterius. Ad sciendum autem quæ sint (*b*) propter scandalum omittenda, duæ regulæ sunt notandæ : una est Bernardi, alia Hieronymi. Regula Bernardi est hæc : « Peccamus ex infirmitate, vel ignorantia, ex certa etiam interdum malitia : cavendum est ne quid faciamus, quod sit in scandalum alicujus. » De talibus dicit Dominus Petro [3] : *Ne autem scandalizemus eos,* etc. In tertio vero casu, cum scandalum procedit ex certa malitia, non propterea est omittendum opus, vel ab opere desistendum. Unde dicit Dominus de Pharisæis scandalizatis ex malitia [4] : *Sinite eos, cæci sunt,* etc. Regula Hieronymi est talis : « Omne quod potest fieri, vel non fieri, salva triplici veritate, omittendum est propter scandalum. » Non est autem omittenda veritas vitæ, doctrinæ, justitiæ, propter scandalum evitandum. Veritas vitæ pertinet ad omnes, comprehendens præcepta, prohibita, et consilia. Veritas doctrinæ pertinet ad prædicatores et magistros. Veritas justitiæ pertinet ad prælatos, comprehendens duas partes justitiæ, scilicet, severitatem in puniendo malos et reos, et liberalitatem in sustinendo justos.

[1] I *Joan.*, III, 15. — [2] Σκάνδαλον. — [3] *Matth.*, XVII, 26. — [4] *Matth.*, XV, 14.

(*a*) *Cæt. edit.* Scandalum. — (*b*) *Item* sunt.

SECTIO XXXII.

De peccato luxuriæ, et gulæ.

Sequitur videre de peccatis quibus peccat quis in seipsum : quæ sunt duo, scilicet peccatum luxuriæ deordinans generativam, et peccatum gulæ deordinans nutritivam. Peccata quæ accidunt ex deordinatione generativæ, sunt ista, scilicet pollutio nocturna, luxuria in propria uxore, fornicatio simplex, meretricium, raptus, adulterium, incestus, vitium contra naturam. Peccata ex deordinatione nutritivæ dupliciter committuntur : manducando, et sic dicitur gulositas; et bibendo, et sic dicitur ebrietas. Quod fit quinque differentiis, ut supra [1] dictum est, hoc versu comprehensis :

Dupliciter in nosipsos peccamus.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Supposito quod coitus conjugalis possit esse peccatum, videndum est per distinctionem, quis coitus conjugalis est peccatum, et quis non, et quis venialis, et quis mortalis. Nota ergo, quod coitus conjugalis alius est licitus, alius est fragilis, alius est impetuosus. Licitus est triplex : quidam fit causa prolis generandæ ad cultum divinum, et hic est theosebiæ virtutis, quæ dicitur pietas : quidam causa reddendi debitum, et hic est justitiæ ; quidam causa fornicationis vitandæ, et hic est cautelæ, de quo Apostolus [2] : *Unusquisque habeat suam uxorem, propter fornicationem,* vitandam supple. Fragilis, ex fragilitate proveniens, cum quis in uxore quærit conjugalem delectationem, non causa prolis habendæ, nec debiti reddendi, nec fornicationis vitandæ, sed causa delectationis in conjuge. Et distinguitur : aut illa delectatio amatur citra Deum, et tunc culpa est venialis; vel amatur plusquam Deus, vel æque ut Deus, et tunc peccatum est mortale. Impetuosus est, qui ex libidine sola proveniens, metas honestatis et rationis excedit. Et ideo mortalis est quinque modis : primo, quando fit propter satiandam libidinem per blanditias meretricias; secundo, quando fit præter naturalem modum ; tertio, quando fit in tempore prohibito ; quarto, cum fit in loco prohibito ; quinto, cum accedit vir ad prægnantem mulierem vicinam partui, aut in fluxu menstruo laborantem.

Simplex fornicatio est luxuria, qua solutus cum soluta naturali usu feminæ commiscetur, ita quod solutus excludit vinculum matrimonii, consanguinitatis, affinitatis, ordinis, voti, religionis ; et hoc cum muliere soluta, quæ unius vel paucorum libidini se exponit. Meretricium est commercium nefarium cum muliere, quæ multorum paret libidini. Nam meretrix proprie dicta est mulier, quæ multorum libidini se exponit. Adulterium est alterius tori violatio. Incestus est lubricum carnis contra consanguinitatem, affinitatem, votum, commissum, de quibus supra [3] dictum est.

[1] Supr., sect. XXIII, pag. 365. — [2] I *Cor.*, VII, 2.— [3] Supr., sect. XXIV, pag. 366.

SECTIO XXXIII.

De passionibus, sive proprietatibus peccatorum.

Ad clariorem expeditionem prædictorum, postremo videndum est de passionibus, sive proprietatibus peccatorum. Sciendum est ergo, quod ad peccatum quædam sunt antecedentia, quædam circumstantia, et quædam subsequentia. Antecedentia quædam sunt ex parte aversionis, quædam ex parte conversionis. Ex parte aversionis a Deo, sunt contemptus, omissio, ingratitudo, inobedientia, et prævaricatio. Ex parte conversionis ad creaturam, sunt libido, concupiscentia, delectatio, consensus in peccatum, et prava intentio. Subsequentia sunt macula, et reatus. Circumstantia sunt illa, quæ circumstantias nominamus. Aversionem a Deo comitantur contemptus, omissio, ingratitudo, inobedientia, et prævaricatio. Nam voluntas ad Deum conversa, et Deo conformis, vult quod Deus vult, et non vult,

quod Deus non vult : et hoc debet fieri, tum quia voluntas Dei superior est simpliciter, voluntas rationalis creaturæ inferior, et ideo tenetur sequi superiorem, quod si non facit, dicitur contemnere; tum quia dignum est facere quidquid Deus vult fieri, et ideo, cum avertimur, dicimur omittere; tum quia justum est propter accepta beneficia obsequium impendere, unde cum avertimur a Deo, dicimur ingrati; tum quia ipse est Dominus, et nos servi : ideo tenemur facere quidquid novimus ipsum velle; quod cum non facimus, dicimur inobedientes et prævaricatores: sed inobedientes, quia avertimur a voluntate Dei; prævaricatores, quia transgredimur legem ejus. Et nota quod in voluntate avertente se a Deo, contemptus, omissio, ingratitudo, inobedientia, et prævaricatio, idem sunt secundum rem; differunt autem secundum rationem. Nam contemptus respicit Dei potentiam; omissio, sapientiam; ingratitudo, beneficium; inobedientia, præceptum; prævaricatio, legem. Et sic, secundum ista, recessus est in frequenti aversione a Deo; elongatio vero est in obduratione.

Conversionem autem voluntatis ad creaturam comitatur libido, quæ est improbitas voluntatis, bonum creatum præeligens, et deserens increatum. Quam sequitur concupiscentia, quæ est primus motus ex fomite proveniens in sensualitatem, tendens ad delectationem illicitam. Tunc sequitur delectatio, cum inferior pars ratione condelectatur. Tertio est consensus, cum superior pars rationis non contradicit, sed assentit. Iste triplex status designatus est in prima tentatione per serpentem, mulierem, et virum. Deinde restat operis consummatio, vel adhuc est prava intentio : nam intentio est ad opus. Et sic ex parte conversionis, actuale peccatum antecedit libido, concupiscentia, delectatio, consensus in peccatum, et prava intentio.

Quæ peccatum præveniant.

Circumstantiæ.

Circumstantiæ vero dicuntur, quæ peccatum circumstant, quæ nos circumstantias appellamus. Est autem circumstantia, proprietas personæ, vel negotii, ex se pertinens ad laudem, vel vituperium, vel diminuendo, vel augendo, vel in aliud genus peccati trahendo. Proprietas personæ est, ut quia pulcher est homo, sapiens, bonus, et cætera hujusmodi. Et talis proprietas respondet ad quæstionem factam per *Quis*. Proprietas negotii est, quæ pertinet ad opus, et est genus operis, ut quia fecit hoc, ubi fecit, quare fecit, quo tempore fecit, et quomodo fecit. Quæ in hoc versiculo continentur :

> Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, [quando.]

Quæ possunt in quatuordecim differentias explicari, his versibus comprehensas :

> Aggravat ordo, locus, persona, scientia, tempus,
> Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causa,
> Et modus in culpa, status altus, lucta pusilla.

Ex his autem, quinque respiciunt personam, scilicet scientia, ætas, conditio, ordo, et status. Tres respiciunt crimen, scilicet copia, causa, lucta pusilla. Duæ sunt adjacentes, scilicet locus et tempus.

Quæ peccatum sequantur.

Ad peccatum vero sequentia sunt macula, et reatus. Anima enim, cum ad creaturam convertitur, secundum Augustinum, obtenebratur, pejoratur, et destruitur. Ista autem obtenebratio, pejoratio, et destructio, idem sunt quod deformitas imaginis Dei, sive diminutio naturalis boni, sive macula, quia ex contactu spirituali inferiorum, qui est per amorem inordinatum, sordidatur imago Dei in nobis, et polluitur. Reatus vero sequitur peccatum, ratione aversionis; quia tantum bonum est Deus, sicut dicit Augustinus [1], ut nulli bene sit qui ab eo recedit. Sicut ergo ex conversione ad creaturam est macula; sic ex aversione a Deo est reatus, qui est obligatio ad pœnam. Peccatum quippe pertransit actu, sed remanet reatu, peccatum scilicet actuale.

[1] In *Sent.* ex Aug. decerptis, sent. 289.

SECUNDA PARS

QUÆ RECIPIT SEPTEM SECTIONES

SECTIO I.

De vulneratione naturalium.

Pœna peccati. Postquam visum est de malo, prout tenet rationem culpæ, videndum est de malo, in quantum tenet rationem pœnæ. Est ergo notandum, quod malum, sive peccatum, punitur pœna multiplici in præsenti, et etiam in futuro. In præsenti autem punitur quantum ad animam, et quantum ad corpus. Quantum ad animam, punitur in vulneratione naturalium, et expoliatione gratuitorum.

Vulnera, quibus vulnerata est anima propter peccatum, sunt quatuor secundum Bedam. Dicit enim quod quatuor sunt nobis inflicta propter peccatum Adæ, scilicet infirmitas, ignorantia, malitia, et concupiscentia ex his contracta et conflata; quorum sufficientia sic accipitur. Anima, sicut dicit Augustinus, est media inter Deum et creaturas. Deus autem est omnipotens, omnisciens, summe bonus, essentia indivisus. Potentia attribuitur Patri; sapientia, Filio; bonitas, Spiritui sancto. Indivisio ad Patris et Filii Nota. et Spiritus sancti pertinet unitatem. Avertens ergo se a Deo anima, et ad creaturas transiens per amorem, deserendo potentiam qua potest quidquid potest, incurrit infirmitatem; deserendo sapientiam, qua scit quidquid scit, incurrit ignorantiam; deserendo bonitatem, qua valet quidquid valet, incurrit malitiam; deserendo substantiam indivisam, incurrit concupiscentiam, qua homo dividitur in seipso, et a seipso, in tantum, ut voluntas sensualitatis voluntati non subjaceat rationis. *Non* enim [1] *quod volumus, hoc facimus bonum*, cum [2] *caro adversus spiritum concupiscat.* Est autem infirmitas ex desertione omnipotentiæ; impotentia resistendi malis, vel difficultas in agendis bonis. Ignorantia ex desertione summæ sapientiæ, est hebetudo ad cognoscendum ea quæ sunt necessaria ad salutem. Malitia ex desertione summæ bonitatis, est pronitas vel inclinatio ad malum. Concupiscentia ex desertione indivisæ substantiæ, est corruptio dividens appetitus, ut appetitus sensualitatis ab appetitu rationis dissentiat. Peccavit siquidem per rationalem primus parens, scientiam indebitam appetendo; et ideo in rationali potentia est punitus per ignorantiam. Peccavit in concupiscibili, appetendo cibum vetitum; et ideo in concupiscibili est punitus per casum in malitiam, quæ dicitur pronitas ad malum. Peccavit in irascibili, appetendo indebitam potestatem; et ideo in irascibili est punitus, cadendo in infirmitatem. Ex tribus autem prædictis, concupiscentia est conflata. Hæc autem quadruplex pœna, vulnerans animam, per originale peccatum ad posteros est transmissa.

[1] *Rom.*, VII, 15. — [2] *Gal.*, V, 17.

SECTIO II.

De spoliatione gratuitorum.

Sequitur videre de spoliatione gratuitorum, qua punitur anima propter peccatum. Est autem spoliatio gratuitorum, subtractio gratiæ gratum facientis, mortificatio meriti præcedentis, frustratio sanguinis redimentis, injuria angeli promoventis, inimicitia Domini præsidentis, deformatio divinæ imaginis, honoratio dæmonis, servitus peccati,

reatus æterni supplicii, debilitatio liberi arbitrii, elongatio superni beneficii, et provocatio omnis creaturæ Dei in ultionem inimicorum creatoris sui.

Et quia, teste Augustino, nunquam est dedecus culpæ sine decore justitiæ, nec est culpa commissa sine pœna permixta; ideo nota, quod quædam sunt sic peccata, quod etiam sunt pœna peccati. Speciali modò[1] sunt illa peccata et pœna peccati, quæ habent adjunctam mœstitiam et dolorem, sicut sunt invidia, ira, gula, et acidia. Minus specialiter dicuntur illa peccata et pœna peccati, quæ habent adjunctam meram depravationem naturæ, vel ignominiam, sicut sunt illa peccata, propter quæ dicitur homo[2] *tradi in reprobum sensum*. Generaliter vero peccata et pœna peccati dici possunt omnia peccata, quæ sunt inter primam apostasiam, et ultimam gehennæ pœnam. Dicit enim beatus Gregorius[3], quod crimina criminibus vindicantur; et peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Licet autem idem dicatur peccatum et pœna peccati, nota tamen quod omnis pœna, in quantum pœna, justa est, et a Deo est; nulla autem culpa justa est, nec a Deo est, sed tantum a liberæ voluntatis arbitrio. Pœna vero, quæ mere pœna est, a Deo est inflicta; quæ vero culpa est, vel ad culpam inclinans, est contracta, vel acta. Et sic collige breviter, quod triplex est pœna, scilicet acta, inflicta, et contracta. Acta est, quæ sequitur ad peccatum actuale: nam qui culpam mortalem committit, pœnam damni facit sibi, quia gratiam Dei perdit. Pœna inflicta est, quam Deus non statuendo, sed judicando vel vindicando, peccatori infligit. Pœna contracta est, quæ sequitur ad peccatum originale.

Pœna triplex.

SECTIO III.

De pœnis corporalibus.

Sequitur videre de pœnis quantum ad corpus, quas homines propter peccata patiuntur. Patiuntur autem homines propter culpam pœnas naturales: de quibus dicit beatus Gregorius, quod septem sunt sagittæ naturam hominum molestantes, scilicet frigus, calor, fames, sitis, labor, morbus, mors. Hæ sunt pœnæ naturales et generales, quæ de primis parentibus ad posteros sunt transmissæ, et in ipsis progenitoribus inchoatæ. Nam[4] primi parentes statim post culpam senserunt pœnam rebellionis et erubescentiæ in carne: et post, divino judicio, vir incurrit pœnam laboris et angustiæ, pœnam famis et indigentiæ, pœnam mortis et incinerationis. Mulieri autem duplicata est pœna: quia inflicta est ei pœnalitas multiplicium ærumnarum in conceptu, pœna doloris in partu, pœna subjectionis ad virum in convictu. Patiuntur etiam pœnas personales complures: plurimi enim filiorum Adam patiuntur in membris diminutionem, quidam superfluitatem, quidam intrinsecam corruptionem, quidam extrinsecam deformitatem, quidam sunt paralytici, quidam epileptici; et alii sunt diversis infirmitatibus, et ægritudinibus, et specialibus morbis oppressi; alii leprosi, alii a dæmonibus obsessi. Patiuntur quoque pœnas temporales: nam, teste Orosio[5], ab Adam usque ad nos sunt sæcula transacta nunc bellis gravia, nunc morbis corrupta, nunc fame tristia, nunc terrarum motibus terribilia, nunc inundationibus aquarum insolita, nunc eruptionibus ignium metuenda, nunc ictibus fulminum plagisque grandinum sæva, nunc parricidiis flagitiisque misera.

SECTIO IV.

De locis pœnalibus.

Sequitur videre de pœna, qua punitur quis post hanc vitam. Ad cujus rei notitiam sunt quatuor attendenda, scilicet, distinctio

[1] Idem sup., *Brevil.*, p. III, sect. X. — [2] *Rom.*, I, 28. — [3] Greg., *Moral.*, lib. V, c. IX. — [4] Idem sup., *Brevil.*, p. III, sect. IV. — [5] Oros., *Hist.*, lib. I, Præf. *ad Aug.*

locorum, apertio librorum, conflagratio ignium mundanorum, et triplicatio cruciatuum inflictorum.

Triplex locus, in quo puniuntur peccata post hanc vitam.

Triplex autem locus est, sive receptaculum, post hanc vitam ad peccata hominum punienda, secundum triplex genus peccati. Est enim locus purgatorius, et hic debetur peccato veniali; est limbus, et hic debetur peccato originali; est infernus, et hic debetur peccato mortali : et creduntur esse sub terra gradatim posita ista loca, quæ aliter distingui possunt secundum differentiam quadrimembrem. Pœnalis enim locus dicitur alicui deputatus : aut secundum pœnam damni, et sic est limbus; aut secundum pœnam sensus, et sic est infernus. Utrumque autem membrorum in duo dividitur : nam qui pœna damni puniuntur, aut simpliciter et æternaliter puniuntur, et hi sunt in inferiori parte loci illius, qui dicitur limbus; aut puniuntur non æternaliter, sed ad tempus, et hi erant in superiori parte ejusdem loci, qui dicebatur Abrahæ sinus. Similiter qui pœna puniuntur, aut simpliciter et æternaliter puniuntur, et isti sunt in inferno proprie dicto; aut ad tempus puniuntur, et isti sunt in purgatorio.

Purgatorius locus ubi situs.

Determinatur autem locus purgatorius secundum legem communem, et sic credendum est esse inferius, non superius, sicut creditur de limbo. Determinatur etiam secundum dispositionem divinam, et sic diversis diversa concessa sunt loca : vel propter eorum celeriorem liberationem, ut possint aliis suam indigentiam revelare; vel propter nostram instructionem, ut cogitemus post hanc vitam quam magnum restare peccantibus cruciatum; vel propter alicujus sancti impetrationem, sicut legitur sanctus Patricius cuidam in quodam loco purgationem a Deo impetrasse.

Locus vero [1] infernalis absque dubio est sub terra deorsum, in quo omnes reprobi æternaliter affligentur, tam homines, quam spiritus mali, sub eodem igne materiali, qui semper affliget damnatos, nec consumet, secundum exigentiam meritorum excrucians omnes sensus. Nec solus ignis reprobos inflammabit, sed et cætera elementa confusa et permixta in reprobos convertentur : ita quod erit ibi ignis ardens, aqua congelans, aer inquietus et perturbatus, et terræ fœtor. Unde Gregorius : « In inferno erit frigus importabile, ignis inextinguibilis, fœtor intolerabilis. »

SECTIO V.

De apertione librorum.

Sequitur videre de apertione librorum, id est, conscientiarum, quæ fiet in judicio. De qua apertione tenendum est [2], quod in judicio singulis aderit vis divina, qua fiet ut omnia merita, vel demerita, sibi ipsis et aliis innotescant. Sibi ipsis autem innotescent propria, ut in promptu habeant singuli [3] *cogitationes accusantes, vel etiam defendentes*. Reducentur etiam ad memoriam singulorum cogitationes, affectiones, et operationes, et intentiones, ad ostensionem divinæ justitiæ secundum statum illum, et ad ostensionem divinæ misericordiæ secundum statum transactum, vel præteritum : ad ostensionem divinæ justitiæ, retribuendo singulis, ad memoriam reducentur bona, vel mala, in quibus finaliter permanserunt, quia illa sola digna sunt retributione æterna; ad ostensionem divinæ misericordiæ, de præterito rememorabuntur mala bonorum, a quibus sunt misericorditer liberati; bona malorum, quæ eis Dominus misericorditer operatus est. Non solum autem sibi ipsis, verum etiam singulis, singulorum singula innotescent gesta, et cogitata bona, et mala, et ex tunc nota erunt et aperta omnibus. Et hoc ad certam librationem (a) meritorum, quæ scitur in omnium actuum bonorum et malorum recognitione, ita ut singuli de singulis meri-

[1] Idem sup., *Brevil.*, p. VII, sect. VI. — [2] Ibid., sect. I. — [3] *Rom.*, II, 15.

(a) *Cœt. edit.* liberationem.

tis aliorum valeant judicare. Ostensio quippe malorum in bonis erit ad manifestationem divinæ misericordiæ, prius sibi factæ; ostensio bonorum in eisdem erit ad manifestationem justitiæ, qua digne a Deo præmiantur. Ostensio autem bonorum in malis erit ad manifestationem divinæ misericordiæ, in hoc sæculo sibi factæ; ostensio vero malorum in eis erit ad manifestationem justitiæ, qua digne a Deo condemnantur.

Aperietur nihilominus alius liber, qui est liber vitæ, Verbum scilicet incarnatum, cujus virtute omnia ista fient, qui in forma deitatis non videbitur nisi a bonis; in forma humanitatis, in qua sententiam promulgabit, videbitur tam a malis, quam a bonis, licet in eadem forma appareat terribilis reprobis, blandus justis.

SECTIO VI.

De igne conflagrationis.

De igne conflagrationis jam modo est agendum. De hoc breviter est tenendum [1], quod ignis præcedet faciem Judicis, quo terræ facies exuretur, ita quod figura hujus mundi ignium conflagratione peribit, sicut factum est aquarum inundatione diluvium. Sicut enim prius mundus deletus est per aquam, quæ est frigida et purgativa, contra ardorem et fœtorem luxuriæ, qua illud sæculum inficiebatur; sic finalis mundus per ignem, qui calidus est et consumptivus, finiri debet, contra teporem charitatis, et algorem sive frigus avaritiæ, quæ maxime regnabit in sæculi senectute. Et quia tunc hominis iniquitas punietur, necesse erit terreri corda omnium peccatorum, qui universorum Dominum contempserunt. Et quia habitaculum debet conformari suo habitatori, tunc totus mundus perturbabitur, homine perturbato, sicut stetit cum ipso stante, et quodammodo cecidit cum labente. Quia etiam tunc judicis severitas ostenditur, cum divinum zelum accipit (*a*) omnis creatura, ut suo conformetur auctori; (*b*) ideo necesse erit totius orbis cardines commoveri. Et quia nihil est intensius et velocius, et horribilius in agendo et commovendo cætera elementa, quam ignis ex omni parte concurrens; hinc est, quod ipsius judicis faciem præcedet ignis, non ex utraque parte tantum, sed ex omni parte mundi, ita quod ibi erit concursus ignis elementaris, terrestris, purgatorii, et infernalis. Et tunc per infernalem reprobi adurentur; per purgatorium justi purgabuntur; per terrestrem terræ nascentia consumentur, utpote vegetabilia et animalia; per elementarem omnia subtiliabuntur, et ad innovationis faciem disponentur. Et etiam cum hoc non solum homines, sed etiam dæmones turbabuntur, et tandem homines reprobi et spiritus mali cum infernali igne in barathrum intrudentur.

SECTIO VII.

De cruciatibus inferorum.

Sequitur videre jam septimo de tribulatione cruciatuum inferorum. Ad cujus rei notitiam est tenendum [2], quod omnes actualiter peccantes, et in peccatis finaliter perdurantes, pœna triplici apud inferos punientur, secundum quod multimoda deordinatio est in mortali et actuali peccato: in omni quippe mortali peccato est deordinata aversio a summa luce et bonitate, et huic debetur carentia visionis Dei; est etiam deordinata conversio ad bonum commutabile, et huic debetur pœna materialis incendii; est etiam tertio deordinatio voluntatis liberæ contra dictamen rectæ rationis, et huic debetur vermis intrinsecus. Punientur etiam pœna æterna, secundum quod deordinatio in mortali peccato est perpetua. Peccatum enim, quod quis committit, et de quo nunquam pœnitet, perpetuo in anima perdurat, et a vita perpetua, scilicet Deo, perpetuo

Damnatorum pœna triplex.

[1] Idem sup., *Brevil.*, p. VII, sect. IV. — [2] Hæc sup., *Brevil.*, p. VII, sect. V.

(*a*) *Cæt. edit.* accipiet. — (*b*) *Item add.* et.

separat, et a voluntate procedit, quæ vellet in peccato perpetuo delectari. Et licet illa delectatio transiens sit momentanea, deordinatio tamen tenet rationem perpetuitatis: ideo pœna deordinationi respondens debet habere carentiam finis, ut sicut homo in suo perpetuo non apposuit finem a peccato recedendo, sic Deus in suo perpetuo non desistat a puniendo; et sicut contra infinitum peccavit, sic pœnam habeat infinitam; et quia infinitam pœnam non potest habere intensione, saltem infinitam pœnam habeat duratione; et sicut voluntas, post mortem, malo adhæret sine susceptione pœnitentiæ, sic Deus semper affligat sine sententiæ mutatione. Punientur nihilominus pœna acerba, secundum quod deordinatio in peccato fuit libidinosa : delectatio enim libidinosa puniri debet per pœnam afflictivam. Et quia peccatores delectabiliter creaturæ adhæserunt, et Creatorem contumaciter contempserunt ; ideo præcipitabuntur in locum infimum, et maxime a statu gloriæ longinquum, scilicet in profundissimum infernum: ubi exponentur affligendi infimæ naturæ, scilicet fæcibus corporum mundanorum, igne fumoso et sulphureo concremandi, in illo igne inseparabiliter alligandi, et ab eodem, secundum exigentiam meriti, æternaliter cruciandi, nunquam tamen substantialiter consumendi. Et sic patet, quod in pœnis damnatorum erit varietas, et cum varietate æternitas, et cum æternitate acerbitas.

TERTIA PARS

QUÆ HABET SEPTEM ET QUINQUAGINTA SECTIONES

SECTIO I.

De eo, quod est frui, et uti.

Dicto de malo culpæ, quod est fugiendum, et de malo pœnæ, quod est pertimescendum, videndum est de bono, et hoc dupliciter: primo, sub ratione meriti in viatoribus; secundo, sub ratione præmii in comprehensoribus. Ad meritum viatorum spectat cognoscere et discernere triplex bonum, scilicet bonum increatum, quod est Deus; procreatum, quod est mundus; conjugatum, quod est Christus. Deus est creator; mundus, creatura; Christus, creator et creatura[1]. Deo est fruendum; mundo est utendum; Christi Dei felicitate est fruendum; Christi hominis conformatione est utendum. Sunt ergo res quibus est fruendum, ut increatæ; sunt quibus est utendum, ut procreatæ; sunt quæ fruuntur et utuntur, ut angeli et homines. Res quibus est fruendum, faciunt nos beatos; res quibus est utendum, ad beatitudinem adjuvant viatores; res quæ fruuntur et utuntur, habent Christum Deum et hominem, ut contemplentur delectabiliter ejus divinitatem, et imitentur exemplariter ejus humanitatem. Deitas Christi maxime beatificat Angelos et Sanctos etiam comprehensores; humanitas vero ejus maxime lætificat et ædificat homines adhuc viatores. Est autem[2] frui, alicui rei amore inhærere propter seipsam; uti vero est id, quod in usum

Bonum triplex.

[1] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. I, c. III. Cf. *Sent.*, lib. I, dist. I, hujus edit. tom. I, p. 26, 36, 38, 41, 43. — [2] Idem sup., in *Sent.*, lib I, dist. I, art. 1 et 2, q. I, concl., tom. I, p. 35 et 39; Aug., *de Doct. Christ.*, lib. I, c. IV.

venerit, referre ad obtinendum illud quo fruendum est. Item [1] fruimur cognitis, in quibus ipsa voluntas delectata conquiescit; utimur vero eis, quæ ad illud referimus, quo fruendum est. Item aliter accipit hæc duo Augustinus [2] dicens: « Uti, est assumere aliquid in facultatem voluntatis; frui, est uti cum gaudio, non adhuc spei, sed jam rei. » Videndum est ergo per ordinem de his tribus; et primo, de Deo trino et uno; secundo, de mundo ex creatura triplici constituto; tertio, de Christo, et triplici ejus beneficio, scilicet doctrina vel Scriptura sacra, gratia virtutum, et medicina sacramentali.

SECTIO II.

Quid de Deo trino et uno credendum est, et intelligendum, et exprimendum.

De Deo trino et uno, secundum fidem rectam, habemus credere, intelligere, et exprimere. Credere de pluralitate personarum in unitate naturæ, hoc est [3], quod in divinis est una natura, et tres personæ, scilicet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus: quarum prima a nulla est; secunda a prima sola est per æternam generationem; tertia a prima et secunda est per communem spirationem: ita quod personarum trinitas non præjudicat unitati, nec essentiæ unitas præjudicat trinitati. Habemus quoque intelligere [4], quod in divinis sunt duæ emanationes: una per modum naturæ, qua generatur Filius; alia per modum voluntatis, qua spiratur et procedit Spiritus sanctus. Tres hypostases, una Patris, una Filii, una Spiritus sancti. Quatuor relationes, scilicet paternitas, filiatio, spiratio, et processio. Quinque notiones, scilicet quatuor prædictæ relationes, et innascibilitas est quinta: ita quod innascibilitas privative, et paternitas positive, sunt duæ Patris notiones. Filiatio est notio Filii; spiratio activa est communis notio Patris et Filii; processio est notio Spiritus sancti. Tres sunt etiam proprietates personales, quæ his vocabulis exprimuntur, scilicet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Habemus tertium mysterium divinitatis beatæ exprimere secundum duos modos prædicandi, scilicet per modum substantiæ, et per modum relationis. Omnia enim prædicamenta, dicta de Deo, transeunt in substantiam, excepta relatione, quia ratione subjecti, in quo est, transit in substantiam, ne faciat compositionem; ratione vero termini, ad quem est, manet, ut faciat distinctionem secundum tres modos supponendi, scilicet secundum modum substantiæ, notionis, et personæ, de quibus datur talis regula: quod supposita essentia, non supponitur notio, vel persona; et supposita notione, non supponitur persona, vel essentia; et supposita persona, non supponitur notio, vel essentia, secundum quatuor modos significandi substantiam, scilicet nomine essentiæ, substantiæ, hypostasis, et personæ. Horum quatuor exempla in creaturis sunt: *humanitas*, quæ essentiam; *homo*, qui substantiam; *aliquis homo*, qui significat hypostasim, sive suppositum; *Petrus*, qui dicit personam: secundum quinque modos dicendi, sive quærendi, per *quis, qui, quæ, quod*, et *quid*: *Quis*, ratione subtantiæ; *qui*, ratione hypostasis; *quæ*, ratione notionis; *quod*, ratione substantiæ; *quid*, ratione essentiæ. Secundum tres modos differendi, scilicet secundum differentem modum existendi, sive emanandi, sicut differt persona a persona. Secundum modum differentem se habendi, sicut differt persona, et essentia, quia persona una refertur ad aliam, sed essentia non refertur. Secundum modum intelligendi, sicut differt una proprietas substantialis ab alia, ut bonitas, et sapientia.

Duo modi prædicandi in divinis.

[1] *Cf.* Aug., *de Trinit.*, lib. X, c. X. — [2] Ibid., c. XI, n. 17, cit. huj. edit. tom. I, p. 34. — [3] Idem sup., *Brevil.*, p. I, c. II. — [4] Idem ibid., c. III et V.

SECTIO III.

Qualiter Deus trinus et unus manifestat se in effectibus creaturæ.

De Deo trino et uno secundum fidem catholicam est tenendum [1], quod licet sit incommutabilis, insensibilis, incircumscriptibilis, reddit tamen se per creaturas diversas, id est, per effectus multiplices manifestum: ita quod in creaturis omnibus dicitur Deus esse quantum ad naturam, et hoc tripliciter, scilicet per essentiam, præsentiam, et potentiam: ita quod extra immensitatem divinæ essentiæ nihil manet; propter limpiditatem divinæ præsentiæ nihil latet; contra infinitatem divinæ potentiæ nihil valet: et sic esse competit beatissimæ Trinitati. Dicitur habitare in justis quantum ad gratiam, quæ est effectus beatissimæ Trinitatis, ad Deum reducens, et faciens nos habere Deum, et Deum haberi a nobis, ac per hoc Deus Trinitas in nobis dicitur habitare. Dicitur sedere in beatis, quantum ad gloriam, ratione cujus Deus trinus in beatorum mentibus quietatur, in quorum potestativa sedet, ut æquitas; in cognitiva lucet, ut veritas; in affectiva ardet, ut charitas. Dicitur apparere sensibiliter cum expressa significatione, sicut Spiritus sanctus in specie columbæ apparuit super Christum, et in linguis igneis super apostolos. Et quia personæ distinctæ sunt, distinctis possunt signari signis, ita quod tres simul personæ, sicut Abraham in tribus angelis dicitur apparuisse Trinitas personarum. Possunt etiam duæ apparere, et quælibet sigillatim dicitur descendere de cœlis: et hoc cum effectus tam spiritualis, quam sensibilis inchoatione: qui quamvis in se immutabilis perseveret, tamen de absente dicitur fieri nobis præsens, quando in nobis incipit habitare per donum gratuitum, quod non videmus, sicut accidebat frequenter in Ecclesia primitiva. Dicitur mittere sive mitti cum æterna productione. Pater siquidem mittit Filium, quando insinuat quod procedit ab ipso per æternam generationem. Pater et Filius mittunt Spiritum sanctum, cum insinuant quod procedit ab ambobus per communem spirationem. Pater non mittitur, quia a nullo procedit. Spiritus sanctus non mittit personam, sed mittitur, quia non producit, sed producitur. Filius vero mittitur, et mittit, quia producitur, et producit. Dicitur incarnari per commercium divinæ naturæ et humanæ in personæ unione: quæ unio facta est tantum in persona Filii, quam tamen est tota Trinitas operata.

Deus in quibus habitet, sedeat, et appareat.

Mitti et mittere quid.

SECTIO IV.

De appropriatis Patri.

De Deo trino et uno, secundum fidem catholicam, est tenendum [2], quod licet omnia essentialia tribus personis æqualiter et indifferenter conveniant, tamen Patri dicitur appropriari unitas, æternitas, ratio principiandi, et omnipotentia. Hæc autem quatuor dicuntur appropriari Patri, non quia fiant propria, cum omnibus personis sint communia; sed quia dicuntur in cognitione personæ Patris, quæ est origo personarum in Trinitate non habens principium, sed principians, a qua etiam fluit omne posse. Est autem Dei potentia completa [3]: non potens (*a*) deficere, cum non sit de nihilo; non potens succumbere, cum non sit de aliquo; non potens indigere, cum nunquam careat aliquo bono. Potentia vero hominis in peccando deficit, in patiendo succumbit, in corporalibus actionibus indigentiam includit. Est igitur Deus omnipotens, ita tamen, quod ei non attribuuntur actus culpabiles, ut posse mentiri, et malum facere; nec actus pœnales, ut posse metuere et dolere; nec actus materiales, sive corporales, ut possit currere et ambulare. Est etiam Dei potentia ordinata, ita quod ei non attribuuntur actus inconvenientes, ut posse facere majorem se, vel

[1] Hæc sup., *Brevil.*, p. I, c. V. — [2] Ibid., c. VI. — [3] Ibid., c. VII.

(*a*) *Cæt. edit.* non posse.

alium Deum æqualem sibi, vel creaturam infinitam actu : quia, sicut dicit Anselmus, quodlibet inconveniens, etiam minimum, est impossibile apud Deum.

SECTIO V.

De appropriatis Filio.

Filio appropriatur [1] veritas, species, ratio exemplandi, et omnis scientia. Hæc autem quatuor dicuntur appropriari Filio, non quia fiant propria, cum tribus personis sint communia; sed quia ducunt in cognitionem Filii personæ, quæ est a Patre ut Verbum, quod est Patri æquale, et ideo summe pulchrum, in quo omnia prævisa et disposita exemplantur, a quo, tanquam primo et summo exemplari, fluit omne scire. Cognoscit autem [2] Dei sapientia limpide omnia bona et mala, et præterita, præsentia et futura, actualia et possibilia, incomprehensibilia a nobis, et infinita : ita tamen quod in se nullo modo diversificatur, licet diversa vocabula sortiatur. Nam in quantum ipsa sapientia Dei est cognoscitiva omnium possibilium, dicitur scientia, sive cognitio; in quantum est cognoscitiva omnium quæ fiunt in universo, dicitur visio; in quantum est cognoscitiva omnium quæ bene fiunt, dicitur approbatio; in quantum est cognoscitiva omnium quæ futura sunt, dicitur præscientia, sive prævisio; in quantum est cognoscitiva eorum quæ ab ipso Deo fienda sunt, dicitur dispositio; in quantum eorum quæ præmianda sunt, dicitur prædestinatio; in quantum eorum quæ damnanda sunt, dicitur reprobatio. Possunt autem ad tria reduci vocabula ista septem, scilicet ad notitiam simplicis cognitionis, qua cognoscit Deus bona et mala, quæ sunt, fuerunt et futura sunt, et quæ possunt esse et nunquam erunt; ad notitiam visionis, qua cognoscit Deus omnia bona et mala quæ sunt, fuerunt, et futura sunt; ad notitiam approbationis, qua cognoscit Deus quæ sunt, fuerunt, et futura sunt tantum bona.

Dei sapientia diversimode appellatur.

[1] Hæc sup., *Brevil.*. p. I, c. VI. — [2] Ibid., c. VIII. — [3] Ibid., c. VI. — [4] Ibid., c. IX.

SECTIO VI.

De appropriatis Spiritui sancto.

Spiritui sancto appropriatur [3] bonitas, usus, ratio finiendi, et voluntas, sive benevolentia. Hæc autem quatuor approprianlur Spiritui sancto, non quia fiant propria, cum tribus personis sint communia; sed quia ducunt in cognitionem personæ Spiritus sancti, quæ est a Patre et Filio, ut amor et donum summe proficuum et communicativum, omnis nostri desiderii finitivum, ad quod bonum, tanquam ad finem summum, tendit omne velle rationabiliter ordinatum et inclinatum. Est autem [4] voluntas Dei sic recta, quod nullo modo potest obliquari; sic efficax, quod nullo modo potest retardari; sic unica, quod tamen quinque signis habet significari, quæ hoc versiculo continentur :

Voluntas Dei.

Imperat, et prohibet, permittit, consulit, implet.

Dicitur autem voluntas Dei, ratione regulata, *providentia*, qua omnia, quæ in universo fiunt, irreprehensibiliter gubernantur; cum nihil præcipiat, prohibeat et consulat, nisi recte; nihil agat, nisi bene; nihil permittat fieri, nisi juste. Cum autem voluntas Dei sit rectissima, nullus potest esse rectus, nisi conformetur ei; et nemo potest ei conformari, nisi sibi signis aliquibus innotescat, tanquam regula rectitudinis prosequendæ. Est autem duplex rectitudo : quædam necessitatis, quæ consistit in faciendo bonum, ad quod est præceptum, et in declinando malum, propter quod est prohibitio; quædam est perfectionis in supererogando ultra debitum, ad quod est consilium. Est etiam voluntas Dei efficacissima, ita quod nullus potest aliquid efficere nisi ipsa coefficiente, et sic est impletio in signum voluntatis. Item nullus potest deficere, vel peccare, nisi ipsa juste et merito deserente, et sic est permissio, ut signum voluntatis divinæ justitiæ deserentis.

Rectitudo duplex.

SECTIO VII.

De quatuor simul creatis, et de mensuris durabilium.

Postquam vidimus de bono increato, quod est Deus, videndum est de bono creato, quod est mundus. Circa productionem autem mundialis machinæ, habemus primo explicare creaturæ summitatem. Et sic dicit Beda : quod quatuor fuerunt primo creata, quæ dicuntur esse coæva, vel fuisse scilicet, natura angelica, cœlum empyreum, materia quatuor elementorum, et tempus; quorum sufficientia sic accipitur. Primo debuerunt creari aliqua prima in quolibet genere creaturæ, scilicet respectu creaturarum spiritualium, et corporalium activarum, et corporalium passivarum, et etiam respectu mensurarum. Respectu creaturarum spiritualium, primo creata est natura angelica; respectu creaturarum corporalium activarum, est primo creatum cœlum empyreum, de quo dicit Damascenus[1], quod est continentia omnium corporalium, et spiritualium creaturarum; respectu creaturarum corporalium passivarum, primo creata est materia quatuor elementorum; respectu mensurarum, primo creatum est tempus, quod generaliter accipitur pro mensura cujuslibet durationis habentis initium, sive finem habeat, sive non.

Tres durationis mensuræ.

Ad cujus rei notitiam sciendum quod tres sunt mensurabilium, sive durabilium, mensuræ principales, scilicet æternitas, æviternitas, et tempus proprie dictum. Æternitas est divinarum personarum duratio, quæ non habet principium neque finem : de qua dicit Boetius[2], quod est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. Æviternitas est mensura eorum quæ habent principium, sed non finem, sicut sunt angeli, animæ cœlestis naturæ, et materia quatuor elementorum. Hæc mensura aliquando dicitur ævum, aliquando æternitas creata. Sed quia æternitas proprie dicitur de divinis, ævum vero aliquando pro tempore invenitur; ideo ex his duobus æviternitas nominatur. Tempus autem proprie dictum est mensura eorum quæ habent principium atque finem, sicut sunt generabilia atque corruptibilia, quæ secundum motum primi mobilis variantur, usque ad completionem numeri quatuor elementorum. Quarta vero differentia non potest esse, quæ careat principio, habens finem.

SECTIO VIII.

De veritate exprimenda cum exclusione erroris circa productionem mundi.

Secundo habemus errorem extinguere, et exprimere veritatem. Propter quod tenendum est[3], quod universitas machinæ mundialis est producta in esse ex tempore : in quo excluditur error ponentium mundum æternum; ex nihilo : in quo excluditur error[4] ponentium æternitatem circa materiale principium; ab uno principio : in quo excluditur error Manichæorum, ponentium pluralitatem principiorum; solo et summo : in quo excluditur error[5] ponentium Deum produxisse inferiores creaturas per ministerium intelligentiarum; in certo pondere, numero et mensura : in quo ostenditur, quod creatura est effectus Trinitatis creantis sub triplici genere causalitatis : scilicet efficientis, ratione cujus est in creatura unitas, modus et mensura; exemplaris, ratione cujus est in creatura veritas, species et numerus; finalis, ratione cujus in creatura est bonitas, ordo et pondus. Omnis quippe creatura constituitur in esse ab efficiente; formatur ad exemplar; ordinatur ad finem : ac per hoc est una, vera, et bona; modificata, speciosa, et ordinata; mensurata, discreta, et ponderata. Aliis etiam vocabulis prædictus ternarius nominatur : ab Augustino, in libro *de*

[1] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. VI. — [2] Boet., *de Consol. philos.*, lib. V, pros. 6. — [3] Vid. sup., *Brevil.*. p. II, c. I. — [4] Vid. Aug., *de Hæres. ad Quod vultd.*, hæres. 46. — [5] Plat., in *Timæo*.

Anima et Spiritu, dicitur essentia, species, et usus; a Dionysio, harmonia, species, et commensuratio; item ab eodem, substantia, virtus, et operatio. Ex una ergo parte cadunt unitas, modus, essentia, substantia, mensura et commensuratio; ex una, veritas, numerus, species, virtus et harmonia; ex una, bonitas, ordo, usus, pondus et operatio. De primo autem ternario nota, quod unum nominat ens commutabile connumerabile, et hoc propter indivisionem sui in se; verum nominat ens cognoscibile, et hoc patet per indivisionem sui a propria specie; bonum nominat ens communicabile, et hoc habet per indivisionem sui a propria operatione.

SECTIO IX.

De triplici differentia creaturæ.

Creatura triplex.

Tertio, circa productionem mundi, habemus attendere creaturæ triformitatem. Produxit enim Deus trinus et unus differentiam triplicem creaturæ. Nam produxit creaturam pure corporalem, ut est mundialis machina; creaturam pure spiritualem, ut est natura angelica; creaturam ex utraque compositam, ut est natura humana. Sic enim decuit Deum producere varia et diversa, ut multiplicitas creaturæ faceret perfectionem universi : quæ consistit in amplitudine ambitus, in sufficientia ordinis, et influentia bonitatis : ex quibus etiam divina potentia, sapientia et bonitas innotescit.

Potentia, sapientia, et bonitas Dei in creatione.

Decuit namque Deum sic res producere, ut essent ad manifestationem suæ potentiæ : quæ quidem apparuit in productione creaturarum summe distantium, et earumdem conjunctione, ut patet in natura humana, in qua corporeum et incorporeum uniuntur. Item decuit Deum sic res producere, ut essent in manifestationem suæ sapientiæ : quæ maxime ex perfectione ordinis declaratur, qui quidem ordo necessario tria requirit, scilicet infimum, medium et supremum. Infimum fuit natura corporalis; supremum, natura spiritualis; medium, natura composita ex utraque. Item decuit Deum sic res producere, ut essent in manifestationem suæ bonitatis et benevolentiæ : quæ maxime consistit in diffusione et communicatione in alterum. Sic ergo divina bonitas communicavit actum nobilissimum, qui est vivere et intelligere, ut non tantum daret alii potentiam vivendi et intelligendi, sed etiam potentiam se communicandi alii : quod factum est in homine, in quo spiritualis vita et intellectiva perficit corporalem.

SECTIO X.

De productione machinæ mundialis.

De his tribus differentiis videndum est per ordinem, et primo [1] de natura pure corporali, cujusmodi est machina mundialis, quæ sex diebus fuit in esse producta, ita quod in principio ante omnem diem creavit Deus cœlum et terram. Prima vero die formata est lux; secunda, factum est firmamentum in medio aquarum; tertia die separatæ sunt aquæ a terra, et congregatæ in unum locum; quarta die ornatum est cœlum luminaribus; quinta die aer et aqua ornati sunt piscibus et avibus; sexta die ornata est terra animalibus et hominibus; septima die requievit Deus a novarum specierum productione, quoniam omnia fecerat, vel in simili, sicut illa quæ propagantur; vel in ratione seminali, sicut illa quæ aliis modis introducuntur in esse.

Operatio Dei triplex in producendo mundo.

Et sic colligitur ex prædictis quod triplex fuit operatio divina in mundi machina producenda, scilicet creatio, distinctio, et adornatio. Prima operatio appropriatur Patri; secunda Filio; tertia Spiritui sancto. Creatio fuit ex nihilo : ideo fuit in principio ante omnem diem, tanquam rerum omnium et temporum fundamentum. Distinctio vero corporum mundanorum fuit modo triplici : ideo per triduum fuit facta. Itaque prima die fuit facta distinctio naturæ luminosæ a perspicua et opaca, cum lux a tenebris est

[1] Idem sup., *Brevil.*, p. II, c. II.

distincta; secunda die est facta distinctio naturæ perspicuæ a perspicua, cum aquæ inferiores a superioribus sunt divisæ; tertia die facta est distinctio naturæ perspicuæ ab opaca, cum divisæ sunt aquæ a terra. Ornatus autem, qui distinctioni corporum correspondet, est etiam in triduo consummatus, ita quod ornatus naturæ luminosæ est factus quarta die, in formatione stellarum, et solis, et lunæ; ornatus naturæ perspicuæ factus est quinta die, in qua facti sunt pisces et aves, in aquæ et aeris ornamentum; sexta die est factus ornatus naturæ opacæ, quando factæ sunt bestiæ de terra, facta sunt reptilia, facta est humana natura ad consummationem omnium prædictorum.

SECTIO XI.

De consistentia machinæ corporalis.

Consistit autem [1] tota natura corporea maxime in duobus, scilicet in natura elementari, et cœlesti. Cœlestis distinguitur in tres cœlos principales, scilicet empyreum, crystallinum, et firmamentum. In firmamento autem, quod est cœlum, continentur septem orbes septem planetarum, qui sunt Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, et Luna. Natura vero elementaris distinguitur in quatuor sphæras, scilicet Ignis, Aeris, Aquæ, et Terræ. Et sic, procedendo a summo cœli cardine usque ad centrum terræ, occurrunt nobis decem orbes cœlestes, et quatuor sphæræ elementares, ex quibus tota mundi sensibilis machina integratur: ita quod [2] cœlestia influunt in terrestria et elementaria, quantum ad distinctivam significationem temporum, dierum, mensium et annorum, dicente Scriptura [3]: *Sint in signa, et tempora, et dies, et annos.* Influunt etiam quantum ad effectivam productionem rerum generabilium et corruptibilium, et corporum humanorum. Sic tamen sunt in signa temporum, rerum et operationum per lucem, calorem, motum et virtutem, ut non sint certa signa contingentium futurorum, nec influant super liberum arbitrium per vim constellationum, quam dixerunt aliqui fatum esse. Et sic colligitur ex prædictis, quod Deus ordinate res condidit quantum ad tempus, ordinate disposuit quantum ad situm, ordinate gubernat quantum ad influentiam, in Scriptura sacra ordinate narrat quantum ad doctrinæ sacræ sufficientiam: quæ in principio sui insinuat naturam luminosam nomine *cœli;* naturam opacam nomine *terræ;* naturam perspicuam nomine *aquæ.* Insinuat et beatissimam Trinitatem: Patrem, in nomine Dei *creantis;* Filium, in nomine *principii;* Spiritum sanctum, in nomine *Spiritus Dei.* Insinuat etiam nobis appropriata trium personarum: scilicet omnipotentiam Patris, in producendo; omniscientiam Filii, in distinguendo; benevolentiam Spiritus sancti, in influendo.

Natura cœlestis triplex.

Natura elementaris quadruplex.

[1] Idem sup., Brevil., p. I c. II. — [2] Ibid., c. IV. — [3] *Gen.*, I, 14.

SECTIO XII.

De sufficientia cœlorum.

De natura cœlesti specialiter est videndum. Cœlum quidem, secundum communem acceptionem, nominat naturam perspicuam contentivam; secundum vero propriam acceptionem, nominat naturam perspicuam contentivam, nulli contrarietati subjectam. Secundum primam acceptionem, septem cœli a Rabano distinguuntur, scilicet cœlum aereum, æthereum, olympum, igneum, sidereum, aqueum, empyreum. Quorum sufficientia sic sumitur. Cœlum enim (a) natura perspicua et contentiva, aut est dativa luminis, aut receptiva. Si est dativa, aut est uniformis non mota, et sic est cœlum empyreum; aut multiformis et mota, et sic est sidereum; aut uniformis et mota, et sic est crystallinum: quarta differentia non habetur, scilicet multiformis et non mota. Si autem natura perspicua est luminis receptiva, aut est receptiva separabiliter, aut inseparabiliter:

Cœlorum numerus diversimode computatur.

(a) *Suppl.* si dicatur.

si inseparabiliter, aut secundum superioris superficiei circulum, et sic est olympum, quod monti appropinquat Olympo; si vero separabiliter, aut secundum superiorem partem, et sic est æthereum; aut secundum inferiorem, et sic est aereum.

Si autem dicatur cœlum natura perspicua contentiva nulli contraria, sic a quibusdam octo orbes distinguuntur, scilicet septem planetarum cum octava sphæra; a quibusdam amplius eruditis, novem; ab aliis vero ulterius illustratis, decem. Ilorum autem sufficientia sic potest accipi. Distinctio enim cœlorum, aut est per primam diversitatem formarum, aut est per dispositiones motuum et luminarium contentorum. Si per diversitatem formarum, sic distinguuntur tres cœli : aut enim in cœlo viget natura perfectæ luminositatis, et sic est habile ad statum gloriæ et quietum, sic est empyreum; aut viget in eo natura perfectæ perspicacitatis, et effectivæ frigiditatis, et sic est aqueum, sive crystallinum, quod facit ad conservationem rerum corruptibilium, ideo est habile ad motum; aut viget in eo natura perfectæ perspicuitatis simul et luminositatis, et effectivæ caliditatis, et sic est sidereum, quod facit transmutationem inferiorum : ideo est multiforme, habile ad motum. Si vero cœli penes contenta luminaria distinguuntur, sic est orbium distinctio attendenda : aut enim orbis continet siderum multitudinem, et sic cœlum sidereum, sive stellarum; aut continet unitatem, et sic septem planetæ septem orbibus sunt distincti, quibus regitur universitas temporum, dierum septenario dispensata.

SECTIO XIII.

De quatuor attributis angelis, cum conditione sui.

De natura pure spirituali, cujusmodi est angelica, sex per ordinem sunt videnda, scilicet : conditio angelorum omnium; prævaricatio malignorum dæmonum; confirmatio beatorum spirituum; diffinitio aliquorum nominum communium, non omnium; divisio hierarchiarum diversorum statuum; custoditio commissorum hominum. De conditione supernorum spirituum est tenendum, quod angelis a primordio suæ conditionis sunt quatuor attributa, scilicet simplicitas essentiæ, distinctio personalis, propter rationem naturaliter insitam, memoria, intelligentia, et voluntas; et libertas arbitrii ad eligendum bonum et respuendum malum. Hæc autem quatuor principalia attributa, alia quatuor comitantur : scilicet virtuositas in operando, officiositas in ministrando, perspicacitas in cognoscendo, et immutabilitas in eligendo; immutabilitas, inquam, post electionem, sive in bono, sive in malo. Substantia quippe spiritualis et incorporea, simplex et omni carens divisione quantitatis, cujusmodi est natura angelica, hoc ipso, quod est simplex, est virtuosa in operando; hoc ipso quod est virtuosa, et personaliter discreta, competit ei distinctio officii in ministrando; hoc ipso, quod est simplex et virtuosa, competit ei perspicacitas in discernendo; hoc ipso, quod est perspicax, et simplex, et habens intellectum deiformem, habet post electionem stabilitatem in electo, sive bonum fuerit, sive malum. Sufficientia horum quatuor sic accipitur. Angelus potest considerari quadrupliciter : scilicet in se, et sic est essentiæ simplicitas; ad alterum angelum, et sic est distinctio personalis; ad Deum, et sic est memoria, intelligentia et voluntas, in quibus consistit ratio imaginis; ad ea quæ ejus regimini sunt subjecta, et sic est libertas liberi arbitrii.

SECTIO XIV.

De prævaricatione spirituum malignorum.

De prævaricatione damnatorum spirituum est tenendum, quod Lucifer primus inter angelos præsumens de bono privato, appetiit privatam excellentiam, volens aliis superferri : ideo, cum omnibus adhærentibus

sibi, perdidit locum summum, scilicet cœlum empyreum, descendens in locum imum, scilicet caliginosum aerem, vel infernum. Cecidit autem in culpam per liberum arbitrium; lapsus vero in pœnam per divinum judicium. Cadens autem factus est immutabilis per ruinam : ideo statim fuit obstinatus in malo, excæcatus a vero, deordinatus in operatione, infirmatus in virtute. Voluntas diaboli obstinata habet deformitatem, in qua est continuatio, naturæ variatio, decisio sive minoratio, ratione primæ maculæ, a cujus adhæsione nullatenus separatur. Habet pronitatem, in qua est continuatio quantum ad actum peccandi; tamen intervenit variatio quantum ad genus peccati. Ratio vero in diabolo est excæcata. Prædicit aliquando futura, quod dicit Augustinus [1] fieri quatuor modis, scilicet : sensus vel ingenii acrimonia; longa temporum experientia; dolosa cautela, quia proponit aliquando facere, quæ prædicit; aliena doctrina, cum ab angelis aliquid didicit, justo Dei judicio permittente.

Status et voluntas diaboli post casum.

Cur ministerium diaboli hominibus interdictum.

Ministerialis diaboli operatio est hominibus interdicta, tum propter peccatum infidelitatis, ne attribuatur diabolo quod est Dei; tum propter peccatum idololatriæ, quia desiderat diabolus aliquid sibi immolari; tum propter peccatum inobedientiæ, quia voluntarium commercium cum diabolo præciso, tam a Deo, quam ab Ecclesia prohibetur. Virtus diaboli peccati merito coarctata, quando permittitur, vertitur ad miracula facienda, propter transmutationes repentinas circa corporeas creaturas. Possunt discerni diaboli miracula a miraculis Dei veris quatuor modis, scilicet : ex parte principalis agentis, nam in miraculis Dei operatur virtus potentiæ infinitæ, in miraculis diaboli virtus creaturæ; ex parte ministri, quia miracula Dei fiunt per publicam justitiam, scilicet per fidem justificantem, quæ publice prædicatur, vel signa publicæ justitiæ, ut in peccatoribus, qui per fidem aliquando sunt miracula operati; miracula diaboli fiunt per privatos contractus et arcana quædam, quia sic inventores artis magicæ cum dæmonibus pepigerunt; ex parte finis, quia miracula Dei fiunt ad hominum utilitatem et Dei gloriam, miracula dæmonum et magorum ad deceptionem et fraudem; ex parte facti, quia miracula Dei sunt excellentia, ut suscitare mortuos, illuminare cæcos, et similia; miracula diaboli sunt vilia, ut facere muscas, bufones et serpentes.

Discretio miraculorum

[1] Aug., *de Div. Dæm.*, c. III et VIII; auctor *de Spir. et Anim.*, c. XXVIII. — (a) *Cæt. edit. add.* et virtute.

SECTIO XV.

De confirmatione spirituum bonorum

Sequitur videre de confirmatione spirituum beatorum, de quibus tenendum est, quod aliis apostatantibus, ipsi immobiliter Domino adhæserunt : ita quod aliis per malitiam irrevocabiliter obstinatis, ipsi sunt per gratiam et gloriam in voluntate perfecte confirmati. Simul enim tempore, non natura, gratiam et gloriam conversionis et adhæsionis ad Deum merito perceperunt, ratione cujus fuerunt quantum ad voluntatem stabiles et felices. In ratione sunt perfecte illuminati secundum cognitionem matutinam et vespertinam. Lux quippe divina angelum illuminans ad cognitionem Dei, angelum facit lucem. Cognitio autem Dei in se dicitur dies, quia pure est lux tanquam cognitio et ratio cognoscendi. Lux autem angelica divinitus illustrata habet cognoscere creaturam, quæ respectu Dei tenebra reputatur : ideo ejus cognitio dicitur vespertina, prout cognoscitur in seipsa; dicitur matutina, prout ex illa cognitione consurgit mens angelica in laudem Dei, cognitionem illam referens ad cognitionem quam habet in Verbo (a). In virtute sunt perfecte fortificati, sive in operando, sive in exequendo; et hoc, sive assumpto corpore, sive etiam non assumpto corpore. In operatione sunt perfecte ordinati, sive contemplativa, sive administrativa. Duplex

Angelorum vis duplex. est enim vis angelica : contemplativa, qua contemplantur Deum ; et negotiativa, sive administrativa, qua negotiantur circa salutem hominum. Non possunt autem deordinari ascendendo ad contemplationem Dei, nec descendendo in administrando homini ; quia quocumque mittuntur, semper currunt et militant intra Deum.

SECTIO XVI.

De diffinitionibus angeli, ordinis, et hierarchiæ.

Sequitur videre de diffinitionibus trium vocabulorum, quæ faciunt ad notitiam angelorum, quæ sunt angelus, ordo, hierarchia. Ex multis nempe angelis ordo consurgit ; ex pluribus ordinibus saltem tribus, constituitur angelica hierarchia. Angelus diffinitur a Damasceno [1] sic : « Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, secundum gratiam, non naturam, immortalitatem suscipiens. » Ordo sic diffinitur a Gregorio [2] : « Est multitudo cœlestium spirituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ similantur, sicut et in naturalium datorum munere conveniunt. » Triplex autem invenitur diffinitio hierarchiæ, secundum quod triplex est differentia hierarchiæ, scilicet divina, angelica, et ecclesiastica. Divina sic diffinitur a Dionysio [3] : « Hierarchia est divina pulchritudo, ut simpla, ut optima, ut consummativa. » Angelica sic diffinitur ab eodem : « Hierarchia est ordo divinus, scientia et actio, deiforme, quantum est possibile, similans, et ad inditas ei divinitus illuminationes proportionabiliter in Dei similitudinem ascendens. » Ecclesiastica magistraliter sic diffinitur : « Hierarchia est rerum sacrarum et rationabilium ordinata potestas, debitum in subditis obtinens principatum. » Hæc autem diffinitio potest etiam convenire angelicæ hierarchiæ.

A Damasceno [4] diffinitur Angelus quantum ad substantiam, cum dicit : « Angelus est substantia incorporea ; » quantum ad virtutem, cum dicit : « Intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera : » ubi tangitur triplex virtus angelica, scilicet cognitiva, cum dicit : *Intellectualis ;* operativa, cum dicit : *Semper mobilis*, quia infatigabiliter operatur; imperativa, cum dicit : *Arbitrio libera.* Operatio tangitur, cum dicitur : *Deo serviens ;* duratio, cum dicitur : *gratia, non natura, immortalitatem suscipiens.* Ordo notificatur quantum ad fundamentum, cum dicitur : « Ordo est cœlestium spirituum multitudo : » et quantum ad complementum, cum dicitur : « Qui inter se in aliquo munere gratiæ similantur ; » et quantum ad dispositionem, quæ inter hæc medium tenet locum, cum dicitur : « Sicut in naturalium donorum participatione conveniunt. » Diffinitio angelicæ hierarchiæ notificat ipsam egredientem a Deo per modum imaginis, cum dicit : « Hierarchia est ordo divinus, scientia et actio : » ut ordo, id est ordinata potestas, respondeat Patri ; scientia, Filio ; actio, Spiritui sancto, secundum memoriam, intelligentiam, et voluntatem. Secundo describitur ut egrediens per modum similitudinis, cum dicitur : « Deiforme, quantum possibile est, similans, » quantum ad habitum, et ad inditas Dei divinitus illuminationes proportionabiliter in Dei similitudinem ascendens, quantum ad actum. In diffinitione hierarchiæ increatæ, ostenditur esse unitas in trinitate, cum dicitur : *Divina pulchritudo.* Pulchritudo enim ex pluralitate et æqualitate constat. Ut autem ostendatur, quod pluralitas non præjudicat unitati, dicitur : *Ut simpla :* quod unitas pluralitati, dicitur : *Ut optima :* quod unitas spectat ad perfectionem pluralitatis, et e converso, subjungitur : *Ut consummativa.*

[1] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. III. — [2] Est Mag. *Sentent.*, lib. II, dist. IX, § *Hic considerandum*, huj. edit. tom. II, p. 458. et *colligitur*, ex Greg., *in Evang.*, hom. XXXIV. — [3] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. III. — [4] Damasc., loc. cit.

SECTIO XVII.

De triplici divisione hierarchiæ.

Sequitur videre de tribus divisionibus hierarchiæ. Prima est hæc : Hierarchiarum alia supercœlestis, id est divina; alia cœlestis, id est, angelica ; alia subcœlestis, id est, ecclesiastica, vel humana. Omissa ecclesiastica et divina, subdividitur secunda divisione angelica hierarchia in supremam, mediam, et infimam; sive per alia vocabula, in epiphaniam, hyperphaniam, et hypophaniam. Epiphania est incalescentis actionis incendio, altioris intellectus fastigio, judiciique libera resultatio distributa. Hyperphania est divina illuminatio sui participes (*a*) interscalari reverentia insigniens, usum edocens dominandi, arcensque contrarium. Hypophania est divinum participium legibus naturæ occurrens, arcana reserans, pro capacitate discreta. Tertia divisio est hæc : In suprema hierarchia, quæ dicitur epiphania, sunt Seraphin, Cherubin, et Throni. In media, sive hyperphania, sunt Dominationes, Virtutes, et Potestates. In infima, sive hypophania, sunt Principatus, Angeli et Archangeli.

Angelorum mutua actio

Aguntur quidem et agunt Angeli, secundum ordinem hierarchicum in eis initiatum per naturam, consummatum per gloriam, quæ in eis stabilivit liberi arbitrii vertibilitatem, illustravit perspicacitatem, roboravit virtuositatem, et ordinavit officiositatem. Perspicacitas rationis in contemplando, aut respicit bonitatem desiderandam, sic sunt Seraphin; aut veritatem intelligendam, sic sunt Cherubin; aut majestatem venerandam, sic sunt Throni. Ad Thronos spectat reverentia; ad Cherubin sapientia; ad Seraphin benevolentia. Ad perfectam virtuositatem spectat virtus imperativa, quæ est in Dominationibus; virtus executiva, quæ est in Virtutibus, virtus expeditiva, quæ est in Potestatibus, quarum est arcere contrarias potestates. Ad perfectam officiositatem spectat regere, quod faciunt Principatus; dirigere, quod faciunt Archangeli; revelare, quod faciunt Angeli.

(*a*) *Cæt. edit.* particeps.

SECTIO XVIII.

De custodia hominum per Angelos.

Jam sexto et ultimo [1] circa naturam angelicam, de custodia hominum suo regimini commissorum, est videndum. Ad cujus notitiam est notandum, quod Angeli habent ab hominibus defectum quadruplicem relevare, scilicet pronitatem ad malum, difficultatem ad bonum, longinquitatem a Domino, et tepiditatem a mente. Ad quæ quatuor designanda, quatuor nomina Angelorum, et non plura, sunt in Scriptura hominibus revelata, scilicet Raphael, qui interpretatur medicina Dei, sive sanans Dominus. Raphael. Hic est missus curare Tobiam a cæcitate oculorum, et Saram ab improperio de occisione virorum. Et hoc contra duo, quæ ex originali contraximus, quæ sunt ignorantia rerum agendarum, et concupiscentia noxiarum; per quæ duo reddimur ad malum labiles. Item Gabriel, qui interpretatur fortitudo Dei, qua fortificamur et confortamur ad observantiam præceptorum Dei et ad impletionem consiliorum : in signum primi, missus est annuntiare ortum Præcursoris de conjugatis; in signum secundi, missus est annuntiare ortum Salvatoris de Virgine. Gabriel. Per Joannis exemplum, reddimur fortes ad expugnandum malum; per Christi beneficium et exemplum, reddimur dispositi et faciles ad bonum. Item Michael, qui interpretatur *quis ut Deus*, qui dicitur animas in cœlo Domino præsentare : propter quas de manu diaboli eruendas commisit prælium cum dracone. Michael. Hujus duas solemnitates solemniter celebramus, scilicet Apparitionis et Dedicationis, in signum, quod ipse pro nobis est, dum vivimus in hoc sæculo, et dum educimur de

[1] Hujus sectionis doctrina fere omnis est ex Greg., *in Evang.*, hom. XXXIV.

Uriel. exilio. Item Uriel, qui interpretatur lucens Deo, sive apparens Deo, vel ignis Dei, aut incendium Dei : quæ duplex interpretatio innuit, quod per ejus ministerium illustramur in veritate, et inflammamur in charitate. Mittuntur enim Angeli ad illuminandum nostrum intellectum, et inflammandum nostrum affectum, etsi non effective, saltem dispositive. De hoc nomine, *Uriel*, legitur in tertio Esdræ [1], quia missus est iste angelus ad consolationem populi Dei, qui ab alienigenis premebatur.

Angelorum actus circa hominem. Habent etiam Angeli circa hominem actum triplicem frequentare, scilicet purgare, illuminare, perficere. Primus actus ordinatur ad amotionem impedimentorum; secundus actus, ad cognitionem verorum; tertius, ad dilectionem bonorum. Habent tertio in hominibus effectum duplicem procreare : unum scilicet respectu boni, vel conservandi, vel acquirendi, vel augmentandi; alium respectu mali, vel deserendi, vel vitandi, vel minuendi. Habent nihilominus omnes propter ministerium humani generis militare. Quidam enim mittuntur ad nos missione exteriori; quidam mittuntur ad Angelos propter nos missione interiori, sicut illa superna agmina quæ præeminent, quæ usum exterioris officii nunquam habent, tamen ad nos vel propter nos mittuntur, secundum quod dicit Apostolus [2], quod *omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Habent quoque Angeli ad custodiam hominum deputati, ab infusione animæ usque ad egressionem de corpore, conatum diaboli contra hominem refrenare. Unde dicit beatus Hieronymus [3] : « Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. » Et beatus Gregorius dicit [4], quod « unusquisque habet unum bonum angelum sibi ad custodiam, et unum malum ad exercitium deputatum. »

SECTIO XIX.

De diffinitionibus animæ.

Restat videre de tertia differentia creaturæ, quæ composita est ex spirituali et corporali, cujusmodi est humana. Et primo, quantum ad animam; secundo, quantum ad corpus; tertio, quantum ad conjunctum. De anima humana duo sunt principaliter videnda, scilicet diffinitio, et potentiarum divisio.

Anima septem diffinitionibus diffinitur. Prima est in libro *de Motu cordis* : « Anima est substantia incorporea, intellectualis, illuminationum, quæ sunt a prima et ultima relatione, perceptiva. Secunda est Remigii : « Anima est substantia incorporea, regens corpus. » Tertia est Aristotelis, in libro *de Anima* [5] : « Anima est actus primus corporis organici physici, potentia vitam habentis. » Quarta est Augustini [6] : « Anima est similitudo omnium. » Quinta est similiter Augustini [7] : « Anima est substantia quædam rationis particeps, regendo corpori accommodata. » Sexta sumitur ex *Genesi* [8] : « Anima est deiforme spiraculum vitæ. » Septima est Senecæ : « Anima est spiritus intellectualis, in se et in corpore ad beatitudinem ordinatus. » Per primam diffinitionem notificatur anima rationalis, prout est spiritus; per secundam et tertiam, prout est anima. Copulatur enim anima, et unitur corpori, ut motor mobili, et sic est secunda; et ut perfectio perfectibili, et sic est tertia. Per alias vero quatuor, quæ sequuntur, diffinitur ut anima et spiritus, ita quod quarta est per comparationem ad creaturas generaliter; quinta, per comparationem ad corpus quod perficit; sexta, per comparationem ad Deum tanquam ad suam causam efficientem : septima, per comparationem ad Deum

[1] *Esdr.*, lib IV, IV, 1 et seq., inter apocrypha Bibliorum. — [2] *Hebr.*, I, 14. — [3] Hieron., Comment. *in Matth.*, c. XVIII. — [4] Greg., *Moral.*, lib. II, c. XV et XVI. — [5] Arist., *de Anima*, lib II, text. 5. — [6] Imo auctor lib. *de Spir. et Anim.*, c. VI. — [7] Ibid., c. III. — [8] *Gen.*, II, 7.

ut finem ultimum, citra quem non potest rationalis anima quietari.

SECTIO XX.

De divisione potentiarum animæ, secundum Magistros, in quinque membra.

Sequitur videre divisionem potentiarum animæ; ad quarum notitiam habendam, quadruplex est divisio percurrenda. Una divisio secundum Magistros est in quinque membra, scilicet in sensualitatem, sensum, imaginationem, rationem et intellectum. Sensualitas. Sensualitas secundum Magistros est illa potentia quæ sensificat corpus, et movet, et appetit ea quæ sunt delectabilia corpori, et refugit nociva. Sensus. Sensus est illa vis animæ, qua homo cognoscit res corporales præsentes. Imaginatio. Imaginatio est illa vis animæ, quæ intuetur res corporales absentes. Ratio. Ratio est illa vis animæ, qua anima inter bonum et malum, inter verum et falsum discernit infra se. Intellectus. Intellectus est illa vis animæ, qua anima apprehendit res immateriales et intelligibiles, ut animam, Angelum et Deum.

Istorum quinque membrorum sufficientia, sic potest sumi : Anima est quasi duo, sicut dicit Augustinus[1] : « Est anima, et spiritus : » anima, in quantum corpus perficit et vivificat; spiritus, in quantum sine corpore consideratur et separata perdurat. Secundum vero quod est anima, comparatur ad corpus, et corpus ad animam; et sic congruit anima corpori, et aptatur ei, ut influat ei vitam et sensum. Et hæc potentia animæ dicitur animæ sensualitas. Congruit etiam corpus animæ, et aptatur ei, ut per corpus perficiatur quantum ad vitam inferiorem; et hæc potentia dicitur sensus. Sensus autem est duplex, scilicet interior, qui dicitur imaginatio; et dicitur exterior, qui communiter dicitur sensus, ut visus, qui fit per oculum, et auditus per aurem, et sic de aliis. Ipsa vero anima, in quantum spiritus, dicitur duplicem habere aspectum : unum respectu inferiorum, et unum respectu superiorum, secundum quod dicit Augustinus[2], quod anima duas habet partes, scilicet unam ad superiora respicientem, et aliam ad inferiora. Inferiorem Magistri appellant rationem; superiorem vero, intellectum.

[1] Lib. *de Spir. et Anim.*, c. IX. — [2] Ibid., c. XI.

SECTIO XXI.

De divisione potentiarum, secundum Naturales, in tria membra.

Secunda vero divisio, secundum Naturales, est in tria membra. Secundum enim quod anima comparatur ad actus, tres sunt animæ potentiæ, ad actum triplicem ordinatæ. Tres quidem sunt actus animæ primi, scilicet vegetare, sentire, et ratiocinari. Et secundum hoc distinguitur triplex animæ potentia, scilicet vegetabilis, sensibilis, et rationalis. Nota tamen, quod vegetabilis est anima in plantis; sensibilis est anima in brutis; rationalis est anima in hominibus. In homine autem non sunt tres animæ, sed tres potentiæ sunt dicendæ in anima. In homine una tantum anima. Vegetabilis appetit esse; sensibilis, bene esse; rationalis, optime esse. Vegetabilis subdividitur in generativam, et nutritivam : generativa est ad conservationem esse universalis, scilicet speciei; nutritiva est ad conservationem esse singularis, scilicet individui. Nutritivæ duplex est actus, scilicet nutrire, et iste actus semper est necessarius; augmentare, et iste solum est necessarius usque ad rei completionem. Unde nutriuntur semper animalia; non autem semper augmentantur. Vis sensibilis dividitur in apprehensivam, et motivam : apprehensiva dividitur in sensum particularem, et sensum communem; sive in sensum exteriorem, et interiorem. Sensus particularis, sive exterior, dividitur in quinque sensus, scilicet visum, auditum, gustum, odoratum et tactum.

Circa istos quinque sensus tria necessario requiruntur, scilicet bonitas organi, dispositio medii, et præsentia objecti. Tria in sensu requisita. Organum visus sunt pupillæ oculorum; organum

odoratus, sunt nares; organum auditus, sunt aures; organum gustus, lingua et palatum; organum tactus, sunt nervi totius corporis. Ista organa descendunt ab interiori parte cerebri, in qua quidem est nervus qui dicitur opticus, et descendit ad pupillas, et ramificatur in duas partes: alius descendit ad nares; alius ad aures; quidam alius ad linguam et palatum; quidam multipliciter ramificatus est organum tactus in toto corpore. Objecta vero sensuum sunt hæc: objectum visus est color, et ejus differentiæ; objectum odoratus est odor, et ejus differentiæ; objectum gustus, est sapor, et ejus differentiæ; objectum auditus est sonus, et ejus differentiæ; objectum tactus sunt elementares qualitates, ut calidum, humidum, frigidum, siccum, rarum et densum, leve et grave, asperum et lene. Media sensuum sunt hæc: aer, et aqua, et quodlibet corpus diaphanum et transparens. Illuminatum est medium in visu, aer exterior et interior est medium in auditu: auris enim concava in concavitate habet aerem intrinsecum sibi connaturalem. Vapor per aerem delatus, est medium in odoratu: res enim odorifera quasi fumum insensibilem evaporat, ex quo immutatur aer deferens odoratui odorem (a). Humor salivalis est medium in gustu. Caro est medium in tactu.

Sensus interior. Interior sensus dividitur in tres partes, secundum tres partes cerebri, quæ sunt anterior, in qua est imaginatio; media, in qua est æstimativa; postrema, in qua est memoria. Imaginatio aliquando dicitur sensus communis, aliquando imaginatio, aliquando phantasia. Sensus communis dicitur, in quantum ibi concurrunt sensus particulares quinque, tanquam lineæ ad centrum, ibique ligantur. Imaginatio dicitur, in quantum repræsentat formas prius receptas a particularibus sensibus, quamvis absentes. Phantasia, in quantum potest componere formas novas secundum similitudines eorum quæ percepit per sensus particulares. Æstimativa est illa vis secundum quam dicimus sagacitatem vel prudentiam in brutis, ut in vulpe, sive in aliis, in appetendis delectationibus, et refugiendis nocivis. Memoria est vis illa, quæ conservat sive retinet formas sensibilium specierum. Vis sensibilis motiva est motivum secundum motum movens universaliter membra corporis, ut caput, brachia, et armos. Motiva pedum dicitur gressibilis, quia secundum eam movetur animal motu progressivo. Vis rationis dividitur in intellectum speculativum, qui exercetur in contemplatione veri; et practicum, qui in operatione boni. Secundum hanc duplicem radicem intellectuum, dicuntur vita activa, et contemplativa.

(a) *Cæt. edit.* odoratum.

SECTIO XXII.

De divisione potentiarum secundum Naturales et Theologos.

Tertia divisio secundum Theologos et Naturales est hæc: Potentiarum alia corporalis, id est, corporis regitiva; alia spiritualis. Corporis regitiva distinguitur in animalem, vitalem, et naturalem. Secundum has vires anima regit corpus. Vis animalis, secundum Medicos, est in cerebro; vitalis, in corde; naturalis, in hepate. Vis animalis dividitur in cognitivam, et motivam. De cognitiva dictum est supra. Motiva dividitur in irascibilem, et concupiscibilem. Motus enim animalis aut est a malo nocivo, et dicitur motus fugæ, qui est ab irascibili; aut est ad bonum delectabile, et talis motus est a concupiscibili. Vis vitalis est vis motiva aeris in corpore animalis per arterias, unde est pulsus. Tanti enim caloris est cor, quod nisi refrigeraretur aere attracto per inspirationem, et emisso per respirationem, animal moreretur. Hæc eadem vis est motiva ad vocem formandam, eo modo, quo formatur vox irrationalis, ut vox avium et animalium. Vis naturalis comprehendit nutritivam, et generativam. Sed nutritiva est ad conservationem naturæ singularis; generativa est

Vis animalis.

Vis vitalis.

Vis naturalis.

ad conservationem naturæ universalis. Nutritivæ virtuti aliæ quatuor deserviunt, scilicet appetitiva, quæ appetit nutrimentum; digestiva, quæ separat conveniens, et non conveniens, in alimento; retentiva, quæ transmittit ad singulas partes corporis quod conveniens est in nutrimento, ut facta deperditio restauretur; expulsiva, quæ expellit quod in nutrimento fuit inconveniens et nocivum.

Vis spiritualis. Spiritualis autem, id est, spiritus regitiva, dividitur aliquando secundum naturam intellectivam, et affectivam; aliquando secundum officia, ut cum dividitur ratio in superiorem, et inferiorem; aliquando secundum status, ut [1] cum dividitur in intellectum speculativum, et practicum. Speculativus intellectus extensione fit practicus, dum conjungitur voluntati et operi. Aliquando secundum aspectus, ut cum dividitur cognitiva in rationem, quæ aspicit ad inferius; et intellectum, qui aspicit ad par; et intelligentiam, quæ aspicit ad superius. Aliquando secundum actus, ut cum fit divisio in inventivam, et dijudicativam : invenire enim, et judicare, sunt actus potentiæ cognitivæ ad invicem ordinati. Aliquando secundum differentias, ut cum dividitur intellectus in agentem, et possibilem : nam prima differentia intellectus utitur anima ad abstrahendum; secunda vero ad recipiendum. Aliquando secundum diversos modos movendi, et sic est divisio voluntatis, sive appetitus, in naturalem et deliberativam. Prima est divisio principalis in intellectum et affectum, sive cognitivam et affectivam, sive in rationem et voluntatem.

Voluntas. Voluntas dicitur potentia, et sic diffinitur ab Anselmo [2] : « Voluntas est instrumentum per seipsum movens. » Dicitur actus sive motus potentiæ, et sic diffinitur ab Augustino [3] : « Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid admittendum, vel non admittendum, vel adipiscendum, vel non adipiscendum. » Dicitur etiam volitum, ut cum dicit aliquis : « Hæc est mea voluntas. » Sex sunt actus ad voluntatem liberam pertinentes secundum Damascenum [4], scilicet consilium, judicium, sententia, electio, operatio, et usus. Liberum arbitrium vult, ecce voluntas; inquirit et scrutatur, ecce consilium; judicat, ecce judicium; disponit, ecce sententia; eligit, ecce electio, quæ est duobus placentibus alterum præoptare; impetum facit, ecce operatio; agit, ecce usus.

Ratio. Ratio autem habet quinque actus : duos, per quos dirigitur in finem veri, quorum unus præcedit cognoscere, et dicitur ratiocinatio, quæ sic [5] ab Augustino diffinitur : « Ratiocinatio est rationis inquisitio. » Huic ratiocinationi est insitum ingenium, quod diffinitur ab Augustino [6] : « Ingenium est illa vis animæ, sive intentio, qua se extendit anima et exercet ad incognitorum cognitionem. » Alius actus est ipsum cognoscere, quod est aspectus veri; et secundum hoc diffinitur ratio ab Augustino [7] : « Ratio est animi aspectus, quo per seipsum verum intuetur. » Habet etiam ratio tres actus per quos dirigitur in finem boni. Primus est boni et mali discretio, sive boni et melioris; secundus est, discretione facta, boni, sive melioris electio; tertius est dilectio. De his tribus dicit Augustinus [8] : « Ratio est animæ aspectus, quo bonum et malum discernit, virtutes eligit, Deum diligit. »

SECTIO XXIII.

De divisione potentiarum, secundum Augustinum.

Quarta divisio potentiarum ponitur ab Augustino [9] in libro *de Spiritu et Anima*, quæ facit ad majorem evidentiam prædictorum. Distinguit autem vires animæ in rationalem, concupiscibilem, et irascibilem. Per rationalem est anima habilis ad cognoscen- Tres vires animæ.

[1] Arist., *de Anima*, lib. III, text. 49. — [2] Anselm., *de Lib. Arb.*, c. VII. — [3] Aug., lib. XXI, *Sent.*, sent. XIV, et *de duab. Animab.*, c. X. — [4] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. XXII. — [5] Lib. *de Spir. et Anim.*, c. I. — [6] Ibid., c. XI. — [7] Ibid., c. I. — [8] Ibid., c. XI. — [9] Ibid., c. IV.

dum aliquid infra se, et supra se, in se, et juxta se. Cognoscit siquidem Deum supra se, se in se, angelum juxta se, et quidquid cœli continetur ambitu, infra se. Per concupiscibilem et irascibilem habilis est affici ad aliquid appetendum vel fugiendum, amandum vel odiendum. De rationalitate omnis sensus animæ nascitur; de concupiscibilitate omnis affectus. Affectus quadripartitus esse dignoscitur, dum de eo, quod amamus, jam gaudemus, vel gaudendum speramus; vel cum de eo, quod odimus, jam dolemus, vel dolendum metuimus. Unde de concupiscibilitate gaudium et spes, de irascibilitate dolor et metus oriuntur. Qui quidem quatuor affectus animæ omnium sunt vitiorum atque virtutum quasi quædam principia, et communis materia. Affectus quidem omni operi nomen imponit. Notandum vero [1], quod sensus animæ virtutes apprehensivæ vocantur, sive cognitivæ, quæ a rationabilitate oriuntur. Quinque autem sunt progressus ad sapientiam : sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia. Sensus est ea vis animæ, quæ rerum corporearum corporeas recipit formas, sed præsentes. Imaginatio est ea vis animæ, quæ rerum corporearum corporeas recipit formas, sed absentes. Sensus namque formas accipit in materia; imaginatio extra materiam. Et ea vis exterius formata, sensus dicitur; et eadem usque ad intimum traducta, vocatur imaginatio, quæ de sensu oritur. Ratio est ea vis animæ, quæ rerum corporearum formas, naturas, differentias; propria et accidentia omnia percipit incorporea, sed non extra corpora, nisi ratione, existentia. Abstrahit enim a corporibus, quæ fundantur in corporibus, non actione, sed consideratione. Intellectus est ea vis animæ, quæ invisibilia percipit, ut angelos, dæmones, animas, et omnem spiritum creatum. Intelligentia est ea vis animæ, quæ immediate supponitur Deo. Cernit quidem ipsum summum verum et vere immutabile. Sic ergo anima sensu percipit corporea : imaginatione, corporum similitudines; ratione, corporum naturas; intellectu, spiritum creatum; intelligentia, spiritum increatum. Ad imaginationem, quæ dicitur sensus communis, et etiam phantasia, pertinent ea quæ vident in somnis dormientes: de quibus dicit Augustinus [2], quod omnium, quæ sibi videntur videre dormientes, quinque sunt genera, scilicet oraculum, visio, somnium, insomnium, et phantasma. Oraculum est, cum in somnis parens, vel aliqua gravis persona, seu sacerdos, vel etiam Deus aliquid eventurum aperte, vel non eventurum, faciendum, vel vitandum denuntiat. Visio est, cum id quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat, evenit. Somnium est figuris tectum, et sine interpretatione intelligi non potest. Insomnium est, quando id, quod vigilantem fatigaverat, se ingerit dormienti, sicut est cibi cura, vel potus, vel aliqua studia, vel artes, vel infirmitates. Juxta infirmitates enim diversi diversa accipiunt somnia : alia enim vident sanguinei, alia cholerici, alia melancholici, alia flegmatici. Isti enim vident rubra et varia; et illi nigra et alba. Phantasma est, quando vix dormire cœperit quis, et vigilare se existimat, et videtur aspicere irruentes in se, vel passim vagantes formas discrepantes, et varias, lætas, et turbulentas. In hoc genere est ephialtes, quem opinantur vulgares invadere dormientes, et opprimere quiescentes, quod non est nisi fumositas conscendens ad cerebrum a stomacho, vel a corde, vim comprimens animalem.

SECTIO XXIV.

De quo est anima.

Potest colligi ex prædictis, quod [3] anima est ens vivens, intelligens, ac libertate utens. Forma quidem est anima, non a seipsa, nec de divina natura, sed a Deo per creationem de nihilo in esse deducta. Forma autem vi-

[1] Hæc habentur inter Aug. Opera, lib. cit., c. XI. — [2] Ibid., c. XV. — [3] Vid. sup., *Brevil.*, p. II, c. IX.

vens est non ex natura extrinseca, sed ex seipsa; non vita mortali, sed perpetua. Forma vero intelligens, non tantum creata, sed etiam per creatricem essentiam, ad cujus imaginem et similitudinem facta est. *Imago* autem nominat conformitatem in quantitate; *similitudo* vero, convenientiam in qualitate. Imago namque dicit quamdam configurationem; et illa importat figuram, quæ est quantitas in qualitate, et qualitas in quantitate. Similitudo vero dicitur rerum differentium eadem qualitas. Ex hac primaria differentia, triplex modus distinguendi inter imaginem et similitudinem assignatur: secundum Hugonem[1], imago respicit figuram, similitudo naturam; alius est modus distinguendi, quod imago est in naturalibus, similitudo in gratuitis; tertius modus, secundum Augustinum[2], est, quod imago est in potentia cognoscendi, similitudo in potentia diligendi. Hæc ultima est per appropriationem, pro eo quod in imagine quæ est per creationem, duæ sunt potentiæ ex parte cognitivæ, scilicet memoria et intelligentia, et una ex parte affectivæ, scilicet voluntas. E contrario autem in similitudine, quæ est per recreationem sive justificationem, duæ sunt virtutes ex parte affectivæ, scilicet spes et charitas; et una ex parte cognitivæ, scilicet fides. Et propterea ponitur imago in potentia cognitiva, similitudo in potentia affectiva. Diffinitur autem imago ab Hilario, in libro *de Synodis*[3], sic: « Imago est ejus rei, ad quam coimaginatur (*a*), species indifferens. » Est etiam anima forma libertate utens, quia semper est libera a coactione. Hæc autem libertas a coactione nihil aliud est, quam facultas rationis et voluntatis, quæ sunt potentiæ animæ principales. Hæc autem libertas consurgit ex deliberatione præambula, et voluntate adjuncta; et communiter liberum arbitrium appellatur.

De quo libero arbitrio videndum est quantum ad diversam diffinitionem, et quantum ad variam denominationem. Liberum arbitrium a Philosopho sic diffinitur[4]: « Liberum de voluntate judicium. » A Bernardo[5] sic, in libro *de Libero Arbitrio*: « Liberum arbitrium est consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, et rationis indeclinabile judicium. » Ab Augustino[6] sic: « Liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis, qua bonum eligitur, gratia assistente, vel malum, eadem desistente. » Ab Anselmo[7] sic: « Liberum arbitrium est potestas servandi rectitudinem propter seipsam. » Potest enim liberum arbitrium considerari quantum ad actum, et sic diffinitur a Bernardo; quantum ad actum et objectum, et sic ab Anselmo; quantum ad actum, et objectum, et finem ultimum, et sic ab Augustino. Denominatur autem ista potentia a Magistro Sententiarum[8]: « Libertas a coactione, sive necessitate, a culpa, et a miseria; » a Bernardo[9] vero: « Libertas arbitrii, consilii, et complaciti: » a Magistro Sententiarum, privative; a Bernardo, positive. Considerari enim potest libertas ista quantum ad esse, et sic dicitur a Magistro: *Libertas a coactione*, privative; a Bernardo: *Libertas arbitrii*, positive. Item, quantum ad bene esse, ad quod requiritur duplex bonum, scilicet bonum rectificans, sive ordinans, et bonum delectans, sive quietans; et excluditur duplex malum, scilicet malum deformans, et malum affligens: respectu mali deformantis, dicitur a Magistro: *Libertas a culpa*, privative; respectu boni rectificantis, dicitur a Bernardo: *Libertas consilii*, positive. Respectu mali affligentis, dicitur a Magistro: *Libertas a miseria*, privative; respectu boni quietantis, dicitur a Bernardo: *Libertas complaciti*, positive.

Liberum arbitrium quid, et quale.

[1] Hug., *Annot. elucidator. in Genes*, c. VII. — [2] Lib. *de Spir. et Anim.*, c. XVIII. — [3] Hilar., *de Synod.*, definit. 1, n. 13. — [4] Vid. sup., hujus edit. tom. III, p. 193, *Sent.*, lib. II, dist. XXV, in principio. — [5] Bern., *de Lib. Arb.*, ante med. — [6] Vid. sup., huj. edit. tom. III, p. 153, *Sent.*, lib. II, dist. XXIV, § *Liberum vero*. — [7] Anselm., *de Lib. Arb.*, c. XV. — [8] *Sent.*, lib. II, dist. XXV, tom. III, p. 195. — [9] Loc. cit.

(*a*) *Cæt. edit.* imaginamus.

SECTIO XXV.

De conditione humani corporis.

Sequitur videre de natura composita, hoc est humana natura quantum ad corpus. Fuit enim corpus primi hominis de limo terræ conditum et formatum, animæ subjectum et proportionabile suo modo. Proportionabile, inquam, fuit, quantum ad æqualem complexionem, et quantum ad pulcherrimam et multiformem organizationem, et quantum ad staturæ rectitudinem. Quamvis enim corpus et anima multum distent, tamen infimum spiritus et supremum corporis sunt unibilia miro modo. Spiritus enim animalis, sive rationalis, habet potentiam vivificandi, potentiam vegetandi, et potentiam sentiendi. Corpus vero habet complexionis æqualitatem, organorum multiformitatem, et spirituum subtilitatem, secundum triplicem differentiam : habet namque spiritum vitalem, spiritum naturalem, et spiritum animalem. Comparando igitur complexionis æqualitatem ad potentiam vivificativam, per medium sive vinculum spiritus vitalis, optimus est nexus. Similiter comparando non solum complexionem æqualem, verum etiam organizationis perfectionem, ad potentiam vegetativam et sensitivam, mediante spiritu naturali et animali, optima est proportio et mirabilis nexus. Unde, sicut terra et ignis, quamvis multum distent, duplici tamen medio connectuntur : uno, quod magis communicat cum igne; alio, quod magis communicat cum terra : sic est in proposito intelligendum. Rursus, quoniam anima, tanquam ad beatitudinem ordinata et habilis, tendit sursum; corpus habet staturæ rectitudinem, et caput sursum erectum, ut sic rectitudini spiritus attestetur. Fuit etiam corpus animæ subjicibile et subjectum, ita quod esset obtemperans sine rebellione, vegetabile sine defectione, propagabile sine libidine. Unde datus est sibi Paradisi terrestris locus in tranquillam habitationem; datum est ei lignum vitæ ad continuam vegetationem; formata est ei mulier de latere viri in consortium et adjutorium, ad immaculatam propagationem.

Animæ humanæ et corporis proportio.

Et quia homo ex homine, sicut est in cæteris, seminaliter propagatur, de ratione seminali est aliquid adjungendum. Ad quod notandum est, quod causa et causalis ratio communis est ad principium extrinsecum et intrinsecum, quantum est de vi nominis; semen vero et ratio seminalis respicit principium intrinsecum. Possunt tamen distingui, ut causa et ratio causalis accipiatur quantum ad principium increatum; semen et ratio seminalis quantum ad principium creatum. Differunt tamen causa, et ratio causalis : quia causa dicit principium productivum; ratio vero causalis dicit regulam dirigentem illud principium in operatione sua. Similiter etiam differunt semen, et ratio seminalis. Regula autem agentis increati est forma exemplaris vel idealis; regula agentis creati est forma naturalis. Et ita rationes causales sunt formæ ideales vel exemplares; rationes vero seminales sunt formæ naturales. Et secundum hoc patet, quod rationes causales et primordiales sunt idem re, differentes solum ratione : primordiales dicuntur, per privationem prioris; causales, per positionem posterioris. Et primordiales respiciunt Deum ut (a) primum principium; causales respiciunt Deum ut (a) ultimum finem, qui est causa causarum. Similiter naturales rationes, et seminales, idem sunt re, sed differunt ratione : quia semen dicit, ut ex quo; natura, ut a quo. Ratio seminalis attenditur in quantum dicit potentiam naturæ, ut ex aliquo aliquid fiat. Vel seminalis ratio respicit inclinationem et virtutem intrinsecam, quæ movet et operatur ad effectus productionem; naturalis vero ratio concernit producentis ad productum assimilationem, et modi agendi assuetudinem.

Ratio seminalis.

Rationes causales et primordiales.

(a) Vet. edit. et.

SECTIO XXVI.

De toto homine ex corpore et anima constituto.

Homini a principio data. Jam tertio est videndum de toto homine ex anima et corpore constituto. De quo doctrinaliter est tenendum, quod homini datus est duplex sensus, scilicet interior sive mentis, et exterior sive carnis. Datus est ei duplex motus, scilicet imperans in voluntate, et exequens in corpore. Datum est ei duplex bonum, unum visibile, alterum invisibile. Datum est ei duplex præceptum, scilicet naturæ, et disciplinæ. Præceptum naturæ[1]: *Crescite et multiplicamini.* Præceptum disciplinæ[2]: *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas.* Datum est ei quadruplex adjutorium, scilicet scientiæ, et conscientiæ, synderesis, et gratiæ. Et sic potest colligi ex prædictis, quod creatura mundi est quasi quidam liber, in quo relucet, repræsentatur et legitur Trinitas fabricatrix secundum triplicem modum expressionis, scilicet per modum vestigii, per modum imaginis, et per modum similitudinis: ita quod ratio vestigii invenitur in creaturis omnibus; ratio imaginis, in solis intellectualibus, sive rationalibus; ratio similitudinis, in solis deiformibus (a). Omnis enim creatura, Deum habens ut principium, configuratur ei per unitatem, veritatem et bonitatem, et hoc est vestigium; habens Deum ut objectum, ipsum capit per memoriam, intelligentiam et voluntatem, hæc est imago; habens Deum ut donum infusum, configuratur ei per fidem, spem et charitatem, sive per visionem, tentionem, et perfectam dilectionem: in hoc est similitudo.

Et quia imago est expressa similitudo, et hæc in creatura rationalis secundum gradum triplicem invenitur; ampliato nomine, potest distingui triplex imago in creatura rationali, qua repræsentatur expresse Trinitas fabricatrix. Imago triplex in homine. Est enim imago creationis, quæ consistit in tribus potentiis et in unitate substantiæ: ita quod memoria repræsentat Patrem, intelligentia Filium, et voluntas Spiritum sanctum; substantia vero animæ, cum sit una, repræsentat divinæ essentiæ unitatem. Est etiam imago recreationis, quæ consistit in tribus virtutibus theologicis, et unitate gratiæ gratum facientis: ita quod fides repræsentat Filium; spes, Patrem; et charitas, Spiritum sanctum; unitas vero gratiæ gratum facientis repræsentat essentiæ unitatem. Est et imago glorificationis, quæ consistit in tribus dotibus gloriosis, et unitate gloriæ: ita quod aperta visio repræsentat Filium; secura tentio repræsentat Patrem; perfecta dilectio, Spiritum sanctum; unitas vero gloriæ repræsentat unitatem essentiæ. Prima imago est animarum a Deo exeuntium per creationem; secunda est ad Deum redeuntium per justificationem; tertia est ad Deum pervenientium per glorificationem. Prima dicitur propriæ imago naturæ, et est angelorum omnium et omnium rationalium animarum; secunda dicitur similitudo gratiæ, et est angelorum conversorum et animarum justarum, non autem dæmonum, nec hominum peccatorum; tertia dicitur deiformitas gloriæ, et est angelorum sanctorum et beatarum animarum. Hæc autem tria operatur tribus vicibus per singulos hominum beatorum benignitas Salvatoris.

SECTIO XXVII.

De unione naturarum in Christo.

Postquam vidimus de bono increato, quod est Deus, et de bono creato, quod est mundus, videndum est aliquid de bono ex utroque conjugato, quod est Christus. De quo breviter tria sunt videnda, scilicet naturarum sociatio, gratiarum exuberatio, et pœnarum toleratio.

Quantum ad naturarum unionem in Christo, tenere debemus, quod in fine sæculorum, *quando*[3] *venit plenitudo temporis,* post legem naturæ et scripturæ, post pa-

[1] *Gen.*, I, 28. — [2] *Gen.*, II, 17. — [3] *Gal.*, IV, 4.

(a) *Cæt. edit.* deformibus, *mendose.*

triarchas et prophetas, quibus, et per quos fuit incarnatio repromissa, dignatus est Filius Dei incarnari propter homines redimendos; et tunc Angelo nuntiante virgini Mariæ incarnationis mysterium perficiendum in ipsa, virgo credidit, appetiit, et consensit; et descendit Spiritus sanctus super eam ad sanctificandum et fecundandum; cujus virtute, virgo concepit Dei Filium, quem virgo peperit, et post partum virgo permansit. Concepit non solum carnem, verum etiam carnem animatam, et Verbo unitam, et nulli peccato obnoxiam, sed omnino sanctam et immaculatam: ratione cujus dicitur Mater Dei, et Virgo Maria. Hanc autem incarnationem fuit tota Trinitas operata. Per quam quidem incarnationem, facta est assumptio carnis a divinitate, et unio divinitatis cum carne vivificata (a) spiritu rationali, secundum potentiam vegetandi, sentiendi, et intelligendi. In hac autem incarnatione non est facta unio in unitate naturæ, sed personæ; non humanæ, sed divinæ; non assumptæ, sed assumentis; non personæ cujuslibet, sed personæ solius Verbi. Hæc vero unio tanta fuit, ut faceret Deum hominem, et hominem Deum: ita quod quidquid dicitur de Filio Dei per naturam, dicitur de filio hominis per gratiam, et e contra, exceptis his in quibus exprimitur unio, et includitur negatio. Non enim potest dici, quod humana natura divinam naturam assumpserit, vel sibi unierit, sed quod assumpta fuerit et unita. Similiter non potest dici, quod Filius Dei incœperit esse: hoc enim negatur de assumente; sed vere dicitur de assumpto.

SECTIO XXVIII.

De perfectione gratiarum in Christo.

Sequitur videre de perfectione gratiarum quæ fuerunt in Domino Jesu Christo: de quibus tenendum est, quod in Christo, a sui conceptione, fuit plenitudo omnis gratiæ, et quantum ad gratiam singularis personæ, et quantum ad gratiam capitis, et quantum ad gratiam unionis: ita quod per gratiam singularis personæ habuit omnis peccati immunitatem, et quantum ad actum, et quantum ad posse, quia nec peccavit, nec peccare potuit. Quantum ad gratiam unionis, dignus est non solum felicitate gloriæ, verum etiam adoratione latriæ, quæ est cultus reverentiæ soli Deo debitus. Per gratiam vero capitis, influit motum et sensum in universos qui ad eum accedunt per fidem rectam, vel per fidei sacramenta, sive adventum ejus præcesserint, sive fuerint subsecuti. Christo enim considerato in se, quantum est singulare sive individuum, competit gratia ipsum sanctificans et confirmans, quam vocamus gratiam singularis personæ. In comparatione ad Verbum unitum, competit ei gratia unionis, ratione cujus habuit superiorem naturam, et inferiorem; divinam, et humanam; adorabilem, et adorantem. In comparatione vero ad corpus mysticum, competit ei gratia capitis hac ratione: quia sicut caput habet in se sensuum plenitudinem, et cæteris membris est conforme, cæteris membris præsidet, cæteris præstat beneficium influentiæ, quæ ipsi capiti connectuntur; sic Christus habens in se gratiæ superabundantiam, nobis consimilis in natura, præ cæteris sanctis et sanctus et justus, cæteris, qui ad ipsum accedunt, præstat beneficium gratiæ et spiritus, per quem fit sensus et motus in spiritualibus: sensus, inquam, cognitionis et veritatis; motus dilectionis et charitatis.

Triplex gratia in Christo.

(a) *Cæt. edit.* vivifica.

SECTIO XXIX.

De plenitudine sapientiæ in Christo.

Vidimus de plenitudine gratiæ, quam habuit Christus in affectu; videamus subsequenter de plenitudine sapientiæ, quam habuit in intellectu. Et sic tenendum est, quod in Verbo incarnato fuit omnis sapientiæ plenitudo, non solum ad cognita, verum etiam quantum ad modos et differentias cognos-

Triplex cognitio in Christo. cendi. Fuit namque in Christo cognitio sempiternalis, ex parte divinitatis; cognitio sensibilis, ex parte sensualitatis et carnis; cognitio scientialis, ex parte mentis et spiritus. Et hæc fuit triplex : quædam per naturam; quædam per gratiam; quædam per gloriam. Unde sapientiam habuit, ut Deus, et homo; ut comprehensor, et viator; ut perfecte illuminatus per gratiam, et ut recte formatus per naturam. Quinque modi sciendi in Christo. Et ita in universo fuerunt in Christo quinque modi sciendi, sive cognoscendi. Primus, secundum divinam naturam : et secundum hoc, cognovit omnia actualia et possibilia, finita et infinita, cognitione actuali et comprehensiva. Secundus, per gloriam : et hoc modo cognovit omnia actualia et finita, cognitione actuali; infinita vero, cognitione habituali. Tertius, per gratiam : et hoc modo cognovit omnia spectantia ad humani generis redemptionem longe excellentius et melius, quam aliquis prophetarum et angelorum. Quartus, secundum naturam integram, cujusmodi fuit in Adam : et hoc modo cognovit quæ spectant ad mundanam machinam construendam, excellentius et melius quam ipse Adam. Quintus, secundum sensibilem experientiam : et hoc modo cognovit omnia quæ veniunt ad organa sensuum, secundum quem modum dicitur[1] quod *didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.*

Cur quintuplex modus sciendi in Christo. Debuit quidem in Christo esse quintuplex iste modus. Nam res habent esse in æterna arie, in humana mente, et in proprio genere. In arte cognovit res per naturam divinitatis, et per gloriam comprehensionis. In mente, per habitum naturalem sive innatum, sicut cognoverunt angeli; per habitum gratuitum et infusum, sicut cognoverunt sancti Dei per Spiritum sanctum illuminati. In proprio genere cognovit via sensus, memoriæ et experientiæ, quæ in nobis facit rem incognitam cognosci; in Christo autem, rem cognitam secundum unum modum, fecit per modum alium esse notam.

CAPUT XXX.

De plenitudine meriti Christi.

Sequitur videre de plenitudine meriti, quam Christus habuit in opere et effectu. Et sic est tenendum, quod in Christo Domino fuit omnis meriti perfectio et plenitudo. Primo, quantum ad eum, qui merebatur, quia non tantum erat homo, verum etiam Deus. Secundo, quantum ad tempus in quo merebatur, quia ab instanti conceptionis usque ad horam mortis. Tertio, quantum ad id quo merebatur, propter perfectissimum habitum charitatis et perfectissimum exercitium virtutis in agendo, orando, et patiendo. Quarto, quantum ad eum cui merebatur, quia non tantum sibi, sed etiam nobis, imo omnibus justis. Quinto, quantum ad id quod merebatur nobis, quia non tantum gloriam, verum etiam gratiam et veniam; non tantum gloriam spiritus, verum etiam stolam carnis, et apertionem januæ cœlestis. Sexto, quantum ad id quod merebatur sibi, quia licet non mereretur glorificationem mentis, quam jam habebat, merebatur tamen accelerationem resurrectionis, et glorificationem sui nominis, et dignitatem judiciariæ potestatis. Septimo, quantum ad modum quo merebatur : cum enim dicatur tripliciter quis mereri, scilicet vel de indebito facere debitum; vel de debito facere magis debitum; vel de debito uno modo, facere debitum alio modo : omnibus his modis meruit nobis; Tribus modis meruit nobis Christus tertio tantummodo meruit sibi, faciente ad hoc plenitudine Spiritus sancti, per quam Christus simul erat beatus et in statu merendi : ita quod supra ejus meritum omnia nostra merita habent fundari. Cum in Christo siquidem fuerit plenitudo gratiæ in affectu, et plenitudo sapientiæ in intellectu, necesse fuit quod in ipso esset plenitudo et perfectio meriti secundum omnem modum plenitudinis.

[1] *Hebr.*, v, 8.

SECTIO XXXI.

De tolerantia passionis Domini nostri Jesu Christi.

Sequitur videre de tolerantia passionis circa Dominum Salvatorem. Sciendum est, quod Christus assumpsit non tantum naturam humanam, sed etiam defectus circa naturam humanam: assumpsit enim pœnalitates corporales, ut famem, sitim et lassitudinem; assumpsit et spirituales, ut tristitiam, gemitum, timorem et dolorem. Nec tamen omnes corporales assumpsit, sicut sunt defectus ægritudinum multiformium; nec omnes spirituales, sicut sunt ignorantia, et rebellio carnis ad spiritum, et e contra; nec eas qualitercumque assumpsit, quia sic necessitatem patiendi assumpsit, ut nihil pati posset invite, nec secundum divinitatis voluntatem, nec secundum voluntatem rationis, licet passio fuerit contra voluntatem sensualitatis et carnis.

Christus humanam naturam assumpsit, et defectus aliquos circa eam, non tamen omnes.

In natura passibili sic assumpta, passus est passione generalissima quantum ad naturam humanam, quia non solum secundum omnia membra corporis principalia, verum etiam secundum omnem animæ potentiam, licet nihil pati posset secundum naturam divinam. Passus est passione acerbissima: tum propter complexionis æqualitatem; tum propter sensuum vivacitatem; tum propter suspendii continuitatem; tum quia doluit propter vulnera, ut patiens; tum quia doluit propter nostra delicta, ut compatiens. Passus est passione ignominiosissima: propter patibulum crucis, quod erat supplicium latronum et pessimorum; et propter consortium iniquorum latronum, scilicet [1] *cum quibus reputatus est*. Passus est tandem passione interemptoria, per separationem animæ a corpore, salva tamen unione utriusque cum divinitate. Anathema enim est, qui dicit Filium Dei naturam, quam semel assumpsit, reliquisse. Peracto autem mysterio passionis, descendit anima Christi ad liberationem eorum qui inter membra sua decesserant per fidem rectam, vel per fidei sacramenta; tertia die rediens ab inferis, corpus, quod prius vivificaverat, factum immortale et impassibile assumpsit; post quadraginta dies cœlos ascendit; interjectis decem diebus, Spiritum sanctum misit.

Magnitudo passionis Christi.

[1] *Isa.*, LIII, 12. — [2] *Joan.*, I, 14.

SECTIO XXXII.

De sacra Scriptura, quantum ad duo Testamenta.

Sequitur videre de triplici beneficio Christi: et primo de doctrina sacra, ratione cujus dicitur [2] *plenus veritatis* ad homines descendisse. Doctrinam ergo sacram, sive scripturam divinam, habemus considerare quantum ad diversitatem Testamentorum, quantum ad generalitatem contentorum, et quantum ad specialitatem præceptorum. Et sic scriptura sacra in duo dividitur Testamenta, Vetus scilicet et Novum. Vetus habet multitudinem librorum: habet enim libros legales quinque, scilicet Genesim, Exodum, Leviticum, Numeri, Deuteronomium. Habet historiales decem, qui sunt Josue, Judicum, libri Regum quatuor, libri Paralipomenon duo, libri Esdræ tres, libri Tobiæ, Judith, Esther, Job, et libri Machabæorum duo. Sapientiales sunt quinque: Parabolæ, Ecclesiastes, Cantica, liber Sapientiæ, et Ecclesiasticus. Prophetales sunt sex, scilicet Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, liber Psalmorum, et libri duodecim Prophetarum, qui sunt Osee, Johel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

Vetus Testamentum.

Novum Testamentum habet etiam libros multos, scilicet Evangelia quatuor: primum, secundum Matthæum; secundum, secundum Marcum; tertium, secundum Lucam; quartum, secundum Joannem. Habet Actus Apostolorum. Habet Epistolas Pauli quatuordecim: ad Romanos unam, ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Ephesios unam, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas, ad Titum unam,

Novum.

ad Philemonem unam, ad Timotheum duas, ad Hebræos unam. Et septem canonicas, scilicet unam Jacobi, duas Petri, tres Joannis, unam Judæ. Habet etiam librum Apocalypsis. Novum Testamentum, et maxime quatuor Evangelia, quatuor qualitatibus secundum Hieronymum [1] contexuntur : quæ sunt præcepta, mandata, testimonia, et exempla. Præcepta sunt ad declinandum a malis; mandata, ad faciendum bona; testimonia, ad credendum vera; exempla, ad imitandum et explendum honesta. Timor incutitur præceptis; fides roboratur testimoniis; spes erigitur exemplis; charitas consummatur mandatis.

Legis Mosaicæ et Evangelicæ differentia.

Assignatur autem differentia inter legem Mosaicam et Evangelicam in hunc modum : quia lex Moysi dicitur lex figuræ, lex pœnæ, lex litteralis, lex occidens, lex timoris, lex servitutis, lex oneris; lex autem Evangelica dicitur lex veritatis, lex gratiæ, lex spiritualis, lex vivificans, lex amoris, lex libertatis, lex facilitatis. In lege quippe Evangelica quatuor conditiones nobilissimæ sunt adjectæ, scilicet documenta instruentia, promissa incitantia, sacramenta adjuvantia, et consilia perficientia, quæ sunt consilium paupertatis altissimæ, castitatis mundissimæ, et obedientiæ sive humilitatis subjectissimæ.

Res de quibus scriptura sacra agit.

Agitur enim de septem in universo in sacra Scriptura tam Novi, quam Veteris Testamenti, scilicet de trinitate Dei, et de creatura mundi, de corruptela peccati, de incarnatione Verbi, de gratia Spiritus sancti, de medicina sacramentali, de statu finalis judicii. Sunt specialiter in Scriptura quatuor genera præceptorum : scilicet quædam cæremonialia, ut [2] : *Non arabis in bove et asino;* quædam sacramentalia, ut de vitula rufa, et aliis sacrificiis, et circumcisione; quædam judicialia, ut [3] : *Oculum pro oculo, dentem pro dente;* quædam moralia, ut decem præcepta Decalogi.

SECTIO XXXIII.

De præceptis Decalogi.

Salus hominis.

Præcepta Decalogi sunt specialiter declaranda, quæ dicuntur moralia, quia cum fide sunt ad salutem hominum necessaria. In fide enim et moribus est salus hominum constituta. Fuerunt autem conscripta digito Dei in duabus tabulis lapideis, in signum geminæ charitatis, divinæ scilicet et humanæ. De quibus breviter duo sunt videnda, scilicet ordinatio, et numeri sive sufficientiæ assignatio. Ordinantur autem a Josepho [4] historiographo, secundum ordinem rei gestæ, quinque in prima tabula, et quinque in secunda; secundum eumdem ordinem ab Augustino [5], tria in prima tabula, et septem in secunda. Origenes considerans materiam eorum quæ ordinantur, distinguit primum in duo, scilicet : *Non habebis deos alienos præter me;* et : *Non facies tibi sculptile :* in quorum primo prohibetur adoratio statuæ nihil habentis simile in naturis; secundo prohibetur adoratio statuæ habentis similitudinem cum aliqua creatura. Duo vero ultima secundæ tabulæ non distinguit, reputans ea esse unum, scilicet : *Non concupisces uxorem proximi tui;* et : *Non desiderabis rem ejus.* Augustinus vero, considerans finem ad quem præcepta Decalogi ordinantur, primum non distinguit, quia utrobique secundum intentionem idolatria prohibetur; et sic ponit tantum tria in prima tabula. Præceptum vero de concupiscentia uxoris, et possessionis alienæ, distinguit in duo, quia alio fine concupiscitur uxor ad usum voluptatis, alio fine concupiscitur possessio ad usum cupiditatis : et sic septem ponit in secunda.

Sufficientia decem præceptorum.

Augustinum ergo sequentes, qui tria ponit in prima tabula, et septem in secunda, sufficientiam numeri assignemus. In prima tabula tria fuerunt præcepta ordinantia ad Deum, quorum sufficientia potest sumi penes

[1] Hieron., *in Evang. Marc.*, Præf. — [2] *Deut.*, XXII, 10. — [3] *Levit.*, XXIV, 20.— [4] Joseph., *Antiq. Jud.*, lib. III, c. IV. — [5] *Quæst. in Exod.*, lib. II, q. 71.

subjectum, quod est triplex in nobis, scilicet potentia irascibilis, quæ ordinatur per præceptum de protestatione veritatis; potentia concupiscibilis, quæ ordinatur per præceptum de sabbatizatione mentis; potentia rationalis, quæ ordinatur per præceptum de adoratione (*a*) majestatis. Potest etiam sumi penes objectum, quod est triplex in divinis, scilicet summa majestas reverenda, respectu cujus est primum; summa veritas profitenda, respectu cujus est secundum; summa bonitas diligenda, respectu cujus est tertium. Potest sumi nihilominus penes actum intermedium, qui est triplex, scilicet : actus operis, qui exercetur in primo mandato per actualem adorationem; actus oris, qui exercetur in secundo per sermocinalem prolationem; actus cordis, qui exercetur in tertio per affectualem dilectionem. Non potest bene sabbatum, id est, quietem mentis celebrare, qui per quietem continuam non studet omne peccatum mortale declinare. In secunda tabula septem fuerunt præcepta ad proximum ordinantia, quorum sufficientia sic accipitur. Ad proximum habemus dupliciter ordinari, scilicet : per beneficentiam, et sic est primum, scilicet : *Honora patrem et matrem tuam;* per innocentiam, et sic possumus nocere proximo tripliciter, actu operis, actu oris, et actu cordis : actu operis, tribus modis, scilicet : in propria persona, et sic dicitur : *Non occides;* in persona conjuncta, et sic dicitur : *Non mœchaberis;* in possessione sua, et sic dicitur : *Non furaberis.* In actu oris possumus nocere proximo falsum testificando, et sic dicitur : *Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum.* In actu cordis possumus nocere ei dupliciter, scilicet : affectu carnalitatis, et sic dicitur : *Non concupisces uxorem proximi tui;* et affectu cupiditatis, et sic dicitur : *Non desiderabis rem ejus.* Decem præcepta per ordinem his versibus continentur :

Sperne deos, fugito perjuria, sabbata serva.
Sit tibi patris honor, sit tibi matris amor.
Non sis occisor, mœchus, fur, testis iniquus,
Vicinique thorum, resque caveto suas

SECTIO XXXIV.

De præceptorum summa.

Præceptum triplex.

Ad majorem notitiam præceptorum est attendendum, quod est præceptum naturæ, disciplinæ, et scripturæ. Præceptum naturæ est duplex : innatum, et datum. Innatum est duplex : quoddam respectu Dei, quoddam respectu proximi. Respectu Dei est illud Deuteronomii [1], videlicet : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex tota fortitudine tua.* Respectu proximi est duplex : unum per beneficentiam, de quo Salvator [2] : *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis;* aliud est de innocentia, in *Tobia* [3] *: Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne alteri aliquando tu facias.* Datum est duplex præceptum : unum ad conservationem individui, in *Genesi* [4] *: Ex omni ligno Paradisi comede;* aliud est ad conservationem speciei, ibidem [5] : *Crescite, et multiplicamini.* Præceptum disciplinæ est duplex : quoddam ad probationem obedientiæ [6] : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas;* quoddam ad probationem fidei [7] : *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et offeres eum mihi.*

Præcepta Scripturæ sunt in quatuor generibus comprehensa, sicut supra [8] dictum est : quædam sunt cæremonialia; quædam sacramentalia; quædam judicialia, et moralia. Hæc quatuor genera præceptorum fuerunt in Veteri Testamento tanto multiplicato numero, ut quasi non essent plures dies in anno, nec ossa in homine, quam præcepta data Dei populo. Lex autem Evangelica superveniens, tanquam abbrevians et consummans, cæremonialia et sacramentalia evacuavit adimplendo; judicialia temperavit auferendo; moralia consummavit, consilia salutifera adjiciendo. Possunt autem omnia

Lex Evangelica.

[1] *Deut.*, VI, 5. — [2] *Matth.*, VII, 12. — [3] *Tob.*, IV, 16. — [4] *Gen.*, II, 16. — [5] *Gen.*, I, 28. — [6] *Gen.*, II, 17. — [7] *Gen.*, XXII, 2. — [8] Supra, huj. partis sect. XXXII.

(*a*) *Cæt. edit.* ordinatione.

præcepta, quæ legimus in Scriptura, reduci ad tres differentias, sive membra : ut dicamus quod præceptum aliud executionis, sicut est illud quod implere tenemur ex Domini voluntate; aliud probationis, sicut fuit præceptum Abrahæ, ut immolaret filium, in quo requirebat Deus non opus, sed promptitudinem voluntatis; aliud instructionis, sicut quandoque curabat Dominus aliquos, et mandabat curatis ne eum in populo divulgarent. Non enim obligabat Dominus curatos, ut tacerent; sed instruebat, ut de magnis operibus laudes non captemus.

SECTIO XXXV.

De gratia in se considerata, quoad diffinitionem, divisionem et operationem.

Sequitur videre de secundo beneficio Jesu Christi, quod est gratia, ratione cujus *plenus gratia* dicitur [1] advenisse. Est autem considerare gratiam in se, et in comparatione ad habitus virtuales. In se habet considerari gratia quantum ad diversitatem diffinitionis, divisionis, nominationis, et operationis.

Gratiæ definitiones. Diffinitur autem gratia multipliciter, secundum quod multipliciter comparatur. Comparatur autem 1° ad suum principium, et sic diffinitur ab Isidoro [2] : « Gratia est divinæ misericordiæ donum, per quod bonæ voluntatis est exitus. » 2° Ad suum objectum, et sic est illa (a) super Psalmos (b) [3] : *Ut exhilaret faciem in oleo :* « Gratia est quidam nitor animæ, ad conciliandum sanctum amorem. » 3° Ad suum oppositum, et sic est quæ datur in Glossa super Psalmos : « Gratia est justificatio, et recisio peccatorum. » 4° Ad suum effectum, et sic est illa Chrysostomi : « Gratia est sanitas mentis, dilectio cordis. » Potest quinto comparari ad suum præmium, et sic est illa : « Gratia est similitudo gloriæ. » Secundum has omnes comparationes, assignatur diffinitio magistralis, quæ talis est : « Gratia est forma a Deo data gratis sine meritis, gratum faciens habentem, et opus ejus bonum reddens. » Invenitur et alia notificatio, quæ competit gratiæ gratis datæ : « Gratia est manifestatio spiritus ad utilitatem spiritus, » sumpta ab Apostolo [4].

Divisiones gratiæ. Dividitur etiam gratia multipliciter, secundum quod multipliciter comparatur. Comparata enim ad suum principium, a quo est, dividitur in gratiam prædestinationis, vocationis, justificationis, et magnificationis. Primo enim Deus gratiam præparat, secundo offert (c), tertio confert, quarto complet. Comparata ad suum subjectum, in quo est, dividitur in gratiam cognitionis, voluntatis, et perfectionis, secundum triplicem potentiam, scilicet intellectivam, affectivam et operativam. Et sumitur a Bernardo in libro *de Libero Arbitrio*. Comparata ad oppositum, contra quod est, dividitur in gratiam protectionis, liberationis, extractionis (d) et salvationis, contra quadruplex malum, scilicet pugnæ, sive tentationis; miseriæ, sive persecutionis; culpæ, sive infectionis; et sequelæ, sive damnationis. A primo protegit, a secundo liberat, a tertio extrahit, a quarto salvat. Et sumitur de Isaia [5] : *Proteget Dominus exercituum Hierusalem, protegens, et liberans, transiens, et salvans.* Comparata ad effectum, ad quem est, dividitur in gratiam prævenientem, et subsequentem; sive operantem, et cooperantem : quæ sunt duæ differentiæ gratiæ secundum effectus, quos habet in voluntate. Dicitur enim gratia præveniens, quia non est a libero arbitrio, sed infunditur ab ipso Deo; subsequens vero dicitur, vel cooperans, in quantum adjuvat liberum arbitrium respectu boni operis eliciendi.

Gratiæ nomina. Exprimitur autem gratia diversis vocabulis, secundum diversas intentiones nominantium. Dicitur enim gratia gratis data, et gratia gratum faciens; dicitur gratia operans, et cooperans; sive gratia præveniens, et gratia subsequens. Accipitur enim gratia

[1] *Joan.*, I, 14. — [2] Isid., *de Diffinit.*, diff. 27. — [3] *Psal.* CIII, 15. — [4] I *Cor.*, XII, 7. — [5] *Isa.*, XXXI, 5.

(a) *Suppl.* diffinitio quæ datur in Glossa.— (b) *Suppl.* ad hunc locum.— (c) *Cæl. edit.* affert.— (d) *Item deest* extractionis.

largissime, et sic comprehendit dona naturalia, et dona gratuita. Accipitur minus communiter, et sic comprehendit gratiam gratis datam, et gratiam gratum facientem. Et sic dicit beatus Bernardus[1], quod quædan gratia seminat cogitatum, et hæc est gratia præveniens; quædam perficit bonum, et hæc est gratia subsequens. Dicit enim in libro *de Libero Arbitrio*, quod « Deus operatur in nobis cogitare, velle, et perficere : primum sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos. » Et nota, quod gratia gratis data communiter a Theologis dicitur gratia quæ bonis et malis potest esse communis, et plurificatur in homine secundum munificentiam largitoris; gratia vero gratum faciens solis justis convenit, qui sunt præditi charitate : et est in uno homine una sola, tum ratione unius principii effectivi, cui assimilat; tum ratione unius subjecti perceptivi, quod vivificat; tum ratione unius finis ultimi completivi, ad quem gradatim ordinat. Nam totum hominem acceptum Deo reddit, opus a libero arbitrio egrediens meritorium facit, et ad unum summum bonum perducit. Accipitur tertio gratia stricte, et sic comprehendit gratiam gratum facientem, et gloriam; et tunc gratia præveniens est ipsa gratia, gratia subsequens est gloria. Et secundum hoc dicit Augustinus[2] : « Gratia prævenit, ut pie vivamus; subsequitur, ut cum illo semper vivamus. » Accipitur etiam magis stricte, et sic nominat tantum gratiam gratum facientem; et tunc præveniens dicit effectum contra malum, subsequens ad bonum, vel ad bonum tantum : ita quod præveniens dicitur, secundum quod informat; subsequens, secundum quod movet, vel monet.

Gratiæ effectus. Est duplex effectus gratiæ : unus in ingressu; alius in profectu. Et sic exponit Augustinus in libro *de Natura et Gratia*. Hæc autem gratia cum sit una, tamen multa in anima operatur. Ipsa enim animam efficit sponsam Christi, filiam Patris æterni, et templum Spiritus sancti. Ipsa (*a*) animam purgat, illuminat, perficit, vivificat, reformat, et stabilit, elevat, assimilat Deo, conjungit, ac per hoc acceptabilem Deo facit : propter quod tale donum gratia gratum faciens non immerito debuit appellari.

SECTIO XXXVI.

De gratia in comparatione ad habitus gratuitos, ut sunt virtutes in generali.

Sequitur videre de gratia in comparatione ad habitus virtuales, in quos ramificatur : qui sunt in triplici differentia. Sunt enim habitus virtutum, donorum, et beatitudinum : primi sunt ad primos motus animæ, secundi ad medios, tertii ad perfectos. Sunt enim quædam opera moralia primitiva, sicut credere ; quædam media, sicut credita intelligere ; quædam postrema, sicut intellecta videre. Item primi sunt respectu incipientium ; secundi, respectu proficientium ; tertii, respectu perfectorum. Item primi sunt ad potentias animæ rectificandas; secundi, ad expediendas ; tertii, ad perficiendas.

Primo de virtutibus aliquid videamus breviter. De quibus in generali tria sunt simpliciter referenda, scilicet diffinitio, et distinctio, et connexio. Multiplex virtutis diffinitio invenitur : nam virtus accipitur communiter, proprie, et magis proprie. Virtutis definitiones. Communiter accepta virtus, comprehendit virtutem moralem, et naturalem ; et secundum hoc comparata ad actum, diffinitur a Philosopho[3], *de Cœlo et Mundo,* sic : « Virtus est ultimum potentiæ de re. » Comparata ad actum et finem ultimum, diffinitur ab eodem[4] sic : « Virtus est dispositio perfecti ad optimum. » Accepta vero proprie comprehendit moralem tantum, ad politicam et gratuitam (*b*) se extendens, et secundum hoc comparata ad actum diffinitur a Philosopho[5] in *Ethicis* sic : « Virtus est habitus qui per-

[1] Bern., tract. *de Lib. Arbitrio.* — [2] Aug., *de Natura et Grat.*, c. XXXII. — [3] Arist., *de Cœl.*, text. 106. — [4] Id., *Phys.*, lib. VII, text. 17. — [5] Id., *Ethic.*, lib. II, c. VI. — (*a*) *Cœl. edit.* ipsam. — (*b*) *Forte legendum* œconomicam.

ficit habentem, et opus ejus bonum reddit. » Comparata ad principium directivum, diffinitur ab eodem ibidem sic : « Virtus est habitus voluntarius, in mente consistens, recta ratione determinatus, prout sapiens determinavit. » Secundum hoc diffinitur a Tullio [1] : « Virtus est habitus mentis bene compositæ. » Item ab Augustino [2], in libro *de Quantitate animæ* : « Virtus est æqualitas quædam vitæ rationi undique consententis. » Accepta magis proprie, comprehendit virtutem gratuitam. Et secundum hoc comparata ad finem, diffinitur ab Augustino in *Soliloquiis* [3] : « Virtus est habitus ratione recta ad suum finem perveniens. » Comparata ad suum subjectum, quod informat, diffinitur ab eodem in libro *de Civitate Dei* : « Virtus est bona voluntas. » Ad actum proprium, sive complementum, diffinitur in libro *de Moribus Ecclesiæ* : « Virtus est ordo amoris, sive amor ordinatus. » Comparata ad suum principium effectivum, diffinitur ab Augustino sic [4] : « Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus nobis sine nobis operatur. »

Sunt autem septem virtutes, quibus vita regitur christiana : tres theologicæ, scilicet fides, spes, et charitas ; quatuor cardinales, scilicet prudentia, justitia, temperantia, et fortitudo : quarum sufficientia sic accipitur. Duplex est facies animæ, scilicet superior, quæ est respectu finis ; et inferior, quæ est respectu eorum quæ sunt ad finem. Superior habet rectificari per theologicas, et quantum ad triplex objectum quod est in divinis, et quantum ad triplex subjectum, quod est in nobis. In divinis est summa veritas, in quam nos dirigit fides in credendo et assentiendo ; summa majestas, sive largitas, in quam erigit spes in laudando et expectando ; summa bonitas, cum qua unit charitas in complectendo et diligendo. Triplex etiam subjectum in nobis est, scilicet potentia rationalis, quæ ordinatur sive rectificatur per fidem ; irascibilis, quæ per spem ; concupiscibilis, quæ per charitatem. Inferior vero facies animæ habet rectificari per quatuor cardinales : nam prudentia rectificat rationalem ; fortitudo, irascibilem ; temperantia, concupiscibilem ; justitia rectificat omnes vires, sive virtutes, in comparatione ad alterum. In comparatione, inquam, ad proximum, rectificans omnes vires, dicitur justitia cardinalis ; in comparatione vero ad proximum, ad ipsum, et ad Deum, non solum cardinalis dicitur, sed generalis justitia, totius animæ rectitudinem comprehendens. Potest et aliter sufficientia cardinalium assignari per subjecta. Nam rationalis rectificari habet respectu sui, et sic indiget prudentia ; respectu proximi, et sic indiget justitia. Irascibilis habet rectificari contra adversa, et sic indiget fortitudine ; concupiscibilis contra prospera, et sic indiget temperantia. Habent autem virtutes esse gratuitum a gratia, tanquam ab origine et radice ; et esse meritorium a charitate, tanquam a motore, forma et fine. Et ideo omnes virtutes quoad habitus sunt connexæ ; quoad habitus meritorios sunt æquales.

SECTIO XXXXVII.

De Fide.

Sequitur videre de singulis virtutibus in speciali, et primo de fide. Et primo, quantum ad ejus essentiam ; secundo, quantum ad Symboli continentiam. In se possumus considerare fidem quantum ad diffinitionem, æquivocationem, actus diversificationem, et effectus impetrationem.

Diffinitur autem fides multipliciter. Quantum ad genus proprium, diffinitur ab Augustino [5] : « Fides est virtus, qua cre-

[1] Est inter Aug. Opera, *de Spir et Anim.*, c. IV. — [2] Aug., *de Quantit. Anim.*, c. XVI. — [3] Id., *Solil.* lib. I, c. VI, n. 13. — [4] Colligitur ex Aug., *Retract.*, lib. I, c. IX, et *de Lib. Arb.*, lib. II, c. XVIII et XIX. Vid. *Sent.*, lib. II, dist. XXVII, hujus edit. tom. III, p. 257. — [5] Aug., *Quæst. Evang.*, lib. II, c. XXXIX.

duntur ea quæ non videntur. » Quantum ad finem ultimum, ab Apostolo [1] : « Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. » A Damasceno [2] : « Fides est eorum quæ sperantur hypostasis, rerum quæ non videntur redargutio. » Quantum ad objectum et primum motivum, ab Augustino : « Fides est illuminatio mentis ad summam veritatem. » Quantum ad actum proprium, a Damasceno [3] : « Fides est non inquisitus consensus. » In ordine ad subjectum, a Dionysio [4] : « Fides est unicum credentium fundamentum, eos collocans in veritate. » In comparatione ad alios habitus et modum asserendi, ab Hugone [5] sic : « Fides est voluntaria quædam certitudo de rebus absentibus, supra opinionem et infra scientiam constituta.

Accipitur autem nomen fidei decem modis. Aliquando enim accipitur pro sponsione, unde Apostolus [6] : *Primam fidem irritam fecerunt.* Aliquando pro fidelitate [7] : *Periit fides, et sanctus de terra.* Aliquando pro conscientia [8] : *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Aliquando pro sacramento fidei; unde dicit Augustinus [9] : « Parvulos habere fidem, non est aliud, quam fidei habere sacramentum. » Aliquando pro acceptione conclusionis per rationem probatæ; et sic dicit Boetius : « Argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem. » Aliquando pro cognitione comprehensionis, et sic accipitur ab Apostolo [10] : *Justitia Dei revelabitur ex fide in fidem :* Glossa : « In fidem speciei, quæ fides dicitur, quia fidentissima et certissima est. » Aliquando pro habitu fidei informis, a Jacobo [11] : *Fides sine operibus mortua est.* Aliquando pro habitu fidei formatæ [12] : *Justus ex fide vivit.* Aliquando pro actu fidei; et sic dicit Augustinus [13] : « Fides est credere quod non vides. » Aliquando pro objecto fidei; unde dicitur in Symbolo [14] : *Hæc est fides catholica.*

Diversificatur autem actus fidei, qui est credere, per credere Deum, credere Deo, credere in Deum. Credere Deum et credere Deo possunt esse actus informis fidei, et formatæ. Possunt autem ad eumdem actum secundum ordinem pertinere. Nam credere Deum, respicit divinam veritatem ut objectum; credere Deo, ut motivum; credere in Deum, ut finem ultimum. Istum ultimum actum multiplicat et exponit Anselmus sic [15] : « Credere in Deum, est credendo eum amare, credendo in eum ire, ei adhærere, et credendo ejus membris incorporari. » Ad hoc enim quod fides perfecte tendat in Deum, requiritur adjunctio charitatis, quæ ordinat ad amorem Dei, et sic est prima differentia; ad operationem boni, et sic est secunda; ad perpessionem mali, et sic est tertia; ad dilectionem proximi, et sic est quarta.

Fidei attribuitur operatio miraculorum. Ipsa est enim prima virtus, quæ supra se elevat intellectum, captivans eum in obsequium Domini nostri Jesu Christi : et ideo meretur de congruo apud Deum opus arduum impetrare, ad quod se non extendit possibilitas admirantis. Et hoc est, quod tangitur in diffinitione miraculi : « Miraculum est opus arduum et insolitum, supra spem et facultatem admirantis consistens. »

Fidei operatio.

Miraculum quod dicatur.

SECTIO XXXVIII.

De continentia Symboli quantum ad articulos.

Sequitur de continentia Symboli : circa quod tria sunt breviter attendenda, scilicet differentia Symbolorum, sufficientia credendorum, et essentia articulorum.

Tria sunt Symbola fidei christianæ, scilicet Symbolum Apostolorum; Symbolum Nicæni concilii, quod trecenti et octodecim episcopi condiderunt; et Symbolum Athanasii. Causa principalis conditionis primi fuit certa fidei traditio; causa secundi fuit certa probatio

Tria Symbola fidei.

[1] *Hebr.*, XI, 5. — [2] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. IV, c. XI. — [3] Ibid., c. XII. — [4] Ibid., c. VII. — [5] Hug., *Miscell.*, lib. I, c. XVIII. — [6] I *Tim.*, V, 12. — [7] *Jerem.*, VII, 28. — [8] *Rom.*, XIV, 23. — [9] Aug., *ad Bonif.*, epist. XXIII, al. XCVIII, n. 10, quoad sensum. — [10] *Rom.*, I, 17. — [11] *Jac.*, II, 20. — [12] *Rom.*, I, 17. — [13] Aug., *in Joan.*, tract. XL, n. 9. — [14] *Symb. Athan.* — [15] Anselm., *in Epist. ad Rom.*, c. IV.

vel propalatio; causa tertii fuit errorum pullulantium exterminatio. Primum dicitur majus, non numerositate contentorum, sed majoritate conditorum, vel auctorum. Et dicitur submissa voce, quia fuit conditum tempore veritatis nondum propalatæ, vel prolatæ; vel quia est ad propriæ conscientiæ securitatem. Dicitur etiam in diei principio et fine, scilicet in Prima et in Completorio, propter duplicem confessionem fidei necessariam, scilicet in principio Ecclesiæ, et in fine; vel in principio regenerationis baptismalis, et ultimo defunctionis corporalis, in testimonium conversationis triumphalis; vel in prosperis, et adversis; vel in agendo, et patiendo: vel quod fides est scutum contra tentationes diurnas, et contra tentationes nocturnas. Secundum, quia editum est propter veritatem traditam propalandam, in diebus dominicis et festis solemnibus, propter majorem conventum populi, alta voce cantatur: et hoc post Evangelium, quia est ejus brevis collectio; et ante communionem, quia est ad ipsam digna præparatio. Tertium dicitur, nocte finita, prima diei hora, quia fuit editum tempore veritatis concussæ per hæreticos, prævalentis finaliter contra eos.

Ritus Symbolorum.

Sufficientia articulorum fidei ex parte causæ efficientis.

Sufficientia articulorum in Symbolo Apostolico contentorum potest dupliciter assignari, scilicet ex parte causæ efficientis, scilicet apostolorum, quia ad condendum Symbolum singuli singulas particulas posuerunt[1]. Petrus dicit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ.* Andreas subjunxit: *Et in Jesum Christum filium ejus, Dominum nostrum.* Deinde Joannes: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Deinde Jacobus Major: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus.* Deinde Thomas: *Descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis.* Deinde Jacobus Minor: *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Deinde Philippus: *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Deinde Bartholomæus: *Credo in Spiritum sanctum.* Deinde Matthæus: *Sanctam Ecclesiam catholicam.* Et est sensus: Credo in Spiritum sanctum sanctificantem universalem Ecclesiam. Deinde Simon Chananæus: *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Et est sensus, quod remissio peccatorum fit in communione vivorum, vel sacramentorum. Deinde Judas Thadæus: *Carnis resurrectionem.* Et est sensus: Credo quod Deus resuscitabit carnem. Deinde Matthias: *Vitam æternam, Amen.*

[1] Idem habetur *in Hexaem.*, serm. VIII, et *Diæt. Salut.*, c. III.

Sufficientia ex parte causæ materialis.

Potest etiam sufficientia assignari ex parte causæ materialis, scilicet ipsorum articulorum. Omnes articuli sunt de Deo, vel secundum naturam in qua consistit, vel secundum naturam quam assumpsit. Et sic quidam articuli spectant ad divinitatem, quidam ad humanitatem. Qui ad divinitatem, aut respiciunt divinam naturam in se, et sic est primus de singularitate, cum dicitur: *Credo in Deum*, et non in deos. Aut respiciunt divinæ essentiæ tres personas, et sic respectu Patris est: *Credo in Patrem omnipotentem*: Respectu Filii est: *Credo in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum.* Respectu Spiritus sancti est: *Credo in Spiritum sanctum.* Aut respiciunt divinæ essentiæ operationes, quarum una est in collatione naturæ, et hæc est creatio habens suum articulum: *Credo in creatorem cœli et terræ.* Alia est in collatione gratiæ, et hæc est sanctificatio habens suum articulum: *Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Et est sensus: Credo quod remissio peccatorum fiat in Ecclesia catholica, ubi est communio sanctorum masculine, vel sanctorum neutraliter, scilicet sacramentorum. Alia est in collatione gloriæ, et hæc est gloriosa resuscitatio, habens suum articulum: *Carnis resurrectionem, et vitam æternam, Amen.* Septem sunt ergo articuli respectu divinitatis accepti. Accipiuntur

etiam septem respectu humanitatis Christi, juxta septem actus principales, quos ad reparationem nostram Dominus Deus ordinavit. Primus fuit incarnari, habens suum articulum : *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* Secundus fuit nasci, habens suum articulum : *Natus ex Maria virgine.* Tertius fuit pretium pro nobis solvere, habens suum articulum : *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus.* Quartus fuit inferos visitare, habens suum articulum: *Descendit ad inferna.* Quintus fuit infernum spoliare, habens suum articulum : *Tertia die resurrexit a mortuis.* Sextus fuit cœlestia transcendere, habens suum articulum : *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Septimus erit venire ad judicium, habens suum articulum : *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Et sic sunt septem articuli respectu humanitatis Christi. Diffinitur autem a Richardo articulus sic : « Articulus est indivisibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum. » Ab Isidoro vero sic : « Articulus est perceptio veritatis divinæ, tendens in ipsam. » Prima diffinitio non tantum convenit articulo formato, sed etiam informi.

Articulus quid.

SECTIO XXXIX.

De Spe.

Spei diffinitiones.

Sequitur videre de spe : circa quam possumus considerare quatuor, scilicet diffinitionem, æquivocationem, actus excellentiam, et cum fide differentiam. Spes, in quantum est nomen affectionis, diffinitur a Philosopho [1] : « Spes est suspicio futuri boni. » In quantum est nomen virtutis, tribus diffinitionibus notificatur. Prima est hæc [2]: « Spes est virtus, qua spiritualia et æterna bona sperantur, id est, cum fiducia expectantur. » Ista spiritualia bona possunt intelligi venia peccatorum, gratia meritorum, et gloria præmiorum, ut dicatur quædam spes veniæ, quædam gratiæ, quædam gloriæ. Secunda hæc est : « Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex Dei gratia, et meritis præcedentibus. » Tertia est Augustini hæc : « Spes est virtus, qua quis se ad illud, quod credit, perventurum præsumit.

Accipitur autem multiformiter nomen spei. Aliquando enim nominat affectionem, secundum quod dicit Boetius [3] :

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.

Aliquando nominat habitum virtutis, et tunc spes non habet ortum ex meritis, sed ex ea merita oriuntur. Aliquando nominat virtutis actum, et tunc spes oritur ex intuitu meritorum. Nemo enim recte se sperat ad beatitudinem perventurum, nisi qui Deo servit, vel servire proponit. Aliquando nominat virtutis statum, et tunc spes ex meritis concomitantibus habet ortum, juxta illud Pauli [4]: *Probatio operatur spem,* id est, certitudinem secundum Glossam : ad quam certitudinem per bona opera, et maxime per adversorum tolerantiam pervenitur. Aliquando nominat virtutis terminum, sive objectum, id est, rem speratam, scilicet beatitudinem sempiternam, et tunc spes ex gratia et meritis præcedentibus habet ortum. Et sic spes virtus, secundum primam acceptationem sui, præcedit merita; secundum ultimam, sequitur; secundum duas intermedias, sequitur et præcedit.

Habet autem spes excellentiam in actu suo. Nam habens potentiam irascibilem pro subjecto, virtutum habitus præsupponit, quibus supereminet, ut regina. Habet enim irascibilis detestari mala culpæ, tolerare mala pœnæ, aggredi terribilia, erigi ad ardua. Ad detestationem culpæ alienæ, requirit iram per zelum; ad detestationem culpæ propriæ, requirit pœnitentiam; ad perpessionem malorum pœnæ, requirit pa-

Excellentia spei in suo actu.

[1] Arist., *Rhet.*, lib. II, c. v. — [2] Mag. *Sent.*, lib. III, dist. XXVI, hujus edit. tom. IV, p. 561. — [3] Boet., *de Consol. Philos.*, lib. I, metr. 7. — [4] *Rom.*, v, 4.

tientiam; ad aggressionem terribilium, habet fortitudinem, et tunc ad expectationem æternæ beatitudinis per spem erigitur, a Deo liberaliter repromissæ.

Fidei et spei differentia. Assignatur autem inter fidem, et spem, differentia per hunc modum. Nam [1] fides est bonarum rerum, et malarum; spes tantum bonarum. Est etiam fides rerum præteritarum, præsentium et futurarum; spes tantum futurarum. Item fides est rerum propriarum et alienarum; spes est solummodo propriarum.

SECTIO XL.

De Charitate.

Definitio charitatis. Sequitur videre de charitate: circa quam debes considerare diffinitionem, distinctionem, perfectionem, diligibilium sufficientiam, et ordinis exigentiam. Charitas tripliciter diffinitur. Nam comparata ad objectum, diffinitur in *Sententiis* a Magistro [2]: « Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum. » Comparata ad actum proprium, qui est vivere et adhærere, diffinitur ab Augustino sic [3]: « Charitas est rectissima animi affectio, conjungens nos Deo. » Vel: « Charitas est virtus, qua Deum videmus, eo quod frui desideramus. » Vel: « Charitas est vita, copulans amantem cum amato. » Comparata ad habitum sibi injunctum, diffinitur ab Apostolo [4]: *Charitas est finis præcepti de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.*

Distinctio. Distinguitur enim inter amorem, et dilectionem, et charitatem. Nam amor competit rationalibus, et irrationalibus creaturis; dilectio vero et charitas tantum rationalibus dicitur convenire. Item inter dilectionem, et charitatem, differentia invenitur: Nam dilectio, quasi *de diversis electio,* rationalibus convenit, sive justis, sive injustis; charitas vero solum est justorum.

Perfectio Est autem in charitate, præ cæteris virtutibus, perfectio et dignitas specialis. Nam cum sit forma virtutum, non potest esse informis triplici ratione: una ex parte objecti, idem enim habet pro objecto et pro fine: inseparabilis enim est a fine, ratione cujus est perfectio quantum ad meritum in virtute; alia ex parte subjecti, ipsa enim est regula rectificans voluntatem, qua rectificata, tota anima recte vivit; tertia est ex parte causæ, habet enim similitudinem cum Spiritu sancto, a quo est, qui etiam charitas dicitur, sive amor a quo inseparabilis est: et ideo esse informis omnino non potest.

Quatuor autem sunt ex charitate diligenda secundum Augustinum [5]: unum, quod est supra nos, scilicet Deus; alterum, quod nos sumus; tertium, quod juxta nos, scilicet proximus; quartum, quod infra nos est, scilicet humanum corpus. Sufficientia diligibilium. Horum quatuor sufficientia sic accipitur. Ex charitate diligere, est summum bonum optare dilecto. Qui ergo ex charitate diligit, aut optat summum bonum ipsi Deo, et sic est primum membrum; aut sibi ipsi, et sic est secundum membrum; aut simili, et sic est tertium; aut sibi inhærenti, et sic est quartum. Est autem Deus diligendus primo super omnia propter se; nos secundo, pro Deo, et sub Deo; proximus noster tertio, sicut nos, et ex quo nos, quia affectu et effectu; ad quod nos, quia ad gratiam in præsenti, et ad gloriam in futuro; in quo nos, quia in bono; propter quod nos, quia propter Deum. Quarto corpus nostrum, infra nos et proximum, tanquam bonum minus præcipuum. Ad hæc autem exequenda datur nobis unius charitatis habitus, et duplex mandatum, in quo pendet universitas Novi et Veteris Testamenti. Assignat autem Ambrosius [6], præter supradictum, alium ordinem diligendi: ut primo Deum, secundo nosmetipsos, tertio parentes, deinde filios et fratres, postea domesticos, demum inimicos diligamus.

[1] Aug., *Enchirid.*, c. VIII. — [2] *Sent.*, lib. III, dist. VII, huj. edit. tom. I, p. 272. — [3] Aug., *de Morib. Eccl.*, c. I. — [4] I *Tim.*, I, 5. — [5] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. I, c. XXIII. — [6] Habetur apud Mag. *Sent.*, lib. III, dist. XXIX, § *Quibus obviat*, huj. edit. tom. IV, p. 644.

SECTIO XLI.

De Prudentia.

Sequitur videre de virtutibus cardinalibus, et primo de prudentia; circa quam tria sunt breviter videnda, scilicet diffinitio, specierum collectio, et actuum variatio. Prudentia diffinitur, sive describitur ab Augustino [1] : « Prudentia est amor, ea quibus adjuvatur in Deum, ab his quibus impeditur, sagaciter discernens. A Gregorio sic : « Prudentia est cognitio vitandarum rerum, et appetendarum. » A Tullio [2] in *Rhetoricis* sic : « Prudentia est rerum bonarum, et malarum, et utrarumque scientia. » Ab eodem *de Officiis* [3] : « Prudentia est cognitio imitandarum, fugiendarumque scientia rerum. » Ab eodem in libro *de Requie mentis* sic : « Prudentia est rerum bonarum, et malarum, cum alterarum dilectione, et reliquarum detestatione scientia. »

Partes sive species prudentiæ secundum Tullium [4] in *Rhetoricis* sunt tres, scilicet memoria. Intelligentia, et providentia. Memoria est, per quam animus aspicit ea quæ fuerunt intelligentia est, per quam perspicit ea, quæ sunt. Providentia est, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit. Seneca videtur concordare Tullio in his tribus, dicens : « Si prudens es, animus tuus tribus temporibus dispensatur. Præsentia ordina, futura provide, et præterita recordare. » Secundum dogma Philosophorum, prudentia dividitur in quatuor species, scilicet providentiam, circumspectionem, cautionem, et docilitatem. Providentia est præsens notio, futurorum pertractaus eventum. Circumspectio est contrariorum vitiorum cautela. Cautio est discernere a virtutibus vitia, virtutum speciem præferentia. Docilitas est prudentia erudiendi imperitos.

Actus. Secundum Augustinum [5] habet prudentia plures actus. Nam prudentia scit quid debeat facere : prudentia est scire quid possit : prudentia est in eligendis : prudentia est nihil pœnitendum appetere, et nihil præter justum velle facere. Secundum Macrobium [6], prudentia est mundum istum, et omnia quæ in mundo sunt, divinorum contemplatione despicere, et omnem animi cogitationem in sola divina dirigere. Prudentia est ad rationis normam, quæ cogitat quæque agit, universa dirigere, et nihil præter rectum velle facere, humanisque actibus tanquam rationis arbitrio providere. Prudentiæ insunt ratio, intellectus, circumspectio, providentia, docilitas, agnitio. Item prudentia, in homine jam purgato, est divina non quasi in electione præferre, sed sola nosse. Officium etiam prudentiæ est, ex præteritis et præsentibus futura perpendere. Unde dicit Boetius [7] in libro *de Consolatione Philosophiæ* : « Non quod ante oculos est situm sufficit intueri; rerum exitus prudentia metitur. Circumspectionis officium est, per diligentem considerationem, inter contraria vitia medium tenere. »

[1] Aug., *de Morib. Eccl.*, c. xv. — [2] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [3] Id., *de Offic.*, lib. I, in fine. — [4] Id., *de Invent.*, lib. II. — [5] Lib. *de Spir. et Anim.*, c. xx. — [6] Macrob., *in Somn. Scip.*, lib. I. — [7] Boet., *de Consol. Philos.*, pros. 1. — [8] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [9] Id., *de Offic.*, lib. I. — [10] Aug., *de Morib. Eccl.*, c. xv. — [11] Macrob., *in Somn. Scip.*, lib. I.

SECTIO XLII.

De Temperantia.

Sequitur videre de temperantia quantum ad tria, scilicet quantum ad diffinitionem, specierum assignationem, et actuum variationem. Temperantia describitur a Tullio in *prima Rhetorica* [8] : « Temperantia est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma et moderata dominatio. » Item ab eodem in libro *de Officiis* [9] : « Temperantia est dominium rationis in libidinem, et in motus alios importunos. » Ab Augustino, in libro *de Moribus Ecclesiæ* [10] : « Temperantia est amor Deo sese integrum incorruptumque conservans. » A Macrobio [11] : « Temperantis est, nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, (Temperantiæ diffinitiones.)

sub jugo rationis cupiditatem domare. » Ab Augustino[1] : « Temperantia est affectio coercens et cohibens appetitum ab his rebus quæ turpiter appetuntur. »

Partes temperantiæ, secundum Tullium in *prima Rhetorica*[2], sunt tres, scilicet continentia, clementia, et modestia. Continentia est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Clementia est virtus, per quam animus in odium alicujus temere concitatus, benignitate remittitur. Hæc secundum Tullium. Secundum Senecam vero[3] : « Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi, vel superioris lenitas adversus inferiorem in pœnis constituendis. » Modestia secundum Tullium est, per quam pudor honestatis puram et stabilem comparat auctoritatem. Auctoritas in hac descriptione stabilis, appellatur gravitas perseverans. Secundum dogma Philosophorum, partes temperantiæ sunt, quæ fœdis motibus dominantur, quæ sunt modestia, verecundia, abstinentia, castitas, honestas, moderantia, parcitas, sobrietas, pudicitia. Modestia est, quæ facit cultum, et motum, et omnem nostram occupationem, ultra defectum et citra excessum sistere. Verecundia est in gestu et verbo honestatem servare. Abstinentia et honestas, moderantia et parcitas, et sobrietas edulii, cohibent nutrimenta. Abstinentia est, statutum terminum prandendi non prævenire. Honestas est, nec lautiores cibos quærere, nec in apparatu operam dare. Moderantia est, nimium ciborum appetitum rationis imperio revocare. Parcitas est, mensuram refectionis non excedere. Sobrietas est, excessum in potu cohibere. Hujus officium est, arcere mala ebrietatis. Castitas est abstinentia ab omni coitu illicito : quæ est triplex, scilicet conjugalis, vidualis, et virginalis. Virginitas est, secundum Augustinum[4], in carne corruptibili perpetuæ incorruptionis meditatio. Pudicitia est, moderamine rationis petulantiam domare.

Actus temperantiæ, secundum Augustinum[5], sunt contra prospera, non præsumere quod non possit, exerceri in utendis, terrenas cupiditates non tantum reprimere, sed penitus oblivisci. Secundum Macrobium[6], temperantia est omnia relinquere, in quantum natura patitur, quæ corporis usus requirit.

SECTIO XLIII.

De Fortitudine.

Sequitur videre de fortitudine quantum ad diffinitionem, specierum assignationem, et actuum variationem. Fortitudo sic describitur a Tullio in *prima Rhetorica*[7] : « Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. » Item ab eodem in *secunda Rhetorica*[8] : « Fortitudo est magnarum rerum appetitio, et humilium contemptio, et cum ratione utilitatis laborum perpessio. » Item ab eodem : « Fortitudo est rationalis aggressio terribilium, cum constanti eorum perpessione. » Secundum Aristotelem[9] : « Fortitudo est virtus difficillimorum in passionibus operativa gratia boni. » Augustinus[10], *de Moribus Ecclesiæ* : « Fortitudo est amor facile omnia tolerans propter id quod amatur. » Fortitudo etiam aliter describitur : « Fortitudo est firmitas animi contra molestias sæculi. » Et sumitur de Matthæo[11] (*a*) : *Erant quatuor millia*, etc.

Partes fortitudinis, sive species, secundum Tullium sunt quatuor, scilicet magnificentia, fidentia, patientia, et perseverantia. Macrobius[12] septem ponit partes fortitudinis, scilicet magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, patientiam, firmitatem. Secundum dogma aliquorum, fortitudo est virtus restringens impetus adversitatis. Hujus partes sunt quæcum-

[1] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. I, c. XIII. — [2] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [3] Senec., *de Clem.*, lib. II, c. III. — [4] Aug., *de Virginit.*, c. XIII. — [5] Lib. *de Spir. et Anim.*, c. XX. — [6] Macrob., *in Somn. Scip.*, lib. I. — [7] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [8] Id., lib. III, *ad Herenn.* — [9] Arist., *Ethic.*, lib. III, c. VII et VIII. — [10] Aug., *de Morib. Eccle.*, c. XV. — [11] *Matth.*, XV, 38. — [12] Macrob., *in Somn. Scip.*, lib. I.

(*a*) *Forte legend.* de Glossa in Matthæum.

que hæc efficiunt, quæ sunt magnanimitas, fiducia, securitas, magnificentia, constantia, patientia, fidentia, et perseverantia. Magnanimitas est difficilium spontanea et rationabilis aggressio. Fiducia est certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam. Securitas est habitus secundum quem imminentes incommoditates et rei inchoatæ affines non formidantur. Magnificentia, secundum Tullium [1], est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendidissima propositione cogitatio atque administratio. Secundum Macrobium [2] : « Magnificentia est difficilium et præclarorum consummatio. » Constantia est stabilitas animi firma, et in proposito perseverans. Patientia est virtus contumeliarum et omnis adversitatis æquanimiter mala portans. Item aliter : Patientia est æquanimis malorum illatorum tolerantia. Gregorius [3] : « Vera patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti, et contra eum, qui mala irrogat, nullo animi dolore moveri. » Item aliter diffinitur : Patientia est omnium molestiarum aliunde illatarum victoriosa perpessio. Fidentia est virtus per quam, magnis et honestis in rebus, multum ipse animus se in fiducia collocavit. Perseverantia, secundum Tullium [4], est ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. Magistraliter sic describitur : Perseverantia est permanentia in bono diuturna, sive finalis. Nota quod constantia est permanentia in proposito; perseverantia est permanentia in bono, sive continuatio boni. Constantia cavet levem transitum a proposito in propositum; perseverantia vero discontinuationem vel imperfectionem respectu debiti finis.

Secundum Augustinum [5] : « Actus fortitudinis est contra adversa facere quod possit, constans in tolerandis, nihil nisi turpia timere, et quidquid agimus, vel cogitamus, ad rationis normam dirigere. »

[1] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [2] Macrob., loc. proxime cit. — [3] Greg, *in Evang.*, hom. XXXV, non multum ante med. — [4] Cic., loc. proxime cit. — [5] Lib. *de Spir. et Anim.*, c. XX. — [6] Cic., *de Invent.*, lib. II.

SECTIO XLIV.

De Justitia.

Sequitur videre de justitia quantum ad diffinitionem, specierum assignationem, et actionum progressionem. Justitia diffinitur sic a Tullio in *prima Rhetorica* [6] : « Justitia est habitus animi, communi utilitate servata, suam unicuique tribuens dignitatem. » Macrobius [7] : « Justitia est unicuique servare quod suum est. » Augustinus, libro *de Libero arbitrio* [8] : « Justitiam quid dicam esse, nisi virtutem qua sua cuique tribuuntur? » Super Matthæum [9] : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (a) : « Justitia est sua cuique tribuere, sibi, proximo, et Deo. » Seneca : « Quid est justitia, nisi naturæ tacita conventio, in adjutorium multorum inventa? » Idem : « Justitia divina lex est, et vinculum societatis humanæ. » Isidorus : « Justitia est ordo et æquitas, qua homo cum unaquaque re bene ordinatur. » Anselmus [10] : « Justitia est rectitudo voluntatis propter se servata; » propter se, rectitudinem scilicet. Item aliter diffinitur sic : Justitia est virtus conservatrix humanæ societatis, et vitæ communitatis. Augustinus [11], *de Moribus Ecclesiæ* : « Justitia est amor soli amato serviens, et propterea recte dominans cæteris quæ homini subjecta sunt. A Magistris sic [12] : « Justitia est constans et perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuens. »

Justitiæ descriptiones.

Justitia, secundum quosdam, dividitur in severitatem, et liberalitatem. Severitas est virtus debito supplicio coercens injuriam. Liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix, quæ pro affectu benignitas, pro effectu beneficentia nominatur : et consistit hæc virtus tota in tribuendo. Benignitatem vero dividunt in septem partes, scilicet in religionem, pietatem, innocentiam, amicitiam, reveren-

— [7] Macrob., loc. cit. — [8] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. I, c. XIII. — [9] *Matth.*, V, 5. — [10] Anselm, *de Verit.*, c. XIII. — [11] Aug., *de Morib. Eccl.*, lib. XV. — [12] *Instit. de Justit. et Jure*, in princ.

(a) *Suppl.*, Glossa.

tiam, concordiam, misericordiam. Alii dividunt in innocentiam, amicitiam, concordiam, pietatem, religionem, affectum et humanitatem. Secundum Tullium in *prima Rhetorica*[1] : « Ad justitiam pertinent religio, pietas, gratia, vindicatio, observantia, et veritas : » addo pro nunc disciplinam et obedientiam.

Religio est virtus quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cæremoniamque affert. Hæc Græce dicitur **Latria.** latria, quæ sic describitur : Latria est cultus Deo debitus et exhibitus. Vel : Latria est voluntas impendendi Deo cultum debitum. Impenditur autem cultus debitus Deo corde per fidem, spem et charitatem; ore per adorationem, laudationem, benedictionem, et gratiarum actionem; opere per oblationem, thurificationem et geniculationem. Hujus primum officium est perpetrati sceleris pœnitere; secundum est temporalium mutabilitatem parvi pendere; tertium, vitam nostram ex toto Deo committere; quartum, **Dulia.** veritatem servare. Nota tamen, quod dulia aliquando idem est, quod latria; stricte tamen et proprie accipitur pro reverentia sanctis, sive personis sublimibus exhibenda. Quæ sic describitur : Dulia est servitus, vel cultus creaturæ debitus et exhibitus. Et videtur idem esse cum reverentia posita in prima divisione justitiæ, quæ sic describitur : Reverentia est virtus personis gravibus, vel aliqua prælatione sublimatis, debitæ honorificationis cultum exhibens. Deo autem debetur latria, sanctis dulia, beatæ Virgini Mariæ hyperdulia.

Pietas. Pietas est virtus per quam sanguine conjunctis patriæque benevolis officium et diligens tribuitur cultus. Gratia est virtus in qua amicitiarum et beneficiorum alterius memoria, et remunerandi voluntas continetur. Vindicatio est virtus per quam vis aut injuria, et omnino omne quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. Observantia est virtus per quam homines in aliqua dignitate, cultu quodam et honore dignantur. Veritas est virtus per quam immutata ea quæ sunt, aut quæ ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. **Innocentia.** Innocentia est puritas animi, injuriæ omnem illationem abhorrens. Hac virtute dii placantur. Amicitia est voluntas bona erga aliquem, causa illius qui diligitur, cum ejus pari intentione a quo diligitur. Hujus primum officium est idem velle, et idem nolle; alterum secreto admonere, et palam laudare. Concordia est virtus concives et compatriotas in eodem jure et cohabitatione, et spontanee metiens. Misericordia est virtus per quam animus super calamitate afflictorum movetur. Hæc virtus nihil humanum a se alienum putat; aliorum damna vel commoda, sua æstimat. Disciplina, secundum Cyprianum, est morum ordinata correctio, et majorum præcedentium patrum regularis observatio. Secundum Hugonem de sancto Victore : « Disciplina, est conversatio bona et honesta, cui parum est non malum facere; sed studet in his, quæ bene agit, per cuncta irreprehensibilis apparere. » Idem : « Disciplina est omnium membrorum motus ordinatus, et dispositio decens in omni habitu et actione. » Bernardus[2] : « Disciplina cervicem submittit, deponit supercilia, vultum componit, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frænat, iram sedat, format incessum. » **Obedientia.** Obedientia sic describitur : Obedientia est voluntas faciendi præceptum, vel mandatum superiorum. Item sic : Obedientia est obtemperatio secundum regulam sacræ Scripturæ majoribus quibuscumque debita. Vel sic : Obedientia est spontaneum et rationabile propriæ voluntatis sacrificium. Vel sic : Obedientia est pio studio propriæ voluntatis abnegatio. Augustinus : « Citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris. » Æquitas est amor æqualitatis in his, in quibus debet esse æqualitas (*a*).

[1] Cic., *de Invent.*, lib. II. — [2] Bern., *ad Sophiam*, epist. CXII, in fine.

(*a*) *Cæt. edit.* qualitas.

De justitia dicit Prosper : « Justitia est quædam animi nobilitas, suam cuique tribuens dignitatem, superioribus reverentiam, paribus concordiam, inferioribus disciplinam, Deo obedientiam, sibi ipsi sanctimoniam, inimico patientiam, et misero compassionem. » Secundum Augustinum [1] : « Actus justitiæ est scire quid debeat reddere; non velle plus, quam possit distribuere; omnem animi cognitionem ad solum Deum dirigere et erigere, eumque, tanquam nihil aliud sit, sola mentis acie intueri. » Secundum alios [2] autem est etiam actus justitiæ ad unam consentire viam, uniuscujusque virtutis obsequium servare, unicuique quod suum est reddere; item cum superna et divina mente sociari, ut servet cum ea perpetuum fœdus imitando.

SECTIO XLV.

De septem donis Spiritus sancti.

Septem sunt dona Spiritus sancti, quæ enumerat Isaias [3] : scilicet donum sapientiæ, et intellectus, donum consilii, et fortitudinis, donum scientiæ, et pietatis, et donum timoris Domini. Habemus autem videre de donis divinis, quæ Spiritui sancto attribuuntur, tria : scilicet specialem sufficientiam, singularem consistentiam, et generalem differentiam.

Sufficientia specialis donorum. Specialis sufficientia habituum prædictorum sic accipitur. Dona Spiritus sancti specialiter sunt, vel principaliter, ad expediendas potentias animæ in agendo. Habemus autem expediri quantum ad declinationem mali, et sic est donum timoris; item quantum ad operationem boni, et hoc dupliciter : nam aut est bonum necessitatis, ad quod expedimur per donum pietatis, cujus regimen directivum est donum scientiæ; aut est bonum supererogationis, ad quod expedimur per donum fortitudinis, cujus regimen est donum consilii.

Singularis donorum consistentia. Ad majorem horum donorum evidentiam, attendenda est consistentia actuum singulorum. Nota ergo primo, quod sapientia communiter accepta dicit cognitionem generalem rerum divinarum et humanarum, secundum Augustinum [4] et Philosophum [5], qui dicit, quod sapiens est, qui novit omnia. Minus communiter dicit cognitionem rerum æternarum, unde Apostolus [6] : *Alii datur sermo sapientiæ*, id est cognitio æternorum. Proprie dicit cognitionem qua colitur Deus fide, et spe, et charitate : unde Job [7] : *Pietas* (a) *ipsa est sapientia.* Magis proprie nominat cognitionem Dei experimentalem, et sic est unum de septem donis Spiritus sancti, cujus actus consistit in degustando suavitatem Dei. Qui quidem actus partim est cognitivus, partim affectivus : ita quod in cognitione inchoatur, et in affectione consummatur. Item habemus quiescere in optimo per intelligentiam virtutis, et sic est donum intellectus; et per affectionem bonitatis, et sic est donum sapientiæ.

Scientia. Scientia etiam dicitur tribus modis. Quædam enim est scientia consistens in intellectu pure speculativo, fundata super principia rationis, ut est scientia acquisita, sive humana philosophia. Quædam est consistens in intellectu inclinato ab affectu (a), fundata super principia juris naturalis, ordinans ad rectam et honestam vitam, ut est scientia prudentiæ virtutis. Quædam est consistens in intellectu inclinato a fide, et inclinante ad operationem bonam, fundata super principia fidei, habens ortum a donis spiritualis gratiæ, ut est donum scientiæ, cujus actus præcipuus est dirigere in agendis secundum exigentiam regulæ fidei, et imitationem Christi.

Intellectus. De dono intellectus tene, quod ejus actus consistit in contemplatione non solum creatricis essentiæ, verum etiam in contemplatione spiritualis creaturæ. Habetur quidem

[1] Lib. *de Spir. et Anim.*, c. xx. — [2] Plot., *de Virt.*, Enn. 1, et ex eo Macrob., *in Somn. Scip.*, lib. I. — [3] *Isa.*, xi, 1 et seq. — [4] Aug., *de Trinit.*, lib. XIV, c. i. — [5] Arist., *Metaph.*, lib. I, c. ii. — [6] I *Cor.*, xii, 8. — [7] *Job*, xxviii, 28.

(a) Vulg. *Timor Domini.* — (b) *Cæt. edit.* effectu.

cognitio de Deo sub ratione veri tripliciter: scilicet per simplicem ascensum, et sic est fides faciens assentire; per rationis adminiculum, et sic intellectus donum, cujus est credita per rationem intelligere; per simplicem contuitum, et sic est munditia cordis, cujus est videre Deum. Etenim ad intelligendum credita non adjuvatur homo per rationes sumptas a conditionibus.

Consilium. De dono consilii tene, quod consilium aliquando dicit actum consiliandi; aliquando dicit illud ad quod terminatur ille actus; aliquando dicit habitum qui expedit et dirigit animam ad eligendum prosequenda, et vitandum fugienda. Habitus autem dirigens, si sit respectu eligibilium quæ sunt necessitatis, est prudentiæ, quæ dirigit ad talia, licet minus excellenter, quam scientia quæ est donum. Si autem eligibilia sint arduitatis et difficultatis, est donum consilii. Potest quippe homo dirigi in electione vel secundum regulam juris naturalis, et sic est prudentia; vel secundum regulam juris divini, et sic est donum consilii, cujus est dirigere in electionem prosequendorum, et fugam vitandorum.

Fortitudo. De dono fortitudinis est tenendum, quod ejus actus consistit in sustinentia passionum, et aggressione arduorum. Aggredi autem ardua, sive perpeti passiones, potest homo dupliciter: vel propter justitiæ et honestatis conservationem, et sic respicit virtutem fortitudinis; vel propter Christi perfectam imitationem, et sic respicit donum fortitudinis. Primum est de dictamine juris naturalis; secundum, de dictamine juris divini. Actus ergo doni fortitudinis attenditur penes promptam et expeditam tolerantiam passionum.

Pietas. De dono pietatis tene, quod pietas attenditur erga Deum, et est idem quod latria; erga parentes, et est pars justitiæ, secundum regulam juris naturalis, et secundum obligationem necessitatis; attenditur etiam erga proximum Dei imagine insignitum, et sic est Spiritus sancti donum. Sed nota quod misericordiæ virtus attendit in proximo conformitatem in natura, et necessitatem in miseria, prævio dictamine juris naturalis, secundum regulam prudentiæ; pietas vero attendit in proximo divinam imaginem, prævio dictamine juris divini, secundum regulam doni scientiæ. Ex dono ergo pietatis est homo benevolus cuilibet creaturæ Dei imagine insignitæ. Talis autem benevolentia pro loco et tempore exit aliquando in compassionis affectum, aliquando in operis beneficium. Actus ergo pietatis præcipuus est, facere hominem benevolum respectu cujuslibet proximi, in quantum gerit imaginem Creatoris.

De dono timoris tene, quod ejus actus generalis est resilire ab arduo. Et potest diffiniri communiter omnis timor sic: Timor est resilitio ab aliquo arduo, vel excellente. Si autem illud arduum est in genere boni, tunc est resilitio cum reverentia. Si autem in genere mali, tunc est resilitio cum fuga. Damascenus [1] dicit timorem esse expectatorem futuri mali. Augustinus, diffiniens timorem, dicit [2]: « Timor est fuga animi, ne amittat id quod habet. » Timoris donum tria intuetur, scilicet: pœnam, ut eam fugiat, et sic est timor servilis; offensam, ut eam caveat, et sic est timor initialis, qui unum habet oculum ad pœnam, et unum ad offensam; majestatem summam, ut ei reverenter subjaceat, et sic est timor filialis, cui duplex respectus est, unus in refugiendo offensam, ne separetur a Deo; alius est principalior in reverendo Deum, et iste permanet in beatis. Distinguuntur autem sex timoris differentiæ, secundum quod a triplici principio habet ortum. Habet enim ortum a natura, et sic est timor naturalis; a libidine, sive concupiscentia, et hoc vel ex nimio amore sui, et sic est timor humanus; vel ex nimio amore suorum, et sic est timor mundanus; a gratia, et hoc vel a gratia gratis data, et sic est timor servilis; vel a gratia gratum fa- Timor. Timoris species.

[1] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. XII, in fine.— [2] Aug., *de LXXXIII Quæst.*, q. XXXIII.

ciente, scilicet inchoata, et sic est timor initialis; aut a gratia perfecta, et sic est timor (a) filialis. Et iste dicitur amicabilis, vel amicalis, quia timet voluntatum dissensionem; castus, quia timet sponsi complexus separationem; filialis, quia timet patris indignationem; sanctus, quia timet in omnibus inquinationem.

Differentia generalis donorum. De Spiritus sancti donis nota differentiam generalem. Nam quoddam donum est a Spiritu sancto, et nunquam cum Spiritu sancto; sic est timor servilis, in quo viget voluntas peccandi, si impunitas speraretur. Quoddam a Spiritu sancto, et nunquam sine Spiritu sancto; et sic est donum charitatis, et gratiæ gratum facientis. Quoddam est a Spiritu sancto, et potest esse cum Spiritu sancto, et sine Spiritu sancto, ut est donum scientiæ, et donum prophetiæ, cæteræ gratiæ gratis datæ.

SECTIO XLVI.

De beatitudinibus, et vita activa, cum operibus misericordiæ; et de vita contemplativa cum oratione, et duodecim fructibus, et quinque sensibus.

Septem sunt beatitudines, quas enumerat Salvator in monte, scilicet paupertas spiritus, mititas, luctus, esuries justitiæ, affectus misericordiæ, munditia cordis, et pax. Circa beatitudines habemus videre numerum, sufficientiam, vitæ duplicis excellentiam, usus duplicis consequentiam. Sunt autem beatitudines numero septem, quarum ratio et sufficientia sic accipitur : Beatitudines sunt ad potentias animæ perficiendas. Ad integram autem perfectionem tria præcipua requiruntur, scilicet perfectus recessus a malo, perfectus profectus in bono, et perfectus status in optimo. Malum autem procedit aut a tumore superbiæ, a quo elongamur per paupertatem spiritus; aut ex rancore malitiæ, a quo elongamur per mititatem; aut ex languore concupiscentiæ, a quo elongamur per luctum. Perfectus autem profectus, vel processus in bono, est secundum imitationem divinam. *Universæ* autem[1] *viæ Domini sunt misericordia et veritas*, quæ pro justitia ponitur. Deum justum per esuriem justitiæ imitamur; Deo misericordi per effectum misericordiæ conformamur. Perfectus status in optimo est per limpidam cognitionem in vero, et sic est munditia cordis, ad videndum Deum; et per tranquillam affectionem in bono, et sic est pax mentis, ad fruendum Deo. Habitus virtutum disponunt ad exercitium vitæ activæ; habitus donorum, ad otium vitæ contemplativæ; habitus beatitudinum, ad perfectionem faciunt utriusque.

Beatitudinum enumeratio et sufficientia.

De his duabus vitis, signatis per Liam et Rachel, per Petrum et Joannem, per Martham et Mariam, dicit Beda : « Activa panem corporalem esurienti, vel panem doctrinæ ignoranti porrigit, errantem corrigit, superbum ad humilitatem revocat, quæ singulis expediunt dispensat. Contemplativa charitatem Dei et proximi retinet; sed ab exteriori operatione quiescit, soli Conditoris desiderio inhæret, et calcatis omnibus curis, ad videndum faciem Creatoris inardescit, et desiderat misceri supernis civibus, de æterna Domini incorruptione gaudentibus. Est autem triplex proprietas in utraque, secundum quas mutuo excedunt. Prima proprietas activæ est diligentia utilitatis et necessitatis publicæ, respectu rationalis; secunda est charitas erga proximum, cum compassione, respectu concupiscibilis; tertia est fecunditas bonorum operum in agendo, cum perfectione patientiæ, respectu irascibilis. In his contemplativa exceditur ab activa. Prima proprietas contemplativæ est contuitus pulchritudinis summæ majestatis, cum delectatione, respectu rationalis; secunda est quies cum securitate, respectu irascibilis; tertia est munditia cordis, cum bonitate, respectu concupiscibilis. In his contemplativa excedit activam. De duplici vita

Ad activam pertinent opera misericordiæ, Opera

[1] *Psal.* XXIV, 10.— (a) *Leg.* charitas *sive* amor.

misericordiæ corporalia.

tam corporalia, quam spiritualia. Corporalia sunt septem, hoc versiculo comprehensa :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo :

Quorum sufficientia sic accipitur. Homo est substantia animata : per hoc tangitur, 1°, vegetabilis, quæ indiget restauratione calidi et sicci, et hoc per cibum; frigidi et humidi, et hoc per potum. 2° Sensibilis, et huic est necessarium duplex operimentum propter exteriora nociva : remotum, et est hospitium; propinquum, et hoc est vestimentum. 3° Rationalis, et sic est subtantia libera, nata habere libertatem a carcere, vel ab infirmitate : et sic est contra intrusionem in carcere, vel in lecto, visitatio; et a servitute, et contra hanc est redemptio. 4° Mortalis, et sic inest ei mors, propter quam, sive post quam indiget sepultura.

Spiritualia quoque sunt septem, hoc versiculo comprehensa :

Instrue, consule, castiga, solare, remitte, fer, ora :

Opera misericordiæ spiritualia.

Quorum sufficientia sic accipitur. Defectus spiritualis in proximo si non potest relevari nisi per Deum, tunc adhibenda est oratio; si potest relevari per hominem, et est cognitivæ, ut ignorantia cognoscendorum, tunc est instructio; si est ignorantia agendorum, tunc est consilium. Si vero est affectivæ, aut est culpa commissa in te, et sic est remissio; aut in alios, et sic est correctio. Si est pœna, aut est relevandus verbo, et sic est consolatio; aut facto, et sic est supportatio.

Ad contemplativam pertinet oratio. Unde de contemplativa videndum est quantum ad diffinitionem, gradum, distinctionem, et contentam sub ea orationem. Contemplatio sic diffinitur : Contemplatio est verus certusque intuitus de quacumque re. A Richardo [1] sic : « Contemplatio est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa. » Vel sic : « Contemplatio est perspicax et liber animi intuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus. » Bernardus ponit sex gradus contemplationis, qui sunt vacatio, intuitio, admiratio, dilectio, delectatio, anhelatio. Augustinus [2], *de Quantitate animæ*, ponit septem gradus, sive actus. Primus dicitur animatio; secundus, sensus; tertius, ars; quartus, virtus; quintus, tranquillitas; sextus, ingressio; septimus, contemplatio. De oratione videndum est quantum ad diffinitionem in generali, quantum ad assignationem petitionum Orationis dominicæ in speciali. Oratio sic describitur ab Augustino [3] : « Oratio est pius mentis affectus in Deum directus. » A Joanne Damasceno sic [4] : « Oratio est ascensus intellectus in Deum. » Idem : « Oratio est expressio desiderii directi in Deum propter bonum adipiscendum, vel malum removendum, formata per verbum interius et exterius. » Et magistraliter sic : « Oratio est ostensio voluntatis nostræ ei, a quo impetrare speramus id quod desideramus. » Gregorius [5] : « Veraciter orare, est in compunctione amoris gemitus et non composita verba resonare. »

Oratio Dominica.

Jam descendendum est ad orationem, quam Dominus composuit : in qua, sub septenario petitionum, comprehenditur universitas petendorum, et quantum ad ea quæ spectant ad præmium patriæ, et quantum ad ea quæ spectant ad meritum viæ. Quæ spectant ad præmium patriæ, sunt : Intelligentia veritatis, sive aperta visio veri, quæ petitur ibi : *Sanctificetur nomen tuum*, id est : Notitia tui nominis personis sanctis et mundis donetur. Reverentia majestatis, sive secura tentio summi ardui, quæ reges facit, et per quam habetur regnum, quæ petitur ibi : *Adveniat regnum tuum.* Concordia voluntatis, sive perfecta fruitio summi boni, quæ petitur ibi : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Quæ spectant ad meritum

[1] Richard., *Benjam. Maj. de Contempl.*, c. IV, p. I. — [2] Aug., *de Quantit. Anim.*, c. XXXIII. — [3] Imo auct. lib. *de Spir. et Anim.*, c. IV, inter Aug. Oper., append. tom. VI. — [4] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. III, c. XXIV. — [5] Greg., *Moral.*, lib. XXXIII, c. XXI, in fine.

sive transitum viæ, aut respiciunt collationem boni, aut amotionem mali. Collatio boni petitur in *pane quotidiano* sive *supersubstantiali*, in quo petitur quidquid necessarium est ad conservationem vitæ præsentis, tam secundum spiritum, quam secundum corpus. Amotio mali petitur in tribus sequentibus. Est autem malum triplex: quoddam tenet rationem præteriti, quoddam præsentis, et quoddam futuri. Sive quoddam est malum culpæ, sive transgressionis; quoddam est malum pugnæ, sive tentationis; quoddam est malum pœnæ, sive tribulationis. Primum petitur amoveri in dimissione debitorum; secundum, in victoria tentationum; tertium, in liberatione ab oppressione adversorum[1].

Triplex malum.

Perfectionem beatitudinum consequitur duplex usus, scilicet quinque sensuum spiritualium, et duodecim fructuum spiritus. Sensus spirituales sunt visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus. Visu videtur sponsi Christi summa pulchritudo sub ratione splendoris; auditu auditur Christi summa harmonia sub ratione verbi; gustu gustatur Christi summa dulcedo sub ratione sapientiæ, comprehendentis verbum et splendorem; odoratu odoratur Christi summa fragrantia sub ratione verbi inspirati in corde; tactu astringitur et palpatur Christi summa suavitas sub ratione Verbi incarnati, inter homines habitantis. Fructus vero spiritus sunt[2] *charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, modestia, continentia*, et *castitas*. Non sunt autem sensus, neque fructus, per se habitus: sed fructus dicunt affectuales delectationes circa bonitatem Sponsi degustandam; sensus autem dicunt intellectuales perceptiones circa veritatem Sponsi contemplandam. Quæ contemplatio fuit in prophetis per revelationem quantum ad triplicem visionem, scilicet corporalem, imaginariam sive spiritualem, et intellectualem. In aliis vero justis reperitur per speculationem, quæ incipit a sensu, et pervenit ad imaginationem; de imaginatione, ad rationem; de ratione, ad intellectum; de intellectu, ad intelligentiam; de intelligentia, ad sapientiam, sive notitiam excessivam: et sic assistitur vero Salomoni.

Quinque sensus.

Fructus spiritus.

SECTIO XLVII.

De Sacramentis in generali.

Jam videndum est de tertio beneficio Jesu Christi, quod est sacramentalis medicina[3]. De sacramentis ergo primo videamus in generali; postea de singulis in speciali. In generali habemus videre de sacramentorum institutione, diffinitione, ordinatione, iteratione, sufficientia et præcellentia.

Institutio sacramentorum Deum decuit, et nobis expediens fuit. Decuit quidem divinam misericordiam nobis providere remedia, non solum quæ faciunt ad remissionem culpæ, sed etiam pœnæ. Decuit divinam justitiam, quæ a nobis exigit aliquam humiliationem, quam exhibemus per signorum sensibilium observationem. Decuit divinam sapientiam, quæ in sensibilibus decrevit remedia invenire, ex quibus contingit naturam hominis interire. Nobis expediens fuit: quoniam enim eramus cæci quoad rationalem, ideo data sunt sacramenta sensibilia ad eruditionem; quoniam eramus elati quoad irascibilem, ideo data sunt sacramenta corporalia ad humiliationem; quoniam eramus proni ad malum quoad concupiscibilem, ideo data sunt sacramenta plura ad exercitationem.

Institutio sacramentorum.

Sacramentum sic diffinitur in Sententiis[4]: « Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, cujus similitudinem gerit, et causa existit. » Hugo de sancto Victore sic diffinit[5]: « Sacramentum est materiale elementum subjectum oculis, similitudine re-

Diffinitio.

[1] Vid. nostri Doctoris *Expositionem in cap. sextum, Matth* — [2] *Gal.*, v, 22-23. — [3] Materia hujus sectionis habetur supra, *Brevil.* parte VII, a c. I, usque ad VII. — [4] *Sent.*, lib. IV, dist. I, huj. edit tom. V, p. 244. — [5] Hug., *de Sacram.*, lib. I, p. IX, c. II.

præsentans, institutione significans, significatione gratiam conferens.

Ordinantur autem sacramenta sic : Baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, extrema unctio, ordo, et matrimonium. Quinque prima respiciunt personam ; ordo et matrimonium Ecclesiam. Ordo patet sic : nam baptismus est ad vulnerum curationem ; confirmatio, ad curationis habitæ conservationem ; Eucharistia, ad habitæ et conservatæ promotionem ; pœnitentia, ad curationis perditæ reparationem ; extrema unctio, ad venialium expiationem quoad culpam, et pœnæ debitæ partem remittendam ; ordo est respectu personarum generantium spiritualiter ; matrimonium est generantium corporaliter. Et utraque generatio est Ecclesiæ necessaria, ne deficiat in gratia et natura.

Ordo sacramentorum.

Iteratio.

Quatuor autem sunt sacramenta quæ possunt iterari, vel potius frequentari, scilicet Eucharistia, pœnitentia, extrema unctio, et matrimonium. Baptismus autem, et confirmatio, et ordo non iterantur, quia in eis tres characteres indelebiles imprimuntur, quibus, secundum diversos status fidei, homines ab hominibus distinguuntur. Nam secundum statum fidei genitæ, est character baptismalis, secundum quod fideles ab infidelibus distinguuntur. Secundum statum fidei roboratæ, est character confirmationis, distinctivus fortium ab infirmis. Secundum statum fidei jam multiplicatæ, est character ordinis, quo clerici a laicis distinguuntur.

Sufficientia.

Sufficientia sacramentorum sic accipitur. Sacramenta sunt medicamenta contra morbum. Morbus autem est duplex, scilicet morbus culpæ, et morbus pœnæ. Morbus culpæ est duplex, scilicet originalis culpæ, contra quam est baptismus; et actualis culpæ, quæ etiam geminatur : nam quædam est culpa actualis mortalis, contra quam est pœnitentia; quædam actualis venialis, contra quam est extrema unctio. Morbus pœnæ est quadruplex, scilicet ignorantia, contra quam est ordo; malitia, contra quam est Eucharistia; infirmitas, contra quam est confirmatio; concupiscentia, contra quam est matrimonium. Sacramenta sunt etiam adjuvamenta, quia sunt in adjutorium septem virtutum : in adjutorium fidei, est baptismus; in adjutorium spei, est extrema unctio; in adjutorium charitatis, Eucharistia; in auxilium prudentiæ, ordo; in auxilium temperantiæ, matrimonium ; in auxilium fortitudinis, confirmatio ; in auxilium justitiæ, pœnitentia. Sunt quoque sacramenta armamenta Ecclesiæ militantis, quæ in *Canticis* dicitur, *terribilis, ut castrorum acies ordinata*. Et quidem *terribilis*, quia fortis et munita per sacramentum confirmationis; *acies*, quia conjuncta et unita per sacramentum Eucharistiæ ; *ordinata*, per ordinem. Ex hac acie quidam subtrahuntur per mortem ; ad hos restaurandos est matrimonium : quidam prosternuntur per culpam ; ad hos relevandos est pœnitentia. Hanc aciem quidam ingrediuntur, ut prælientur, et hoc per baptismum; quidam egrediuntur, ut coronentur, et hoc per extremam unctionem.

Præcellentia.

Dicitur autem unum sacramentum aliud præcellere quinque modis, scilicet : propter significationem, sic matrimonium præcellit, quia significat unionem naturarum in Christo; propter continentiam, et sic excedit Eucharistia; propter efficaciam, et sic excedit baptismus; propter dignitatem dispensativam, et sic confirmatio, quæ a solis pontificibus dispensatur ; propter majorem, digniorem et nobiliorem gradum in quo ponit, et sic dicitur ordo major. Unde versus :

Major in effectu baptismus, corpus in esse.
Conjugium signo, majori Chrisma ministro.
Nobiliore gradu præcellere dicitur ordo.

[1] *Cant.*, VI, 3.

SECTIO XLVIII.

De Baptismo.

Nunc de sacramentis singulis est videndum [1]. Et primo de baptismo quantum ad diffinitionem, significationem, formæ expressionem, effectus collationem, nominis distinctionem, et operis completionem. Baptismus, secundum quod est nomen elementi significantis et sanctificantis virtute verbi, diffinitur ab Hugone sic [2] : « Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata. » Secundum vero quod est actus, vel usus elementi, diffinitur a Magistro in Sententiis [3] : « Baptismus est intinctio corporis exterior, facta sub forma verborum præscripta. » Secundum autem quod accipitur pro sacramento, et re sacramenti, quæ est character, diffinitur a Damasceno [4] : « Baptismus est vitæ spiritualis principium, sigillum et custodia, et illuminatio mentis. » Et tangitur hic quadruplex conditio characteris : quia enim præparat ad gratiam Dei, dicitur vitæ spiritualis principium; quia distinguit gregem Domini, dicitur sigillum; et quia indelebiliter perseverat, dicitur custodia; quia spiritualiter disponit ad fidem, dicitur illuminatio mentis. Secundum quod accipitur pro sacramento, diffinitur a Dionysio [5] : « Baptismus est regenerationis sacramentum, secundum quod prius subsistit in anima, animales spiritualiter formans motus ad operationem divinorum eloquiorum et actionum, et ad (*a*) cœlestis quietis anagogem (*b*) iter faciens. » In hac diffinitione tangitur res sacramenti, quæ est gratia vivificans animam, cum dicitur : *Secundum quod prius subsistit in anima*. Tangitur habilitatio potentiarum per virtutem : primo quantum ad activam, cum dicitur : *Formans animales motus*; secundo quoad contemplativam, cum dicitur : *Et cœlestis quietis anagogem.*

Characler.

Quantum ad significationem nota, quod in baptismo, sicut in cæteris sacramentis, est aliquid quod est tantum sacramentum, sive signum significans, ut elementum visibile; aliquid est res tantum significata, ut gratia curans; aliud quod est sacramentum et res signata, ut character. Significatio.

Forma, quando puer immergitur, exprimenda est hæc : *Ego baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Hæc forma debet exprimi sine omissione vocali, sine intermissione vocabuli, sine præposteratione ordinis supradicti, et sine commutatione ordinis prænominati. Forma.

Effectus autem, qui recipitur in Baptismo ab homine humiliter accedente, est characteris impressio, gratiæ infusio, et innocentiæ restitutio, cœli apertio. Gratia, quam, infunditur regenerans, rectificans, et purificans ab omni culpa originali et actuali, tam mortali, quam veniali, absolvens nihilominus a pœna æternali, et ab omni pœna satisfactoria temporali. Effectus.

Distinguitur autem triplex baptismus, scilicet flaminis, fluminis et sanguinis. In baptismo flaminis, qui est per pœnitentiam et Spiritus sancti gratiam, purificamur a culpa. In baptismo fluminis, purificamur a culpa, et a satisfactoria pœna. In baptismo sanguinis, purificamur ab omni miseria. Non sunt autem, baptismus flaminis et sanguinis, sacramenta, cum in eis deficiant quæ conveniunt sacramento, scilicet repræsentatio ex similitudine, significatio ex institutione, et sanctificatio ex verbi prolatione. Distinctio.

Quantum ad integritatem sacramenti, sufficiunt verbum et elementum. Quantum ad solemnitatem, præmittuntur, tanquam præparatoria, catechismus et exorcismus in parvulis et adultis : ita tamen, quod in adultis requiritur fides propria, in parvulis sufficit aliena. Quantum ad veritatem, requi- Integritas.

[1] Idem supra, *Brevil.*, p. VII, c. VIII — [2] Hug., *de Sacr.*, lib. I, p. VI, c. II. — [3] *Sent.*, lib. IV, dist. III, huj. edit. tom. V, p. 295. — [4] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. IV, c. X. — [5] Dion., *de Eccles. Hier.*, c. II.

(*a*) *Cæt. edit. deest* ad. — (*b*) *Lege* fruitionem, *et sic deinceps.*

ritur baptizantis recta intentio; et quantum ad utilitatem baptizati, fictionis depositio.

SECTIO XLIX.

De Confirmatione.

Sequitur videre de confirmatione [1], quantum ad formam, quantum ad materiam, quantum ad dispensationem, quantum ad gratiæ collationem, et quantum ad significationem. Forma in confirmatione servanda est hæc : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* In hac forma exprimitur duplex actus, quia in hoc sacramento datur gratia ad robur fidei quantum ad confirmationem in corde, et quantum ad liberam confessionem in ore. Unus actus respicit liberam Crucifixi confessionem, quasi semper ferendam in fronte; alter respicit firmam stabilitatem in corde.

Forma.

Materia. Materia in hoc sacramento est chrisma confectum ex oleo olivarum et balsamo. Oleum, propter nitorem, significat fidem interiorem ex bona conscientia; balsamum, propter odorem, significat dignam et laudabilem confessionem in evidentia : et hoc secundum correspondentiam ad duplicem actum in forma expressum.

Dispensatio. Istud autem sacramentum a solis episcopis dispensatur : quod si alii præsumunt, nihil faciunt. Quia enim, tam in confirmatione, quam in ordine, datur gratiæ plenitudo; propter hoc hæc duo sacramenta per eos solummodo dispensantur, qui gerunt auctoritatis plenitudinem.

Gratia. Gratia quæ confertur in confirmatione, est gratia gratum faciens. Gratia autem gratum faciens dicitur dupliciter : aut gratum faciens de non grato, et talis est gratia baptismalis, et pœnitentialis; aut est magis gratum faciens de jam grato, et talis gratia datur in confirmatione, quæ gratiam prius receptam ampliat et confirmat.

Significatio. In isto sacramento aliud est quod est tantum signum, ut est forma audibilis, et materia visibilis; aliud est quod est tantum res, ut est gratia corroborans et confirmans; aliud est, quod est res et signum, ut est character.

SECTIO L.

De Eucharistia.

Eucharistiæ integritas. Sequitur videre de Eucharistia [2], et hoc quantum ad integritatem, significationem, repræsentationem, manducationem et operationem. De integritate et necessitate hujus sacramenti sunt quatuor, scilicet ordo sacerdotalis, intentio consecrandi, materia debita, et forma verborum præscripta.

Materia. Materia hujus sacramenti est panis de frumento, et vinum de vite. Ille enim cibus inter omnes cibos et inter omnes potus est convenientior et communior, efficacior et sanior. Ideo Dominus se comparavit [3] grano frumenti et ligno vitis. Et ideo in his duabus speciebus confecit, et conficiendum constituit, ad innuendum quod corpus suum, sub hoc sacramento contentum ut cibus non est cibus qualiscumque, sed cibus conveniens, cibus communis, cibus efficax, cibus sanus. Vino miscetur aqua, quæ significat populum, et, per conjunctionem sui cum vino, significat membrorum cum capite unitatem. Per vinum autem significatur unio membrorum ad invicem.

Forma. Forma super panem est hæc : *Hoc est enim corpus meum.* Super vinum vero est hæc : *Hic est calix sanguinis mei.* Hujus autem formæ positio est singularis. Est enim verbum operativum, non operatione successiva, sed instantanea, et operativum non alicujus rei novæ, vel non existentis; sed terminus ejus est, quod ens actu completum, et non mutatum, et ad id terminatum, ut est alterius signum, id est, corporis Christi mystici : et hoc totum fit virtute Verbi increati, adjuncto ministro circa materiam nihil agente. Quia ergo hic sermo

[1] Vid. sup., *Brevil.*, p. VII, c. VIII. — [2] Vid. ibid., c. IX. — [3] *Joan.*, XII, 24; XV, 1.

est conversivus et operativus, operatur circa substantiam panis : ideo pronomen demonstrat substantiam panis sub accidentibus quæ aspici possunt oculis; et tangitur id quod convertitur per subjectum, sicut (*a*) id in quod convertitur per prædicatum. Quia vero terminus operationis est ens actu non innovatum, debet ibi poni verbum essendi, non fiendi. Quia vero subito fit conversio, ita quod simul est fieri, et factum esse ; ideo præsens verbum instantaneum, non futurum ibi ponitur, *est* scilicet, et non *erit*. Quia vero operatio terminatur ad corpus verum, ut est signum corporis mystici, in quo est diversitas operationum, dicitur *corpus*, et non *caro* : quia corpus est heterogeneum, non homogeneum; caro vero homogenea. Quia vero hæc operatio fit virtute Verbi increati adjuncti (*b*), et ut conjuncti (*c*), dicitur *meum*, non in persona sacerdotis, sed Christi Verbi, scilicet increati. Quoniam autem minister nihil operatur circa materiam, nec immutat; ideo nihil plus est de forma. Unde si minister nec tangat, nec frangat, dummodo consecrare intendat, et verba dicat, confectum est.

Significatio. Quantum ad significationem tene, quod in hoc sacramento est aliud tantum signum, ut species visibilis panis et vini; aliud tantum res, ut corpus Christi mysticum; aliud res et signum, ut corpus Christi verum, quod est res signata per panem ex diversis granis confectum, et sanguis per vinum ex diversis racemis expressum, et signum corporis mystici. Quia enim corpus partes habet heterogeneas, diversas operationes in Ecclesia significat.

Repræsentatio. Ritus in celebratione Missæ. In hoc sacramento fit repræsentatio Dominicæ passionis. Unde fiunt significationes septem vicibus, propter passionem Domini exprimendam. Prima vice fiunt tres propter trinam Christi traditionem, scilicet a Deo, Juda, et Judæo. In secunda vice fiunt quinque, propter quinque personas, quæ in traditione fuerunt : quæ fuerunt persona traditi; persona tradentis Judæ; personæ ementium, quæ fuerunt tres, scilicet pontifices, scribæ et pharisæi. In tertia vice duæ, propter duplicem conversionem duplicis elementi, scilicet panis et vini. In quarta vice fiunt quinque, propter quinque plagas. In quinta vice fiunt duæ, propter vincula quibus fuit ligatum corpus, et propter flagella quibus usque ad sanguinem fuit flagellatum. In sexta vice fiunt tres, propter crucifixionem factam linguis Judæorum, quando ter clamaverunt : *Crucifige*. In septima vice fiunt tres cruces de corpore super calicem, propter tres cruciatus, scilicet propassionis, passionis, et compassionis; et duæ alteræ, propter aquam et sanguinem, quæ de Christi latere profluxerunt.

Manducatio. Duo autem sunt modi manducandi illud sacramentum, scilicet sacramentalis et spiritualis, quorum distinctio oritur a triplici principio : primo a dispositione sumentium : quidam enim accedunt male dispositi, et hi manducant sacramentaliter; quidam bene, et hi spiritualiter, et sacramentaliter. Secundo, a modo sumendi : quidam enim sumunt ore carnis, et hi sacramentaliter; quidam ore cordis, et hi spiritualiter. Unde duplex os, duplex manducatio. Tertio, a duplici re hujus sacramenti : duæ quippe sunt esssentiæ hujus sacramenti, scilicet corpus Christi verum, et gratia in corpore mystico faciens unionem, quarum una sine altera sumi potest. Manducare autem sacramentaliter, est manducare sacramentum ut sacramentum. Ad quod quatuor requiruntur : cibi existentia; ejus ad cibatum naturalis convenientia, ut scilicet sumatur ab homine, non a mure; intentio, et illius intentionis regulatio per fidem. Spiritualis manducatio habet duo, scilicet : suo modo masticationem, quæ consistit in recognitione cibi, scilicet carnis Christi pro nobis expositæ in pretium redemptionis et cibum refectionis; habet etiam incorporationem, quæ consurgit ex tali recogitatione, dum reco-

(*a*) *Cæt. edit. add.* in — (*b*) *Cæt. edit.* adjuncta. — (*c*) *Item* conjuncta.

gitans ardore afficitur charitatis, et ei, de quo recogitat, jungitur, et sic incorporatur; et dum incorporatur, reficitur, et magis assimilatur.

Operatio Spiritualis autem operatio, sive efficacia hujus sacramenti, est unire : non de novo, sed jam unitos per gratiam magis unire. Digne enim accedentem reddit ferventiorem, ut carbo ignitus; et fortiorem, ut bonus cibus. Et ut istam efficaciam habeat in sumente, primo oportet ipsum sumentem cibum istum ab aliis discernere per fidem; secundo hospitium præparare per sui probationem; tertio in hospitium paratum recipere cum honore et devotione. Et talis dicitur digne accedere. Nota de hostiæ fractione versus :

Hostia dividitur in partes; tincta beatos,
Plene sicca notat vivos, servata sepultos.

Fractio est passio; partes fractæ, tres justorum differentiæ. Quidam regnant in cœlo; hi per tinctam : quidam securi expectant in sepulcris, hi per eam quæ antiquitus servabatur; quidam pugnant in mundo, hi per siccam partem hostiæ figurantur.

SECTIO LI.

De Pœnitentia.

Sequitur videre de pœnitentia[1], quantum ad diversam diffinitionem, diversam nominationem, integrationem, justificationem, et significationem. Pœnitentia, quantum ad actum principalem, sic diffinitur : Pœnitentia est prima virtus, perimens veterem hominem. Ambrosius : « Pœnitentia est dolor et amaritudo animæ, pro peccatis quæ quisque commisit. » Augustinus[2] : « Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se, quod dolet commisisse. » Item diffinitur, quantum ad actum annexum, sic ab Ambrosio[3] : « Pœnitentia est præterita mala plangere, et plangenda iterum non committere. » Gregorius[4] : « Pœnitentia est anteacta mala deflere, et flenda non committere. » Item sic[5] : « Pœnitentia est virtus, vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus et odimus, et plangenda ulterius committere nolumus. » Diffinitur etiam, quantum ad effectum, a Damasceno sic : « Pœnitentia est ab eo quod est præter naturam, in id quod est secundum naturam, conversio. » Item, super illud *Matthæi*[6] *: Pœnitentiam agite :* « Pœnitentia est correctio malæ mentis. » Augustinus[7] : « Pœnitentia est quædam res optima et perfecta, omnes defectus revocans ad perfectum. »

Pœnitentiæ definitio.

Nominatio. Pœnitentia diversis vocabulis nominatur, secundum quod diversa contra peccati maculam operatur. Expellit enim peccati actualis maculam, quæ animam deformat, potentiam ad malum inclinat, sive dehabilitat, naturam vulnerat, actu liberæ voluntatis committitur, cum delectatione et libidine perpetratur. Delere autem culpam ut deformantem, est gratiæ reformantis; ut dehabilitantem, est virtutis habilitantis; ut vulnerantem, est sacramenti curantis; ut actu voluntatis commissam, per actum similiter voluntatis; ut cum delectatione et libidine perpetratam, cum passione contraria. Ideo pœnitentia recte dicitur gratia, virtus, sacramentum, actus et passio.

Integritas. Partes pœnitentiæ integrantes, sive integrales, sunt cordis contritio, oris confessio, et operis satisfactio.

Cordis contritio est dolor voluntarie pro peccatis assumptus. Oris confessio debito modo facta, debet habere sexdecim conditiones, his versibus comprehensas :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis;
Sitque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda;
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata;
Fortis et accusans, et sit parere parata.

Quando sit iteranda. In quatuor casibus, secundum magistros, est confessio iteranda. Duo sunt ex parte sa-

[1] Vid. sup., *Brevil.*, p. VI, c. x. — [2] Imo auctor lib. *de ver. et fals. Pœnit.*, c. VIII — [3] Vid. sup, *Sent.*, lib. IV, dist. XIV, huj. edit. tom. V, p. 553. — [4] Greg., *in Evang.*, hom. XXXIV, post med. — [5] Mag. *Sent.*, lib. IV, dist. XIV, supr., tom. V, p. 567. — [6] *Matth.*, IV, 17. — [7] Imo auctor *Hypognost.*, lib. III.

Confessio.

cerdotis : quorum priorum primus est propter enormitatem sceleris, ob quam est confitens ad superiorem remittendus ab eo, si voluerit, iterum audiendus; secundus est propter ignorantiam sacerdotis, quia tunc est quærendus peritus, sciens solvere et ligare, cui sunt iterum peccata detegenda. Duo vero sunt ex parte confitentis : quorum primus est propter malitiam fictionis, ut si accessit cum voluntate peccandi, vel aliquod peccatum scienter in conscientia reservavit; secundus est propter contemptum satisfactionis, ut quando satisfacere negligit et contemnit. In duobus ultimis casibus, si vadit ad alium sacerdotem, vel eumdem interjectu temporis jam oblitum, debet homo mala sua iterum confiteri. Et sic ex parte sacerdotis est duplex defectus, scilicet quia non potest absolvere, vel quia nescit; ex parte etiam confitentis est duplex defectus, scilicet quia contemnit sacerdotis absolutionem, aut ligationem. Sunt alii duo casus, de quibus est controversia inter doctores : unus est de peccati alicujus oblivione; alius, de recidivatione. Sed potest dici, quod in his duobus casibus iterum omnia peccata confiteri sit consilium, non præceptum. Quinque autem sunt casus, in quibus est confitens ad episcopum mittendus, vel super eo episcopus consulendus. Primus est de pœnitentia solemni, quæ ab ipso debet imponi, et per eum pœnitens reconciliari. Secundus est de excommunicatis, quod non potest sacerdos aliquando absolvere. Tertius est, cum invenerit sacerdotem, irregularitate contracta, propter quam debet ad episcopum mittere confitentem, qui si potest, eum absolvat, vel cum litteris suis ad Papam mittat. Quartus est de incendiariis. Quintus est, si sit consuetudo in aliquo episcopatu, quod certa crimina ad episcopum mittantur, ut homicidium et sacrilegium, et iste casus non est generalis. Satisfacere, ut dicit Augustinus [1], « est peccatorum causas excidere, et eorum suggestionibus aditum

Remissio pœnitentis ad superiorem.

non indulgere. » Anselmus [2] vero dicit : « Satisfacere est debitum Deo reddere. » Partes autem satisfactionis tres communiter assignantur, scilicet jejunium, eleemosyna, et oratio. Jejunium est contra carnis concupiscentiam; eleemosyna, contra cupiditatem oculorum; oratio est contra superbiam vitæ. Item, jejunium ordinat nos ad nosipsos; eleemosyna, ad proximos; oratio vero, ad Deum. Item per orationem reconciliamur Deo, cui secundum Augustinum [3], per jejunium et eleemosynam, facimus duas alas.

Quatuor autem ad justificationem impii requiruntur : duo ex parte Dei, scilicet gratiæ infusio, et culpæ expulsio; et duo ex parte impii, scilicet motus liberi arbitrii consonans gratiæ advenienti, et cordis contritio concordans gratiæ culpam expellenti. Hæc autem quatuor præcedit attritio, scilicet ad justificationem præparatio, quæ est motus fidei et doloris, quamvis longo tempore semiplenus. Tanguntur autem hæc quatuor supradicta in illo versu [4] : *Commovisti terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est.* Gratia quippe adveniens in animam, commovet rationem, secundum quod est potestas vel potentia liberi arbitrii; et conturbat voluntatem per contritionem; et postmodum sanat per peccati expulsionem. Et horum redditur duplex ratio, scilicet commotio rationis, et conturbatio mentis, quæ præcessit : unde subditur : *Quia commota est.* Unde commotio dicitur a *con* (*a*), quod est simul, quia tunc omnes vires super se punguntur, et moventur ad bonum.

Significatio.

In sacramento pœnitentiæ est aliquod quod est tantum signum, ut exterior pœnitentia secundum institutionem Ecclesiæ : in qua est sacerdotis absolutio, tanquam formale; et confitentis humiliatio, sive quantum ad actum contritionis, sive quantum ad verbum accusationis, sive quantum ad pœnam satisfactionis, tanquam materiale; aliud, quod est

[1] Imo Gennad., *de Eccles. Dogmat.*, c. LIV. — (*a*) Pro *cum*.

[2] Anselm., *Cur Deus homo*, c. XI. — [3] Aug., Enarr. *in Psal.* XLII, n. 8. — [4] *Psal.* LIX, 4.

tantum res, ut peccati remissio perfecta; aliud, quod est res et signum, ut pœnitudo interior.

SECTIO LII.

De Unctione Extrema.

Sequitur de unctione extrema[1] : circa quam septem breviter sunt videnda, scilicet, quæ materia, quæ forma, quis dispensator, quis susceptor, quæ efficacia, quæ ad confirmationem differentia, et quæ significationis convenientia.

Materia. Materia hujus sacramenti est oleum simplex, sed consecratum ab episcopo. Forma. Forma vero est vocalis expressio orationum in ordinariis contentarum. Minister. Hujus sacramenti dispensatio sacerdotibus competit ex officio, et hoc confirmat auctoritas, et ratio. Auctoritas, dicente Jacobo[2] : *Quis infirmatur? inducat presbyteros.* Ratio etiam hoc confirmat, quia cum materia hujus sacramenti sit oleum ab episcopo consecratum, consecratis debet manibus contrectari. Et sic, cum sit medicina periclitantium, non ad solos episcopos pertinet. Oleum autem consecratum non ad aliquos laicos se extendit. Quibus et quando danda est extrema unctio. Debent autem illud sacramentum suscipere soli infirmi ratione utentes, quia scilicet potuerunt peccare venialiter, vel etiam peccaverunt, et hoc in mortis articulo existentes. Et sic patet, quod nec infantibus, nec naturaliter stultis debet extrema unctio dispensari, nec intrantibus justum bellum, quia sacramenta Ecclesiæ non sequuntur fortunam, sed respiciunt naturam; nec etiam per sententiam condemnatis, quia tales, qualitercumque damnati, in Ecclesiæ facie sunt infames; nec mediocriter infirmantibus, quia adhuc possunt venialia iterare.

Efficacia. Est autem hujusmodi sacramentum tam finaliter, quam efficaciter contra venialia ordinatum, et quantum ad remissionem culpæ, et quantum ad dimissionem partis pœnæ. Valet etiam consequenter ad recuperandam corporis sanitatem, si expediat infirmanti. Et quia venialia efficaciter tunc curantur, quando sic delentur, quod non amplius iterantur; tunc debet adhiberi ista medicina, quando desperatur de infirmantis vita. Si tamen contingat eum restitui sanitati, potest et debet, propter venialia iterata, medicina venialium iterari. Et quia venialia peccata per organa sensuum maxime contrahuntur, ideo partes tribus potentiis servientes inunguntur. Est enim triplex potentia secundum quam anima regit corpus, et etiam contrahit justum morbum, scilicet sensitiva, generativa et progressiva. Sensitivæ deserviunt os, oculi, nares, aures, et manus; generativæ, lumbi; progressivæ, pedes. Et secundum hoc est infirmus in septem corporis partibus inungendus, scilicet in labiis, in oculis, in manibus, in auribus, in naribus, in lumbis, in pedibus.

Differentia hujus sacramenti et confirmationis. Ex prædictis colligitur, quod inter hoc sacramentum, et sacramentum confirmationis, est differentia septiformis : scilicet in efficacia, in materia, in forma, in suscipiente, in dante, in loco, et in tempore. Nota tamen quod unctio quæ fit in chrismate, dicitur unctio principalis quadruplici ratione : scilicet ratione loci, quia fit in fronte; ratione ministri, quia ab episcopo; ratione elementi, quia de oleo mixto cum balsamo; ratione effectus, propter abundantiam gratiæ, quia ibi datur Paraclitus in magna abundantia. Juxta quod nota, quod chrismate inunguntur baptizati in vertice, confirmandi in fronte, pontifices in capite, reges, ut dicitur, in scapulis.

Significatio. In sacramento extremæ unctionis, secundum exigentiam sacramentalis significationis, est aliquid quod est tantum signum, ut exterior unctio; aliud quod est tantum res, ut venialis morbi curatio; aliud quod est res et signum, ut ipsa devotionis excitatio in anima, quæ non est aliud, nisi quædam spiritualis unctio.

[1] Vid. supr., *Brevil.*, p. VII, c. XI. — [2] *Jac.*, V, 14.

SECTIO LIII.

De Ordine.

Sequitur videre de sacramento ordinis[1], quantum ad præparationem consignationis, quantum ad ordinis diffinitionem, quantum ad characteris impressionem, quantum ad debitam dispensationem, quantum ad rectam susceptionem, quantum ad significationem, et quantum ad status consummationem.

Prima tonsura.

Qui sunt ad ordines ecclesiasticos assumendi, primo assignantur signaculo divino, distinctivo, et instructivo. Nam tondentur in capite, quod est membrum præ cæteris nobile. Et quia tonsura tam superius, quam inferius facta, formam habet coronæ, quæ est signum dignitatis regiæ, innuitur, quod qui taliter ab aliis distinguuntur, ad officium nobile, scilicet ad regale sacerdotium, assumuntur. Non tantum autem tale signum est signum distinctionis, sed etiam instructionis. In tali enim tonsura est superfluitatis amotio : in quo instruuntur clerici quid vitandum, quia superfluitas terrenorum. Est etiam summitatis capitis denudatio : in quo instruuntur quid amandum, quia felicitas supernorum. Est figuræ orbicularis impressio : in quo instruuntur quomodo conversandum est, quia figura orbicularis est simplicissima, capacissima, et pulcherrima : ad innuendum, quod taliter coronati debent (*a*) simplificari in intentione, amplificari in dilectione, pulchrificari in castificatione.

Ordo quid et quotuplex.

Ordo sic diffinitur : Ordo est signaculum, in quo spiritualis potestas traditur ordinato. Cum enim septem sint ordines, scilicet ordo janitorum, lectorum, exorcistarum, acolytorum, subdiaconorum, diaconorum et sacerdotum : in ordine sacerdotali datur potestas conficiendi corpus Christi verum, et absolvendi corpus Christi mysticum : et hic ordo, tanquam nobilissimus, debet habere alios sibi ministrantes, respectu duplicis potestatis. In conficiendo corpus Christi verum, sibi serviunt subdiaconi et diaconi, ita quod potestas et officium subdiaconi est in accipiendo hostias a plebe; potestas et officium diaconi est easdem a (*b*) subdiacono susceptas sacerdoti offerre. In absolvendo autem corpus Christi mysticum, quatuor minores subserviunt sacerdoti : ita quod potestas et officium janitorum est ad locum sacrum admittere; lectorum est documentum præbere; exorcistarum est auxilium præstare; acolytorum est exempla monstrare. Hoc officio septiformi Dominus usus fuit : fuit namque ostiarius, quando facto flagello ejecit negotiantes de templo; fuit lector, quando legit in synagoga, assumpto libro; fuit exorcista, quando saliva sua tetigit linguam surdi et muti; ostendit se acolytum, quando dixit (*c*) : *Ego sum lux mundi*[2]; fuit subdiaconus, quando lavit pedes discipulorum, et linteo se præcinxit; fuit diaconus, quando post cœnam corpus et sanguinem suum discipulis suis dispensavit; fuit sacerdos, dum seipsum in ara crucis obtulit, idem sacerdos et hostia, et etiam quando in cœna panem in corpus, et vinum in sanguinem commutavit.

Character impressus.

Character, cum sit signaculum impressum, distinctivum, perpetuum, Christo configurativum, imprimitur in quolibet ordine : non idem, sed diversus; ordine congruo, non necessario, cum unus possit recipi, quamvis indebite, alio prætermisso : ita quod, cum perventum fuerit gradatim ad ordinem sacerdotis, in quo est status, quamvis septem sint gradus, unus est tantum ordinis sacramentum, sicut unam dicimus epistolam, quamvis habeat multas partes. In quolibet autem ordine character imprimitur in eo signo, quod majorem habet similitudinem ad signatum, et in quo principalis potestas, quam ordo respicit, significatur tradi ordinato. Ad quam significandam (*d*)

[1] Vid. sup., *Brevil.*, p. VII, c. XII. — [2] *Joan.*, VIII, 12.

(*a*) *Ita Edit. Lugd.*, *Edit. Vat. et Ven.* dicunt. — (*b*) *Item deest* a. — (*c*) *Cæt. edit.* dicit. — (*d*) *Edit. Vat. et Ven.* significandum.

duo concurrunt exterius, scilicet traditio alicujus instrumenti, et expressio vocalis verbi, ut in signo visibili simul et audibili significetur dari: et hæc duo sunt essentialia et intrinseca ordinis sacramento.

Debita lispon-atio or-inis.

Debet autem dispensari hoc sacramentum cum magna discretione et solemnitate: ac per hoc non a quolibet, nec cuilibet, nec in quolibet loco, nec quolibet tempore; sed sub debitis signis, tam ex parte visus, quam ex parte auditus, ut dictum est: solemnitate nihilominus observata, quantum ad tempus et locum, officium et personam.

Ordi-em sus-ipientis onditio-es.

Requiritur autem multiplex conditio, ut digne et debite suscipiatur ordinis sacramentum, scilicet: ex parte originis, ut non sit filius sacerdotis, vel spurius, vel etiam solemniter pœnitens; a corporis parte, ut non sit corpore vitiatus, dæmoniacus, epilepticus; a parte actionis, ut non sit homicida, vel aliter enormis peccator; a parte conditionis, ut non sit servus; a parte conversationis, ut non sit curialis; a parte conjugationis, ut non sit bigamus; a parte sexus, ut non sit mulier, quæ non potest ordinari, nec de jure, nec de facto; a parte sensus, ut non sit infantulus, in quo nondum viget judicium rationis.

Significatio.

In hoc sacramento est aliud quod est tantum signum, ut exterior operatio in traditione alicujus instrumenti et expressione verbi; aliud, quod est tantum res, ut spiritualis potestatis collatio; aliud, quod est res et signum, ut interior characteris impressio. Collige ex prædictis, quod septem sunt ordines, et non plures: quatuor sunt minores, qui dicuntur non sacri, quia post eorum susceptionem potest clericus conjugari; tres majores, scilicet subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus, in quo est status ordinum. Hi dicuntur sacri, quia post eorum susceptionem non licet ordinatis carnali operi deservire, cum sint totaliter divino cultui dedicati. Et sic patet, quod psalmistatus non est ordo, sed officium annexum ordini; nec episcopatus est ordo, sed dignitatis nomen et officii. Colligas in unum nomina tam ordinum, quam officiorum, et dignitatem, ut devenias ad unum hierarcham ecclesiasticæ hierarchiæ, et sic procede: Psalmista, Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Archipresbyter, Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, Pontifex summus.

Ecclesiastica hierarchia.

SECTIO LIV.

De Matrimonio.

Sequitur videre de sacramento matrimonii[1], quantum ad diffinitionem, quantum ad institutionem, et quantum ad contractionem, quantum ad divisionem, quantum ad significationem, quantum ad bonum proveniens, et quantum ad impedimentum prohibens.

Matrimonium diffinitur sic: Matrimonium est viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens. Est autem institutum matrimonium a Deo in officium, in remedium, et in sacramentum, vel signum: in officium, inquam, procreandæ prolis, etiam in statu naturæ institutæ; in remedium, contra impulsum libidinis, in statu naturæ lapsæ; in sacramentum, sive signum insolubilis conjunctionis naturarum in Christo, divinæ scilicet, et humanæ. Circa contractionem matrimonii nota, quod per sponsalia de futuro initiatur; per mutuum consensum, inter legitimas personas per verba de præsenti expressum, ratificatur; per carnalem copulam subsequentem consummatur. Circa sponsalia nota, quod ante septennium contracta de jure non valent; post septennium vero tenent. Et hæc quatuor modis contrahuntur: scilicet simplici promissione, fidei datione, sive juramenti interpositione, datis arrhis sponsalitiis, et annuli subarrhatione.

Contractus matrimonii.

[1] Materia hujus sectionis et duarum sequentium habetur supr., *Brevil.*, p. VII, c. XIII.

Impedimenta sponsalium.

Sic autem (*a*) contracta octo modis solvuntur. Primus est, voto solemni superveniente, ut si alter sponsorum intret religionem; secundus est, superveniente matrimonio, ut si cum alia contrahat de præsenti; tertius est, superveniente affinitate, ut si cognoscat aliam consanguineam sponsæ suæ, et hoc possit fama vel facto probari; quartus est, incurabili infirmitate superveniente, puta lepræ, vel mutilatione alicujus membri; quintus est, altero se absentante, ut cum vadit in regionem longinquam, sine licentia alterius; sextus est, altero fornicante; septimus est, utroque volente, scilicet cum ambo consentiunt, et mutuo se absolvunt; octavus est, minore petente, ut quando contracta sunt sponsalia inter duos, quorum unus est in ætate debita, alter non. Duobus primis modis solvuntur sponsalia ipso facto; consequentibus vero, per judicium Ecclesiæ. Duplex est autem effectus sponsalium contractorum : unus est obligatio propter promissionem : unde tales compellendi sunt ad matrimonium contrahendum, nisi timeatur uxoricidium, vel interveniat aliquis casuum prædictorum; alius effectus est publicæ honestatis justitia, quæ est, quod nullus consanguineorum sponsi potest contrahere cum sponsa, vel e converso.

Triplex modus separandi conjuges.

Conjuncti matrimonialiter per Ecclesiam tripliciter separantur : aut simpliciter quantum ad vinculum, cum ostenditur, propter impedimentum, legitimum non fuisse conjugium inter eos; aut separantur ad tempus ad pœnitentiam faciendam, ut quando contra interdictum Ecclesiæ contraxerunt; aut separantur simpliciter quantum ad tempus in pœnam, propter aliquod crimen contra substantiam matrimonii perpetratum, ut, quando alter conjugum fornicatur, tunc si petat innocens cum probatione adulterii, absolvitur per Ecclesiam a mutua cohabitatione uxoris, et debiti redditione. Sunt autem septem casus, in quibus potest adultera excipere contra petentem divortium. Primus est, si fornicari convincitur; secundus est, si eam prostituat; tertius, cum credebat virum in bello esse defunctum, et nupsit alteri; quartus, si cognita est ab altero latenter, quem credebat esse virum suum; quintus est, si fuit vi oppressa; sextus est, quando post adulterium reconciliavit eam sibi, et petiit debitum; septimus est rarior casus, ut si infidelis repudiavit uxorem, et illa nubat (*b*) alteri : si veniat ad fidem, debet eam recipere, non obstante quod fuit fornicata.

Significatio.

In matrimonio ratificato est aliud quod est tantum signum, ut consensus exterior, per verba aut nutus expressus; aliud quod est tantum res, ut unio Dei et animæ per gratiam, quæ tamen est separabilis per peccati mortalis transgressionem, sicut illud matrimonium est separabile per ingressum in religionem (*c*); aliud quod est res et signum, ut consensus interior animorum. In matrimonio consummato est tantum signum, consensus exterior; tantum res, unio naturarum inseparabilis in Christo; res et signum, consensus mutuus animorum.

Tria bona conjugii.

Tria sunt bona conjugii [1], scilicet bonum fidei, bonum prolis, bonum sacramenti. Fides est, quod suam cognoscat, et non aliam : et hoc est bonum moris cadens in genere honesti. Bonum prolis cadit in genere conferentis : confert enim proles ad speciei conservationem, et ad numeri perfectionem. Bonum sacramenti cadit in genere delectabilis : tanta est enim ibi unio, ut propter uxorem relinquat homo patrem et matrem. Et sic patet, quod tria sunt in electione secundum Philosophum, scilicet honestum, conferens, et delectabile. In hoc triplici genere sunt bona conjugii distributa; et sunt hæc bona numero tria, quia ad hoc, quod matrimonium sit completum, tria potissime requiruntur, scilicet institutio, usus et fructus. Ratione institutionis, est bonum sacramenti; ratione usus debiti, est bonum fidei;

(*a*) *Edit. Vat. et Ven.* aut. — (*b*) *Cæt. edit.* nubet. — (*c*) *Edit. Vat. et Ven.* religione.

[1] Ita Aug., *de Gen. ad litt.*, lib. IX, c. VII.

ratione fructus conferentis, est bonum prolis.

SECTIO LV.

De impedimentis matrimonii in generali.

Circa impedimenta matrimonii, quia frequenter occurrunt, est specialiter insistendum. De quibus est tenendum, quod quædam sunt quæ impediunt ex congruitate, sicut Ecclesiæ interdictum, et feriarum tempus : et ista dicuntur impedire contrahendum, sed non dirimere jam contractum. Quædam impediunt de necessitate, quia non stat cum eis matrimonii sacramentum : unde sic impediunt matrimonium contrahendum, quod etiam dirimunt jam contractum. Hæc autem sunt numero duodecim, quæ versibus istis continentur :

Error, conditio, votum, cogualio, crimen;
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Si sis affinis, si forte coire nequibis;
Hæc socianda vetant connubia, juncta retractant.

Tria sunt ex parte causæ efficientis, quæ est consensus, ad quem concurrit ratio et voluntas. Contra actum rationis est error; contra actum voluntatis est vis, sive violentia; contra actum utriusque est conditio servitutis, quæ impedit partim propter defectum libertatis, partim propter errorem. Tria ex parte causæ materialis. Nam matrimonium est conjunctio voluntarie introducta inter personas antea non conjunctas : unde conjuncti in proximitate ad matrimonium sunt inepti. Conjunguntur autem quidam consanguinitate, quidam affinitate, quidam publicæ justitiæ honestate quæ contrahitur ex sponsalibus per verba de præsenti. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet cognatio, affinitas, et honestas. Tria sunt ex parte causæ formalis, quia matrimonium est vinculum in quo est mutua potestas viri et uxoris. Hæc autem potestas impeditur, quando alter tradit potestatem corporis sui alii, adhuc vivente proprio, et sic est ligamen; aut quia dedicavit se Deo, et sic est ordo; aut quia mancipavit se Deo et prælato, et sic est votum. Tria autem ultima sunt ex parte causæ finalis. Nam matrimonium est ad procreandam prolem ad cultum Dei, vel saltem in remedium tempestatis. Contra rationem generandi, vel remedii, est impotentia coeundi; contra cultum Dei, qui est in fide, est cultus disparitas; contra cultum Dei, qui est in moribus, est criminis enormitas.

Circa impedimentum quod provenit ex errore, attendendum est, quod error potest esse circa personam, et circa proprietates personæ. Error circa personam consensum tollit, et matrimonium impedit : ut si qui (*a*) credit consentire in Mariam, de qua cogitat sensu interiori, consentit in Margaretam, quæ offertur sensui exteriori. Si autem sit error circa proprietates personæ, non propter hoc matrimonium impeditur : ut si quis (*b*) credat accipere divitem et nobilem, quam postea deprehendit ignobilem et pauperem. **Error**

De proprietatibus autem personæ accipitur conditio servitutis, quæ impedit matrimonium contrahendum, et dirimit jam contractum. Circa quod nota, quod triplex potest esse error conditionis : scilicet paris, ut cum servus credit accipere liberam, et accipit ancillam, talis error non impedit; aut conditionis melioris, ut cum scilicet credit accipere ancillam, et accipit liberam, nec iste error impedit; aut conditionis deterioris, ut cum credit accipere liberam, cum sit liber, et accipit ancillam, talis impedit contrahendum, et dirimit jam contractum, nisi velit in eam libere consentire. **Conditio.**

Circa votum nota diffinitionem Hugonis[1] : « Votum est testificatio promissionis factæ spontanee, quæ Deo, et de his quæ Deo pertinent, fieri debet. » Item aliter diffinitur : Votum est melioris boni conceptio, cum deliberatione formata. Est autem duplex votum : simplex, et solemne. Simplex est, in quo non est in prælatum translata potestas : impedit contrahendum, sed non dirimit jam contractum. Solemne votum est, quod solemniza-

[1] Hug., *de Sacram.*, lib. II, p. XII, c. III.

(*a*) *Cæt. edit. deest* qui. — (*b*) *Item deest* quis.

tur ordinis sacri susceptione, professionis emissione, habitus professorum assumptione, cum aliis quæ ostendunt hominem professum : impedit contrahendum, dirimit jam contractum.

Crimen. Circa crimen nota, quod in septem generibus criminum denegatur connubium. Primum est adulterium cum occisione mulieris, seu uxoris, et (a) fideidatione de ducenda uxore adultera, propria defuncta, vel cum contractione de facto; secundum est incestus; tertium est raptus sponsæ alterius; quartum est de eo, qui insidians matrimonio, filium suum de sacro fonte levavit; quintum est de eo, qui occidit presbyterum; sextum est de eo qui occidit propriam uxorem, sive persequendo culpam adulterii, sive persequendo personam ratione odii; septimum est solemniter pœnitens. In omnibus istis dispensatur, præterquam in primo, quod respicit determinatam personam. Nam adulterium cum uxoricidio, vel cum fideidatione, vel contractione de facto, respectu illius personæ impedit contrahendum, et dirimit jam contractum.

Impotentia coeundi. Item impotentia naturalis coeundi, si est temporalis, non impedit. Si est perpetua, impedit; et dirimit, si præcedit matrimonium. Si autem sequatur matrimonium, non dirimit. Sic etiam de sectis dicitur.

Ordo. Ordo sacer triplex impedit contrahendum, et dirimit jam contractum; minores ordines neutro modo, si voluerit ordinatus Ecclesiæ deservire.

Cultus disparitas. De cultus disparitate nota, quod infidelis dicitur aliquando, quia caret fide, non tamen fidei sacramento, ut hæretica baptizata : talis disparitas impedit contrahendum, et non dirimit jam contractum. Aut est infidelis, carens fidei sacramento : et talis disparitas impedit et dirimit, etiamsi mulier sit fidelis, quia caret baptismo, qui est janua sacramentorum.

Vis. Circa vim, sive violentiam, tene, quod coactio potest fieri vi, sive metu. Vis est majoris rei impetus, qui repelli non potest, ut cum quis capitur, trahitur, ligatur : talis vis impedit et dirimit. Metus est instantis periculi trepidatio. Metus autem est duplex, scilicet levis, et justus. Levis est, qui non cadit in constantem virum, ut quando parva est comminatio, vel per hominem parva potentem : coactio per hunc modum, sive metus, non dirimit, nec impedit. Justus metus est, qui potest cadere in constantem virum, ut quando verisimile est, quod malum inferet, qui minatur : et talis coactio tollit consensum, et secundum jura impedit matrimonium, et dirimit jam contractum.

Ligamen. Circa ligamen nota, quod quantumcumque fiat divortium inter conjuges, propter crimen adulterii, quantum ad thorum et cohabitationem, manent personæ sic separatæ innubiles cum aliis : cum inter eos, quandiu vixerint ambo, permaneat indissolubile vinculum et ligamen.

Honestas. Circa honestatem publicæ justitiæ nota, quod qui contrahit sponsalia cum aliqua post septennium, et decedit ante consummatum matrimonium, ex tali honestate retrahuntur consanguinei sponsi defuncti a contractione matrimonii cum relicta : et hæc honestas impedit contrahendum, et dirimit jam contractum.

SECTIO LVI.

De impedimentis affinitatis et cognationis in speciali; et primo de affinitate.

Affinitatis, et consanguinitatis, differentia triplex. De duobus impedimentis, quæ restant, specialiter est videndum, scilicet de affinitate, et cognatione. Et primo de affinitate : circa quam primo est notanda triplex differentia; secundo notanda est triplex notula. Differt ergo primo inter esse affinem, et consanguineum; consanguinitas enim venit ex carnis propagatione; affinitas autem, ex carnali commixtione, præsupposita consanguinitate, quæ diffinitur sic : « Affinitas est proximitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela; » *quan-*

(a) *Cæt. edit.* scilicet.

tum est de se, supple. Unde si quis cognoscit mulierem, efficitur affinis omnibus consanguineis mulieris, et e contra. Secundo differt inter affinitatem genus, et gradus: Nam genus attenditur penes plurificationem commixtionis carnis; gradus vero, ex parte sanguinis et propagationis : propter quod dicebatur antiquitus:

Mutat nupta genus, sed generata gradum.

Erant enim quondam tria genera affinitatis. Primum erat ex consanguinitate, et prima carnis commixtione. Verbi gratia : Si frater tuus contraxit cum Maria, illa erat tibi affinis in primo genere. Secundum erat ex affinitate et secunda carnis commixtione: ut si Maria, mortuo fratre tuo, contraxit cum Martino, ipse erat tibi affinis in secundo genere. Tertium erat ex secunda affinitate, et tertia carnis commixtione : ut, si Martinus, defuncta Maria, contraxit cum Guillota, ipsa Guillota erat tibi affinis in tertio genere. Et sic nupta mutabat genus. Generata vero, sive propagata, mutabat gradum : nam si Maria, mortuo fratre tuo, ex Martino filiam generasset, illa filia fuisset tibi affinis in secundo gradu, quasi neptis, et non in secundo genere. Hodie vero cessant illa tria genera, præter primum; et filia generata ex cognata tua ex alio viro nihil dicetur tibi attinere. Et sic tertio differt, utrum mulier affinis generet ex consanguineo, vel extraneo. Nam si generet ex consanguineo, proles genita attinet tibi gradu consanguinitatis; si vero ex extraneo, attinet tibi proles genita gradu affinitatis, ut dictum est secundum jura antiqua; secundum vero jura moderna, nihil tibi attinet proles illa.

Notula triplex. His visis, tres notulæ sunt ponendæ: quarum prima est, quod in primo genere affinitatis, non licet contrahere usque ad quartum gradum inclusive, sicut et de consanguinitate dicitur. Si autem quartum gradum velis agnoscere, recurre ad personam mediante qua affinitas est contracta; et quoto gradu distat ab illa, tanto gradu distat a persona, cui est affinis : ut si contraxisti cum muliere, factus es affinis consanguineis mulieris; et quoto gradu aliquis est consanguineus mulieris tuæ, toto gradu est tibi affinis; et si attinet sibi in quarto gradu consanguinitatis, attinet tibi in quarto gradu affinitatis. Et sicut non licet uxori tuæ contrahere cum tali, ita nec tibi. Secunda est, quod ex quo affinitas est contracta, mortua persona mediante qua est contracta, nihilominus manet, quia sicut vinculum consanguinitatis est perpetuum, sic etiam affinitatis. Tertia est, quod affinitas non solum contrahitur per coitum conjugalem, sed etiam per fornicatorium [1].

SECTIO LVII.

De cognatione triplici.

Sequitur videre de cognatione : quæ distinguitur triplex, scilicet carnalis, spiritualis, et legalis. De singulis videndum est per ordinem. Et primo de carnali, circa quam primo ponenda est triplex diffinitio. Ergo videndum est quid sit consanguinitas, et quo modo diffinitur. Secundo adjungenda est triplex notula.

Primo consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Secundo videndum est, quid sit linea : Linea est ordinata collectio personarum consanguinitate conjunctarum, ab eodem stipite descendentium, diversos gradus continens. Et quia ordo potest attendi quantum ad id quod est supra, vel ad id quod est infra, vel ad id quod est juxta; tres lineæ assignantur : quædam ascendentium, in qua sunt gradus isti : pater et mater, avus et avia, proavus et proavia, abavus et abavia, atavus et atavia; quædam est descendentium, in qua sunt filius et filia, nepos et neptis, pronepos

Consanguinitas.

Linea.

[1] Nota tamen quod ex decreto concilii Tridentini *de Reformatione matrimonii*, sess. XXIV, c. IV, affinitas ex fornicatione ad secundum gradum hodie restringitur.

et proneptis, abnepos et abneptis, atnepos et atneptis; quædam est transversalium, in qua sunt duo fratres, filii duorum fratrum, nepotes duorum fratrum. Tertio videndum est, quid sit gradus: Gradus est habitudo personarum distantium, qua cognoscitur quota generis differentia duæ personæ differunt, seu distant inter se.

Gradus. quid.

Notulæ tres.

Nunc ponendæ sunt tres notulæ: quarum prima est, quod non licet contrahere cum aliqua consanguinea usque ad quartum gradum inclusive; secunda est, quod toto gradu personæ descendentes a stipite distant a se invicem, quoto distant a stipite; tertia est, quod quando personæ inæqualiter distant a stipite, utpote una in secundo gradu, alia in quinto, quod linea consanguinitatis et gradus computari debet secundum differentiam personæ magis remotæ.

Cognatio spiritualis.

Circa cognationem spiritualem, primo videndum est quid sit. Est autem cognatio spiritualis propinquitas, sive proximitas, proveniens ex sacramentali donatione, vel ad id tentione. Secundo videndæ sunt ejus differentiæ, quæ sunt tres: compaternitas, quæ est inter patrem spiritualem et patrem carnalem; paternitas, quæ est inter patrem qui suscipit, et eum qui suscipitur, sive sit masculus, sive femina; fraternitas, quæ est inter filium spiritualem et filium carnalem [1], universaliter et præcise: non enim se extendit nisi ad eum qui suscipitur. Tertio videndum est, quot modis contrahitur; quia dupliciter, scilicet: indirecte, ut cum alter conjugum fit compater alicujus per actum conjugis [2]; directe, ut cum aliquis fit compater alicujus per actum proprium, ut quando ipse personaliter de fonte suscipit filium alicujus. Secundum istum duplicem modum intellige istos versus:

Quæ mihi, vel cujus (a) natum de fonte levavit,
Hæc mea commater, fieri mea sed (b) nequit uxor.
Si qua meæ natum non ex me fonte levavit,
Hanc post fata meam (c) non inde vetabor habere.

Contrahitur autem hæc cognatio per catechismum, baptismum, et confirmationem [3]: sed per catechismum adeo exiliter, ut vix impediat matrimonium contrahendum, non autem dirimit jam contractum; per baptismum vero et confirmationem contracta cognatio spiritualis, secundum triplicem differentiam supradictam, impedit contrahendum et dirimit jam contractum.

Cognatio legalis.

Modo videndum est breviter de cognatione legali, quæ sic describitur: Cognatio legalis est proximitas proveniens ex adoptione. Triplex autem oritur cognatio per adoptionem: una est quasi descendentium, quæ attenditur inter adoptantem, et filiam, vel neptem adoptatam, et inter ipsos non potest contrahi matrimonium; alia est quasi a latere, quæ attenditur inter filium naturalem, et filiam adoptivam, et isti, quandiu sunt in potestate patris, non possunt matrimonio conjungi, emancipati vero possunt matrimonio copulari; alia est quasi affinitas quædam, quæ attenditur inter adoptatum, et uxorem adoptantis, vel inter adoptantem et uxorem adoptati: inter istas non potest matrimonium celebrari. Nota quod carnalis cognatio sumitur penes legem naturalem; spiritualis, penes divinam; legalis, penes legem humanam. Prima respicit bonum naturæ; secunda, bonum gratiæ; tertia, bonum fortunæ: prima, corpus; secunda animam; tertia, conjunctum.

[1] Hoc ultimum cognationis spiritualis genus abolitum est a concilio Tridentino, sess. XXIV, decret. *de Reform. Matrim.*, c. II. — [2] Iste modus contrahendi cognationem spiritualem non admittitur a concilio Tridentino. — [3] Post concilium Tridentinum jam non contrahitur nisi per Baptismum.

(a) *Cæt. edit. add.* mea. — (b) *Cæt. edit. deest* sed. — (c) *Cæt. edit.* functam.

QUARTA PARS

QUÆ TRIBUS SECTIONIBUS EST CONTENTA

SECTIO I.

De triplici differentia præmii.

Postquam visum est de bono, in quantum tenet rationem meriti; videndum est jam ultimo de bono, in quantum tenet rationem præmii. Circa quod breviter sunt tria videnda, scilicet triplicis præmii differentia, viæ expedientia, et gaudii sufficientia. Quantum ad primum, tenendum est, quod triplex præmium legitur in Scriptura, scilicet præmium quod dicitur aureola; et præmium quod dicitur fructus; et præmium quod dicitur aurea. Aurea est merces incorruptibilis et æterna, veritate et bonitate. Comparatur autem talis merces aureæ propter tria: aurea enim est corona de auro: corona autem debetur filio regis. In qua etiam, quantum est in se, non est reperire principium neque finem. Et materia de qua est, scilicet aurum, est inter cætera metalla maxime incorruptibile. Præmio ergo, quod dicitur aurea, præmiantur, qui transeunt ad regni hereditatem, ad Dei æternitatem, ad sui soliditatem, sive incorruptibilitatem. Hoc autem præmium debetur cuilibet virtuti, et præcipue redditur charitati, et aliis virtutibus gratia charitatis. Nam si finalis charitas amittatur, illud præmium nulli datur. Et quia est bonum increatum, de quo percipitur ista merces, dicitur (*a*) nunc aurea, nunc præmium substantiale, nunc bonum essentiale.

Præmium bonorum triplex.

Aureola vero est gloria incorruptionis, secundum profectum trium virium animæ, vel in carne operantium. Tres quippe naturales potentiæ, scilicet rationalis, irascibilis, concupiscibilis, in actus perfectissimos egrediuntur respectu carnis tribus virtutibus informatæ, scilicet prudentia, temperantia, et fortitudine. Temperantia habet suum perfectissimum actum, et difficillimum, qui est semper servare carnem suam integram, absque omni contagione venereæ actionis, quod faciunt virgines: ratione cujus debetur eis aureola virginum. Fortitudo habet suum actum difficillimum, quem in carne transigit (*b*), et exercet mediante carne, uti est sustinere mortem pro justitia et veritate; quod faciunt martyres: ratione cujus debetur eis aureola martyrum. Prudentia quoque habet actum suum difficillimum, quem transigit (*c*) et exercet in carne, quæ aggravat animam: et hic est docere alios in fide et moribus, quod faciunt doctores: ratione cujus debetur eis aureola prædicatorum. Aureola igitur virginum est gloria de incorruptione carnis, attestante incorruptionem (*d*) mentis. Aureola martyrum est gloria de invicta sustinentia mortis, usquequo aliquis perseveraverit usque ad mortem pro fide et justitia patienter. Aureola prædicatorum est gloria de incorruptione doctrinæ ad alterum prolatæ, verbo, et mente, et exemplo. De hac aureola prædicatorum dicitur[1]: *Quæ est mea spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Deum*? In signum hujus triplicis aureolæ debitæ tribus generibus salvandorum, præmittuntur in aliquibus ecclesiis antiphonis beatæ Mariæ versiculi, in signum aureolæ virginum; antiphonis beati Pauli Apostoli, pro prædicatoribus; antiphonis

Aureola triplex.

Ritus.

(*a*) *Cæt. edit. add.* autem. — (*b*) *Cæt. edit.* transfigit. — (*c*) *Item* transfigit. — (*d*) *Item* incorruptione.

[1] I *Thess.*, II, 19.

beati Laurentii martyris, pro martyribus. Et nota, quod pro quatuor datis maximis, quæ dat homo justus Deo, ab eo recipit quatuor dona maxima. Nam pro bona voluntate informata charitate, recipit auream; pro bona doctrina fidei et morum, recipiunt prædicatores aureolam; pro sustinentia mortis, recipiunt martyres suam; pro incorruptione carnis, virgines habent suam aureolam.

Præmium fructus. Præmium quod dicitur fructus, attenditur secundum unum prædictorum, scilicet secundum continentiam virginalem. Et diversificatur fructus, secundum quod diversificatur continentia. Est enim continentia conjugalis, abstinens se ab omni coitu illicito, non tamen ab omni coitu. Huic respondet fructus tricesimus, in quo est denarius, qui æterna significat, et ternarius trium bonorum conjugii, scilicet prolis, fidei, et sacramenti, quæ ad denarium referuntur. Est continentia vidualis, abstinens se ab omni coitu in carne corrupta, respectu temporis et personæ, a posteriori tantum: cui respondet fructus sexagesimus, in quo est denarius æterna significans, et senarius operum, in quibus propter denarium æternorum debent viduæ exerceri secundum Apostolum[1]: quorum operum primum est reddere parentibus vicem; secundum est instare obsecrationibus et orationibus; tertium est filios educare; quartum, pauperes hospitio recipere; quintum, sanctorum pedes lavare; sextum, tribulationem patientibus subministrare. Est tertio continentia virginalis abstinens se in carne incorrupta, respectu cujuslibet temporis et personæ, ab omni coitu: cui respondet fructus centesimus, qui constat ex denario in se ducto. Iste quidem competit virginibus, quæ in terra manentes, angelicam ducunt vitam, et tantum interius sibi vacant propter æternum bonum, quod est denarium in se ducere. Castitas conjugalis bene excolit terram suam, vidualis melius, virginalis optime.

Sex opera vidualis castitatis.

[1] I *Tim.*, v, 4 et seq.

Et nota quod cum virginitas sit in carne corruptibili perpetuæ incorruptionis meditatio, virginitas tria dicit: primum est abstinentia ab omni coitu illicito; secundum est abstinentia ab omni coitu licito; tertium est integritas mentis et carnis. Quantum ad primum, dicit habitum virtutis: huic debetur aurea. Quantum ad secundum, dicit virtutis statum: huic debetur fructus centesimus. Quantum ad tertium, dicit decorem: huic debetur aureola. Fructus autem in virginibus determinat ante se aureolam; aureola vero præsupponit auream. Voluntati enim continendi propter Deum debetur aurea; sed cum additur in carne incorrupta, superadditur ei aureola, quia sic est continentia in suo summo. Ulterius cum additur respectu cujuslibet temporis et personæ, debetur ei fructus centesimus.

SECTIO II.

De expedientia ad præmium.

Sequitur videre de his, quæ animam expediunt ad gloriæ supplementum. Retardatur enim anima exuta, quamvis gratia finali informata, dupliciter, ne totaliter feratur in Deum, scilicet propter cremabile, quod secum traxit, et propter corpus suum socium, quod dimisit. Contra primum expeditur per Ecclesiæ orationes et suffragia viatorum; contra secundum expeditur per consummationem justitiæ, sive per remunerationem corporum resumptorum. Primo ergo videamus qualiter animabus in purgatorio retardatis valeant suffragia viatorum; et post, de resurrectione mortuorum.

Suffragia pro defunctis. Prosunt autem Ecclesiæ suffragia defunctis, non quibuscumque, sed mediocriter bonis, utpote illis qui sunt in purgatorio; non valde malis, ut illis qui sunt in inferno; nec valde bonis, ut illis qui sunt in paradiso, sed potius eorum orationes et merita militanti Ecclesiæ suffragantur, quia nobis adhuc miseris multa per eos beneficia impetrantur. Prosunt autem suffragia sic im- Effectus

suffragiorum. pensa secundum magis et minus, vel pro diversitate meritorum in mortuis, vel pro sollicitudine charitatis in vivis. Prosunt, inquam, ad pœnarum mitigationem, vel ad celeriorem liberationem, prout divina providentia voluerit dispensare. Suffragia autem, quæ valent præcipue in remedium defunctorum, his versibus continentur :

Missa frequens, crebræque preces, jejunia sacra,
Prosunt defunctis, prodest eleemosyna sancta.

Cum autem per divina munera et propria merita, necnon et aliena suffragia, animæ ad gloriam transierint angelorum; adhuc tamen, secundum Sanctos, propter naturalem inclinationem ad corpus, a contemplatione plena et fruitione perfecta retardantur.

Resurrectio generalis. Unde videndum est de resurrectione, de qua secundum fidem catholicam est tenendum, quod omnia corpora hominum resurgent in generali judicio, non existente in eis distantia quantum ad ordinem temporis, sed potius quantum ad ordinem dignitatis. Mali enim non in melius mutabuntur; sed in bonis natura servabitur, et vitia atque defectus detrahentur. Omnes quippe resurgent in integro corpore, plena ætate, debita mensura membrorum, in eisdem corporibus numero, et eisdem partibus constitutis, salva totius veritate naturæ, non solum quantum ad membra principalia et humiditatem radicalem, verum etiam salvis capillis et membris cæteris, quæ ad corporis decentiam pertinebunt : ita quod in quascumque auras pulvis humani corporis dispersus fuerit, ad eamdem redibit animam, quæ hominem prius, ut viveret et cresceret, animavit. Et quia electi debent esse conformes primogenito mortuorum, id est Domino nostro Jesu Christo, in quo nullus fuit omnino defectus; necesse erit, ut si aliquod membrorum deerat, suppleatur; et si aliqua superfluitas inerat, auferatur; si aliqua membrorum inordinatio, corrigatur; si parvus erat, ad quantitatem ætatis Christi, quam habebat parvulus, in ratione, quamvis non in mole, virtute divina deducatur; si decrepitus, ad eamdem ætatem deveniet; si gigas, ad eamdem; si nanus deficiens, ad mensuram congruam limitetur : ut sic omnes sancti et integri et perfecti occurrant [1] *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Dotes quatuor beatorum corporum. Erunt autem in corporibus electorum quatuor conditiones nobilissimæ, quæ dotes dicuntur, in quibus cætera bona includuntur. Quæ quidem dotes sunt claritas, agilitas, impassibilitas, et subtilitas : quæ sic corpus perficiunt, quod ordinant ad animæ actionem, quæ duplex est, scilicet cognitio, et dilectio. Claritas habet ordinem ad cognitionem; aliæ tres dotes, ad dilectionem. Consistit autem dilectio, quæ est delectatio magna, in conjunctione convenientis cum convenienti. Est itaque agilitas, ut conjungatur anima Deo; impassibilitas, ut non retrahatur; subtilitas, ut nihil interponatur inter diligens et dilectum. Potest autem sumi sufficientia harum dotium penes causam materialem sic : Corpus humanum quatuor habet defectus ex quatuor elementis, quibus componitur et subsistit. Ab aqua habet passibilitatem, quæ est elementum fluidum : contra hunc defectum habet impassibilitatem. A terra habet opacitatem : contra quam habet claritatem. Ab igne, qui consumit, habet animalitatem, secundum quam alimoniis reddit ponderosum : contra quem defectum habet agilitatem. Ab aere, qui cedit cuilibet impellenti, habet infirmitatem : contra quam habet subtilitatem sive penetrabilitatem, per quam corpori glorioso erit pervium omne durum.

SECTIO III.

De sufficientia gaudii.

Jam ad gaudii sufficientiam est tertio, sive ultimo transeundum. Circa quam breviter est attendendum, quod gaudium sufficiens

[1] *Ephes.*, IV, 13.

Tres dotes animæ gloriosæ. perficitur et completur in tribus dotibus animæ, quæ sunt aperta visio summi veri, certa tentio summi ardui, perfecta dilectio summi boni. In primo perficitur rationalis; in secundo, irascibilis; in tertio, concupiscibilis. Primum est præmium fidei; secundum, præmium spei; tertium, præmium charitatis. Sunt autem quidam ternarii in superiori facie animæ, quibus ab imo sui usque ad summum Dei pervenit, et quiescit. Sunt tria subjecta, scilicet tres potentiæ naturales : rationalis, irascibilis, et concupiscibilis; quæ tanquam fundamenta bonis spiritualibus substituuntur. Sunt tres habitus virtutum theologicarum, scilicet fidei, spei, et charitatis; quæ a Deo gratis ad informationem trium virium prædictarum infunduntur, et quibus ipsæ potentiæ diriguntur. Sunt tres actus qui a prædictis potentiis, mediantibus tribus habitibus supradictis, scilicet tribus virtutibus theologicis, eliciuntur : scilicet credere, assentiendo summæ veritati propter se, et super omnia; sperare, intendendo summæ largitati propter se, et super omnia; diligere, complectendo summam bonitatem propter se, et super omnia. Sunt tria objecta ad quæ tres actus egredientes a tribus potentiis virtute trium habituum terminantur : ista autem objecta sunt veritas increata, majestas increata, et bonitas : ita quod summum verum est objectum fidei; summum arduum est objectum spei; summum bonum est objectum charitatis. Verum, inquam, sub ratione veri; arduum, sub ratione ardui; bonum, sub ratione boni. Et respiciunt hæc omnia statum et meritum viatorum. Sunt etiam tria præmia, scilicet cognitio, sive intelligentia veritatis infallibilis; possessio, sive permanentia dignitatis inamissibilis; dilectio, sive complacentia bonitatis infatigabilis. Et sic potest colligi ex prædictis, quod in gloria cælesti erit præmium substantiale, consubstantiale, et accidentale. Substantiale, et ex parte animæ, consistit in Dei visione aperta, Dei tentione secura, Dei dilectione perfecta : et hæc est prima stola. Consubstantiale, ex parte corporis, consistit in claritate, impassibilitate, agilitate, et subtilitate : et hæc est secunda stola. Accidentale consistit in tribus aureolis, quæ non sunt omnium salvandorum.

Præmium triplex.

OPUSCULUM

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Præsens Opusculum quadripartitum est : cujus prima pars agit de tribus primæ hierarchiæ ordinibus; secunda, de tribus ordinibus hierarchiæ secundæ; tertia, de tribus ordinibus hierarchiæ tertiæ; quarta, de cœli et cœlestium corporum proprietatibus. Continent autem singulæ partes singularem et valde utilem doctrinam iis præsertim, qui regimini præsunt, dum modum ostendit Auctor quo se superioribus spiritibus conformare debeant tam subditi quam prælati pro sua quique ratione. Lector tamen animadvertere debet præcedens Opusculum a S. Bonaventura hic in principio citatum, in quo se de rerum ordine et distinctione egisse ait, illud non esse quod in ultima editione Veneta *de Mystica Theologia* inscriptum huic proxime præponitur, tum quod in eo de his non agit, tum quod an Bonaventuræ sit ab aliquibus in dubium revocetur, tum denique quod in antiquis impressis non est. is Opusculorum ordo. Quare vel injuria temporum tractatus ille non extat, vel fortasse *Breviloquium* est, in cujus secunda parte de productione, et distinctione rerum agitur, et si conjecturæ aliquis locus est, fortasse Auctor statim post *Breviloquium*, hoc scripsit [2].

PRIMA PARS

DE TRIBUS ORDINIBUS PRIMÆ HIERARCHIÆ [3]

CAPUT PRIMUM.

De nomine Angeli, et quod eo varia in Scriptura significentur.

Invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ut ait Apostolus [4], *sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. A magnitudine enim speciei et creaturæ*

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1491, p. II, 29; edit. Vat. seu Rom. an. 1596, tom. VII, p. 264; edit. Ven. an. 1611, tom. II, 38; edit. Ven. an. 38; edit. Ven. an. 1754, tom. V, p. 195; edit. Lugdun. an. 1647, tom. II, p. 255. — [2] Vid. quæ in antecessum tomi hujus ex Prodromo dicta sunt. — [3] Tituli capitum quatuor partis hujus, qui in cæteris editionibus hoc loco legebantur, remittuntur ad calcem hujus tomi, scilicet ad Indicem materiarum; et sic de titulis aliarum partium. — [4] *Rom*, I, 20.

cognoscibiliter poterat Creator horum videri, ait[1] Sapiens. Ex quo apparet manifeste, quod humanus intellectus ad invisibilium et intellectualium contemplationem ascendere non poterit, nisi per visibilium et sensibilium considerationem dirigatur. « Impossibile namque est, ut dicit Dionysius [2], aliter nobis lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum. » Ideo Theologia poeticis sacris informationibus usa est, ut ex rerum visibilium similitudinibus allegoricæ locutiones et mystici intellectus transumptiones formentur, et sic sensibilibus et visibilibus spiritualia et invisibilia coaptentur. Hujus rei gratia præsens opusculum, etsi laboriosum mihi, tamen et aliis parvulis in Christo lac petentibus, ut spero, non infructuosum, offero ad ædificationem domus Domini, qui est sublimis et gloriosus in sæcula sæculorum. In quo agitur de proprietatibus rerum naturalium, quas secundum parvitatem meam, nunc tropologice, nunc allegorice, nec non quandoque anagogice rebus spiritualibus comparavi, junioribus relinquens materiam exercitii sensibilia insensibilibus, et carnalia spiritualibus coaptandi. Et cum rerum naturalium proprietates ipsarum sequantur substantias, secundum ipsarum distinctionem substantiarum et ordinem erit distinctio et ordo proprietatum, quas in alio opusculo per se positas et distinctas, poteris per ordinem reperire.

Primo igitur de spirituali substantia actu et potentia a materia separata est agendum, cujus proprietates et differentias, in præcedenti opusculo traditas, poteris diligentius intueri. Sed quantum ad præsens spectat negotium, est notandum, quod inter principalem et propriam significationem, *Angelus* metaphorice ad significandum diversa in sacra Scriptura est transumptus, quia, ut beatus ait Gregorius [3], nomine *Angeli*, nunc Christus, nunc justus, nunc gratia seu virtus, figuraliter nuncupatur.

Christus igitur, ratione assumptæ humanitatis, dicitur *Angelus* propter missionem. Angelus enim mittit, et mittitur; sic Christus a Patre in mundum missus est. Unde dicit Isaias [4]: *Quem mittam? et quis ibit nobis?* et in Matthæo [5]: *Non sum missus, nisi ad oves domus Israel.* Et in Joanne [6]: *Honorifico eum, qui me misit.* Et in Exodo [7]: *Mittam vobis angelum præcursorem, ut ejiciam Amorrhæum*, etc. Et ibidem [8]: *Ecce ego mitto angelum meum, qui præcedat te, et custodiat te in via, et introducat in terram*, etc. Unde Christus sic missus more angeli alios misit, juxta illud Matthæi [9]: *Ecce ego mitto vos sicut oves;* et Lucas [10]: *Rogate dominum messis, ut mittat operarios*, etc. Ideo dicitur in libro Judicum [11]: *Dixit Angelus Domini ad Gedeonem: Vade, et scito, quod misero te, et liberabis Israel.* Et in Hieremia [12]: *Ad omnia quæcumque mittam te*, etc.

Secundo, propter illuminationem: Angelus enim illuminat, et illuminatur; sic Christus, divinitatis lumine repletus, ad illuminandum sedentes in tenebris et umbra mortis mundo est datus, ut dicit Joannes [13]: *Lux in tenebris lucet*, etc..Et Isaias [14]: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus*, etc. Et in Apocalypsi [15]: *Vidi angelum alium descendentem de cœlo habentem potestatem magnam, et terra illuminata est a gloria ejus*, etc. Et in Actibus [16]: *Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo carceris.* Nam ubi Christus est, tenebra esse non potest.

Tertio, propter purgationem: quia angelus purgat et purgatur; et Christus in matris utero divina virtute ab omni immunditia fomitis est purgatus, et actu et potentia ab omni corruptione vitii liberatus, et fide corda credentium purificat, et ad totius

[1] *Sap.*, XIII, 5. — [2] Dion. Areop., *de Eccles. Hier.*, c. I, n. 5. — [3] Greg., *in Evang.*, hom. VI, quoad sensum, et *Moral.*, lib. XXIV, c. II. — [4] *Isa.*, VI, 8. — [5] *Matth.*, XV, 24. — [6] *Joan.*, VIII, 42, 49. — [7] *Exod.*, XXXIII, 2. — [8] Ibid., XXIII, 20. — [9] *Matth.*, X, 16. — [10] *Luc.*, X, 2. — [11] *Judic.*, VI, 14. — [12] *Jerem.*, I, 7. — [13] *Joan.*, I, 5. — [14] *Isa.*, XLIX, 6. — [15] *Apoc.*, XVIII, 1. — [16] *Act.*, XII, 7.

munditiæ puritatem nos informat. In cujus rei figura dixit Angelus ad Manue[1] : *Abstineat puer ab omni immundo : vinum et siceram*, etc. Isaias[2] : *Volavit unus ad me ex seraphim*, et dixit : *Ecce tetigi labia tua, et auferetur iniquitas tua, et mundabitur peccatum tuum.*

Quarto, propter perfectionem : quia angelus perficit et perficitur ; et Christus non solum est purgatus a malo, imo perfectus est in omni bono, et est causa totius nostræ perfectionis, juxta illud Lucæ[3] : *Perfectus omnis erit, si fuerit* (a) *sicut magister ejus.* Unde in signum summæ perfectionis, omnia terrena fugere docuit. In cujus rei figuram dixit Angelus ad Jacob[4] : *Surge, egredere de terra hac, revertere in terram nativitatis tuæ*, etc. Hic angelus est Christus, qui monet ut de terrenis fugiamus, et in terram viventium ingredi festinemus.

Quinto, propter mediationem : nam angelus inter Deum et homines est medius ; et hoc congruit Christo, qui est Mediator Dei et hominum, mundum scilicet Deo reconcilians, et ad Patris amicitiam nos reducens, et pro nobis continue intercedens. Unde dicit Joannes[5] : *Advocatum habemus apud Patrem Christum Jesum, qui*[6] *interpellat pro nobis.* Et Job[7] : *Si fuerit pro eo angelus loquens, miserebitur ejus, et dicet : Libera animam ejus, ne descendat in corruptionem.*

Sexto, propter mysticam refectionem : nam Angelus, divino alimento repletus, nos reficit ; et Christus, Patris complendo voluntatem, reficitur. Unde Joannes dicit[8] : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus*, etc. Et sic refectus, et spiritualiter et sacramentaliter nos reficere non destitit, juxta illud Sapientiæ[9] : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti.* Et tertio Regum[10] : *Tetigit eum Angelus, et dixit : Surge, et comede.*

Septimo, propter inferiorem regimen sive gubernationem : angelorum enim regimini hæc inferiora deputantur, ut dicitur in Ecclesiastico[11] : *In unamquamque gentem præposuit rectores*, etc.; et hoc Angelo magni consilii, id est, Christo convenit, qui omnium electorum mentes in sua custodia suscipit et tutela, ut dicitur in Joanne[12] : *Quos dedisti mihi, ego custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*, etc. Et in Ecclesiaste (b)[13] : *Ne dicas coram Angelo : Non est providentia*, etc. Et in Exodo[14] : *Tollens se Angelus Domini, qui præcedebat castra filiorum Israel, abiit post illos*, etc.: quia Christus, qui omnes præcessit doctrina et exemplo, omnes sequitur custodiæ beneficio; ait enim Psalmista[15] : *Immitit Angelus Domini*, etc. Bernardus[16] : « O quam desiderant cives angelici civitatis suæ ruinam restaurari ! o quam solliciti ut veniant lapides vivi ! Quomodo discurrunt medii inter nos et Deum, gemitus nostros portantes ! Non dedignantur nobis fieri socii, qui pro nobis jam sunt ministri. Expectat nos creata jam illa multitudo. Væ tibi, quicumque es, qui redire jam desideras ad lutum, reverti ad vomitum. In quovis diversorio angelo tuo reverentiam age, ne audeas illo præsente, quod me vidente non auderes. »

Angli nomine justus quandoque intelligitur

Nomine *Angeli* justus intelligitur, et præcipue vir spiritualis et religiosus ; et omnis litteratus, seu prælatus (c), Angelo comparatur. Sic Joannes Baptista, propter prædicationis excellentiam, et spiritualis vitæ eminentiam, *Angelus* a Domino nuncupatur in Matthæo[17] : *Hic est de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum*, etc. Item Joannes, in Apocalypsi[18]. *Rectores septem Ecclesiarum Angelos vocat*, et Paulus[19]. *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis*,

[1] *Judic.*, XIII, 4. — [2] *Isa.*, VI, 7. — [3] *Luc.*, VI, 40. — [4] *Gen.*, XXXI, 13. — [5] I *Joan.*, II, 1. — [6] *Rom.*, VIII, 34. — [7] *Job.*, XXXIII, 24. — [8] *Joan.*, IV, 34. — [9] *Sap.*, XVI, 20. — [10] III *Reg.*, XIX, 5. — [11] *Eccli.*, XVII, 14. — [12] *Joan.*, XVII, 12. — [13] *Eccle.*, V, 5. — [14] *Exod.*, XIV, 19. — [15] *Psal.* XXXIII, 8. — [16] Bern., *Medit.*, c. VI. — [17] *Matth.*, XI, 10. — [18] *Apoc*, I, II et III, passim. — [19] I *Cor.*, IV, 9. — (a) Vulg. *sit.* — (b) *Cæt. edit.* Ecclesiastico. — (c) *Edit. Ven. add.* pro.

et hominibus. Et alibi [1] : *An nescitis, quia angelos judicabimus?* Et rursus [2] : *Mulier habeat velamen super caput suum propter angelos.*

Justi propter septem comparantur.

Comparantur autem viri justi angelis propter septem. Primo, propter munditiam cordis, et puritatem conversationis : nam Angelus ab omni corpulentia et conditione carnea est separatus. *Spiritus* enim [3] *carnem et ossa non habet.* Sic vir justus nihil habet in se admixtionis carnalis delectationis ; imo sicut adeps ab omni carne separatur, ut dicitur [4] in Ecclesiastico, et in Psalmo [5] : *Qui facit angelos suos spiritus*, etc. Ideo legitur Angelus carnes consumpsisse : *Extendit*, inquit [6] in libro Judicum, *Angelus Domini summitatem virgæ, et tetigit carnes, ascenditque ignis de petra, et carnes azymosque panes consumpsit.* Vir enim spiritualis, cum virga pœnitentiæ, quidquid in eo carnalitatis est, consumere solet, et per omnia abolere.

Item secundo, propter limpiditatem divinæ cognitionis : Angelus enim deiformem habet intellectum. Unde sicut ejus intellectus Deo immediate conjungitur, et influentia occulti luminis illustratur, sic vir justus suum sensum et intellectum Deo reddit conformem, et non de se præsumit; sed ut amplius mereatur per fidem illuminari, et perfectius divinis instrui, se Deo subjicere non postponit. Ait enim Apostolus [7] : *Destruentes per arma spiritualia omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Et ad Timotheum [8] : *Quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est in gentibus.*

Item tertio propter humilitatem subjectionis : nam inferior angelus subest superiori, et obedit sine murmure et indignatione, quia superior præest sine tyrannica inferiorum oppressione. In quo notatur, quanta debeat conformitas esse inter imperium prælatorum, et obedientiam subditorum. Nam sicut prælatorum monere est cum mansuetudine, ita subditorum est humiliter justis jussionibus obedire, sicut dicitur ad Hebræos [9] : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant,* (a) *non gementes.* Unde in signum talis obedientiæ dicitur in Zacharia [10] : *Alius angelus egrediebatur in occursum angeli qui loquebatur in me, et dixit : Curre, et loquere ad puerum istum,* etc. Ecce cum quanto moderamine major præcipit,. et cum quanta humilitate alter ejus imperio acquiescit. Et Petrus in Canonica [11] : *Animas nostras castificantes in obedientia charitatis et fraternitatis amore, simplici ex corde.*

Item quarto, propter rectitudinem intentionis : nam Angelus, ut dicit Gregorius, in omni suo opere Deum inspicit, et nihil aliud, quam divinæ voluntatis regulam, diligit vel requirit. Ita enim exteriora divino nutu angeli peragunt, quod mentis aciem ab ipso non deflectunt. Ideo dicitur in Mattheo [12], quod *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Gregorius : « Semper videntis omnia faciem intuentur, qui nulla intentionis dissimilitudine ab ipsius præsentia removentur. » Et in secundo Regum [13] : *Tu, Domine mi, quasi angelus Dei es, fac quod beneplacitum est tibi :* quia qui Deum vera intentione cordis diligit, ab ipsius voluntatis beneplacito non recedit.

Item quinto, propter sedulitatem et diligentiam administrationis : angelus enim ad sanctorum ministerium continue deputatur, et substantiæ suæ agilitate ad peragendum quælibet injuncta subito concitatur. *Omnes enim* [14] *sunt administratorii spiritus* (b) *missi propter eos, qui capiunt hæreditatem salu-*

[1] I *Cor.*, VI, 3. — [2] I *Cor.*, XI, 10. — [3] *Luc.*, XXIV, 39. — [4] *Eccli.*. XLVII, 2. — [5] *Psal.* CIII, 4. — [6] *Judic.*, VI, 21. — [7] II *Cor.*, X, 4. — [8] I *Tim.*, III, 16. — [9] *Hebr.*, XIII, 27. — [10] *Zach.*, II, 4. — [11] I *Petr.*, I, 22. — [12] *Matth.*, XVIII, 10. — [13] II *Reg.*, XIX, 27. — [14] *Hebr.*, I, 14.

(a) Vulg. add. *et.* — (b) Item add. *in ministerium.*

tis. Sic absque dubio viri angelici angelorum numero ascribuntur, qui pro aliorum salute laboris ministeria assumere non verentur. Ideo dicit Isaias [1] : *Ite, Angeli veloces, ad populum*, etc. Unde magnum obtinent angelorum officium, qui docendo et inducendo vitæ exemplo, ad Deum errantes alliciunt et convertunt. De quo Jacobus [2] : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, animam ejus salvabit a morte*, etc. Talis fuit angelus qui dixit ad Agar [3] : *Revertere et humiliare sub manu dominæ tuæ, et noli timere*, etc. Talis etiam fuit angelus, de quo dicit Manue [4] : *Obsecro, Domine, ut mittas angelum, ut veniat iterum, et doceat nos, quid de puero, qui nasciturus est, facere debeamus*.

Item sexto, propter continuitatem dulcedinis contemplationis : Angelus enim sic administrando Deo servit, quod propter hominum servitium a contemplationibus intimis non recedit, ut dicit Gregorius [5] : « Nam quandocumque ad exteriora exeunt, ab interiori contemplatione non recedunt, quia illum semper aspiciunt, qui præsens est quocumque vadunt. Sic vir spiritualis taliter circa exteriora se occupat, ut devotionis spiritum non extinguat. Unde quando extrinsecus per bonorum exercitationes operum fatigatur in corpore, intrinsecus reficitur in mente. » Unde in Osea dicitur [6] : *In fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum et confortatus est, flevit et rogavit eum*. Et in Genesi [7] : *Vidit angelos descendentes, et ascendentes per scalam*, etc. Scala, sicut ibi dicit Glossa, cujus cacumen tangebat cœlum, significat Christum, qui est via recta perducens ad Deum : per hanc scalam descendunt viri spirituales cum angelis ministrando, ascendunt et contemplando. Unde dicitur in Daniele [8] : *Millia millium ministrabant*, etc. Et Joannes : *Videbitis angelos ascendentes, et descendentes super Filium hominis*.

Item septimo, propter fixum et stabilem motum dilectionis, quo amor angelicus tanquam ignis sine termino in Deum movetur; ideo sæpius angeli in specie ignis leguntur apparuisse, ut in Exodo [9] apparuit Dominus, id est Angelus in quo erat Dominus, *in flamma ignis de medio rubi, et videbat quod rubus ardebat, et non comburebatur* (a), etc. Rubus est vir spiritualis spinis pœnitentiæ circumplexus; medium rubi est cor viri justi, de cujus medio erumpere debet flamma inextinguibilis charitatis. Unde dicitur in Canticis [10] : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum*. Et in Psalmo [11] : *Ministros suos facit flammam ignis*. Hoc igne cor accensum ardet, et non comburitur, quia nulla adversitate frangitur, nullo etiam mortis metu ab illo, quem diligit, separatur. Unde secundo Regum legitur [12] : *Sicut angelus Domini, sic est dominus meus Rex, qui nec benedictione, nec maledictione movetur*. Ideo dicitur in Actis [13] : *Angelus Domini apparuit Moysi in igne rubi*. Et in libro Judicum [14] : *Angelus Domini cum flamma pariter ascendit in cœlum*.

Angeli nomine gratia Dei sive virtus significatur.

Item angelus dicitur gratia Dei, sive virtus. Hunc angelum Dominus mittit, quando alicui gratiam infundit : ideo dicitur in Daniele [15] : *Angelus Domini descendit in fornacem*, etc. Omnis enim æstus concupiscentiæ, ac fomitis incentivum extinguitur, quando angelus in fornacem mittitur, id est quando divina gratia cordi infunditur, et virtus animæ inspiratur. Virtus enim dicitur quasi *virum tuens*, vel quasi *virens intus* : quoniam duplicem habet effectum, nam animam sua præsentia tuetur ac conservat, et ornat atque decorat, sicut angelus hominem custodit et servat, animam etiam illuminat, perficit et informat. Ideo dicitur in Actis [16] : *Viderunt vultum Stephani, quasi vultum*

[1] *Isa.*, XVIII, 2. — [2] *Jac.*, V, 20. — [3] *Gen.*, XVI, 9. — [4] *Judic.*, XIII, 8. — [5] Greg., *Moral.*, lib. I, c. II, in sensu. — [6] *Ose.*, XII, 4. — [7] *Gen.*, XXVIII, 12. — [8] *Dan.*, VII, 10. — [9] *Exod.*, III, 2. — [10] *Cant.*, VIII, 6. — [11] *Psal.* CIII, 4. — [12] II *Reg.*, XIV, 17. — [13] *Act.*, V, 19. — [14] *Judic.*, XIII, 20. — [15] *Dan.*, III, 49. — [16] *Act.*, VI, 15.

(a) Vulg. *arderet... combureretur*.

angeli. Et in libro Esther [1] : *Vidi te, Domine, quasi angelum Dei : valde enim mirabilis es; et facies tua plena gratiarum.* Dicitur ergo gratia angelus Dei, per quem mens humana perfectissime custoditur (*a*), per quem peccatum expellitur, et potestas dæmonum in anima evacuatur. Unde dicitur in Exodo [2] : *Angelus meus præcedet te, et custodiet te in via, et ejiciet Amorrhæum, Cananæum,* etc. Septem nomina gentium ponit, per quæ septem principalia peccata intelligit, quæ superveniens gratia ejicit penitus et excludit. Et sunt novem genera gratiarum, quæ comparationem habent ad novem ordines angelorum, et quarum usu ad angelorum æqualitatem pervenitur.

Prima igitur gratia est gratia dilectionis sive charitatis, de qua Lucas [3] : *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ est vobis gratia?* Et Joannes [4] : *Majorem gratiam non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Ista gratia a Domino animæ immissa, ipsam inflammat, et per fervorem amoris, ordini Seraphim ipsam assimilat et conformat. Unde in Luca dicitur [5] : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat?* Et in Threnis [6] : *De excelso misit ignem in ossibus meis.*

Secunda gratia est gratia sapientiæ et divinæ cognitionis, de qua in Proverbiis [7] : *Inveniens* (*b*) *gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus.* Et in Ecclesiastico [8] : *In me omnis gratia vitæ et veritatis.* Et in Proverbiis [9] : *Super aurum et argentum est gratia bona.* Et in Ecclesiastico [10] : *Vir sapiens amabilem se faciet; gratiæ autem fatuorum effundentur.* Hæc gratia mentem illuminat, et intuitum animæ ad Deum videndum per fidem habilitat et informat : Unde Psalmista [11] : *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Per hanc gratiam ordo Cherubim in anima collocatur, quando mens a sensu carnali abstracta, ad susceptionem divini luminis per cognitionem veritatis præparatur. Et hoc intellexit Psalmista cum dixit [12] : *Ascendit super Cherubim, et volavit,* etc. Et Ezechiel [13] : *Tu Cherubim plenus sapientia, et decore.*

Tertia gratia est contemplationis, sive spiritualis delectationis, quæ ex plenitudine divinæ dilectionis et cognitionis in anima generatur. De hac dicitur in Exodo [14] : *Domine, si inveni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam,* etc. Et in Ecclesiastico [15] : *Gratiam et speciem desiderabit oculus, et super hoc virides sationes.* Hæc gratia mentem quietat et pacificat, et velut sedem quietissimam ad divini superadventus susceptionem præparat et coaptat; et sic Thronorum ordinem repræsentat. Anima etiam justi sedes sapientiæ est; dicitur enim (*c*) in Ecclesiastico [16] : *Thronus meus in columna nubis.* Columna nubis est anima per contemplationem suspensa et elevata, in qua Dei Filius tanquam in throno requiescit.

Quarta gratia est benignæ severitatis, sive severæ liberalitatis, ad bene præessendum. Magna enim gratia Dei est, quod prælati sic exequantur contra delinquentes justitiam, ut benignitatem et misericordiam non dimittant. Unde dicitur in Ecclesiastico [17] : *Curam illorum habe, ut ornamentum gratiæ accipias, et coronam ac dignitatem consequaris.* Et alibi iterum [18] : *Retribuet gratiam, qui offert similaginem; et qui facit misericordiam, offert sacrificium.* Et rursum [19] : *Sunt homines misericordiæ invenientes gratiam in oculis omnis carnis,* etc. Hæc gratia ordinat prælatos respectu suorum subditorum, ut sciant qualiter se debeant inferioribus conformare, et sine tyrannide dominari. Ideo dicitur adhuc in Ecclesiastico [20] : *Rectorem te posuerunt; noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis :* et sic configuratur ordini Do-

[1] *Esth.*, XV, 16, 17. — [2] *Exod.*, XXIII, 23. — [3] *Luc.*, VI, 32. — [4] III *Joan.*, 4. — [5] *Luc.*, XII, 49. — [6] *Thren.*, I, 13. — [7] *Prov.*, III, 4. — [8] *Eccli.*, XXIV, 25. — [9] *Prov.*, XXII, 1. — [10] *Eccli.*, XX, 13. — [11] *Psal.* XVIII, 9. — [12] *Psal.* XVII, 10. — [13] *Ezech.*, XXVIII, 12. — [14] *Exod.*, XXXIV, 9. — [15] *Eccli.*, XL, 22. — [16] *Eccli.*, XXIV, 7. — [17] *Eccli.*, XXXII, 3. — [18] *Eccli.*, XXXV, 4. — [19] *Eccli.*, XLIV, 27. — [20] *Eccli.*, XXXII, 1.

(*a*) *Al.* custodiatur. — (*b*) Vulg. *Invenies.* — (*c*) *Al.* etiam.

minationum. Apostolus etiam ad Colossenses [1] : *Domini, quod justum est, facite servis vestris, scientes, quia et vos Dominum habetis in cœlis.* Et Petrus [2] : *Non ut dominantes in clero, sed forma gregis facti ex animo; et cum venerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem coronam gloriæ.*

Quinta gratia est humilitatis ad obediendum, de qua dicitur in Ecclesiastico [3]: *Quanto magnus es, tanto plus te humilia in omnibus, et coram Deo invenies gratiam; quoniam magna est potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur.* Et Petrus [4] : *Humilibus dat gratiam.* Hæc gratia ordinat subditos respectu suorum superiorum, ut debitam reverentiam eis impendant. Unde dicitur in Ecclesiastico [5] : *Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia;* et sic per hanc gratiam ordini Principatuum anima conformatur. Magnus enim princeps est, cui propria voluntas non principatur. Ait Ecclesiasticus [6] : *Principatus sensati stabilis erit.* Et Job [7] :*Senes assurgentes stabant, et principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo,* etc. Et in Genesi [8] : *Princeps Dei es apud nos.* Et Psalmista [9] : *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus,* etc.

Sexta gratia est patientiæ et longanimitatis, de qua Petrus [10] : *Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste. Quæ enim gratia est, si peccantes suffertis?* Et in Ecclesiastico [11]: *In dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe.* Hæc gratia docet resistere tentationibus, et adversas dæmonum coercere potestates. Unde Ecclesiastes [12] : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, ne dimiseris locum tuum.* Locum suum dimittit, qui per impatientiam dæmoni cedit, cum dicat Jacobus (*a*) [13] : *Resistite diabolo, et fugiet a vobis.* Unde per patientiam conformatur homo ordini Potestatum. Maxima enim potestas est per patientiam seipsum, mundum et diabolum superare. Unde in Proverbiis [14] : *Melior est vir patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Et in libro Machabæorum [15] : *Accingimini, viri potentes,* etc. Et in Psalmo [16] : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.*

Septima gratia est pudicitiæ et castitatis; ait enim Sapiens [17] : *Nemo potest esse continens, nisi Deus det, et hoc Dei donum est. Gratia* enim *super gratiam, est mulier sancta et pudorata,* ut dicitur [18] in Ecclesiastico. Item in Deuteronomio [19] : *Si non inveniet mulier gratiam coram viro suo propter aliquam fœditatem, abominabilis erit mulier hujusmodi.* Gratia enim Dei luxurioso penitus denegatur. Hæc gratia hominem facit virtuosum, ut viriliter omnes motus sensualitatis rebellantes conterat, et allidat. Unde Psalmista [20] : *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum.* Et hæc virtus refertur ad ordinem Virtutum, quorum (*b*) est officium naturam lapsam vel corruptam miraculose reparare. Non enim est majus miraculum, quam in carne præter carnem vivere : hoc enim non est humanæ naturæ, sed angelicæ, ut dicit [21] Hieronymus. Et Psalmista [22] : *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini,* etc.

Octava gratia est eloquentiæ ad docendum, de qua Psalmista [23]: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Et habetur etiam in Proverbiis [24]: *Propter gratiam labiorum, habebit amicum regem.* Et in Ecclesiastico [25] : *In labiis sensati invenietur gratia.* Hæc gratia ordinat animam ad gradum Archangelorum, quorum est docere. Unde in Daniele [26]: *Gabriel, fac intelligere visionem.* Et alibi [27] : *Egressus sum ut docerem te, et intelligeres.*

[1] *Coloss.*, IV, 1. — [2] I *Petr.*, V, 3. — [3] *Eccli.*, XXXI, 1. — [4] I *Petr.*, V, 5. — [5] *Eccli.*, XXXII, 9. — [6] *Eccli.*, X, 1. — [7] *Job*, XXIX, 9. — [8] *Gen.*, XXIII, 6. — [9] *Psal.* LXVII, 26. — [10] I *Petr.*, II, 19. — [11] *Eccli.*, II, 4. — [12] *Eccle.*, X, 4. — [13] *Jac.*, IV, 7. — [14] *Prov.*, XVI, 32. — [15] I *Mach.*, III, 58. — [16] *Psal.* XLIV, 4. — [17] *Sap.*, VIII, 21. — [18] *Eccli.*, XXVI, 19. — [19] *Deut.*, XXIV, 1. — [20] *Psal.* XXX, 25. — [21] Hieron., *ad Demetriad.*, epist. VIII, post med. — [22] *Psal.* CXVII, 16. — [23] *Psal.* XLIV, 3. — [24] *Prov.*, XXII, 11. — [25] *Eccli.*, XXI, 19. — [26] *Dan.*, VIII, 16. — [27] *Dan.*, IX, 22.

(*a*) *Al. deest* Jacobus. — (*b*) *Leg.* quarum.

Et Malachias [1] : *Labia sacerdotum custodiunt* (*a*) *scientiam*, etc.

Nona est gratia misericordiæ et pietatis ad compatiendum, de qua in Ecclesiastico [2] : *Eleemosyna gratiam hominis conservabit quasi pupillam*. Et alibi [3] : *Fatuo*, id est avaro, *non erit amicus, et non erit gratia in bonis illius*. Hæc gratia conformat mentem ordini Angelorum, qui omnes suas gratias nobis communicant, qui bonis nostris congratulantur. Unde Lucas [4] : *Majus gaudium*, etc; et nostris miseriis compatiuntur. Isaias [5] : *Angeli pacis amare flebunt*. Et in libro Judicum [6] : *Ascendit Angelus ad locum flentium*.

Cum secundum Dionysium Hierarchia sit sacrarum et rationalium rerum ordinata potestas, debitum in subditis retinens principatum; manifestum est triplicem esse hierarchiam secundum triplicem ordinatam a Deo potestatem, scilicet divinam, angelicam, et humanam. Est itaque prima hierarchia supercœlestis sive divina, quæ consistit in tribus increatis personis. Secunda est cœlestis, sive angelica, quæ completur in bonis angelis et beatis. Tertia est subcœlestis, scilicet humana, quæ in prædestinatis hominibus perficitur, et præcipue in prælatis. Hæc autem hierarchia humana ad similitudinem cœlestis hierarchiæ ordinata est et disposita, et secundum majorem vel minorem gratiæ sive potestatis perceptionem, in majori vel minori, sive in excellentiori et inferiori gradu ordinatissime constituta. Unde in Job dicitur [7] : *Numquid nosti ordinem cœli? aut rationem ejus pones in terra?* etc. Nosse cœli ordinem, est cognoscere supernarum virtutum ordinatissimam dispositionem; ejus rationem in terra ponere, est vitam et officium hominum, quandiu in terra sunt, secundum similitudinem cœlestium spirituum sancte et reverenter ordinare. Unde novem sunt ordines ordinandorum, sicut novem sunt sancti ordines angelorum. Est enim ordo Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, Psalmistatus, et Ostiariorum. Sicut Moysi dictum est [8] : *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est;* et in Sapientia dicitur [9] : *Dixisti me ædificare templum et altare, secundum similitudinem sancti tabernaculi, quod præparasti ab initio*, etc.; et primo Paralipomenon [10]. *Omnia*, inquit David, *evenerunt ad me scripta manu Domini, ut intelligerem opera exemplaris :* nostra itaque exemplaria sunt sanctorum angelorum agmina ordinata, ut scilicet secundum ipsorum ordinationem, distinctionem et operationem nostram, quantum possibile est, ordinemus conversationem. Ut igitur illa omittamus, ratione difficultatis et prolixitatis, quæ dicit Dionysius in *Ecclesiastica Hierarchia*, hoc sufficiat de hoc ista vice, quod Ecclesia militans in suis membris disponitur secundum similitudinem Ecclesiæ triumphantis; et hoc quoad ordinationem, quoad scientiam, et quoad actionem. Est enim hierarchia, ut dicit Dionysius [11], « ordo divinus, scientia et actus, deiformi (*b*) similans, et ad inditas ei divinitus illuminationes proportionaliter ascendens. » In ordine notatur distinctio illorum, qui per ordinatum officium a Domino majorem vel minorem recipiunt potestatem. In scientia notatur discretio; in actione vero ministerium. Sine ordine enim præsumptio est actio; sine actione, negligentia est ordo; sine scientia et discretione, est actio reprehensibilis, et ordo inutilis. Et ideo tam in ordine, quam scientia et actione, et hominum, et angelorum potestas Dei uniformitatem (*c*) imitatur, et secundum modum et mensuram suæ illuminationis in ordine suo proficit, et recte discernendo, et

Hierarchia triplex.

[1] *Malach.*, II, 7. — [2] *Eccli.*, XVII, 18. — [3] *Eccli.*, XX, 17. — [4] *Luc.*, XV, 10. — [5] *Isa.*, XXXIII, 7. — [6] *Judic.*, II, 1. — [7] *Job.*, XXXVIII, 33. — [8] *Exod.*, XXV, 40. — [9] *Sap.*, IX, 8. — [10] I *Paral.*, XXVII, 19. — [11] Dion. Areop., *de Cœlest. Hier.*, c. III, n. 1.

(*a*) Vulg. *Sacerdotis custodient*. — (*b*) *Al* deiforme. *Interpr. Corderii :* « Actio quæ ad deiformitatem, quantum fas est, accedit. » — (*c*) *Leg.* Deiformitatem.

bene operando, ad Dei conformitatem, quantum possibile est, ascendit; tum (*a*) vero angelorum hierarchiæ humana hierarchia (*b*) per imitationem et vitæ conformationem assimilatur (*c*), dum tres electorum hominum ordines secundum trinas conditiones sive differentias, singulis appropriatas, comparantur. Et hi tres salvandorum status significantur per illos tres, quos dicit Ezechiel liberandos [1] : *Si fuerint*, inquit, *in civitate hi tres viri*, scilicet Daniel, Noe, et Job, *num liberabunt animas suas?* Daniel, qui abstinentiæ merito obtinuit intelligentiam visionum, typum gerit claustralium et religiosorum, qui continue gratia et excellentia abstinentiæ, qua non solum abstinent ab illicitis, verum etiam a licitis concessis, merentur amplius illuminari. Noe autem, qui arcam gubernavit, formam gerit prælatorum, per quorum scientiam, et regiminis industriam, electi in àrca Ecclesiæ constituti, a diluvii, id est, peccati periculo merentur liberari. Per Job vero, cœtus activorum, et conjugatorum numerus poterit designari, pietatis operibus et misericordiæ comprobatus : Job enim fuit conjugatus.

Tres igitur sunt ordines electorum, scilicet religiosorum, sive contemplativorum, prælatorum, et activorum. De his dicitur in Luca [2] : *Duo erunt in lecto*, *in agro*, *et in mola.* Nam illi, qui sunt contemplativi, in cubiculo divinæ suavitatis requiescunt; qui vero prælati sunt, in agro regiminis, correctionis et prædicationis officio se exponunt; sed qui vere subditi sunt et activi, laborem molæ non renuunt, et a boni exercitio non desistunt, etc. Iste igitur triplex status salvandorum per quamdam appropriationem videtur esse comparabilis triplici statui angelorum, inter quos, secundum ordinum differentiam, quidam sunt primi, quidam vero ultimi, et quidam intermedii. Primi quidem ordines, hierarchici debent esse tres ordines, scilicet angeli de ordine Seraphim, qui amoris incendio præ cæteris fuerunt; Cherubim quoque, qui cognitionis privilegio gaudent; et Throni, qui justitiæ perpendiculo aliis præeminent. Angelis horum trium ordinum, qui officio et dignitate sunt cæteris sublimiores, comparabiles sunt viri summæ perfectionis, religiosi videlicet et claustrales, qui tanto majoris meriti æstimantur, quanto ad altiorem vitæ perfectionem ex voti proposito obligantur : et ideo nomen et officium angelorum qui Deo sunt viciniores, sibi vendicant, qui amoris incendio inflammati, ac sapientiæ dono prædití, divinæ justitiæ se conformant. Unde dicuntur Seraphim, id est, ardentes vel incendentes, propter intensionem (*d*) et fervorem charitatis; Cherubim, propter plenitudinem cœlestis sapientiæ, et cognitionem divinæ veritatis; Throni vero, propter amorem justitiæ, et perpendiculum æquitatis.

[1] *Ezech.*, XIV, 20. — [2] *Luc.*, XVII, 34, 35. — [3] *Eccli.*, XLVIII, 1. — [4] *Luc.*, XXIV, 33.

CAPUT II.

De Seraphim.

Dicuntur igitur primo Seraphim, quia angeli illius ordinis, divini amoris incendio præ cæteris inflammati, aliorum sunt inflammativi. Sic religiosi, quasi ignei, illos ad amorem Dei et proximi inflammant, ad quorum corda, nunc verbo, nunc exemplo appropinquant. Dicitur enim in Ecclesiastico [3]: *Surrexit Helias sicut ignis, et sermo ejus sicut facula ardebat.* Et in Luca [4] : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* etc. Et ideo angeli ordinis Seraphim non solum dicuntur calidi, imo perfervidi. Nam qui fervet caloris violentia, nunc extra se jactatur, nunc supra se tollitur : sic mens religiosa, in Dei amore fervida, nunc supra se per devotionem rapitur; infra etiam, ut quando sui ipsius obliviscitur; nunc ad proximum inflammandum diffunditur et dilatatur, in se stare non valens; nunc volens alios attrahere et

Seraphim sunt inflammativi.

(*a*) *Al.* tunc. — (*b*) *Al.* hierarchiæ, quibus.— (*c*) *Al. deest* assimilatur. *Locus iste mutilus est.* — (*d*) Al. incensionem

sibi incorporare, satagit et conatur. Unde dicitur in Job [1] : *Fervens et fremens absorbebit terram.* Et Psalmus [2] : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* Et in Apocalysi [3] : *Vidi angelum, cujus facies erat ut sol, et pedes ejus ut columna ignis.* Ideo dicitur in Isaia [4] : *Volavit ad me unus ex Seraphim, et in manu ejus calculus ignitus, quem tulerat de altari, et tetigit os meum*, etc.

Seraphim sunt motivi.

Item secundo, quia in se mobiles, aliorum sunt motivi; unde et volasse leguntur in Isaia. Sic religiosi spiritu divinæ dilectionis moti, mobiles sunt jussis superiorum, sine moræ dispendio obtemperando, et aliis exemplum obedientiæ relinquendo. Tales perficere imperata non procrastinant; sed velut volucres, ad omne, quod præcipitur, advolant et festinant. Ideo de veloci talium obedientia dicitur in Isaia [5] : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Et alibi [6] : *Ite, Angeli veloces.* Et in Sapientia [7] : *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia.* Et in Ezechiele [8] : *Quocumque ibat spiritus rotæ, levabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ*, etc. Spiritus vitæ est charitas, quæ vita est animæ : *Qui* enim [9] *non diligit, manet in morte*, ut dicit Joannes. Spiritus quidem vitæ principium est motus et operationis in corde : unde si fuerit spiritus vitæ in corde, mobilem efficit hominem, et agilem ad quamlibet victoriosam actionem. De tali dicitur in Proverbiis [10] : *Vidisti hominem velocem in opere suo?* etc.

Seraphim acuti et penetrativi.

Item tertio acuti sunt et penetrativi : penetrant enim contemplando ad interiora velaminis, id est, ad secretissima Deitatis : sic contemplativorum affectus per desiderium semper in Deum tendit, et extra se non effluens, ad aliud præter ipsum, et extra ipsum non divertit. Unde dicitur in Ecclesiastico [11] : *Girum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi.* Et ad Corinthios [12] : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et Job [13] : *Omne pretiosum vidit oculus ejus, profunda fluviorum scrutatus*, etc. Tam acutus et penetrativus fuit Paulus, quod in perscrutatione cœlestium arcanorum usque ad cœlum tertium introivit. Unde in libro Sapientiæ dicitur inter alia [14], quod spiritus sapientiæ est *acutus*.

Seraphim inferiorum reductivi.

Item quarto sunt inferiorum et suppositorum reductivi : quia quos Seraphim igne charitatis accendunt, ad Deum, qui sursum est, deducunt et convertunt. Sic affectus viri spiritualis, igne charitatis succensus, nunc se extendit ad Deum per contemplationem, nunc vero ad proximum per compassionem. Ad Deum movetur, ut in eo conquiescat; ad proximum, ut ipsum ad Deum revocet et reducat. Unde Jacobus [15] : *Si erraverit quis a veritate, et converterit eum aliquis, scire debet*, etc. Et in Exodo [16] : *Si erraverit bos vel asinus, reduc eum*, etc.

Seraphim activi et exemplificativi.

Item quinto activi et exemplificativi, quia non solum inferiores accendunt, verum etiam et ordinate diligendi formam tribuunt : quia angelos inferiores informant qualiter per amorem perfectum redeant in Deum, et secundum superiora proficiant et incedant. Et hoc proprie religiosis congruit, quos Dominus sæcularibus posuit in exemplum, ut secundum ipsorum imitationem mores pravos corrigant, et contemptis terrenis, cœlestia appetant et acquirant. Sic et Isaias [17] nudus et discalceatus, datus est in signum et portentum Ægyptiis, et Æthiopibus, et quibusdam aliis. Vita itaque religiosorum exemplar est mundanorum. Similiter vita et conversatio sancta prælatorum, forma est et reformatio vitæ subditorum. Unde dicitur in Deuteronomio [18] : *Describet sibi re Deuteronium legis, et accipiet exemplar a sacerdotibus leviticæ tribus, et habebit secum*, etc. Et Zacharias [19] : *Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Et in Joanne,

[1] *Job*, XXXIX, 24. — [2] *Psal.* CIII, 4; *Hebr.*, I, 7. — [3] *Apoc.*, X, 1. — [4] *Isa.*, VI, 6. — [5] *Isa.*, LX, 8. — [6] *Isa.*, XVIII, 2. — [7] *Sap.*, VII, 24. — [8] *Ezech.*, I, 20. — [9] I *Joan.*, III, 14. — [10] *Prov.*, XXII, 29. — [11] *Eccli.*, XXIV, 8. — [12] I *Cor.*, II, 10. — [13] *Job*, XXVIII, 11. — [14] *Sap.*, VII, 22. — [15] *Jac.*, V, 19-20. — [16] *Exod.*, XXIII, 4. — [17] *Isa.*, XX, 2. — [18] *Deut.*, XVII, 18. — [19] *Zach.*, XIII, 5.

dicit [1] Jesus (*a*) : *Exemplum dedi vobis*, etc. Et Paulus [2] : *Esto exemplum fidelium in verbo, in fide et in castitate.* Mali autem, sanctorum angelorum omisso exemplo, se exhibent exemplar perditionis, sicut Achaz, qui [3] misit exemplar altaris Damasci in Hierusalem. Quod quidem videntur facere aliqui de modernis, qui huic (*b*) sæculo nequam se conformant, relictis et abjectis patrum et regulæ institutis, ut dici possit illud Job [4] : *Posuit me quasi in proverbium vulgi, et exemplum sum.* Relinquunt aliis exemplum culpæ : erunt posteris exemplum pœnæ, sicut dicit Ezechiel [5] : *Eris opprobrium et blasphemia, et exemplum et stupor cunctis gentibus.* Et Petrus [6] : *Civitatem Sodomomorum in cinerem redigens eversione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens*, etc. Et canonica Judæ [7] : *Civitates finitimæ simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.*

Seraphim purgativi. Item sexto, angeli ordinis Seraphim sunt holocausti purgativi : quia non solum sunt purgati a corruptione mali, imo ab imperfectione omnis boni, in quibus nulla adest mali corruptio, nec deesse alicujus boni perfectio comprobatur : et hoc potissime congruit viris angelicis et perfectis, qui se Domino medullatum holocaustum penitus obtulerunt; qui velut angeli ignei, in se etiam levioris culpæ maculam non admittunt; imo omnem mali speciem in se et in aliis annihilant, et consumunt. Ideo dicit Malachias [8] : *Erit quasi ignis conflans, et sedebit, et purgabit filios Levi.* Et in Ecclesiastico [9] : *De negligentia purga te cum paucis.* Nec solum sunt puri et immunes a corruptione mali, verum etiam ab imperfectione boni, ut dicitur in Deuteronomio [10] : *Perfectio tua et doctrina tua viro sancto*, etc. Sic etiam dictum est Abraham [11] : *Ambula coram me, et esto perfectus.* Ideo dicunt Seraphim ad Isaiam [12] : *Auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum purgabitur :* in quo notatur purgatio omnis mali. Et sequitur in eodem capite : *Adhuc erit decimatio, et convertetur, et erit in ostensionem* (*c*) *sicut terebinthus, et sicut quercus expandens ramos suos : semen sanctum erit, quod steterit in ea.* Ecce perfectio totius boni, quæ consequitur purgationem mali.

Seraphim illuminativi. Item septimo sunt illuminativi, et omnis tenebrosæ obscuritatis fugativi : luciformem enim et illuminativam habent proprietatem, ut dicit Dionysius [13] : quod viris spiritualibus potissime convenit, quos Deus velut luminaria in firmamento, id est, in Ecclesia collocavit, quibus dicitur [14] : *Vos estis lux mundi;* et ideo omnes tenebras in se et in aliis discutiunt, et lucis spirituales radios undique circumspargunt, juxta illud Job [15] : *Per quam viam spargitur lux?* Et ad Ephesios [16] : *Ut filii lucis ambulate in dilectione.* Et ad Philippenses [17] : *Inter quos lucetis tanquam luminaria*, etc. Et Daniel [18] : *Fulgebunt justi*, sive docti, *sicut splendor firmamenti*, etc. Nomine igitur Seraphim, qui Deo immediatius conjunguntur, et in divinis laudibus voces frequentius emittere dignoscuntur, viri religiosi et spirituales non immerito intelliguntur, qui viciniores sunt Deo per contemplationem et laudis continuationem, sicut dicitur in Isaia [19] : *Clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, Sanctus, Sanctus*, etc. Et propter charitatis incensionem, cujus excessus sive incensio plus exigitur in ipsis quam in aliis, præsertim cum ipsi sint altare Domini, in quorum corde et corpore juge sacrificium Domino immolatur; et ideo ignis in hoc altari est continue accendendus, ut patet in Levitico [20] : *Ignis*, etc.

De Se- De istis autem angelis ordinis Seraphim,

[1] *Joan.*, XIII, 15. — [2] I *Tim.*, IV, 12. — [3] IV *Reg.*, XVI, 10. — [4] *Job*, XVII, 6. — [5] *Ezech.*, V, 15. — [6] II *Petr.*, II, 6. — [7] *Jud.*, 7. — [8] *Malach.*, III, 3. — [9] *Eccli.*, VII, 34. — [10] *Deut.*, XXXIII, 8. — [11] *Gen.*, XVII, 1. — [12] *Isa.*, VI, 7, 13. — [13] Dion. Areop., *de Cœl. Hier.*, c. VII. — [14] *Matth.*, V, 14. — [15] *Job*, XXXVIII, 24. — [16] *Ephes.*, V, 8. — [17] *Philip.*, II, 15. — [18] *Dan.*, XII, 3. — [19] *Isa.*, VI, 3. — [20] *Levit.*, VI, 12.

(*a*) *Al.* Joannes dicit. — (*b*) *Al.* hoc. — (*c*) Edit. Ven. *ostensione.*

raphim septem dicta Isaiæ explicantur.

septem specialiter exprimuntur, scilicet quod stabant, quod duo erant quæ stabant, quod bis sex alas habebant, quod se velabant, quod volabant, quod clamando requiem non habebant, quod tollentes lapidem ignitum de altari, labia Isaiæ emundabant. Ista omnia exiguntur in viris angelicis et spiritualibus quoad statum perfectionis. Quod namque duo fuisse dicuntur, refertur ad mutuæ cohabitationis associationem, sive ad mutuam geminæ charitatis exhibitionem; quia inter pauciores, quam inter duos, esse non potest ostensio charitatis. Ideo dicitur in Luca [1] : *Misit binos et binos, ante faciem suam*, etc. Et Ecclesiastes [2] : *Melius est duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ*, etc. Ideo duo angeli missi sunt simul in Sodomam, ut habetur in Genesi [3], quorum unus gentem perversam subverteret, alter vero justum Lot cum sua familia liberaret. Ad utrumque ministerium complendum unus angelus suffecisse potuisset; duos tamen simul misit Dominus, ut societatem mutuam in angelis et hominibus commendaret, et ad augmentum et conservationem charitatis societatem esse necessariam demonstraret. Ideo dicit Psalmista [4] : *Ecce quam bonum*, etc. Ideo dicuntur [5] duo fuisse in agro, duo in lecto.

Quod autem secundo super templum stabant, scilicet quod non sedebant, non jacebant, sed fixi et erecti super utrumque pedem stabant, refertur ad erectam affectionis et intentionis elevationem ad cœlestia, et ad fixam ac immobilem æternorum contemplationem. Unde dicitur in Psalmo [6] : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Hierusalem*. Et in Hieremia [7] : *State super vias vestras, et videte, et interrogate, quæ sit via bona?* Et in Psalmo [8] : *Mane astabo tibi, et videbo*. Et Habacuc [9] : *Super custodiam meam stabo*, etc. Et in Sapientia [10] : *Cœlum attingebat stans in terra*. Ideo dicitur [11] Angelum stetisse juxta aram templi, etc., in Apocalypsi.

Tertio bis senas alas habebant, quia sex erant uni, sex alteri : et hoc habet referri ad plenitudinem operum charitatis et misericordiæ, quæ necessario super observationem decalogi supererogantur, quibus viri spirituales, velut duodecim pennis sive alarum fulcimentis, a terrenis ad cœlestia elevantur. Sex itaque alæ unius, sunt sex opera misericordiæ, quæ exhibentur proximo respectu corporis : reficere esurientem, potare sitientem, cooperire nudum vestimentum non habentem, visitare infirmantem, recolligere pauperem transeuntem hospitio, sepelire morientem. De quibus dicitur in Matthæo [12], et in Tobia [13]. Sex vero alæ alterius, sunt sex opera spiritualia proximo exhibita ex parte mentis, scilicet convertere errantem, instruere ignorantem, ad gratiam suscipere pœnitentem, diligere persequentem, arguere delinquentem, defendere innocentem. Talibus alis, a dextris et a sinistris, electorum mentes ad cœlestia elevantur, sicut dicitur in Psalmo [14] : *Si sumpsero pennas meas diluculo*, etc. Et Ezechiel [15] : *Pennæ eorum erant junctæ alterius ad alterum*, etc. Et in Apocalypsi [16] : *Datæ sunt ei alæ, ut volaret in desertum a facie draconis persequentis*.

Quod autem Seraphim velabant faciem et pedes, refertur ad humilem religiosorum intentionem. Non enim intendunt sua merita propter hominum laudem publicare, sicut faciunt hypocritæ, qui stant in angulis platearum orantes, *ut videantur ab hominibus*, ut dicitur in Matthæo [17]; sed, ut Deo placeant, qui videt in abscondito, student bona, quæ faciunt, occultare. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera*, ut dicit idem Matthæus [18]. Caput itaque, corpus et pedes velant et tegunt, qui nec in principio, nec in fine, nec in medio, de bonis, quæ faciunt,

1 *Luc.*, x, 1. — 2 *Eccle.*, iv, 9. — 3 *Gen.*, xix, 1. — 4 *Psal.* cxxxii, 1. — 5 *Luc.*, xvii, 35. — 6 *Psal.* cxxi, 2. — 7 *Jerem.*, vi, 16. — 8 *Psal.* v, 4. — 9 *Hab.*, ii, 1. — 10 *Sap.*, xviii, 16. — 11 *Apoc.*, viii, 3. — 12 *Matth.*, xxv, 35 et seq. — 13 *Tob.*, i et seq. — 14 *Psal.* cxxxviii, 9. — 15 *Ezech.*, i, 9. — 16 *Apoc.*, xii, 14. — 17 *Matth.*, vi, 5. — 18 Ibid., 3.

laudari appetunt ab hominibus, vel requirunt.

Seraphim quinto dicuntur volasse, et hoc refertur ad perfectionem justorum, et meritorum multiplicationem. Nam avis volans, per multiplicatum alarum motum, et sæpius iteratum, aera petens, a terra se elongat: sic viri sancti non per otium et torporem, imo per bonorum operum exercitium et laborem, relictis terrenis, cœlestibus appropinquant. Psalmista [1] : *Quis mihi dabit pennas?* etc.

Clamor sexto Seraphim jugem significat divinæ laudis sine intermissione continuationem: sic continue prorumpunt electi ex desiderio videndi Deum. Idem Psalmista [2] : *Ad videnduum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua.* Clamabant autem Seraphim: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ideo enim prorumpunt electi, præcipue religiosi, in triplicem laudem Dei, quia ipse Sanctus sanctorum electos suos sanctificat, ab amore mundanorum separando; et separatos, in via meritorum promovendo; et in fine jam sanctificatos, per sanctificationis consummationem in gloria præmiando. Est itaque jugiter laudandus, quia efficit hominem sanctum et mundum in pœnitentia, sanctiorem in justitia, sanctissimum vero in gloria sempiterna. De hac sanctificatione dicitur in Joanne [3] : *Sanctifica eos in veritate, ut et ipsi sanctificati sint et consummati in unum, sicut ego et tu unum sumus.*

Quod vero septimo labia Isaiæ polluta cum calculo tangebant et mundabant, habet referri ad sanctorum et religiosorum misericordiam et compassionem, qua per gratiam ipsos sanctificantem in se purgati, sæcularibus etiam et aliis immundis peccatoribus compatientes, ferventissimis et devotissimis orationum suffragiis, eorum sanctificationi cooperantur. Sic Moyses [4] suis precibus Mariam leprosam et immundam, sanitati et munditiæ restituit. Et in Job dicitur [5]: *Servus meus Job orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut vobis non imputetur stultitia.* Et sequitur : *Conversus est Dominus ad pœnitentiam Job, cum oraret pro amicis suis,* etc. Ex quo patet manifeste, quod multum cooperantur bonorum suffragia ad peccatorum justificationem et emendationem. Et hæc de ordine Seraphim dicta sufficiant.

CAPUT III.

De Cherubim.

Sicut viri perfecti configurantur ordini Seraphim propter excellentiam ferventissimæ dilectionis; ita assimilantur ordini Cherubim propter plenitudinem sapientiæ, et prærogativam limpidissimæ cognitionis, quæ in viris spiritualibus dignoscitur præ cæteris relucere. *Cherubim* quippe plenitudo sapientiæ interpretatur : quod absque dubio viris spiritualibus convenit, per quorum corda spiritus sapientiæ affluentissime (*a*) se diffundit. Unde Apostolus [6]: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sed non sapientiam principum hujus sæculi, quæ destruetur; sed loquimur sapientiam in mysterio absconditam; quam nemo principum hujus mundi cognovit,* etc. Istius sapientiæ cœlestis radius per Spiritum sanctum in cordibus virorum spiritualium diffunditur, sicut ibidem sequitur : *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum suum, quia Spiritus scrutatur omnia,* etc. Hæc sapientia non est mundana quæ inflat, sed illa quæ ædificat. Prima enim est terrena, de qua dicitur in Luca [7]: *Prudentiores sunt filii hujus sæculi filiis lucis :* et hæc est in avaris et negotiosis. Præterea est animalis, de qua ad Romanos [8]: *Prudentia carnis mors est:* hæc est in voluptuosis, quia vera sapientia *non invenitur in terra suaviter viventium,* ut dicit [9] Job. Est insuper diabolica, et hæc est in superbis, et in invi-

[1] *Psal.* LIV, 7. — [2] *Psal.* CV, 5. — [3] *Joan.*, XVII, 17-19. — [4] *Num.*, XII. — [5] *Job*, XLII, 8, 10. — [6] I *Cor.*, II, 6 et seq. — [7] *Luc.*, XVI, 8. — [8] *Rom.*, VIII, 6. — [9] *Job*, XXVIII, 13. — (*a*) *Cæt. edit.* affluentissimæ.

dis, de quibus Isaias [1]: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris,* etc. Et in Hieremia [2]: *Sapientes sunt ut faciant mala. Sed in malevolam animam non introibit sapientia,* ut dicitur [3] in Sapientia. Ideo ad veram et permanentem sapientiam, quæ desursum est, recurrendum est. Hæc enim est *pudica, pacifica, modesta,* etc., ut dicit [4] Jacobus. Nam mentem, quam inhabitat, purificat, et pacificat, et quietat. Et ideo istius sapientiæ plenitudo, perfectorum mentes angelis ordinis Cherubim parificat et configurat. Ideo in Malachia [5]: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Et in hujus rei figuram dicitur in Exodo [6]: *Duos quoque Cherubim facies ex utraque parte oraculi : Cherub unus erit in latere uno, et Cherub alter in latere altero,* etc. Istud oraculum est cor humanum, in quo oportet Deum *adorare in spiritu et veritate,* sicut dicitur [7] in Joanne. In quo quasi a sinistris erigitur Cherub quoad scientiam in humanis, ut scilicet sciamus qualiter in medio hujus pravæ et perversæ nationis sapienter conversemur; in alia vero parte debet esse Cherub quoad sapientiam necessariam in divinis, ut scilicet secundum spiritum divinæ sapientiæ nos cœlestibus conformemur. Et sic Cherubim vocabulum in præsenti et in futuro scientiam significat.

Cherubim dici possunt viri perfecti.

Possunt itaque viri perfecti dici Cherubim, propter multa quæ, secundum traditionem beati Dionysii, istis angelis specialiter appropriantur, et primo propter deificam visionem. Ideo enim Deividi dicuntur, quia divini luminis influentia primo et principaliter irradiantur, qua in Dei visione sublimiori gloria extolluntur. Et hoc ideo : nam viri spirituales, angelis quidem cherubim comparabiles, Deum vident per cognitionem, et per conscientiæ munditiam sibi adhærent inseparabiliter per amorem, et sic de numero Cherubim efficiuntur, ad quorum æquiparantiam se devenisse vitæ et gratiæ merito dignoscunt. Unde dicitur in primo Paralipomenon [8]: *Aurum purissimum dedit, ut fieret ex eo similitudo Cherubim, secundum opera exemplaris,* etc. Aurum purissimum puram significat conscientiam, et mundam, quæ in viris spiritualibus potissime invenitur, propter quam vita angelicæ in eis (*a*) similis potissime reperitur. Nam nulla creatura puritati angelicæ in præsenti poterit adæquari, quæ ipsius angeli (*b*) puritatem, quantum in se fuerit, contempserit imitari.

Item secundo, propter singularem divini luminis susceptionem, quia lux divina super ipsos transfusa, ipsos singulariter illuminat, ut omnibus sub se constitutis ipsis mediantibus evidentissime se ostendat. Propter quod Cherubim plena fuisse oculis leguntur [9], quia viri angelis cherubim comparati, circumspectionis gratia et providentiæ dono circumdati, sunt undique luminosi, ut non solum propria, verum etiam et aspiciant vigilanti studio aliena. Et ideo forsan facies Cherubim mutuo se leguntur respexisse, quia unusquisque alterius debet esse oculus, et alieno periculo velut proprio cum discretionis moderamine contrarie.

Item tertio, propter sibi infusæ sapientiæ communicationem. Nam occultum supremæ sapientiæ donum sive lumen, quod divinitus accipiunt, ad alios transfundunt : sic justi talentum quod ex Dei dispensatione recipiunt, non ponunt *sub modio* [10], *sed super candelabrum,* quod omnibus, quantum in se est, communicant æqualiter et exponunt. Ideo dicit Sapiens [11]: *Sacramenta Dei non abscondam, sed ponam in lucem scientiam, et non præteribo veritatem,* etc. Verum erubescere possunt invidi et æmuli, qui donum Dei nituntur sibi solum vendicare. Contra quod est illud Numeri [12]: *Quid* inquit,

[1] *Isa.*, v, 21. — [2] *Jerem.*, IV, 22. — [3] *Sap.*, I, 4. — [4] *Jac.*, III, 17. — [5] *Malach.*, II, 7. — [6] *Exod.*, XXV, 18, 19. — [7] *Joan.*, IV, 24. — [8] I *Paral.*, XXVIII, 17. — [9] *Ezech.*, I, 18; X, 12; *Apoc.*, IV, 6, 8. — [10] *Matth.*, V, 15. — [11] *Sap.*, VI, 24. — [12] *Num.*, XI, 29.

(*a*) *Cœl. edit.* angelica in ea. — (*b*) Angelicam.

æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det singulis spiritum suum?

Item quarto, propter divinæ quietis præparationem. Unde Dionysius[1] eos divinæ quietis hospites sive receptores cognominat. Ex eo enim quod lumen capiunt, locus luminis fiunt. Qui igitur per amorem et quietem conscientiæ Deo desuper venienti in suo affectu locum præparant, angelis cherubim se conformant. Ideo forsan dicitur sedere super Cherubim, quia quos quietos, humiles, et mansuetos inveniet, in ipsis familiarius requiescet, sicut dicit Isaias[2]: *Requiescet super eum*, etc. Et Psalmista[3]: *In pace factus est locus ejus*, etc. Isaias[4]: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super mansuetum*, etc.

Item quinto, propter immediatam secretæ Dei sapientiæ circuitionem. Nam angeli cherubim immediate quidem Deo assistunt per incommutabilitatem contemplationis et veritatis; circumeunt tamen semper admirando et laudando incomprehensibilem profunditatem divinæ majestatis: nam quanto contemplationis acie profundius divinitatis secreta comprehendere satagunt, tanto se minus comprehendisse per omnia recognoscunt. Sic revera est de perfectis, qui nondum se comprehendisse arbitrantur; imo quanto videntur esse virtutibus et gratiis perfectiores, tanto se reputant omnibus inferiores; et cum aliqui reputant eos usque ad Dei secretiora jam penetrasse, vix putant se adhuc talia inchoasse, juxta illud Ecclesiastici[5]: *Cum consummaverit homo, tunc incipit* (a). Et in Luca[6]: *Cum omnia bene feceritis, dicatis: Servi inutiles*, etc.

Item sexto, propter deifici alimenti unificam repletionem: quia non esset per omnia beatus angelorum status, si multa de secretis Dei caperent intellectu, et tamen vacui remanerent in affectu. Ideo dicit, quod multa quidem et inaudita de Dei secretis intelligunt, sed singuli summam repletionem spiritualem, qua Deo incorporantur, inveniunt, et per internam dulcedinem divinæ voluntati uniti, ab ipso non recedunt. Sic viri spirituales, multa capientes intellectu, (b) uberius se et alios reficiunt, quanto profundiora de occultis divinæ sapientiæ apprehendunt. Ideo dicitur in Hieremia[7]: *Inebriabo animas sacerdotum pinguedine*, etc. Et in Isaia[8]: *Audite*, etc. Istius alimenti dulcedinem tanto justi perfectius recipiunt et sentiunt, quanto sensus corporis et affectiones cordis purius custodiunt atque regunt. Ideo Abraham prius angelorum pedes abluebat, quos temperato cibo reficere disponebat, ut dicitur in Genesi[9]: *Afferam pauxillum aquæ, et laventur pedes vestri*, etc. Soli enim boni et mundi ad esum angelicum admittuntur. Et Sapiens[10]: *Præparasti populo tuo escam angelorum*, etc.

Item septimo, propter situs collocationem. Nam supernæ virtutes ex parte dexteræ collocantur; dæmones vero sinistram tenere videntur, juxta illud Ezechielis[11]: *Cherubim stabant a dextris domus*, etc. Et hoc est proprium electorum et perfectorum, ut sint filii dexteræ, sicut mundani filii sunt sinistræ. Nam oves a dexteris, hœdi vero a sinistris in judicio locabuntur, ut dicitur[12] in Matthæo. In cujus rei figuram Abraham dexteram tenuit, Loth vero tenens sinistram in Sodomam declinavit, ut legitur[13] in Genesi. Ideo etiam posuit Jacob manum dexteram super caput Ephraim, sinistram vero super caput Manasse, ut dicitur[14] in Genesi. Manasse oblivio, Ephraim vero frugifer vel fructificatio interpretatur. Qui hic gaudent bonis temporalibus, quibus applaudit mundus, sunt Ephraim, et putant se dexteram felicitatis obtinere, juxta illud Psalmi[15]: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Religiosi vero, quos obliviscitur et abjicit mundus,

[1] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. VII. — [2] *Isa.*, XI, 1. — [3] *Psal.* LXXV, 3. — [4] *Isa.*, LXVI, 2. — [5] *Eccli.*, XVIII, 6. — [6] *Luc.*, XVII, 10. — [7] *Jerem.*, XXXI, 14. — [8] *Isa.*, LV, 2-3. — [9] *Gen.*, XVIII, 4. — [10] *Sap.*, XVI, 20. — [11] *Ezech.*, X, 3. — [12] *Matth.*, XXV, 33. — [13] *Gen.*, XIII, 12. — [14] *Gen.*, XLVIII, 17. — [15] *Psal.* CXLIII, 15.

(a) Vulg. *incipiet*. — (b) *Suppl.* tanto.

sinistram habere partem a reprobis opinantur, dicente Sapientia [1] : *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum*, etc. ; sed in fine cancellabuntur manus, quia mali sinistram cum rubore obtinebunt, boni vero cum honore dexteram obtinuisse se gaudebunt, quando dicetur [2] : *Amice, ascende superius; et erit tibi gloria coram simul discumbentibus*, aliis incipientibus obtinere novissimum locum cum rubore.

Item octavo, propter inferiorum excitationem. Nam angeli ordinis Cherubim inferiores angelos excitant in divinæ contemplationis admirationem; et quod de Deo per cognitionis donum percipiunt, inferioribus innotescunt. Et hoc convenit Religiosis, et verbo et exemplo sæculares allicere ad laudem et cognitionem Creatoris; nam dicit Scriptura [3] : *Cum ambularent Cherubim, ibant pariter, et rotæ juxta ea, et cum elevarent alas suas ut exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed juxta erant, stantibus illis stabant*, etc. Ex quo manifestum est, quod ex profectu vel defectu Religiosorum et Clericorum dependet profectus vel defectus laicorum, juxta illud [4] : *Et nunc, fratres, vos qui estis presbyteri in populo Dei, ex vobis pendet anima illorum.*

Item nono; propter divinæ voluntatis manifestationem. Nam, mediantibus angelis cherubim divina voluntas in superioribus innotescit. Ideo dicitur [5] : *Audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam inter duas alas Cherubim, inde et loquebatur ei.* Sic Religiosi et litterati viri sunt quasi interpretes Dei ad aures simplicium laicorum, et ipsorum laicorum ad aures Dei. Moyses retulit verba Domini ad populum, et vice versa, populi ad Deum, ut dicitur [6] in Exodo. Et sonus alarum Cherubim erat quasi sonus aquarum multarum, quasi vox sublimis Dei, ut dicitur [7] in Ezechiele. Nam perfecti verba populorum referunt ad Deum in oratione et gratiarum actione, et verbum Dei annuntiant populo in prædicatione. Videant igitur, quod fideles sint interpretes, non amore, non odio vel timore alicujus personæ, (*a*) divinum consilium peccatoribus occultantes. Talis interpres fuit Paulus, qui dicit [8] : *Nihil subtraxi vobis utilium, quin annuntiarem vobis, et docerem, publice testificans omnibus pœnitentiam et fidem*, etc.

Item decimo, propter specialem custodiæ paradisi deputationem. Nam Cherubim, velut janitoribus, custodia januæ paradisi fuit deputata, ut patet in Genesi [9] : *Collocavit Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Et hoc videtur esse proprium officium Religiosorum, et Doctorum, et Prælatorum, ut tam ex vitæ merito, quam ex officio, viam arctam quæ ducit ad vitam in se custodiant, et aliis ostendere non desistant, ut dicere possint illud Hieremiæ [10] : *Hæc est via, ambulate in ea;* sed non debet esse sine gladio versatili et flammeo vir perfectus.

CAPUT IV.

De Thronis.

Tertius ordo primæ hierarchiæ vocatur ordo Thronorum, in quibus divina justitia potissime requiescit, per quorum ministerium divinæ æquitatis excellentia, benigne et sapienter judicans, universa hominibus innotescit, sicut dicit Psalmus [11] : *Sedes super Thronum, qui judicas justitiam.* Et Ecclesiasticus [12] : *Unus est Altissimus, Creator omnium, potens, et metuendus nimis, sedens super Thronum, dominans Deus.* Unde hi angeli, in quibus Deus residet, et cuncta subjecta ordinat et disponit, dicuntur Throni, quia sicut thronus subjicitur residenti, sic angeli illius ordinis divinæ justitiæ sunt subjecti : ex quo præsidentis aucto-

[1] *Sap.*, v, 3. — [2] *Luc.*, xiv, 10. — [3] *Ezech.*, x, 16. — [4] *Judith.*, viii, 21. — [5] *Num.*, vii, 89. — [6] *Exod.*, xix, 7, 8. — [7] *Ezech.*, i, 24. — [8] *Act.*, xx, 20. — [9] *Gen.*, iii, 25. — [10] *Jerem.*, vi, 16. — [11] *Psal.* ix, 5. — [12] *Eccli.*, i,

(*a*) *Cæl. edit. hic add.* et.

ritas declaratur, et ipsorum subjectorum Thronorum, id est, angelorum humilitas commendatur. Nam [1] *super humiles spiritu* Dominus *requiescit* (*a*) : et ideo viri spirituales et perfecti, sive sint Religiosi, sive Prælati, significantur per Thronos ratione justitiæ et humilitatis, sicut per Cherubim propter excellentiam sapientiæ, et sicut per Seraphim ratione charitatis. Nam illa quæ de Thronis per appropriationem dicuntur, in viris sanctis per imitationem divinæ justitiæ inveniuntur.

De proprietatibus autem Thronorum dicit Dionysius [2], quod sunt sedes Dei altissimi compactæ, id est, convenienter conjunctæ, ab omni liberæ subjectione, divini superadventus susceptivæ, deiferæ, et ab omni extremitate remotæ, etc. Et hæ conditiones, quamvis proprie dicantur de angelis tertii ordinis, conveniunt tamen per appropriationem viris sanctis, qui possunt dici viri ignei vel flammei quoad perspicuitatem cognitionis et fervorem charitatis, juxta illud Danielis [3] : *Thronus ejus flamma ignis* : ibi Glossa Origenis : « Thronus Dei sunt Monachi et Eremitæ, et consimiles, qui in uno loco degentes, Deo militare student, nec per loca discurrunt; in quorum quietis cordibus quiescit Deus : qui bene flamma nuncupantur, quia dilectione Dei et proximi, et desiderio cœlestis patriæ inflammantur.

Dicuntur etiam Throni eburnei propter munditiam cordis, et candorem innocentiæ castitatis. Unde significantur per Thronum eburneum, quem fecit Salomon [4] *de ebore grandem*, ut patet in secundo Paralipomenon [5], et tertio Regum. Nam in cordibus eburneis, id est mundis et castis, Dominus requiescit, qui [6] *pascitur inter lilia, donec inclinetur umbra, et aspiret dies*. Et ideo in virginali utero, velut in throno eburneo, divinitas novem mensibus requievit, juxta illud [7] : *Venter tuus eburneus, distinctus sapphiris* : ille, inquam, venter, de quo Lucas ait [8] : *Beatus venter qui te portavit*, etc. Qui utique fuit eburneus venter vel thronus, quantum ad extinctionem fomitis et concupiscentiæ, tam originalis quam actualis, et quoad privilegium continentiæ singularis.

Item sunt Throni gemmei, variis scilicet gemmis et lapidibus pretiosis insigniti, quantum ad mentis constantiam et patientiæ firmitatem. Unde dicitur in Ezechiele [9] : *Similitudo Throni quasi aspectus sapphiri*. Et in Apocalypsi [10] : *Sedes erat posita in cœlo, et super sedem sedens, et aspectus ejus quasi aspectus lapidis smaragdi*. Sapphirus est solidus lapis cœlestis et aerei coloris, et significat illos qui firmi sunt et stabiles contra extrinsecas mundi tribulationes, et hoc ob spem æternorum et bonorum cœlestium futurorum, sicut fecit Eleazarus, qui dixit [11] : *Domine, tu scis quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo cruciatus ; secundum animam vero* (*b*) *propter timorem tuum hœc libenter patior*. Smaragdus vero, qui lapis est mundus, et contra impetuosum sanguinis fluxum utilis, significat illos qui in amore castitatis roborati, innatas reprimunt in se corporis passiones, sicut fecit Apostolus quando dixit [12] : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo*, etc. Jaspis vero, qui est gemma fugans phantasmata, illos significat, qui tentationes dæmonum superant, et ipsorum phantasticas vincunt illusiones et declinant, sicut Apostolus, qui dixit [13] : *Non ignoramus cogitationes ejus*, etc. Et talibus gemmis, id est, viris solidis in fide et opere virtuosis, præparat Dominus thronum suum, sicut dicitur de Hierusalem cœlesti [14] : *Thronus Dei*, dicebatur in Matthæo. Et in Tobia [15] : *Ex sapphiro et smaragdo ædificabitur, et ex lapide pretioso*, etc.

Sapphirus. Smaragdus. Jaspis.

Item Throni sunt nubei per compassio-

[1] *Isa*, LXVI, 2. — [2] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. VII. — [3] *Dan.*, VII, 9. — [4] II *Paral.*, IX, 21. — [5] III *Reg.*, X, 18. — [6] *Cant.*, II, 16; IV, 6. — [7] *Cant.*, IV, 14. — [8] *Luc.*, XI, 27. — [9] *Ezech.*, I, 26. — [10] *Apoc.*, IV, 3.

[11] II *Mach.*, VI, 30. — [12] I *Cor.*, IX, 27. — [13] II *Cor.*, II, 11. — [14] *Matth.*, V, 34. — [15] *Tob.*, XIII, 21.

(*a*) Vulg. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu?* etc. — (*b*) *Cæt. Edit.* secundum aliam vero translationem.

nem et pietatem, in quibus Dominus residens, velut de quibusdam nubibus pluens, per ipsas subvenit miseriis afflictorum. Unde in Ecclesiastico [1] : *Speciosa est Dei misericordia in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Et in Proverbiis [2] : *Misericordia et veritas custodiunt regem, et roborabitur clementia thronus ejus.* De hoc throno dicitur in Ecclesiastico [3] : *Thronus meus in columna nubis.*

Item justi dicuntur throni Domini, sed quasi aurei per incorruptibilem justitiam, et inflexibilem æquitatem : nam aurum incorruptibile est et vix flexibile; sic justitia, de qua in Sapientia [4] : *Justitia perpetua est, et immortalis,* etc. Et in eadem [5] : *Justi in perpetuum vivent.* Et ideo in eis velut in throno aureo, firmo et solido, Dominus requiescit, sicut Assuerus, qui in throno aureo et in solio regni sui residebat. Et in Proverbiis [6] : *Aufer iniquitatem et impietatem de vultu regis, et firmabitur.*

Possunt etiam dici justi throni siderei, sive stellei, et hoc per tranquillitatem conscientiæ, et perfectam cordis humilitatem. Nam quanto hominis conscientia humiliando se magis indignum reputat, tanto circa cœlestia obtinenda amplius se coaptat, et ad Deum in se suscipiendum tanto est habilior, quanto in sui consideratione humilior judicatur. Ideo dicit Psalmista [7] : *Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, et sicut Luna perfecta,* etc. Sol quidem et Luna computantur inter sidera, quæ quamvis corporali dimensione et virtuali effectu et operatione sint maxima, tamen minima secundum sensus aspectum judicantur. Et hoc humilibus congruit, qui quanto in mundo minus reputantur, tanto sunt majores, juxta illud Sapientiæ [8] : *Habuimus eos in derisum, et in similitudinem improperii, et finem illorum sine honore ; et ecce quomodo computati sunt inter filios Dei,* etc.

Sancti itaque viri, qui tam multiplici causa Dei dicuntur throni, angelis tertii ordinis comparantur, propter altissimæ paupertatis professionem. Nam illud reputamus altius, quod est a centro remotius. Tales sunt *pauperes spiritu,* quorum [9] *est regnum cœlorum*; qui cum terrenis nihil commune possident, et ideo superiorem in cœlestibus locum habent, sicut dicit Apostolus [10] : *Altissima eorum paupertas abundavit in divitias simplicitatis eorum,* etc. Alta quidem est paupertas, quæ tollit superflua; altior, quæ distribuit et licita et permissa; sed altissima sibi subtrahit etiam necessaria, sicut illa vidua [11], quæ in gazophylacio de suis necessariis duo dedit minuta. Altus est igitur pauper spiritu superflua abjiciens, sicut Abraham, qui dixit [12] : *Juro tibi* (a), etc. Altior vero a licitis abstinens, sicut David [13], qui abstinuit ab aqua quando sitivit. Sed altissimus est, ea quæ videntur necessaria, non admittens, juxta illud Isaiæ [14] : *Sustollam te super altitudinem terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui,* etc.

Item Throni angelici (b) sunt compacti, id est, convenienter aptati et conjuncti, quia mutuæ charitatis juncturam, aliqua relaxante injuria (c), non deserunt, sed secundum naturæ suæ et gratiæ capacitatem Deum supervenientem aptissime recipiunt, et receptum de se ulterius non repellunt. Et hoc convenit sanctis viris et perfectis, ut sint compacti sicut throni per mutuæ charitatis et affectionis indissolubilem compaginationem, sed in omnibus se Deo coaptantes, sibi in suis affectibus immutabilem præparent mansionem. Unde Paulus [15] : *Crescamus in charitate in illo qui est caput, ex quo totum corpus ipsi compactum est, et* (d) *connexum per omnem juncturam,* etc. Nam in illis, qui sunt uniti, et compacti in charitate, sine omni scissura

[1] *Eccli.*, XXXV, 26. — [2] *Prov.*, XX, 28. — [3] *Eccli.*, XXIV, 7. — [4] *Sap.*, I, 15. — [5] *Sap.*, V, 16. — [6] *Prov.*, XXV, 5, quoad sensum. — [7] *Psal.* LXXXVIII, 38. — [8] *Sap.*, V, 3. — [9] *Matth.*, V, 3. — [10] II *Cor.*, VIII, 2. — [11] *Marc.*, XII, 41. — [12] *Gen.*, XIV, 22. — [13] II *Reg.*, XXIII, 16. — [14] *Isa.*, LVIII, 14. — [15] *Ephes.*, IV, 15.

(a) Vulg. *Levo manum meam*, etc. — (b) *Al.* angeli. — (c) *Edit. Ven.* injuriam. — (d) E..

et affectionis separabilitate, Deus pacis requiescit, etc.

Item ab omni ignominiosa subjectione sunt liberi, quantum ad omnimodam servitutis peccati evacuationem. Nam Throni, quamvis Deo sint subditi, non tamen serviliter sunt oppressi; et tanto magis sunt liberi, quanto ei magis sunt subjecti, cui servire est regnare, etc. Servitus itaque nimis ignominiosa et turpis est peccare. Nam *qui facit peccatum, servus est peccati,* ut dicit [1] Salvator. Deo vero subjici, et ejus jussis obtemperare, summa est libertas, et jam cum Christo in spiritu conregnare. Et ad Romanos [2] : *Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ,* etc. Veri ergo servi sunt, in quorum mentibus per malitiam regnat diabolus; sed vere liberi sunt, quorum corda per gratiam inhabitat Deus.

Item sunt deiferi per legis divinæ voluntariam supportationem : nam tunc Deum ferre dicimur, quando fidei suæ præceptis voluntarie subjicimur. Ideo ait Apostolus [3] : *Glorificate et portate Deum in corde et corpore vestro.* Tanquam ergo throni Deum ferimus, quando præceptorum suorum onera comportamus. Unde in Canticis [4] : *Ferculum fecit sibi Salomon,* etc.

Item divini superadventus sunt susceptivi, et hoc per omnimodam voluntatis cum Deo conformationem. Nam ad illos Deus sine obstaculo pervenit, ubi contradictionem voluntatis improbe non agnoscit : et ideo thronum cordis oportet disponere et aptare, si ipsum in nobis voluerimus habitare, quia legitur in libro Sapientiæ [5] : *Non habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideo sola domus cordis est præparanda et ornanda, ne forsitan ad nos declinans recedat, eo quod thronum vel sedem paratam non inveniat. In figuram hujus dicitur quarto Regum [6] : *Vir Dei sanctus est iste qui transit per nos; faciamus ergo ei cœnaculum, et ponamus in eo lectulum, mensam, et sellam, et candelabrum, ut, cum venerit, maneat apud nos,* etc.

Item Throni angelici ab omni extremitate sunt remoti, quia ei, qui sine fine et principio est, in quo non est reperire extremitatem, immediate sunt conjuncti : et hoc refertur ad virtutis meditationem, sive virtutis existentis in medio electionem, quam viri sancti angelorum exemplo eligunt, et ab extremitate vitiorum (*a*) se subtrahentes, ad virtutis medium tendunt, et bonis æternis, quia sine extremitate sunt, per virtutis opera se conjungunt. In medio se tenendo proficiunt, quia per fidem et charitatem Mediatori Dei et hominum adhærendo, ab ipso per voluntatis discrepantiam non recedunt. In medio se tenent, qui omnibus indifferenter, sine acceptione personæ, justitiam exhibent. Dicitur enim in libro Paralipomenon [7] : *Non est apud Deum iniquitas, neque personarum acceptio, neque cupido munerum,* etc. Et in Proverbiis [8] : *Accipere personam impii in judicio, non est bonum,* etc. Hi medium non tenent, sed ad extremitatem tendunt, et ideo throni Dei non sunt. Et iterum [9] : *Multi colunt personam potentis, et amici sunt munera tribuentis.* Et Isaias [10] : *Corruit in platea veritas, et causa pauperis non potuit ingredi ad eos.* Boni vero et electi ideo throni Dei sunt, quia pauperibus, sicut divitibus, æqualiter se exponunt. Unde dicitur in Proverbiis [11] : *Qui in veritate judicat pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur,* etc.

Item Throni angelici Deo præsidenti non coacte, sed spontanee sunt subjecti, et ideo eorum ministerium potius est felicitatis, quam necessitatis; et hoc refertur ad voluntariam electorum obedientiæ subjectionem : coacta enim servitia Deo non placent. Unde Paulus [12] : *Non ex necessitate, sed ex hilaritate,* etc. Et in Psalmo [13] : *Voluntarie sacrificabo tibi,* etc. Et in Exodo [14] : *Obtulerunt*

[1] *Joan.*, VIII, 34. — [2] *Rom.*, VI, 18. — [3] I *Cor.*, VI, 20. — [4] *Cant.*, III, 9. — [5] *Sap.*, I, 4. — [6] IV *Reg.*, IV, 10.— [7] II *Paral.*, XIX, 7.— [8] *Prov.*, XVIII, 5.— [9] *Prov*, XIX, 6. — [10] *Isa.*, LIX, 14. — [11] *Prov.*, XXIX, 14. — [12] II *Cor.*, IX, 7. — [13] *Psal.* LIII, 8. — [14] *Exod.*, XXXV, 21.

(*a*) Virorum.

mente promptissima et devota primitias Domino, etc. In corde itaque devoto, et ex devotione ad obediendum prompto, Dominus suaviter, velut in throno, requiescit. In cujus rei figuram Spiritus sanctus sicut columba descendit, et requievit super caput Domini, quando Joanni voluntarie subditus ab ipso voluit baptizari; ait enim Joannes[1] : *Vidi Spiritum, quasi columbam, de cœlo descendentem, et manentem super eum*, etc. Patet itaque ex prædictis, quia in viris sanctis et religiosis ille triplex ordo cœlestis per quamdam assimilationem configuratur : ex quibus convincitur, quod subsequentis hierarchiæ triplex ordo in bonis rectoribus prælatis per quamdam expressam similitudinem reperitur. Nam media hierarchia continet Dominationes, Virtutes et Potestates, secundum Dionysii ordinationem. Nam Dominationes usum dominandi edocent; Virtutes vigorem conformandi se Deo inferioribus viriliter exhibent; Potestates malitiam adversariorum cohibent atque arcent. Istis tribus angelorum ordinibus, quorum nomina sonant in dominium, virtutem, et potestatem, omnis prælationis auctoritas correspondet. Nam omnis prælatio est propter tria principaliter a Domino ordinata, quia per ipsos vult Deus homines per fidem veritatis, et mores sanctitatis, ad Dei similitudinem reformare, vel lites rescindere, ac discordes ad concordiam revocare, aut coercere rebelles, et malitiam reformare. Ad morum disciplinam et correctionem est instituta dignitas sacerdotalis ; ad reformandam concordiam inter homines, et pacem conservandam, ordinata est auctoritas judiciaria; ad malitiam coercendam, concessa est potestas sæcularis, imperialis scilicet et regalis. Prima auctoritas est pure spiritualis; tertia est pure temporalis; sed media est mediocris, scilicet partim spiritualis, partim temporalis. Illi igitur qui præemiuent in ministerio pontificali, sive sacerdotali, assimilantur ordini Dominationum; qui vero ex officio præcellunt in auctoritate judiciali, conformitatem habent cum ordine Virtutum; sed qui alios transcendunt in potentia sæculari, configurantur ordini Potestatum, de quibus per ordinem aliqua sunt breviter in medium proferenda.

SECUNDA PARS

DE TRIBUS ORDINIBUS SECUNDÆ HIERARCHIÆ

CAPUT PRIMUM.

De Dominationibus.

Dominationes itaque dicuntur angeli primi ordinis mediæ hierarchiæ. Sic autem secundum Isidorum[2] nuncupantur, quia inferioribus angelis dominantes, eos instruunt et informant, qualiter in prælationis officio debeant subditos ad deificam similitudinem revocare, et sine tyrannide subditorum facta liberaliter ordinare. Unde dicit Dionysius[3] : « Nominatio Dominationum absolutam et liberam anagogen absque ulla tyrannica dissimilitudine, liberaliter severam, et ab omni subjectione ignominiosa remotam declarat; » quasi dicat : Sicut per anagogen, id est, per excellentiam universalem, super alios angelos sine subjectione elevantur, ita per nullam tyrannidem ad depressionem aliorum inclinantur. Quorum dominatio et

[1] *Joan.*, I, 32. — [2] Isid., *Etymol.*, lib. VII, c. V. — [3] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. III.

liberalis est et severa : liberalis in benignitate ; severa in potestate : et hoc proprie convenit Prælatis, qui in spiritualibus singulariter dominantur, sicut sacerdotibus et episcopis, qui in spirituali officio judicantur omnibus digniores. Dicuntur itaque illi qui præsunt pure in spiritualibus dominationes : quia verum dominium est, quando superantur vitia, ac virtuosa opera in regno animæ, sive Ecclesiæ, dominantur. Non autem possunt extirpari mala, ut bona efficaciter dominentur, nisi per Prælatorum ministerium, quibus cœlitus collata est auctoritas, ut per ipsorum officium, et sacramentorum mysterium evacuentur vitia, et mores in hominibus corrigantur, et sic subditorum mentes per morum disciplinam ad deiformem similitudinem reformentur. Et ideo apud Prælatos animarum istius dominationis auctoritas a Domino est relicta, ut ipsis cooperantibus, peccati servitus penitus auferatur, et vera libertas spiritus electis mentibus per ipsorum ministerium conferatur. Unde dicitur in libro Sapientiæ [1] : *In sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ tuæ, quæ a te facta est, ut disponas orbem terræ in æquitate, et in directione cordis et in justitia*, etc.; quasi dicat : Ideo dominium homini super hominem contulisti, ut cor aversi hominis per injustitiam, mediante justitia, ad Deum iterato (*a*) dirigatur. Recognoscant igitur pontifices Christi ac sacerdotes, quod a Dominatore universæ terræ receperunt supremum dominium, et a diebus sæculi, non solum hominibus, imo et angelicis spiritibus penitus inauditum : quia, ut dicit Bernardus [2], « nec regibus, nec sæculi hujus potestatibus, legitur attributum, ut illud conficiat quotidie consecratus in sacerdotem in altari, quod Dei Filius divinitatis virtute perfecit in cœna paschali, ubi fuit remunerans et munus, cibans et cibus, conviva et convivium, offerens et oblatum. » Istud donum Prælatis est collatum, non ad turpem quæstum extorquendum, nec ad superbiendum, vel subditos qualitercumque opprimendum; sed potius ad veræ libertatis statum, per sacerdotum officium et sacramentorum mysterium [3] reducendum. Et hoc dicit Zacharias [4] : *Sedebit, et dominabitur, et erit sacerdos in solio suo, et erit consilium pacis inter eos, et erunt coronæ memoriales in templo Domini*. Dicuntur igitur Christi sacerdotes *dominationes*, non quia debent dominari in clero, ut superbiant, sed ut formam gregi ex animo se ostendant, et ad angelorum conformitatem verbo et exemplo promoveant subditos et adducant, juxta illud Petri [5] : *Non ut dominantes in clero*, etc.

Illi igitur, qui plenam in spiritualibus a Domino receperunt auctoritatem, non immerito Dominationibus conformantur, et hoc præcipue propter illa, quæ appropriata de istis angelis recitantur. Primo propter clericalis auctoritatis libertatem : nam in hoc istorum angelorum dignitas consistit, quod nullius pedestris subjectionis oppressione oppressa sit, ut dicit [6] Dionysius : et hoc quidem clero convenit, qui libertatem non modicam, laicis omnino et pedestribus incomparabilem, a Domino recipere meruit, ut dici possit illud Psalmi [7] : *Non fecit taliter omni nationi*. Unde omnium jumentorum, et reptilium, et etiam volatilium dominatio, est universaliter clericis et viris spiritualibus attributa, ut dicitur in Genesi [8] : *Dominamini piscibus et volucribus*, etc. Et in Deuteronomio [9] : *Dominaberis omnibus nationibus, et nullus tibi dominabitur*. Episcopi quomodo Dominationibus conformentur.

Item secundo, propter præessendi modum, et dominandi qualitatem. Nam angeli illius ordinis sic inferioribus præsunt, quod nullam tyrannicam violentiam illis, qui sibi

[1] *Sap.*, IX, 2. — [2] Bern., serm. *de cœna Domini*. — [3] *Forsan* ministerium *vel* ministrationem. — [4] *Zach.*, VI, 13. — [5] I *Petr.*, V, 3. — [6] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. VIII. — [7] *Psal.* CXLVII, 20. — [8] *Gen.*, I, 28. — [9] *Deut.*, XV, 6.

(*a*) *Edit. Ven.* interatio.

subjecti sunt, inferunt; sed simpliciter eis in omnibus condescendunt : quod utique clericis convenit, ut taliter se habeant circa laicos, quod eorum vita videatur habere conformitatem ad angelos supradictos.

Item tertio, propter ipsorum clericorum cœlestem intentionem, sive intentionis puritatem. Nam isti angeli dicuntur a Dionysio [1] sursum activi, quia conversi ex suo ordine, alios inferiores convertunt, et perfecti in se alios perficiunt, et alios ex suo lumine illuminare satagunt et intendunt : et istud manifestum est esse angelicum, ut illi qui præsunt verbo et exemplo alliciant convertendos, et perficiant perficiendos, ut sic cortina cortinam trahat, et qui audit, dicat : *Veni*, sicut dicitur [2] in *Apocalypsi;* et in *Ecclesiastico* [3] *: qualis est Dominus, vel rector civitatis, tales sunt qui habitant in ea*, etc.

Item quarto, propter officii clericalis necessariam liberalitatem. Nam angeli istius ordinis dicuntur liberales et severi, quia benignitatem habent et severitatem in liberalitate : sic et prælati ordinis ecclesiastici liberales sunt in casu necessario, pariter et severi : liberales quidem et benigni circa humiles et providentes; duri vero circa reprobos et rebelles : quia quos non possunt censura ecclesiastica reducere ad veritatem vitæ per benignitatem, nituntur reducere per severitatem. Sic legitur Apostolus fecisse *ad Titum* [4], et *ad Timotheum*, cum dixit [5] : *Increpa, obsecra*, etc.

Item quinto, propter quamdam vitæ et morum sæcularium disparitatem : quia, sicut dicuntur angeli Dominationum, omni scilicet dissimilitudine segregati; quia nihil indecens, nihil inhonestum divinæ similitudini contrarium in angelis illius ordinis invenitur, et hoc utique angelicæ puritati consonum est, ut qui alios tangunt, et aliis corrigendo dominantur, non subjaceant vitiis, quibus verborum morsibus adversantur, sicut faciunt illi : *Qui prædicant non furandum, furantur; et qui dicunt non mœchandum, mœchantur*, ut dicit Apostolus [6]. De quibus etiam Isaias [7] : *Audite, illusores, qui dominamini super populum meum.* Tales sunt hypocritæ, qui multa dicunt et imponunt aliis, et suum digitum non apponunt. Qui utique illusores sunt, quia decipiunt quibus adulantur, juxta illud Isaiæ [8] : *Popule meus, qui te beatum dicunt*, etc.

Item sexto, propter status potestatum dominabilitatem. Nam illi veri sunt domini, qui ita dominantur aliis, quod sunt etiam domini propriæ voluntatis, sicut de istis angelis dicit Dionysius [9], quod sunt veram dominationem indesinenter desiderantes : quod utique istis congruit, qui ita aliis præsunt, quod propriæ conscientiæ dominium non omittunt; de quibus dicitur in Proverbiis [10] : *Melior est patiens viro forti; et qui dominatur*, etc. Nequaquam enim sunt reputandi dominatores hominum aliorum, qui servi sunt vitiorum; dicitur enim in Genesi [11] : *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.* Et alibi [12] : *Sub potestate viri eris et ipse dominabitur tui.*

Item septimo, propter fixam et stabilem affectus immutabilitatem, sicut dicitur de Dominationibus : et ad nullum vane apparens, sed ad vere existens totaliter sunt conversi, quia ad nullum inane et transitorium se convertunt, sed semper illum, qui verus est, Deum scilicet, aspiciunt, et sibi in omnibus placere concupiscunt. Non igitur clericis convenit vanitates et insanias mundi falsas aspicere, qui Dominatori vero semper debent assistere, et dominatorum vel dominationum nomen, vel officium, se æstimant obtinere. Ideo dicit Tobias [13] : *Nunquam in tuo sensu superbiam dominari permitte*, etc.

Patet igitur, quod dignitas clericalis, quæ,

[1] Dion., ubi supra. — [2] *Apoc.*, XXII, 20. — [3] *Eccli.*, X, 2. — [4] *Tit.*, I, 13. — [5] II *Tim*, IV, 2. — [6] *Rom.*, II, 21. — [7] *Isa.*, XXVIII, 14. — [8] *Isa.*, III, 12. — [9] Dion, ubi supra. — [10] *Prov.*, XVI, 32. — [11] *Gen.*, IV, 7. — [12] *Gen.*, III, 16. — [13] *Tob.*, IV, 14.

in sua radice considerata, est penitus spiritualis, merito est consona ordini Dominationum (*a*), quæ sic præcedit alios inferiores ordines, quod illos illuminat, perficit et purgat, et tamen ab illis non illuminatur, nec perficitur, nec purgatur : quia, sicut spiritus dignitate et officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior est quam sæcularis, et ideo bene sortitur nomen dominationis. Unde regalis potestas subjacet potestati et auctoritati spirituali, sicut in prima Canonica Petri dicitur [1] : *Vos estis gens sancta, regale sacerdotium*, etc. Nam temporale regnum, velut quoddam adjectum, subjacet (*b*) sacerdotio in novo testamento : sed in veteri testamento, sacerdotium subfuit regno ; unde dicitur in Exodo [2] : *Elegi eos in populum peculiarem, in sacerdotale regnum*, etc. : ubi regnum ponitur substantive, sed sacerdotium adjective, et ideo reges tunc poterant amovere ab officio summos sacerdotes, sicut Salomon [3] amovit Abiathar. Jam vero possunt sacerdotes et pontifices ex causa amovere reges, et deponere imperatores, sicut sæpius accidit et visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, et reipublicæ necessitas sic requirit. Summus vero Pontifex, penes quem prima in terris residet auctoritas, non a rege, non a principe sæculari, non ab homine judicatur ; sed solius Dei judicio reservatur. *Spiritualis* enim [4] *homo judicat omnia, et a nemine*, nisi a solo Deo, *judicatur*. Sed ut possint tales personæ liberius spiritualibus vacare, ut nunc per verbi vitæ prædictionem, nunc vero per sacramentorum ministrationem populum sibi subditum ad deiformem similitudinem reformare, necesse fuit alios assumere in partem sollicitudinis, qui in diversis negotiis et causis eis assisterent, et onus eorum supportarent. Temporalia enim spiritualibus sunt annexa, et de facili spirituale officium impedirent, nisi causas et lites, ex temporalibus orientes, aliqui per justitiam deciderent et definirent. Ideo dixit Jethro ad Moysen [5] : *Ultra vires est negotium : solus sustinere non poteris : esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad Deum, ostendasque cæremonias et ritum colendi Deum, viamque per quam ingredi debeant, et opus quod facere debeant. Provide ergo viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam : et constitue ex eis, qui judicent populum in omni tempore; leviusque tibi sit, partito in alios onere.* Et tales sunt decani, præpositi, archidiaconi, et quicumque judices, sive ordinarii, sive delegati, qui lites sopiunt, et decidentes causas, discordes ad concordiam revocant et reducunt : et tales sua officia provide et viriliter exequentes, conformitatem habent cum ordine Virtutum, qui sequitur ordinem Dominationum : nam sine virtute non potest tale expediri officium.

CAPUT II.

De Virtutibus.

Virtutes itaque dicuntur angeli secundi ordinis mediæ hierarchiæ : qui sic vocantur, ut dicit Dionysius [6], propter fortem et immutabilem virilitatem, ad susceptionem divinarum illuminationum nullatenus infirmam, sed viriliter in Dei imitationem reductam, deiformitatem (*c*) morum non derelinquentem, sed firmiter ferentem in superessentialem et potentificam (*d*) virtutem, deiformiter provenientem. Hæc omnia figurative intellecta, sunt ad illos, qui judicandi recipiunt potestatem, referenda. Nam ut pax et concordia in Christi Ecclesia habeatur, justitia a Domino est ordinata. Justitia enim et pax se invicem concomitantur ; nam dicit Psalmista [7] : *Suscipient montes pacem populo, et colles justitiam* : quia non esset pax in montibus, id est, in superbis hominibus, nisi esset justitia in collibus, id est, in bonis,

[1] I *Petr.*, II, 9. — [2] *Exod.*, XIX, 6. — [3] III *Reg.*, II, 5. — [4] I *Cor.*, II, 15. — [5] *Exod.*, XVIII, 18, 22. — [6] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. VIII. — [7] *Psal.* LXXI, 3.

(*a*) *Al.* Dominationis. — (*b*) Subjaceat. — (*c*) Deiformem. — (*d*) Pontificam.

et humilibus prælatis ac judicibus, in quibus virilitas sive virtuositas angelica requiritur, ut nec benedictione, nec maledictione a rectitudine justitiæ moveantur, sicut de David, de quo in secundo Regum [1] : *Tu autem, Domine mi Rex, es sicut angelus Dei, qui nec maledictione, nec benedictione movetur.* Fortis igitur, et virilis debet esse judex, ne timore, odio vel amore, a vigore justitiæ deflectatur. Ideo datur consilium in Ecclesiastico [2] : *Noli quærere fieri judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, ne forte expavescas faciem potentis.* Et in Sapientia [3] : *Audite, reges et judices, qui judicatis terram : vobis data est virtus ab Altissimo*, etc. Et iterum in Ecclesiastico [4] : *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis.* Sunt igitur virtutes quoad virilem justitiæ executionem, ut dicitur in Psalmo [5] : *Viriliter agite.*

Item, propter virtuosam justitiæ defensionem : nam dicitur in Ecclesiastico [6] : *Pro justitia agonizare, et usque ad mortem certa pro justitia,* etc. Nam quando subditi vident prælatos pusillanimes et trepidos, de facili perterrentur, ut dicitur in Zacharia [7] : *Percutiam pastorem,* etc. Hieronymus : « Hunc scito vere (*a*) esse christianum, qui nec metuit, nec concupiscit. » Ideo dicitur in Ezechiele [8] : *Ut adamantem et silicem posui te, ne timeas eos*, etc. In silice duro, et adamante solido et omnis ferri attractivo, significatur judicis constantia et fortitudo, cui semper associanda est patientiæ mansuetudo, quæ quandoque attrahit etiam in malitia obstinatos. Viriliter igitur dicuntur viri angelici Virtutum cœlestium imitatores esse justitiæ propugnatores, ne dici possit illud Ezechielis [9] : *Non ascendistis ex adverso, non opposuistis, vos*, etc.

Item Virtutibus cœli comparantur, propter divinæ sapientiæ imitationem, quam semper debent judices in suis sententiis præ oculis retinere. Humana enim justitia divinam debet, prout est possibile, imitari, et, ne erret per ignorantiam, divino lumine illustrari. Ideo dicitur in libro Sapientiæ [10] : *Diligite lumen sapientiæ, qui præestis populis*, etc. : ne dicatur illud Hieremiæ [11] : *Forsitan pauperes et stulti ignorant* (*b*) *viam Domini, et judicium Dei sui. Ibo igitur*, etc. Et Isaias [12] : *Nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Et ideo dicitur de Virtutibus, quod viriliter per susceptionem illuminationum reducuntur ad Dei imitationem. Nam qui a Deo illuminantur, sine offendiculo ipsius justitiam exequuntur; et hoc est quod dicit Psalmista [13] : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in justitia tua exaltabuntur.*

Item, propter celerem causæ pauperum determinationem : nam vera justitia, cum fuerit nota judici, non est ab executione retardanda, imo statim definienda et promulganda : et hoc præcipue in causis pauperum, quarum dilatio eis multipliciter est nociva. Et ideo dicitur, quod Virtutes deiformem motum non derelinquunt, quia virtuosi judices, cognita causa pauperis, judicare non differunt; sicut nec Deus, de quo dicitur [14] : *Dominus non elongabit, sed judicabit justos, et faciet judicium, et fortissimus non habebit in illis patientiam*, etc. Nam sine moræ dispendio sunt innocentes absolvendi, rei vero puniendi.

Item, per voluntariam avaritiæ fugam, et munerum declinationem : nam munerum cupiditas multum solet enervare vires judiciorum. Ideo præcipitur in Exodo [15] : *Non accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum.* Et in Deuteronomio [16] : *Non accipies personam neque munera, quia excæcant*, etc. Et ideo eis congruit, quod dicitur de Virtutibus,

[1] II *Reg.*, XIV, 17. — [2] *Eccli.*, VII, 6. — [3] *Sap.*, VI, 2. — [4] *Eccli.*, XLIV, 6. — [5] *Psal.* XXX, 25. — [6] *Eccli.*, IV, 33. — [7] *Zach.*, XIII, 7. — [8] *Ezech.*, III, 9. — [9] *Ezech.*, XIII, 5. — [10] *Sap.*, VI, 23. — [11] *Jerem.*, V, 4, 5. — [12] *Isa.*, LVI, 11. — [13] *Psal.* LXXXVIII, 16. — [14] *Eccli.*, XXXV, 22. — [15] *Exod*, XXIII, 8. — [16] *Deut.*, X, 17.

(*a*) *Cæt. edit.* nullum. — (*b*) Vulg. *pauperes sunt et stulti, ignorantes.*

quod ad potentificam et superessentialem virtutem perveniunt, id est, in suis motibus et operibus solum Deum, et non proprium commodum attendunt. Sic virtuosi judices et prælati nihil faciunt propter lucrum, sed omnia peragunt propter Deum : quia non hominum est judicium, sed divinum, ut patet in secundo Paralipomenon : *Videte*, inquit [1], *quid faciatis : non enim hominum exercetis judicium, sed Dei*, etc.

Item, propter celerem et virilem oppressorum liberationem : nam judex virtuosus innocenter oppressos viriliter eripit, et facienti injuriam totis viribus se opponit. Prælati enim et judices angeli sunt, et angelorum officium gerunt, quorum ministerium est dæmones coercere a violentia, et ab obsessis corporibus viriliter removere, juxta illud Tobiæ [2] : *Apprehendit Raphael* (a) *dæmonium*, etc. Et in Daniele [3] : *Misit Deus angelum suum, et conclusit ora leonum*, etc. Tanquam dæmones sunt crudeles impii tyranni, innocentum et pauperum oppressores, de quibus Isaias [4] : *Dabo eos in manus dominorum crudelium*, etc. Et Hieremias [5] : *Crudelis est, et non miserebitur*. Et ideo virtuosum est talium insolentiam reprimere, et (b) oppressos per justitiam liberare. Unde in Proverbiis [6] : *Erue eos qui ducuntur ad mortem. Quod si dixeris : Vires mihi non suppetunt*, etc. Et Job [7] : *Eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non erat adjutor : conterebam molas iniqui, et de faucibus illius*, etc. Et in primo Regum [8] : *Pascebat servus tuus gregem patris sui, et veniebat leo vel ursus et tollebat arietem de grege, et persequebar illos, et percutiebam, et eruebam de ore eorum*, etc. Et ideo dicitur in Isaia [9] : *Judicate pupillo, subvenite oppresso*. Item, propter alienæ famæ, vel pecuniæ ablatæ et debitæ, vel subtractæ, plenariam restitutionem : et in hoc assimilatur eorum officium ministerio Virtutum, quia per angelos illius ordinis fiunt miracula; et membra corporis, a suis usibus depauperata et depravata, in statum pristinum restaurantur. Et hoc convenit judicibus et Prælatis, famam proximi injuste læsam, et possessionem vel pecuniam vi ablatam, integre restaurare per sententiam, et ipsos læsores ad satisfactionem compellere, et emendam. Et hoc figuratur in libro Regum [10] : *Eruit David omnia quæ tulerant Amalechitæ, nec defuit quidquam de spoliis; sed omnia quæcumque rapuerant, retulit et reduxit*. Et alibi [11] : *Ovem reddet in quadruplum*, etc. Sic Salomon, audita causa duarum mulierum super raptu pueri, reddidit infantem matri suæ. Et tantum de Ecclesiasticis.

CAPUT III.

De Potestatibus.

Sicut autem prælati spirituales, et judices in suis officiis conformitatem habent ad Dominationes et Virtutes, sic reges et principes sæculares cœlestes debent imitari Potestates. Nam Potestates dicuntur angeli, quorum potentia speciali adversæ potestates coercentur, ne tantum lædant, quantum desiderant. Unde dicit Dionysius [12] : « Sanctarum Potestatum cognominatio docet potentem, et bene ornatam et inconfusam circa divinas susceptiones ordinationem, non tyrannice inferiora virtute potestativa præcipitantem, sed potenter in divina reducentem, et ad potentificam causalem potentiam, quantum fas est, assimilantem, et ad Deum, qui princeps est omnis potestatis, secundum hierarchicam dispositionem inferiora convertentem, divinam et lucentem potentiam in inferioribus resplendere facientem, etc. Unde angeli illius ordinis refrænant et coercent omnes hierarchicam prælationis et subjectionis ordinationem impedientes. Unde prælationis potestatem a subditis contemni non permittunt, et subditos per violentiam ab iniquis

Principes sæculares Potestatibus comparantur.

[1] II *Paral.*, XIX, 6. — [2] *Tob.*, VIII, 3. — [3] *Dan.*, VI, 22. — [4] *Isa.*, XIX, 4. — [5] *Jerem.*, VI, 23. — [6] *Prov.*, XXIV, 11, 12. — [7] *Job*, XXIX, 12. — [8] I *Reg.*, XVII, 35. — [9] *Isa.*, I, 17. — [10] I *Reg.*, XXX, 18. — [11] II *Reg.*, XII, 6. — [12] Dion., *de Cæl. Hier.*, c. VIII.

(a) Edit. Ven. *Rachel*, mend. — (b) *Cæt. edit. add.* ut.

dominis opprimi non sinunt; imo omni injuriæ istorum et illorum obviant potentissime, et resistunt. In his omnino debent reges et principes sæculares sanctas et cælestes intueri potestates, scilicet ut sapienter regant, ordinate vivant, et potenter malum reprimant et vindicent, innocentibus parcant, et injuriam fieri personis miseris non permittant; ut etiam de suscepta potestate non superbiant, sed potius humilibus condescendant. Istæ conditiones in habentibus potestatem requiruntur, quia hujusmodi reges et principes a Deo recepisse potestatem hujusmodi dignoscuntur.

Ordinata igitur erit potestas sæcularis, et secundum similitudinem cœlestium potestatum disposita, si in potestate constituti fuerint sapientes, scilicet non secundum voluntatis impetum, sed secundum rationis gubernaculum in singulis procedentes, sicut dicitur in Proverbiis [1] : *Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.* Ideo Salomon in principio regni sui petivit sapientiam, dicens [2] : *Domine Deus, tu me fecisti regnare pro patre meo, et ego sum puer parvulus, ignorans egressum et introitum meum. Da* (*a*) *ergo servo tuo cor docile, ut possit judicare populum tuum, et discernere inter bonum et malum,* etc. Sicut enim nec in spirituali jurisdictione, sic nec in temporali, sine sapientia et discretione est agendum. Ideo præcipitur in Deuteronomio [3] : *Cum sederit rex in solio regni sui, faciet sibi describi Deuteronomii verba, et accipiat* (*b*) *exemplar a Sacerdotibus leviticæ tribus, et habebit secum,* etc. Ideo provectæ ætatis homines et senes solebant eligi in principes et in reges : quia non in pueris, sed in antiquis [4] sapientia reperitur. Propter hoc Roboam perdidit regnum, quia juvenis existens [5], *derelicto consilio seniorum, juvenum consilio acquievit.* Ideo dicit Ecclesiastes [6] : *Væ terræ* (*c*) *cujus rex est puer,* etc.

Item similes sunt potestatibus cœlestibus, si, ornati moribus, vitam bonam et innocentem subditis ostendant. Nihil enim prodest vestiri purpura, diademate insigniri, gemmis lucentibus splendere, et moribus incompositis sordescere et fœtere. Ideo dicuntur potestates bene ornatam et inconfusam accepisse a Domino potestatem. Nam, sicut dicit Poeta :

> Virtus non quæritur extra,
> Non eget exterius, qui moribus intus abundat,
> Nobilitas sola est animum quæ moribus ornat.

Dominus itaque non attendit in potentibus mundi, vel carnis nobilitatem, sive corporis, sive habitus venustatem ; sed nobilitatem morum, et conscientiæ puritatem : et hoc est, quod dicitur in primo Regum [7] : *Non respicias vultum, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum, neque juxta intuitum hominis ego video,* etc.

Item potestatibus sunt similes, quia amore justitiæ animati, omnem malitiam sunt in reprobis vendicantes, et pacem perturbantes publicam persequentes, sicut de Juda dicitur [8] : *Persecutus est iniquos, perscrutans eos, qui populum conturbabant, et succendit eos flammis,* etc. Est enim potestas regum et principum inter homines a Domino ordinata, ut ipsorum metu malorum audacia refrenetur, qui quidem tantum invalescerent (*d*), quod si non resisteret potestas publica, etiam humana societas penitus dissiparetur. Ideo dicitur [9] : *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, etc. Et in primo Machabæorum [10] : *Accingimini et estote filii potentes et estote parati, quia melius est mori*, etc. Ideo etiam dicitur in Exodo [11] : *Elige de omni plebe viros potentes,* etc. Et in Psalmis [12] : *Super femur tuum, potentissime.*

Item vere sunt Potestates, qui non tyrannica crudelitate, sed potius humana, imo angelica benignitate subditos regunt, et cus-

[1] *Prov.*, I, 5. — [2] III *Reg.*, III, 7, 9. — [3] *Deut.*, XVII, 18, 19. — [4] *Job*, XII, 12. — [5] III *Reg.*, XII, 13. — [6] *Eccle.*, X, 16. — [7] I *Reg.*, XVI, 7. — [8] I *Mach.*, III, 5. — [9] *Rom.*, XIII, 1. — [10] I *Mach.*, III, 58. — [11] *Exod.*, XVIII, 21. — [12] *Psal.* XLIV, 4.

(*a*) Vulg. *Dabis.* — (*b*) Vulg. *verba, accipiens.* — (*c*) Vulg. *tibi, terra.* — (*d*) *Cœl. edit.* invalesceret.

todiunt innocentes. Unde dicitur in Esther[1]: *Cum pluribus gentibus imperarem, et universum orbem meæ ditioni subjugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed cum clementia et lenitate gubernare subjectos, ut absque terrore vitam transigentes, optata pace fruerentur.* Et ideo de Potestatibus dicitur, quod nihil ab eis tyrannice perficitur, sed omnia cum mansuetudine peraguntur.

Item Potestates sunt, qui seipsos considerant, et de suscepta potestate non superbiunt; imo, quanto videntur aliis esse magis auctoritate et potentia transcendentes, tanto abundantiori humilitate sunt aliis condescendentes, sicut dicitur in Ecclesiastico[2]: *Quanto major es, tanto plus te humilia* (a) *in omnibus;* sicut ipse Dei Filius, qui omnibus præfuit, omnium potentissimus, se in omnibus exhibuit infirmiorem, malens potius per humilitatis mansuetudinem, quam per potestatis fortitudinem, mundum miserum perducere ad salutem. Unde dicitur in Psalmis[3]: *Non in fortitudine equi,* etc. Ille igitur potentissimis et supernis spiritibus est similior, qui alios benigne regendo est humilior, sicut dicitur in Daniele[4]: *Cognoscant viventes, quia dominatur* (b) *Excelsus in regno hominum, et humillimum hominem constituet super eum.* Et in Ecclesiastico[5]: *In manu Dei potestas terræ.*

Item pacem generalis Ecclesiæ sunt potentissime procurantes : nam tanta subeunt mala hominum, quod nequaquam Dei Ecclesia in pace conquiesceret (c), nisi potentifica regum et principum providentia subveniret. Unde secundo Machabæorum[6]: *Videbat sine providentia regali impossibile dari pacem rebus, nec Simonem posse cessare a stultitia sua,* etc. Et ideo recognoscere debent principes sæculares, quod idcirco gladium portant, ut per auctoritatem et potestatem illis concessam, pax Ecclesiæ universaliter tueatur, et humana audacia metu potentiæ principum restringatur. Unde Paulus[7]: *Vis non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem.*

Item lucentem Dei potentiam sunt in istis inferioribus resplendere facientes, sicut de Potestatibus dicit Dionysius, quia sicut in eis relucet divina bonitas, et veritas, et potestas, mediantibus angelis superioribus, ita Potestates angelos inferiores reducunt ad consimiles gratiæ et gloriæ participationes. Tales utique debent esse hujus mundi Potestates, ut nunc per justitiam et severitatem, nunc vero per clementiam et benignitatem, populum simplicem ad Dei reducant cognitionem, et potentes ad inviolabilem legum divinæ justitiæ observationem. Ideo dicitur in Ecclesiastico[8]: *Dominantes in potestatibus suis, homines magna virtute et prudentia præditi.* Et in Psalmis[9]: *Fecit Solem in potestatem diei, Lunam et stellas in potestatem noctis,* quasi dicat : Sicut Sol potestate illuminat et perficit diem, Luna vero decorat noctem; sic boni prælati, ad modum Solis, per exempla benignitatis et clementiæ alliciunt ad amorem, et per rigorem justitiæ formidinem incutiunt et terrorem. Per timorem quidem a tenebrosis operibus revocant; sed per clementiam et amorem ad bonum provocant, exhilarant, et confortant. Unde dicitur in Proverbiis[10]: *Sicut fremitus leonis, ita et regis ira; et sicut ros super herbam, ita hilaritas ejus.* Merito igitur nomine Potestatum intelliguntur reges et principes, sive domini secularium et mundanorum, quibus est obediendum in his, quæ ad suum pertinent principatum, ut patet per apostolum Paulum, qui dicit[11]: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* etc. Et Petrus, in prima Canonica, dicit[12]: *Servi, subditi estote in omni timore dominis,* etc. Et in eodem[13]: *Sive regi, tanquam præcellenti,* etc.

[1] *Esth.*, XIII, 2. — [2] *Eccli.*, III, 20. — [3] *Psal.* CXLVI, 10. — [4] *Dan.*, IV, 14. — [5] *Eccli.*, X, 4. — [6] II *Mach.*, IV, 6. — [7] *Rom.*, XIII, 3. — [8] *Eccli.*, XLIV, 3. — [9] *Psal.* CXXXV, 8. — [10] *Prov.*, XIX, 12. — [11] *Rom.*, XIII, 1. — [12] I *Petr.*, II, 18. — [13] I *Petr.*, II, 13.

(a) Vulg. *es, humilia te.* — (b) Edit. Ven. *dominabitur.* — (c) *Cæt. edit.* conquiescit.

TERTIA PARS

DE TRIBUS ORDINIBUS TERTIÆ HIERARCHIÆ

CAPUT PRIMUM.

De Principatibus.

Ultima hierarchia, secundum Dionysium [1], continet Principatus, Archangelos, et Angelos; et hi tres ordines referuntur ad statum subjectionis, sicut præcedentes tres respiciunt statum prælationis. In subditis autem tria considerantur, scilicet obedientia respectu Dei et Prælati, et vitæ innocentia respectu sui, et misericordia respectu proximi : ut sic vivant justi quoad Deum, et Prælatis ejus exhibendo obedientiam debitam et reverentiam, sobrie quoad se, innocenter vivendo, et conservando vitæ munditiam; et pie quoad proximum, ei liberaliter subveniendo, et impartiendo misericordiam. Unde qui majorum suorum imperio humiliter acquiescunt, Principatibus configurantur; qui vero vitæ continentiam servant, et innocenter vivunt, Archangelis assimilantur; sed illi, qui operibus pietatis et eleemosynæ sua peccata redimunt, et indigentibus liberaliter subveniunt, Angelos imitantur. Subditi igitur humiles et vere obedientes Principatibus, et continentes sive innocentes Archangelis, misericordes et pœnitentes Angelis comparantur.

Principatus autem dicuntur angeli, ut (*a*) dicit Isidorus [2], qui præ cæteris possident donum reverentiæ. Unde eorum ministerium est docere homines, exhibere unicuique reverentiam secundum gradum suum : ut, sicut Dominationum subsidio superiores in onere regiminis adjuvantur, ita subditi, sanctorum Principatuum præsidio, ad obediendum suis superioribus provocentur. De istis quidem dicit Dionysius [3] : «Sancti Principatus ad principalem principatum deiformiter sunt motivi et inferiorum ordinatione sancta et convenienti reductivi, et ad superprincipalem omnis principatus principem totaliter conversivi, et ordinationis ejus manifeste ostensivi,» etc. Istis igitur angelis similes sunt vere obedientes, per voluntariam (*b*) rei imperatæ adimpletionem, ut scilicet, sicut desiderant sibi præesse sine tyrannide et oppressione, ita libenti animo pro bono obedientiæ sciant et velint subesse sine rebellione animi et voluntatis contradictione. Nam sicut tyrannica superiorum oppressio prælationis jura violat, ita subditorum insolentia obedientiæ principatum destruit et enervat. Qui ergo suis majoribus humiliter obtemperant, per donum reverentiæ in se Principatuum ordinem repræsentant. Unde dicitur in libro Judicum [4] : *Cor meum diligit principes Israel : qui voluntarie vos obtulistis discrimini, benedicite Domino*, etc.

Item secundo, per debitam reverentiæ exhibitionem, quia [5] *cui honorem, honorem; cui timorem, timorem*, ut dicit Apostolus, in flexione, in assurrectione, et ut dicitur in Levitico [6] : *Coram cano capite surge*, etc. De his omnibus dicitur in libro Job [7] : *Senes assurgentes stabant, principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo; vocem suam cohibebant duces*, etc.

Item tertio, per humilem divinæ potestatis recognitionem : quia dum suis supe-

[1] Dion., *de Cœl. Hier.* c. VI. — [2] Isid., *Etymol.*, lib. VII, c. V. — [3] Dion., ubi supra. — [4] *Judic.*, V, 9. — [5] *Rom.*, XIII, 7. — [6] *Levit.*, XIX, 32. — [7] *Job*, XXIX, 9.

(*a*) *Edit. Ven.* et. — (*b*) *Cæt. edit.* voluntariæ.

rioribus obediunt, Dei potestatem in illis, quibus obtemperant, recognoscunt. Unde homini non obediunt, sed potius Deo, quem in homine considerant, et attendunt. Unde Alexander Macedo redargutus a suis principibus, quod summum sacerdotem Judæorum sicut principem adorasset, respondit [1], quia non hominem adorasset, sed Deum in homine, qui sibi in tali effigie in somnis apparuisset, et totius orbis principatum sibi promisisset. Et ideo non est attendendus homo, qui præcipit et imperat, sed Deus, qui præcipientium corda inhabitat, et legem obedientiæ ipsis mediantibus præcipit et demandat. Et Paulus [2] : *Servi, obedite per omnia dominis vestris, non ad oculum servientes, quasi placentes hominibus, sed in simplicitate cordis timentes* (a) *Deum. Quodcumque* (b) *facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non sicut hominibus.* Et alibi [3] : *Non ego præcipio, sed in me Dominus.* Et iterum [4] : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Homo igitur non est nisi organum, per quod Deus loquitur. Hoc patet in Exodo, ubi dicitur [5] : *Ego veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum.* Et ideo non homini facit injuriam, qui non obedit; sed Deo, cujus *ordinationi resistit*, sicut dicit Apostolus [6]. Si ergo Principatus, mediantibus superioribus ordinibus, ad obediendum summo Principi donum reverentiæ recipiunt, et idem donum ad reducendos inferiores per obedientiæ legem eis communicant et transfundunt; sic homines, qui Principatibus sunt conformes, mediantibus suis superioribus, ad superprincipem omnis potestatis, scilicet ad Deum totaliter convertuntur, et ipsius imperio humerum subjicientes, ad dignitatem Principatuum et Angelorum consortium obedientiæ merito reducuntur. Unde dicit Isaias [7] : *Factus est principatus super humerum ejus*, etc.

Item quarto, propter libertatis veræ acquisitionem : nullus enim vere liber esse poterit, qui non, secundum Principatuum assimilationem, obedientiæ legibus penitus se subjecerit. Nam qui vere obediens esset, omnem creaturam sibi subjicibilem inveniret. Omnis enim creatura, ut dicit Augustinus, homini obediret, si simpliciter Creatoris imperio obediret; imo ipse Deus nihil penitus subtraheret ab hominis obedientia, si se non subtraheret a divina. Et hoc patet, quia quandiu antiqui suis præceptis simpliciter et præcise obediebant, etiam Deum obedire humanis jussionibus versa vicissitudine sentiebant, ut patet in Josue [8] : *Non fuit post vel ante tam longa dies, obediente Deo voci hominis et pugnante pro Israel.* Unde patet, quod qui vere est obediens, summum Principem Deum sibi subjicit, et habere conformitatem cum summis Principatibus se ostendit.

Item quinto, subditi, et subjectionis statu constituti, configurantur ordini Principatuum propter suorum superiorum modestam supportationem : quia si subditi, spiritu superbiæ inflati, prælatorum officio resisterent, modis omnibus spiritualem Ecclesiæ principatum impedirent. Et ideo in officio prælationis constitutis non est leviter derogandum, nec eis faciliter detrahendum, quia hoc omnino contrariatur officio Principatus. Ideo dicitur in Exodo [9] : *Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices.* Et in Proverbiis [10] : *Verbosus dissipat* (c) *principes.* Et ideo, sicut non decet subditum obloqui prælato, sic non expedit ipsum majorem de facili adhibere fidem, quando sinistra vel detractoria dicuntur de subdito seu ministro. Dicitur enim in Proverbiis [11] : *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios*, etc.

Item sexto, propter expressam divinæ dilectionis ostensionem : de Principatibus enim

[1] Joseph., *Antiq. Jud.*, lib. XI, c. VIII. — [2] *Col.*, III, 22, 23. — [3] I *Cor.*, VII, 10. — [4] II *Cor.*, XIII, 3. — [5] *Exod.*, XIX, 9. — [6] *Rom.*, XIII, 2. — [7] *Isa.*, IX, 6. — [8] *Jos.*, X. 14. — [9] *Exod.*, XXII, 28. — [10] *Prov.*, XVI, 28. — [11] *Prov.*, XXIX, 12.

(a) Al. *Amantes.* — (b) *Quod.* — (c) Vulg. *separat.*

dicitur, quod sunt supersubstantialis ordinationis manifeste ostensivi, id est, ordinatæ dilectionis. Nam superiores ordines, quibus mediantibus suas recipiunt illuminationes, singulari modo diligunt, et in signum amoris, inferiores angelos ad superiorum conformitatem ordinatissime promovent et reducunt. Et hoc convenit bonis subditis, ut suis prælatis obediant, ut Domino Deo et eisdem non ex timore, sed ex amore, reverentiam et honorem exhibeant et impendant. Unde Sapiens in Ecclesiastico [1] : *Filii sapientiæ ecclesia justorum, et natio eorum obedientia et dilectio.* Et Apostolus [2] : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes*, etc. Item Ecclesiasticus [3] : *Timor Domini initium est dilectionis.* Talis timor reverentiæ debetur prælatis, et non servilis (*a*), de quo dicitur ab eodem Apostolo [4] : *Vis non timere potestatem*, etc. Unde tales, qui suos diligunt prælatos, a Domino versa vice singulariter diligi promerentur, sicut etiam patet in Ecclesiastico [5] : *Eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam mater.* Et in libro Judicum [6] : *Anima mea* (*b*) *diligit principes Israel*, etc.

Item septimo, propter voluntariam correctionis susceptionem. Nam qui angelicis Principatibus in vita et in moribus assimilantur, libenter sustinent correctionem; et correcti, non ad iram vel odium provocantur. Quidquid enim Dominationes et Potestates Principatibus influunt, vel infundunt, hoc benigno affectu Principatus recipiunt, et admittunt. Nam habetur in Ecclesiastico [7] : *Quidquid tibi applicatum fuerit, accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe*, etc. Nam correctio, sive disciplina, est animæ medicina : quæ, etsi ad tempus vulnus mordeat, tamen sanat. Et ideo prudens non odit medentem, imo diligit, et sustinet corrigentem. Ideo dicitur in Proverbiis [8] : *Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit.* Et Job [9] : *Increpationem Domini ne oderis, quia ipse vulnerat, et medetur*, etc. Ex quo patet, quod homines asperi et amari, qui nolunt corripi, non possunt sanari. Unde dicitur iterum in Proverbiis [10] : *Homini qui dura cervice corripientem contemnit, repentinus ei superveniet interitus, et sanitas eum non sequetur.* Et Amos [11] : *Oderunt in porta corripientem, et perfecte loquentem abominati sunt*, etc. Stulti sunt tales, qui obloquuntur et murmurant contra disciplinam. Dicit enim Isaias [12] : *Stultus stulta loquetur*, scilicet murmurando contra prælatos, et corripientibus se detrahendo. Et sequitur : *Princeps vero ea, quæ digna sunt principe cogitabit*, etc. Quod utique facit, qui cogitatum suum sic disponit et ordinat, ut omnia velit sustinere patienter, et corrigenti non resistat. Talis princeps fuit Job, quando dixit [13] : *Hæc sit consolatio mea, ut affligens me dolore non parcat.*

CAPUT II.

De Archangelis.

In subditis vero non solum exigitur obedientia respectu prælati; imo et vitæ munditia, et innocentia respectu sui. Mundos enim, et immaculatos subditos et ministros requirit Dominus, similiter et prælatus. Unde Psalmista [14] : *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*, etc. Tales fuerunt pueri David, ut patet in primo Regum [15] : *Si mundi sunt pueri a mulieribus, manducent.* Et respondit David : *Continuimus nos, et vasa puerorum sancta sunt.* Exigitur autem in eis triplex munditia, scilicet 1. munditia cordis; nam, *Beati mundo corde*, etc., dicitur [16] in Matthæo; et in Proverbiis [17] : *Qui diligit*

[1] *Eccli.*, III, 1. — [2] *Hebr.*, XIII, 17. — [3] *Eccli.*, XXV, 16. — [4] *Rom.*, XIII, 3. — [5] *Eccli.*, IV, 11. — [6] *Judic.*, V, 9. — [7] *Eccli.*, II, 4. — [8] *Prov.*, XXVIII, 23. — [9] *Job.*, V, 17. — [10] *Prov.*, XXIX, 1. — [11] *Amos*, V, 10. — [12] *Isa.*, XXXII, 6, 8. — [13] *Job.*, VI, 10. — [14] *Psal.* C, 16. — [15] I *Reg.*, XXI, 4, 5. — [16] *Matth.*, V, 8. — [17] *Prov.*, XXII, 11.

(*a*) *Cæt. edit.* servis. — (*b*) Vulg. *Cor meum.*

cordis munditiam, etc. Item 2. munditia oris; in Job[1] : *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.* Ideo Angelus legitur[2] mundasse labia Isaiæ. Item 3. munditia corporis, de qua Isaias[3] : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Et Job[4] : *Si mundus et rectus incesseris.* Et Paulus[5] : *Ut mandaret sibi populum acceptabilem*, etc. Et item[6] : *Mundemus nos ab inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem.* Sic sanctificati et mundati (*a*) assimilantur sanctis Archangelis, qui Principatibus (*b*) immediatius sociantur; et Archangelus ad Virginem est transmissus, ut per hoc ostenderetur, quod magna est convenientia inter virgineam castitatem, et archangelicam dignitatem.

Archangeli qui dicantur

Dicuntur autem Archangeli, qui ad nuntianda majora a summo Principe transmittuntur; qui inter angelos inferioris ordinis principatum habere dignoscuntur; qui a Principatibus accipiunt illuminationes, quas postea Angelis manifestant. Et ideo dicit Dionysius[7], quod ordo Archangelorum communicat cum Principatibus, et ordinibus superioribus, quantum ad susceptionem illuminationum, et sui ad superprincipale principium conversionem; communicat etiam cum inferioribus, per ipsorum ad Deum reductionem. Nam uniti Deo, mediantibus aliis ordinibus superioribus per amorem, angelos inferioris ordinis et homines nituntur unire Deo, quemadmodum et ipsi sunt uniti; et ideo vivificam et simplificam dicuntur habere virtutem. Unde status continentium merito comparatur ordini Archangelorum, qui per vitæ munditiam merentur obtinere illius ordinis dignitatem, sicut dicit Dominus[8] : *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei.*

Prælati quomodo Archangelis debeant conformari.

Conformes igitur debent esse Archangelis quantum ad conscientiæ puritatem, ut scilicet eorum mens et conscientia ab imaginatione et appetitione carnalitatis sit remota, sicut natura archangelica ab omni tali conditione esse dignoscitur aliena. Et ideo non solum expedit talibus a carnis passionibus abstinere; verum etiam illecebram carnis saltem in memoria non tenere. Dicitur enim in Luca[9] : *Spiritus carnem et ossa non habet.* Et in Psalmis[10] : *Qui facit angelos suos spiritus.* In cujus rei signum, præceptum est filiis Caath, quod mundarent altare a cinere, et involverent illud purpureo vestimento, et ponerent cum vasis ministerii. *Caath* dolens vel pœnitens interpretatur. Filii itaque Caath filii sunt pœnitentiæ et doloris, qui[11] *altare* proprii cordis debent emundare, non solum ab igne luxuriæ, imo etiam et *cinere*, id est, a reliquiis immunditiæ, scilicet a memoria et cogitatione, sicut dicitur in Genesi[12] : *Nec stes in omni circa regione*, etc. Et tunc digni erunt hujusmodi, cum vasis tabernaculi et ignis receptaculis *involvi*, id est, sanctorum Archangelorum societati adæquari, si videlicet fuerint in purpureo continentiæ vestimento undique involuti.

Item secundo, propter officii dignitatem : nam inter cœlestium spirituum ministeria, leguntur Archangeli habuisse in omnibus digniora, ut patet in Gabriele, qui virginitatis Filium prædixit de Virgine nasciturum. Similiter, et in Michaele[13], qui populum Israeliticum prædixit de captivitate Babylonica exiturum. Similiter, et in Raphaele, qui[14] missus est ad Tobiam curandum, qui prædixit se dæmonium fugaturum. *Fumus* (inquit[15]) *ejus extricat omne genus dæmoniorum*, etc. Et in istis tribus officiis privilegiatis, videntur habere continentes assimilationem cum Archangelis prætaxatis : nam continentia sanat a vulnere concupiscentiæ mentem, et spiritualem reparat in animo visionem : nam libido affectum corrumpit et sauciat, intellectum vero obtenebrat et excæcat, ut patet in Samsone, qui

[1] *Job*, XVI, 18. — [2] *Isa.*, VI, 7. — [3] *Isa.*, LII, 11. — [4] *Job*, VIII, 6. — [5] *Tit.*, II, 14. — [6] II *Cor.*, VII, 1. —
(*a*) *Cæt. edit.* mundi. — (*b*) *Edit. Ven.* principatus.

[7] Dion., *de Cæl. Hier.*, c. IX, § 2. — [8] *Matth.*, XXII, 30. — [9] *Luc.*, XXIV, 39. — [10] *Psal.* CIII, 4. — [11] *Num.*, IV, 13. — [12] *Gen.*, XIX, 17. — [13] *Dan.*, X, 13. — [14] *Tob.*, XII, 14. — [15] *Tob.*, VI, 8.

per libidinem, et vires corporis amisit, et exoculatus ab hostibus fuit. Idem etiam patet in illis senibus, de quibus dicitur [1]: *Exarserunt in concupiscentiam ejus, et everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Sic vir archangelicus, continens scilicet et mundus, Raphaelis consilio piscem arripit, et, contra omnem spiritus infirmitatem, cordis et fellis particulam apponere non desistit. Piscis est Christus, sicut dicit Glossa super finem Joannis ultimi: « Piscis assus, est Christus passus. » Cujus cordis particula, id est, dilectio in perforatione cordis nobis ostensa est, potissime ad fugam et declinationem omnis malitiæ motiva. Fellica autem passionis ejusdem amaritudo, est omnis turpitudinis concupiscentiæ purgativa, et cæcitatis ac caliginis spiritualis abstersiva. At tale collyrium mittit Joannes in Apocalypsi, dicens [2]: *Injunge oculos tuos collyrio*, etc. Continentia etiam a Babylonica confusione liberavit, et libertati gloriæ filiorum Dei suos imitatores restituit vel restauravit: et ideo Archangelus Michael, qui populo captivo præfuit, annuntiaturus populi liberationem, Danieli [3] in vestimentis lineis se ostendit, et auro mundo cinctus fuit. In quo datur nobis intelligi, quod illi soli ab ultima corruptione naturæ et gratiæ liberabuntur, qui hac duplici munditia, scilicet mentis et corporis, vestiuntur. Ideo dicit Ecclesiastes [4]: *Omni tempore sint vestimenta tua candida*, etc. Et Apocalypsis [5]: *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Ad hoc etiam continentia divinæ inhabitationi hominem præparat, quia Deus mentes castas inhabitat et frequentat: et ideo archangelus Gabriel mundissimus ad Mariam mundissimam est specialiter destinatus, et adventus auctoris totius munditiæ nuntiatus, et hoc ut omnis conscientia hic advertat quia mundus Deus mentes immunditiæ subditas non subintrat, ut dicitur in libro Sapientiæ [6]: *Non habitabit*, etc.

Item vita continentiæ assimilatur dignitati archangelicæ propter corporis assumpti qualitatem: nam angelus, cum sit incorporeus, nonnisi propter nostram instructionem, corporis assumit effigiem sive repræsentationem: et ideo Archangelus apparens secundum humanæ capacitatis apprehensionem et castitatis commendationem mortalibus se ostendit, sicut patet in propheta Daniele, ubi de Michaele Judæorum principe, et archangelo, secundum quod dicit Glossa super illud [7]: *Vir vestitus lineis, et cinctus auro obrizo apparuit, cujus corpus fuit quasi chrysolithus, et facies ejus quasi species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens, et brachia ejus et pedes sicut similitudo æris candentis.* Hæc quidem de Archangelo Michaele sunt dicta, sicut expresse dicit Glossa, cujus ibidem commendatur corpus. Describitur etiam et vestitus: nam vestis linea candida, et circa renes deaurata; corpus etiam fuit gemmeum, igneum et æneum: in quo ostenditur, quod duplex est continentia, scilicet corporalis, quæ quidem cum difficultate acquiritur, difficilius retinetur, sed difficillime, imo impossibiliter usque in finem sine gratia custoditur. Vestis itaque linea, sive candida, refertur ad castitatis honestatem, qua hominis animus mirabiliter decoratur: deaurata vero, ad ejusdem refertur continentiæ claritatem (*a*), sive pretiositatem, cui omnis virtus inæstimabilis, vel incomparabilis reputatur, juxta illud Ecclesiastici [8]: *Non est æqua* (*b*) *ponderatio continentis animæ.* Et Isaias [9]: *Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo.* Quod fuit similis chrysolitho lapidi, scilicet maris effigiem præferenti, igni sive fulguri, et æri candenti, omnimodam significat mentis puritatem: quæ quidem acquiritur per amaritudinem contritionis, et hoc chrysolitho designatur; et per inflammationem delectatio-

[1] *Dan.*, XIII, 8. — [2] *Apoc.*, III, 18. — [3] *Dan.*, x, 5. — [4] *Eccle.*, IX, 8. — [5] *Apoc.*, XVI, 15. — [6] *Sap.*, I, 4. — [7] *Dan.*, x, 5. — [8] *Eccli.*, VI, 15. — [9] *Isa.*, XIII, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* charitatem. — (*b*) Vulg. *digna*.

nis (c), et hoc in igne vel fulgure figuratur; et per invincibilem instantiam et continuationem operationis (d), et hoc in ære candente demonstratur, etc. Et hoc est quod dicitur in Ezechiele [1]: *Erat aspectus animalium, scintillæ quasi aspectus æris candentis, et sicut splendor ignis, et fulguris coruscantis, et quasi visio maris*, etc.

Item comparantur continentes Archangelorum ordini propter unificam simplicitatem: nam uniti per gratiam et amorem, alios nituntur inferiores ad divinam reducere unionem, ut dicit [2] Dionysius. Et hoc proprie convenit continentibus, qui divinæ simplitatis sequentes puritatem, divisas carnalium affectiones nituntur abstrahere ab illicitis, et reducere ad mentis et corporis castitatem, quia *cortina cortinam trahit*, sicut dicitur in Apocalypsi [3]; et in Ezechiele [4]: *Erant autem pennæ conjunctæ alterius ad alterum*, etc. Ideo Angeli se mutuo exhortantur ad sanctitatem, ut dicit Isaias [5]: *Clamabat alter ad alterum, dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus*, etc. Et Paulus [6]: *Esto exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide et castitate.*

Item, propter singularem quam habent cum Domino familiaritatem: nam Archangeli specialissime dicuntur Domino assistere, sicut sibi præ cæteris magis familiares, ut dicitur in Luca [7]: *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum*, etc. Et in Tobia [8]: *Ego sum Raphael, unus ex septem, qui astant ante Deum.* Et utique continentibus convenit, qui ratione vitæ incorruptæ Domino familiarius videntur adhærere, sicut de innocentibus dicitur [9]: *Virgines enim sunt, et sequuntur agnum quocumque ierit.* Ideo Joannes virgo permanens majorem familiaritatem cum Virginis Filio habuit et contraxit. Hoc est quod dicitur in libro Sapientiæ [10]: *Incorruptio facit propinquum Deo.*

[1] *Ezech.*, I, 7. — [2] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. IX. — [3] Lege *Exod.*, XXVI, 3; *Apoc.*, XXII, 11, quoad sensum. — [4] *Ezech.*, I, 9. — [5] *Isa.*, VI, 5. — [6] I *Tim.*, IV, 12. — [7] *Luc.*, I, 19. — [8] *Tob.*, XII, 15. — [9] *Apoc.*, XIV, 4. — [10] *Sap.*, VI, 20. — [11] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. IX. —

CAPUT III.

De Angelis.

Ultimus ordo est Angelorum. Unde Angeli sunt cœlestes spiritus ultimam hierarchiam perficientes, qui immediate se habent ad ecclesiasticam hierarchiam, ut eam purgent, perficiant et illuminent, ut ipsis mediantibus sit sursum ad Deum actio, conversio, communicatio, et unitio, dicit [11] Dionysius. Est autem *Angelus* nomen officii, non naturæ: semper enim spiritus sunt; sed cum mittuntur, *Angeli* vocantur. Unde illuminationes, quas ex superioribus accipiunt, ad nos deferunt, et secundum diversos gradus vitam humanam ordinant et disponunt, et ad divinam cognitionem nos adducunt. Unde sicut aliis ordinibus subsunt, ita hominibus præsunt; et ideo sursum se extendunt per dilectionem, deorsum progrediuntur per hominum gubernationem.

Subditi misericordes Angelis assimilantur.

Et istis angelis potissime assimilantur boni subditi quoad exercitium misericordiæ et compassionis: quia enim nos diligunt, ideo dona gratiarum, quæ a Deo recipiunt, nobiscum dividunt, et (c), quantum in eis est, laborant, ut ad divinæ gratiæ participationem nos perducant. Et quamvis Deo assistant per contemplationem, moventur tamen ad nos per dilectionem; et quæ in secreto contemplationis hauriunt, sanctis animabus communicant et transfundunt. Sic viri spirituales angelis se configurantes, operibus pietatis intendunt, et sua indigentibus distribuunt liberaliter, et impendunt. De quibus dicitur in Ecclesiastico [12]: *Isti sunt viri misericordiæ*, etc. Hoc docuit Tobias, dicens [13]: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; et si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impartiri stude.* Et in Proverbiis [14]: *Per misericordiam et fidem*, etc. Et Lucas [15]: *Estote misericordes*, etc. Talis fuit

[12] *Eccli.*, XLIV, 10. — [13] *Tob.*, IV, 9. — [14] *Prov.*, XV, 27. — [15] *Luc.*, VI, 36.

(a) *Forsa legendum* dilectionis. — (b) *Item* orationis. — (c) *Cæt. edit. add.* diligunt.

Job, qui dixit [1] : *Ab infantia crevit mecum miseratio, et de utero egressa est mecum.* Et ille est vere misericors, qui totum cor impendit miseriis proximorum.

Item Angelus, quia non dependet a materia corporali, transiens per materialia et sensibilia, ab ipsis non coarctatur, nec in aliquo coinquinatur : sic boni activi, transeuntes per bona temporalia, nullam ab illis contrahunt infectionem; nam ipsorum corda non dependent a terra : ideo dicit Psalmista [2] : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Non sic est de avaris, quorum affectus omnino dependet a terrenis, ut dicit idem Psalmista [3] : *Conglutinatus est in terra venter noster.* Et in Joanne (*a*) [4] : *Qui de terra est, de terra loquitur.* Et Isaias [5] : *De terra mussitabit eloquium tuum.* Et in Ecclesiastico [6] : *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam.*

Item Angelus illis, qui magis ei sese conformant, et vicinius appropinquant, plus se communicat; et ideo comparatur luci in *Genesi*, in *Luca*, et in *Actibus*. Nam sicut lux transparentia et diaphana manifestius illuminat, contracta autem et terrestria, propter grossitudinem sibi resistentem, non penetrat, nec immutat; sic lux angelica sibi appropinquantes perfectius illuminat et illustrat, et ideo ubi obstaculum improbæ voluntatis invenit, per hujusmodi affectum terrenum et grossum se non diffundit. Ideo dicitur in libro Sapientiæ [7] : *Spiritus disciplinæ effugiet fictum.* In quo per spiritum angelicum instruimur, quantum in nobis est, omnibus benefacere, sed præcipue domesticis fidei humanitatis obsequium propensius exhibere, et præcipue illis, qui nobiscum majorem habent in virtuosis operibus conformitatem, juxta illud Sapientis [8] : *Si benefeceris, scito cui benefeceris.* Pauper enim justus injusto præponendus est; quamvis tempore necessitatis bonis et malis sit eleemosyna facienda, juxta illud Lucæ [9] : *Omni petenti te tribue.* Ideo etiam in figura ignea leguntur Angeli apparuisse in multis locis sacræ Scripturæ : quia vis ignea omnia penetrat, et omnia purificat, et tamen perfectius illa immutat, quæ subtiliora sunt et in sua substantia puriora, et ad susceptionem suæ impressionis sunt habiliora.

Item Angeli, velocitate sua naturali, subito et in tempore inintelligibili (*b*) operantur : ideo comparantur ventis similiter in multis locis, et maxime a Psalmista, qui dicit [10] : *Volavit super pennas ventorum.* Nam ventus velociter agens non valet detineri, subito venit, et subito recedit, et causam motus non cognoscimus, et, ubi se occultat, non videmus : sic et Angeli. In hoc etiam assimilantur viri misericordes Angelis, qui statim quando pauperis indigentiam percipiunt, manum adjutricem porrigunt, et tanquam venti, nunc occulte, nunc manifeste ad subveniendum pauperi se exponunt, sicut fecit beatus Michael, qui subito et occulte sicut ventus ad sublevationem inopiæ sui populi prosilivit, juxta illud Sapientis [11] : *Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti.* Et in Job [12] : *Si expectare feci oculos viduæ.* Unde exemplo angelorum instruimur festinanter et occulte, sive inintelligibiliter (*c*) pauperi subvenire. Et hoc est contra aliquos, qui pauperibus bene promittunt, sed promissum non perducunt ad effectum. Contra quod dicitur [13] : *Ne dicas amico tuo : Vade, et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.*

Item virtus angelica uniformiter est permanens, et indefessa : ideo semper depingitur in forma hominis juvenis, et hoc propter vivificam angelorum virtutem semper convalescentem, et nunquam deficientem, vel ad antiquationem pertingentem. Et hoc congruit justis, qui a bono proposito non deficiunt, sicut faciunt aliqui, qui liberales et prodigi sunt in juventute, sed ad avari-

[1] *Job*, XXXI, 18. — [2] *Psal.* LXI, 11. — [3] *Psal.* XLIII, 25. — [4] *Joan.*, III, 31. — [5] *Isa.*, XXIX, 4. — [6] *Eccli.*, X, 10. — [7] *Sap.*, I, 5. — [8] *Eccli.*, XII, 1. — [9] *Luc.*, VI, 30. — [10] *Psal.* XVII, 11. — [11] *Eccli.*, IV, 3. — [12] *Job*, XXXI, 16. — [13] *Prov.*, III, 28. — (*a*) *Al.* Et Joannes. — (*b*) *Al.* intelligibili. — (*c*) intelligibiliter.

tiam se convertunt in senectute, et tunc potissime in horrea congregant, et temporalia coadunant, quando morti vicinius appropinquant, sicut legitur fecisse dives ille stultus in Luca[1] : *Hac nocte repetent animam tuam,* etc. Sed vir angelicus nunquam torpescit ab exercitio operum charitatis; imo tanto plus proficit in virtutibus, quanto procedit amplius in diebus : sicut de Aser dicitur in Deuteronomio[2] : *Sicut dies juventutis tuæ, ita et senectus tua.* Et in Psalmo[3] : *Senectus mea in misericordia uberi.* Sicut et Caleb[4], cum esset octogenarius, ita fortis fuit ad gradiendum et pugnandum, sicut tempore juventutis. Et in Psalmo[5] : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua,* etc.

Item Angeli habent virtutem motivam semper in divina procedentem, et ideo Angeli alati et pennati describuntur : alis enim et pennis a terra volucres elevantur. Sic boni et angelici viri alis geminæ charitatis ab amore terrenorum, affectu et voluntate separantur, et ad cœlestia, mente ab omni cura terrenorum expedita, elevantur. Istæ sunt duæ alæ, quæ datæ sunt mulieri, ut fugeret in desertum, ut dicitur[6] in Apocalypsi, et Isaia[7] : *Assument pennas ut aquilæ.* Et ideo describuntur Angeli in figura aquilæ, et significant sublimem ascensum Angelorum et hominum in divina, quando quæ sursum sunt, diligunt, et non quæ super terram. Alas quidem non aquilæ, sed potius milvi, habent impii, raptores et avari, pauperum oppressores, quibus non elevantur ad cœlum, sed potius deprimuntur ad infernum, ut dicit Zacharias[8] : *Datæ sunt ei alæ milvi*, et delata est in campum Senaar, quod interpretatur *fœtor*, et signat infernum, ubi deferuntur impii duplici ala adjuti, scilicet ala cupiditatis, et ala malignitatis. De quibus Hieremias[9] : *In alis tuis inventus est sanguis pauperum.*

Item Angeli tanta lege obedientiæ sunt astricti, quod nunquam ad aliud deflectuntur, nisi ad illud solum, ad quod Dei ipsius præsidentis nutu et imperio ducuntur, et ideo in figura equorum sæpius describuntur : nam sicut equus circumducitur fræno, sic ipsi divino imperio circumaguntur. Ita viri sancti in statu subjectionis constituti, velut equi ad Dei laudem infrænati, ab obedientiæ legibus non recedunt; sed nunc se exhibent Deo tanquam albos equos per vitæ munditiam et castitatem, nunc etiam ut nigros per humilitatem, et nunc rubeos sive igneos per fervidam charitatem, nunc varios per multiplicis meriti diversitatem. De his equis dicitur[10] : *Numquid præbebis equo fortitudinem?* Et in Proverbiis[11] : *Equus paratur ad bellum* (a), etc. Et in Zacharia[12] : *Visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda, et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.* Et in libro Machabæorum[13] : *Apparuerunt adversarii de cœlo viri quinque in equis, frœnis aureis decori,* etc., et in his puritas conscientiæ, et ductilitas obedientiæ designantur : nam talibus frænis Dei jumenta refrænantur, quia a voluntatis propriæ impetu voluntarie coarctantur. Unde Jacobus[14] : *Equis frœna in ora mittimus, ad consentiendum nobis, et omne corpus eorum circumferimus*, etc.

Item Angeli, quamvis ad diversa et contraria sint missi, tamen in se contrariis affectionibus et animi motibus non afficiuntur, et ideo vestimenta varia, et aureis zonis constricta, habuisse dicuntur. Nam Angelus habet virtutem servandi firmiter, et coadunandi et suas, et subditorum affectiones, ut singulæ et universæ in Deum justificentur, et ad ipsum reducantur, sicut vestes, ne decidant, circa corpus zona colligantur. Et hoc proprium est existentibus in activa vita, ut quamvis corpora circa diversa sint distracta, corda tamen quoad intentio-

[1] *Luc.*, XII, 20. — [2] *Deut.*, XXXIII, 25. — [3] *Psal.* XCI, 11. — [4] *Jos.*, XIV, 11. — [5] *Psal.* CII, 6. — [6] *Apoc.*, XII, 14. — [7] *Isa.*, XL, 31. — [8] *Zach.*, V, 9, 11. — [9] *Jerem.*, II, 34. — [10] *Job*, XXXIX, 19. — [11] *Prov.*, XXI, 31. — [12] *Zach.*, X, 3. — [13] II *Mach.*, X, 29. — [14] *Jac.*, III, 3.

(a) Vulg. *diem belli.*

nem finis semper in Domino sint unita : sicut fuerunt corda discipulorum, de quibus dicitur [1] : *Erat omnibus cor unum et anima una in Domino.* Varia ipsa vestimenta, varia sunt virtutum opera, quæ zona charitatis, quæ [2] *est vinculum perfectionis*, ad finem unicum uniuntur, juxta illud Lucæ [3] : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ*, etc. : lumbi quidem cingulo castitatis, sed pectus zona aurea charitatis. Et in Ecclesiastico [4] : *Circumcinxit eum zona justitiæ*, etc.

Item, quando ad exteriora mittuntur, orationes et merita singulorum, vel demerita, sub certo justitiæ pondere et mensura ad Deum reducere perhibentur, ut patet [5] in libro Tobiæ : ideo instrumenta mensurandi et ponderandi [6] in manibus gestare videntur. Quibus sunt similes viri justi, qui non solum propria, verum etiam aliena nituntur apud Deum in orationibus et gratiarum actionibus habere recommendata. Eamdem enim mensuram gratiæ et gloriæ a justa Dei providentia profuturam desiderant, quam ex proprio merito a summo judice jam expectant. Unde Paulus [7] : *De reliquo reposita est mihi corona justitiæ*, etc.

QUARTA PARS

(Quæ mutila, ac imperfecta est)

DE CŒLI ET FIRMAMENTI VARIIS SIGNIFICATIONIBUS (a)

CAPUT PRIMUM.

Cœli nomine varia in Scriptura significari, et quomodo nomine cœli significentur angeli.

[8] *Vocavit Deus firmamentum cœlum*, etc. Viso qualiter ordines angelorum figurative possint adaptari diversis ordinibus hominum electorum, nunc ad intuendas cœli et cœlestium corporum proprietates est breviter transeundum. Et cum sit multiplex cœlum, ex consideratione proprietatum corporum cœlestium multiplicem possumus elicere mysticum intellectum. Dicitur enim in Deutorenomio [9] : *En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœlorum*, etc. Ibi dicit Glossa : « Nonnulli dicunt septem esse cœlos : primum aereum, secundum æthereum, tertium olympium, quartum igneum, quintum firmamentum, sextum aqueum sive crystallinum, septimum empyreum. » Nomine igitur cœlorum intelligere possumus statum et dignitatem tam hominum, quam angelorum electorum, quorum conversatio in cœlis est.

Cœli itaque nomine quandoque in Scriptura intelligitur puritas angelorum, quandoque dignitas sanctorum, quandoque potestas sive auctoritas, quandoque sublimis vita et conversatio justorum, quandoque occultatio divinorum judiciorum. Cœlo igitur primo, scilicet empyreo, puritas angelica comparatur, de quo dicit Basilius : « Cœlum primum est natura simplicissimum, de corpulentia habens naturam subtilissimam, et tamen solidissimam, primum mundi inferiorum contentivum, ordinativum et informativum : quod propter suam

Cœli nomine varia in Scriptura significantur.

[1] *Act.*, IV, 32. — [2] *Coloss.*, III, 14. — [3] *Luc.*, XII, 35. — [4] *Eccli.*, XLV, 9. — [5] *Tob.*, XII, 12. — [6] *Ezech.*, XL, 5; *Amos*, VII, 7; *Apoc.*, XXI, 15. — [7] II *Tim.*, IV, 8. — [8] *Gen.*, I, 8. — [9] *Deut.*, X, 14.

(a) *Cæt. edit. deest titulus ille* De cœli, *etc.*

dignitatem est singularis Dei sedes, sive habitaculum nuncupatum. » Hæc omnia beatissimis spiritibus congruunt, in quibus singulariter requiescit Deus per aptissimam et ordinatissimam voluntatis conformitatem. Unde dicit Isaias[1]: *Cœlum sedes mea est*, etc. Et Psalmista[2]: *Dominus, in cœlo sedes ejus.* Et iterum[3]: *Dominus in cœlo paravit sedem suam.* Et in Apocalypsi dicitur[4]: *Et ecce ostium apertum in cœlo.* Et parum infra: *Et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens.*

Dicuntur itaque angeli cœlum propter omnimodam incorruptionem, et naturæ suæ puritatem: nihil enim habent corpulentiæ, qui ab omnibus corporis passionibus sunt divisi. Ideo dicitur in Exodo[5]: *Sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphiri, et quasi cœlum, cum serenum est.* Unde sicut cœlum serenum, serena est et pura natura angelorum, cui nulla prorsus adhæret oppilatio carnalium passionum, nulla attingit infectio morum vel affectionum.

Item secundo subtilissimi sunt quantum ad intelligentiæ perspicacitatem; unde dicit Psalmista[6]: *Qui fecit cœlos in intellectu*: quia quanto sunt Deo viciniores, tanto in secretis divinis et arcanis Dei sunt subtiliores, et ad videndum omnia in speculo aptiores. Dicit enim Ezechiel[7]: *Plenus sapientia, et perfectus decore*, etc.

Item tertio solidissimi sunt quantum ad naturæ incorruptæ perpetuitatem, et fixam ac stabilem in Deo voluntatem, sicut dicit Job[8]: *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi œre fusi sunt:* ibi Glossa: « Angelici spiritus, qui in cœlestibus sunt conditi, per cœlos exprimuntur, qui ab integritate etiam acceptæ fortitudinis, nulla mutabilitatis rubigine consumuntur. Ideo dicitur in Ezechiele[9]: *Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis.* Crystallus firmam soliditatem habet, et radium solis in se recipiens, ignem emittit: sic divini spiritus soliditatem habent in constantia virtuosæ actionis, et perspicacitatem in perceptione divinæ illuminationis. Unde dicitur in Apocalypsi[10]: *Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ tanquam crystallum procedentem de sede Dei.* Per fluvium crystallinum, de sede procedentem, possumus intelligere abundantiam virtutis et gratiæ, quam divina virtus per angelorum ministerium in nobis operatur.

Item quarto quantitate sunt maximi, non per dimensionem, sed per virtutem et potestatem. Immensam enim habent altitudinem quoad divinorum præceptorum (*a*); immensam latitudinem, quoad completissimam dilectionem; maximam profunditatem, quoad secretorum cognitionem. Unde in Ecclesiastico[11]: *Altitudinis firmamentum, pulchritudo ejus*, etc. Et Isaias[12]: *Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit?* Glossa: « Ut divina manus cœlestium spirituum potentiam ponderat, et eorum virtutes numerat et mensurat. »

Item quinto qualitate sunt lucidi sicut cœli per scientiæ et sapientiæ claritatem. Nam cœlestes spiritus illuminantur a fonte primi luminis per sapientiæ receptionem, et alios illuminant per gratiæ susceptæ communicationem, juxta illud Apocalypsis[13]: *Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, et terra illuminata est a gloria ejus.* Et Lucas[14]: *Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos*, etc. Et in Actibus[15]: *Angelus Domini astitit, et lumen refulsit*, etc.

Item sexto figuratione sunt sphærici per contemplationis continuationem (*b*), quia mens angelica a fonte primi luminis primas recipit influitiones, quas postea ad alios diffundit, et diffundendo et communicando, illos, quibus communicat, ad Deum revocat et

[1] *Isa.*, LXVI, 1. — [2] *Psal.* X, 5. — [3] *Psal.* CII, 19. — [4] *Apoc.*, IV, 1, 2. — [5] *Exod.*, XXIV, 10. — [6] *Psal.* CXXXV, 5. — [7] *Ezech.*, XXVIII, 12. — [8] *Job*, XXXVIII, 18. — [9] *Ezech.*, I, 22. — [10] *Apoc.*, XXII, 1. — [11] *Eccli.*, XLIII, 1. — [12] *Isa.*, XL, 12. — [13] *Apoc.*, XVIII, 1 — [14] *Luc.*, II, 9. — [15] *Act.*, XII, 7.

(*a*) *Deest forsan* auditionem, *aut aliud simile.* — (*b*) *Cæt. edit.* continuationis contemplationem.

reducit. Unde affectus angelicus circulariter movetur, quia primo movetur in Deum, et de Deo in proximum per dilectionem, et iterum a proximo movetur in Deum per dilectionis extensionem et continuationem. Unde dicitur in Ezechiele [1] : *Ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* In quo notatur motus circularis in angelica affectione. Fulgur enim, sicut ibi dicit Glossa, ab igne exit, et discurrens subito ad ignem tanquam ad matricem redit : sic spiritus angelicus a Deo gratiæ influentiam per contemplationem recipit, et communicando aliis, per gratiarum actionem ad Deum, qui est ignis consumens, redire non desistit, exit ministrando, redit laudando et contemplando, juxta illud Ecclesiastici [2] : *Gyrum cœli circuivi sola*, etc. Et Psalmista [3] : *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis*, etc. Apocalypsis [4] : *Omnes Angeli stabant in circuitu throni.* Et Ezechiel [5] : *Splendor erat in circuitu ejus.*

Item septimo, situ sunt supremi, non per circumspectionem, sed per dignitatem : nam dignitate naturæ et officio excellunt alias creaturas, sicut cœlum alia præexcellit elementa. Tanto enim sunt omnibus superiores, quanto Deo per familiaritatem et gratiam sunt propinquiores. Unde dicit Job [6] : *Suscipe cœlum, et intuere æthera, quod altior te sit.* Ibi Glossa : « In cœlo et in æthere supernas accipere possumus potestates, quas jubemur ut intueamur, ut cum angelicos spiritus longe a nobis distare conspicimus, ab ipso Creatore spirituum quantum differamus, cognoscamus. »

Item octavo, omnium inferiorum sunt contentivi quantum ad charitatem. Nam ex affectu dilectionis, angeli hominibus electis administrant, et in esse gratiæ detinent et conservant, sicut dicitur in Psalmis [7] : *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te*, etc. Et iterum [8] : *Immittet* (a) *Angelus Domini in circuitu*, etc. Et Sapiens [9] : *Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Et Esther ait [10] : *Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ.*

Item nono, omnium inferiorum ordinativi : nam circuli cœli ordinate se intersecant, et hæc inferiora nunc calore, nunc frigore ordinant et immutant : sic cœlestes spiritus, in se ordinati, aliorum sunt ordinativi, dicente Job [11] : *Numquid nosti ordinem cœli, aut rationem ejus pones in terra?* etc. Ordinem cœli noscere, est dispositionem supernarum virtutum videre. Rationem ejus ponit in terra, qui vitam suam disponit secundum cœlestia, et angelorum patrocinio affectionem suam erigit ad æterna. Et Hieremias [12] : *Templum juxta ordinem suum fundabitur*, etc. Ad Galatas dicitur [3] : *Ordinata* (est lex) *per angelos in manu mediatoris.* Ex his igitur novem cœli proprietatibus, manifestum est angelicam naturam in Scriptura cœlum aptissime nuncupari.

CAPUT II.

Cœlorum nomine quomodo apostoli sancti significentur.

Cœlorum etiam nomine apostoli sancti possunt merito designari, de quibus Job [14] : *Spiritus Domini ornavit cœlos*, ubi dicit Gregorius [15] : « Nisi apostoli Christi promissa Paracleti dona percepissent, nullo virtutis decore claruissent. » Hæc vitam cœlestem et conversationem spiritualem advocavit. Unde Isaias dicit [16] : *Posui verba mea in ore tuo, et in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, et fundes terram.* Hi sunt cœli, qui ubique enarraverunt gloriam Dei, qui cœlos stabiliunt prudentia, cujus rore nubes concrescunt, ut dicitur [17]

[1] *Ezech.*, I, 13. — [2] *Eccli.*, XXIV, 8. — [3] *Psal.* XXVI, 6. — [4] *Apoc.*, VII, 11. — [5] *Ezech*, I, 4. — [6] *Job*, XXXV, 5. — [7] *Psal.* XC, 11. — [8] *Psal.* XXXIII, 8. *Sap.*, I, 7. — [10] *Esth.*, XIII, 10. 11. — [11] *Job*, XXXVIII, 33. — [12] *Jerem.*, XXX, 18. — [13] *Gal.*, III, 19. — [14] *Job*, XXVI, 13. — [15] Greg., *Moral.*, lib. XVII, c. XIX. — [16] *Isa.*, LI, 16. — [17] *Prov.*, III, 20.

(a) Cæt. edit. *Immittit.*

in Proverbiis. Nam sanctorum apostolorum vita pariter, et doctrina, universus mundus, quasi rore quodam salutifero, medullitus irrigatur, ut dicitur in Deuteronomio [1] : *Caligabunt cœli rore.* Ibi dicit Glossa : « Tunc apostoli fuerunt quasi cœli rore pleni, quando subtili et suavi doctrina Christi cœlitus sunt imbuti. » Non enim fructificat, quod hujus roris perfusio non fecundat. Ideo Isaias, præsentiam apostolorum desiderans, exclamat dicens [2] : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant,* etc. Fuerunt itaque apostoli quasi cœli, sed aerei, in ipsorum vocatione, quando scilicet, a terrena conversatione elevati, divinis laudibus et proximorum profectibus a Domino sunt deputati. Nam aer a terra elevatur, et substantiæ suæ subtilitate cœlo assimilatur, et propter conformitatem quam habet in cœlo, sæpius in Scripturis aeris interstitium cœlum nuncupatur, sicut Matthæus dicit [3] : *Venerunt volucres cœli, et comederunt ea.* Et in Psalmis [4] : *Super ea volucres cœli habitabunt.* Ait etiam Job [5] : *Volatilia cœli indicabunt tibi.* Nam apostoli, doctores fidei, virtutum pennis de terrenis elevati, prædicationis discursu per mundum universum circumvolaverunt, et velut cœli aerei nunc tonantes minis, nunc pluentes doctrinis, nunc miraculis coruscantes, sopitorum corda in peccatis salubriter commoverunt, sicut scriptum est in Psalmis [6] : *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ; vidit, et commota est terra.* Et in libro Judicium [7] : *Terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis.* Item cœli, scilicet ætherei, sunt facti in ipsorum perfectione, sive in perfecta vitæ Christi imitatione. Æther enim naturam ignis imitatur; ignis est Christus, qui est ignis consumens. Unde in Deuteronomio [8] : *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Cujus puritatem tam in vita, quam in doctrina, apostoli, post eorum vocationem, perfectissime sunt secuti. Unde Job [9] : *Suspice cœlum, et intuere, et contemplare æthera*, etc.; quasi dicat : Considera æthercam et cœlestem conversationem in apostolis, qui exemplo Christi omnia contempserunt in terris, ut suo Regi essent similes, qui habitat in supernis. Unde dicitur in Proverbiis [10] : *Quando præparabat cœlos, aderam, quando æthera firmabat sursum.*

Item cœli ignei sunt effecti in Spiritus sancti missione, quando a Christo vocati, et ipsius vestigia plenissime imitati, igne cœlesti in adventu Spiritus sancti sunt repleti, et quidquid in eis fuerat infirmitatis vel imperfectionis, in istius ignis præsentia penitus est consumptum, juxta Sophoniam [11] : *In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra*, etc. Et in Threnis [12] : *De excelso misit ignem in ossibus meis*, id est, charitatis fervorem in apostolis, per quorum igneam conversationem universalis Ecclesia amore Christi est undique inflammata. Unde dicit Zacharias [13] : *Ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis, et sicut facem ignis in fœno, et devorabunt ad dexteram et sinistram omnes populos,* etc. Duces Juda fuerunt apostoli primitivi, qui dicuntur [14] *Ecclesiarum Principes, et belli* Christi *triumphales duces,* qui charitatis camino succensi, quidquid fuit in se et in aliis ligni, stipulæ, vel fœni omnino annihilaverunt, et populos credentes per fidem et amorem Christo incorporantes, in igneam et cœlestem conversationem transtulerunt, juxta illud Levitici [15] : *Egressus ignis a Domino devoravit holocaustum, et adipes qui erant super altare.* Et in tertio Regum [16] : *Cecidit ignis Domini de cœlo, et voravit holocaustum, et ligna et lapides, pulverem quoque, et aquam quæ erat in aquæductu lambens:* omnia enim peccata, mortalia et venialia, carnalia et spiritualia, velut pulverem et ligna, spiritus ignitæ charitatis, per aposto-

[1] *Deut.*, XXXIII, 28. — [2] *Isa.*, XLV, 8. — [3] *Matth.*, XIII, 4. — [4] *Psal.* CIII, 12. — [5] *Job*, XII, 7. — [6] *Psal.* LXXVI, 19. — [7] *Judic.*, V, 4. — [8] *Deut.*, IV, 24. — [9] *Job*, XXXV, 5. — [10] *Prov.*, VIII, 27. — [11] *Sophon.*, III, 8. — [12] *Thren.*, I, 13. — [13] *Zach.*, XII, 6. — [14] Hymn. in fest. Apost. — [15] *Levit.*, IX, 24. — [16] III *Reg.*, XVIII, 38.

lorum ministerium, in hominibus consumebat, et in cœlestem ac igneam naturam convertebat.

Item quasi cœli siderei refulserunt in miraculorum perpetratione, quando scilicet, divino Spiritu repleti, miraculis claruerunt, et veritatem fidei, quam docebant, prodigiorum ostensione, et cœlestis virtutis approbatione, tam efficaciter affirmarunt, quod nec sapientes mundi, nec etiam tyrannorum gladii fulgorem fidei extinguere potuerunt. Habacuc ait [1] : *Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Nam fulgore miraculorum, quasi cum hasta Petrus et Paulus Simonem Magum dejiciebant, et Neronem Romanorum principem, virtuosis operibus devincebant, juxta illud Judicum [2] : *De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine suo,* etç. Tot itaque sideribus refulserunt, quot miraculis et virtuosis operibus claruerunt : ideo dicitur in Genesi [3], quod *fecit Deus stellas, et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent,* etc. Et in eodem [4] : *Suspice cœlum, et numera stellas, sic erit semen tuum.* Unde dicitur in Ecclesiastico [5] : *Species cœli est gloria stellarum.*

Item crystallini effecti sunt cœli in ipsorum passione, quando nulla injuria, nulla tormenti violentia potuerunt a fide Christi dividi vel avelli, ut patet *ad Romanos*, ubi dicitur [6] : *Quis nos separabit a charitate Christi?* Unde fidem, quam docebant (*a*), per passionis constantiam roborabant, et ad moriendum pro fide alios animabant. Unde dicitur in Ezechiele [7] : *Similitudo firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis.* Crystallus primo est aqueus et fluidus; sed, perflante vento, coadunatione partium fit solidus atque durus. Aqueus et fluidus fuit Petrus, quando ad vocem ancillæ, dum mori timuit, auctorem vitæ se noscere denegavit; sed per venti flatum, id est, per Spiritus sancti adventum, fuit ipse in firmitatem crystallinam subito induratus, quando dixit in Actibus [8] : *Non enim possumus quæ audivimus et vidimus, non loqui.* Per Ecclesiasticum [9] : *Gelavit crystallus ex aqua.*

Cœli vero empyrei facti sunt in eorum glorificatione : nam cœlum empyreum totum splendidum est, nihil habens tenebrarum ; quod sanctis glorificatis convenit, quorum splendor cœli splendorem superavit. Unde Tobias [10] : *Luce splendida fulgebis.* Et Ecclesiasticus [11] : *Vas castrorum in firmamento cœli resplendens.* Et Daniel [12] : *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti.* Et Sapiens [13] : *Et fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Et Isaias [14] : *Implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit.*

CAPUT III.

Cœlorum nomine auctoritas judicum et prælatorum designatur.

Patet itaque, quod merito sancti apostoli dicti sunt cœli : quibus assimilari debent prælati, ipsorum successores : nomine enim cœlorum intelligitur auctoritas judicum (*b*) et prælatorum, qui sicut in officii dignitate, sic in merito et vitæ sanctitate cœlestem apostolorum conversationem deberent in seipsis exhibere. Auctoritas enim apostolica in cœlestibus sacramentis distribuendis, in verbi vitæ mysteriis (*c*) exponendis, in sopiendis litibus, et judiciis faciendis, ad Ecclesiarum prælatos est ex ordinatione dominica derivata. Cœlestis igitur debent esse virtutis et naturæ, qui se et alios debent de cœlestibus expedire. In hujus rei figuram Dominus manna de cœlo pluit, ut habetur [15] in Exodo. De cœlo docuit, ut (*d*) alibi [16] : *Vos vidistis, quod de cœlo locutus sum vobis.* De cœlo etiam leges et judicia Hebræorum populo promulgavit, ut patet in *Deuterono-*

[1] *Habac*, III, 11. — [2] *Judic.*, V. 20. — [3] *Gen.*, I, 16. — [4] *Gen.*, XV, 5. — [5] *Eccli.*, XLIII, 10. — [6] *Rom.*, VIII, 35. — [7] *Ezech.*, I, 22. — [8] *Act.*, IV, 20. — [9] *Eccli.*, XLIII, 22. — [10] *Tob.*, XIII, 13. — [11] *Eccli.*, XLIII, 9. — [12] *Dan.*, XII, 3. — [13] *Sap.*, III, 7. — [14] *Isa.*, LVIII, 11. — [15] *Exod.*, XVI, 4. — [16] *Exod.*, XX, 22.

(*a*) *Cæt. edit.* dicebant. — (*b*) Judicis. — (*c*) Ministeriis. — (*d*) Et.

mio[1] et *Exodo*[2], ut sic cœli nomine nos patenter instrueret, quod officium conficiendi panem vitæ, docendi etiam, et judicandi alios, nullus sibi assumeret, qui cœlestem naturam scientia et moribus non haberet. Propter quod dicit Psalmista[3] : *Annuntiabunt cœli justitiam ejus.* Non enim possunt annuntiare Dei justitias homines impii et terreni. Unde Psalmographus[4] : *Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas?* Sed cœli, id est, cœlestes viri, quorum conversatio in cœlis est, ad cœleste officium sunt digni.

Dicuntur autem prælati *cœli* propter plura. Primo, quia sunt luminosi, et luminis diffusivi, sicut cœlum : quod bonis prælatis convenit, qui sunt luminosi in se per conscientiæ puritatem, et lumen ad alios diffundunt per doctrinam et sanctæ conversationis claritatem. Quibus dicit Dominus[5] : *Vos estis lux mundi.* Et ibidem : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Et in Ecclesiastico[6] : *Species cœli, gloria stellarum mundum illuminans*, etc. Sic lucidi fuerunt apostoli, et alii patres primitivi, ut patet in Moyse, qui, ex consortio Dei in monte, tantam contraxit claritatem in facie, quod ejus vultum non poterant Judæi intueri, ut patet[7] in Exodo. Plurimi autem prælati moderni temporis hanc claritatem perdiderunt. Unde dici potest illud Hieremiæ[8] : *Aspexi cœlos, et non erat lux in eis.* Et Isaias[9] : *Stellæ cœli et splendor earum non expandent lumen suum.* Et Ezechiel[10] : *Et operiam, cum extinctus fuerit, cœlos, nigrescere faciam et stellas ejus.* Et quia prælati nec in vita, nec in scientia sunt luminosi, ideo non est mirum si subditi fiant (*a*) tenebrosi, sicut Tobias, qui dixit[11] : *In tenebris sedeo, et lumen cœli non video.* Et Amos[12] : *Tenebrescere faciam terram in die luminis*, etc.

Item secundo, uniformiter sunt motivi, et in suo motu velocissimi. Cœlum enim est mobile et inquietum, cujus motus est revolubilis super medium, id est, super axem : in quo ostenditur bonorum prælatorum diligentia et sollicitudo circa curam et salutem suorum subditorum, qui more cœli prædicando moventur, juxta illud Ecclesiastici[13] : *Ecce cœlum, et cœli cœlorum, abyssus, et universa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur.* Virtus enim motiva cœli rapit firmamentum ab oriente in occidentem, et iterum redit de occidente ad orientem : sic vir perfectus a quiete contemplationis procedit ad laborem prædicationis, et iterum, peracto exercitio operis, procedit orando, sicut fecit Moyses, qui postquam fregerat vitulum, et corripuerat populum, ait ad populum[14] : *Peccastis peccatum maximum : revertar ad Dominum, si quo modo quivero ipsum deprecari pro scelere isto.* Reversusque ad Dominum ait : *Obsecro, Domine, aut dimitte ei hanc noxam*, etc. (*b*). Sic autem obsecrantes libenter exaudit Deus. Et in Osea[15] : *In die illa ego exaudiam cœlos, et cœli exaudient terram.* De hoc motu circulari dicitur in Ezechiele[16] : *Ibant et revertebantur in similitudinem fulguris*, etc. Et in Job[17] : *Lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit.* Et in Ecclesiaste[18] : *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur*, se movendo, (*c*) et circumeundo. Cœlum semper volvitur circa axem, cui innitens medium nunquam derelinquit. Axis est Christus, cui per intentionem et amorem semper adhæret, et innititur vir perfectus : et talis medium virtutis non deserit, qui Mediatori Dei et hominum in omnibus suis operibus se conjungit.

Item tertio, cœlum continuatione sui motus est principium generationis et corruptionis effectivum : et hoc proprie convenit prælatis, qui filios gratiæ per Evangelium Domino

[1] *Deut.*, v. — [2] *Exod.*, xx. — [3] *Psal.* xxi, 32. — [4] *Psal.* xlix, 16. — [5] *Matth.*, v, 14, 15. — [6] *Eccli.*, xliii, 10. — [7] *Exod.*, xxxiv, 30. — [8] *Jerem.*, iv, 23. — [9] *Isa.*, xiii, 10. — [10] *Ezech.*, xxxii, 7. — [11] *Tob.*, v, 12. — [12] *Amos*, viii, 9. — [13] *Eccli.*, xvi, 16. — [14] *Exod.*, xxxii, 30, 31. — [15] *Ose.*, ii, 21. — [16] *Ezech.*, i, 14. — [17] *Job*, xxxvii, 12. — [18] *Eccle.*, i, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* fuerant. — (*b*) *Cæt. edit. add.* In Exodo. — (*c*) *Item add.* se.

generant, et virtutum germina in subditorum cordibus radicantes, vitium extrahunt et extirpant, et rore (*a*) doctrinæ salutaris irrigant et fecundant. Et Isaias[1] : *Quomodo descendit de cœlo imber, et nix, et inebriat terram, et infundit eam, et germinare facit ipsam; sic verbum quod procedit,* etc. Et Zacharias[2] : *Vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum, et cœli dabunt rorem suum.* Si cœli tempore nostro essent roriflui, id est, prælati essent dono cœlestis sapientiæ repleti, tunc utique populares et subditi fructiferi fierent et fecundi; sed quia prælati aridi sunt et duri, ideo non proficiunt subditi. Ideo dicitur in Deuteronomio[3] : *Sit cœlum supra te æneum, et terra quam calcas ferrea.* Et sequitur : *De cœlo descendat super te cinis.*

Item quarto, cœlum est siderum errantium repressivum : nam violentia sui motus planetas evagantes retrahit, et motu diuturno ab Oriente in Occidentem post se rapit. Stellæ errantes, subditi sunt peccantes, ut in Canonica Judæ[4] : *Sidera sunt errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* Et in Job[5] : *Obtenebrentur stellæ caligine ejus*, etc. Ibi ait Gregorius : « Quos serpens tortuosus durus per malitiam ad necem percutit, fuisse latentes hypocritas velut stellas caliginosas ostendit, ut quales interius fuerint latenter in prosperis, evidenter pateat in adversis. » De his stellis ait Job[6] : *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Horum siderum motum inordinatum cœli, id est, justi Prælati cœlestis legis judicio reprimunt, quando talium excessus corrigunt, et correctos ad frugem melioris vitæ provehunt et compellunt. Unde Paulus[7]: *Corripite inquietos.* Et Psalmista[8] : *Cœli distillaverunt a facie Dei Israel.* Tunc cœlestes animi non furoris grandinem, sed imbris dulcedinem stillant, quando divinam clementiam circa peccatores intuentes, non cum severitatis impetu, sed blandientis animi affectu, mentes corrigunt et castigant. Unde Psalmista[9] : *Corripiet me vir justus in misericordia, et increpabit me,* etc. Et Hieremias[10] : *Corripe me, verumtamen in judicio, et non in furore, ne forte,* etc.

Item quinto, cœlum est inferiorum informativum; inferiora enim sunt in superioribus tanquam in propriis formis, ut dicit Philosophus, quia secundum varias corporum impressiones figurantur, et formantur species inferiores. Et hoc prælatis congruit, quorum vita vitæ subditorum debet in omnibus esse forma, sicut dicit Petrus in prima Canonica[11] : *Forma facti gregis ex animo*, etc. Et secunda ad Thessalonicenses[12] : *Ipsi scitis qualiter oportet vos imitari nos; quoniam non inquieti fuimus*, etc. Et sequitur : *Non quasi non habuerimus potestatem; sed ut nosmetipsos daremus vobis formam ad imitandum nos.* Et ad Philippenses[13] : *Imitatores mei estote, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Forma enim debent esse subditorum in doctrina veritatis. Et ad Romanos[14] : *Confidis te esse ducem cæcorum, magistrum infantium, habentem formam scientiæ et veritatis in lege.* Et ad Thessalonicenses[15] : *Forma facti estis omnibus credentibus in Macedonia.*

Item in munditia castitatis, ut patet ad Timotheum[16] : *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, et in castitate.*

Item in excellentia humilitatis; dicitur enim in Ecclesiastico[17] : *In brachio suo formabit lutum, et ante pedes suos curvabit virtutem suam.* Prima forma informat animam ex parte rationalis; secunda, ex parte concupiscibilis; tertia, ex parte irascibilis. Sed ne aliquid in subditis relinquatur non formatum, informandi sunt a suis superioribus ultima forma, scilicet forma per-

[1] *Isa.*, LV, 10. — [2] *Zach.*, VIII, 12. — [3] *Deut.*, XXVIII, 23, 24. — [4] *Jud.*, 13. — [5] *Job*, III, 9. — [6] *Job*, XXV, 5. — [7] I *Thess.*, V, 14. — [8] *Psal.* LXVII, 9. — (*a*) *Cæt. edit.* jure.

[9] *Psal.* CXL, 5. — [10] *Jerem.*, X, 24. — [11] I *Petr.*, V, 3. — [12] II *Thess.*, III, 8, 9. — [13] *Philipp.*, III, 17. — [14] *Rom.*, II, 20. — [15] I *Thess.*, I, 7. — [16] I *Tim.*, IV, 12. — [17] *Eccli.*, XXXVIII, 33.

fectissimæ charitatis, de qua dicitur in Sapientia [1] : *Amator factus sum formæ illius.* Istius formæ impressor fuit Paulus, cum dixit [2] : *Imitatores Dei estote sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione.* Ad tales informationes cœlestes in subditis imprimendas, invitavit Deus Moysen, cum dixit [3] : *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Opera itaque prælatorum velut quædam exemplaria cœlestia objicienda sunt oculis subditorum. Unde Psalmista [4] : *Quoniam videbo cœlos tuos*, etc.

Item sexto, cœlum est omnium motuum inferiorum dimensivum : nam motus cœli est primum temporis subjectum, et omnium motuum inferiorum mensura. Unde qui motum corporis cœlestis non considerat, in computatione temporis multum errat. Sic auctoritas et jurisdictio Prælatorum regula est et mensura subditorum : nam juxta ordinatum motum voluntatis superiorum, moveri debent corda et voluntates inferiorum. Ipsorum enim est officium, subjectorum corda discutere, et de singulorum factis rationem et computum exigere : quia de factis subditorum reddituri sunt rationem, quando dicetur illud Hieremiæ [5] : *Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* Et Ezechiel [6] : *De manu tua requiram.* Et tertio Regum [7] : *Custodi virum justum : qui si elapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Et ad Hebræos [8] : *Ipsi pervigilant, quasi reddituri rationem pro animabus vestris.* Ideo motus et affectiones oportet mensurare, et cognoscere merita singulorum, sicut dicit Salomon [9] : *Diligenter cognosce vultum pecoris tui*, ne scilicet contingat errare in reddendo rationem. Et Job [10] : *Quis enarrabit rationem cœlorum?* etc. Difficile utique est enarrare, quam districtam requiret a Prælatis de subditis rationem, quando dicet unicuique [11] : *Redde rationem villicationis tuæ.* Et Isaias [12] : *Visitabit militiam cœli in excelso, et super reges qui sunt super terram.*

Item septimo, cœlum aquarum superiorum et inferiorum discretivum est, sicut dicitur in Genesi [13] : *Posuit firmamentum in medio aquarum, et divisit aquas ab aquis :* et signat Prælatos Ecclesiæ, qui fidei firmitate, et fortitudinis robore, contemplativos quasi superiores aquas sursum tenent, ne labantur ad inferiora, et sæcularibus negotiis se implicent; et sæcularibus implicitos quasi aquas mobiles sub se coercent, ne tranquillitatem contemplativorum perturbent. Discernunt etiam inter bonos, qui cœlestem habent puritatem, et malos, qui carnalem habent fluiditatem : spirituales scilicet sursum tenendo per consolationem, carnales deprimendo et compellendo subire correctionem. Vita etiam prælatorum inter vitam contemplativam et activam, quasi in medio, firmata est, et quasi ex utraque compacta; eorum etiam diligentia se debet interponere mediam inter hujus mundi divites et tyrannos, et inter pauperes ac infirmos, ne sinant violentiam divitum transire in oppressionem pauperum, nec insolentiam pauperum in fraudem et contemptum potentium, sive suorum dominorum : ideo in persona boni Prælati dicitur de Joseph in Ecclesiastico [14] : *Natus est homo princeps* (*a*), *firmamentum gentis, stabilimentum populi*, etc. Proprie igitur nomine cœlorum significatur in Scripturis potestas prælatorum, qui auctoritate et potentia Christi Ecclesiam disponunt et gubernant, sicut cœli inferiora mundi elementa ordinant et immutant.

[1] *Sap.*, VIII, 2. — [2] *Ephes.*, V, 1. — [3] *Exod.*, XXV, 40. — [4] *Psal.* VIII, 4. — [5] *Jerem.*, XIII, 20. — [6] *Ezech.*, III, 18. — [7] III *Reg.*, XX, 39. — [8] *Hebr.*, XIII, 17. — [9] *Prov.*, XXVII, 23. — [10] *Job*, XXXVIII, 37. — [11] *Luc.*, XVI, 2. — [12] *Isa.*, XXIV, 21. — [13] *Gen.*, I, 7. — [14] *Eccli.*, XLIX, 14.

(*a*) Suppl. *fratrum.*

CAPUT IV.

Cœlorum nomine religiosi et contemplativi significantur.

Cœlorum etiam nomine intelligitur sanctitas religiosorum, sive cœlestis et sublimis conversatio contemplativorum, in quorum mentibus pacificis et quietis, divina virtus tanquam in cœlis singulariter requiescit, juxta illud Isaiæ [1] : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*, etc. De his cœlis dicit Psalmista [2] : *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine.* Hi cœli sunt claustrales et contemplativi, qui ad cœlestem vitam divina gratia elevati, in divinæ laudis confessione continue perseverant : quia, sicut dicit Glossa : « ante suam conversionem ad pœnitentiam, heri fuerant vorago ebrietatis, hodie ad Deum conversi, effecti sunt ornamentum sobrietatis : heri cœlum luxuriæ, hodie decus temperantiæ; heri blasphematores, hodie Dei laudatores; heri serviebant creaturis, hodie effecti sunt servi Creatoris. »

Dicuntur autem tales *cœli* propter plura. Primo, propter remotissimam ab amore terrenorum elongationem : nam cœlum æquis spatiis a centro terræ est remotissimum; sic contemplatores cœlestium, ab omni cura temporali abstracti, locum sibi vendicant superiorem, Deo scilicet et angelis propiorem, sicut dicit anima contemplativa in Ecclesiastico [3] : *Ego in altissimis habito*, etc. Et in Proverbiis [4] : *Cœlum sursum, et terra deorsum; sic cor regum inscrutabile*, id est, imperscrutabilis est affectio illorum, qui bene se regunt. Non a carnalibus potest experiri, quid dulcedinis de Deo suo sentiunt, qui contemplationis volatu per cœlestia se diffundunt : ideo [5] *via aquilæ in cœlo* a Salomone difficilis judicatur in Proverbiis, quia quod contemplativæ mentes in raptu contemplationis de divina dulcedine hauriunt, a mundi amatoribus ignoratur, juxta illud Ecclesiastici [6] : *Virtutem altitudinis cœli ipse conspicit.* De istius cœli altitudine jam multi corruerunt, qui cœlestem gratiam parvipendentes, ad (*a*) amorem terrenorum velut canes ad vomitum redierunt, et professionis suæ altitudinis jam obliti, mundi hujus immunditiis adhæserunt. Ideo dicit Isaias [7] : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram*, etc. De hoc alias.

Secundo, propter cœlestis munditiæ imitationem : nam propter subtilitatem suæ essentiæ cœli sunt purissimi, et ab omnis corruptionis immunditia alieni, sicut dicit Aristoteles [8] : « Corpus cœli non ingreditur corruptio, nec generatio, » etc. Sic contemplativi cœlestem puritatem æmulantur, et in omni cordis et corporis munditia puritati cœlesti per confessionem continentiæ conformantur. Et ideo in castis et lucidis religiosorum mentibus specialiter requiescit, juxta illud Psalmi [9] : *Ponam thronum ejus sicut dies cœli.* Et in Ezechiele [10] : *Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni.* Sapphirus cœlestem repræsentat puritatem pariter, et colorem, et significat munditiam et castitatem, cujus gratia viri spirituales thronus Dei fieri promerentur, juxta illud Psalmi [11] : *Dominus in cœlo paravit sedem suam.*

Tertio, propter ordinatam obedientiæ voluntariæ continuationem : nam cœlum cursum suum ordine quieto et imperturbato peragit, et ab eodem puncto in idem continue se revolvit : et hoc congruit religiosis, qui spiritu divino commoti, sine tædio et murmure, non cessant cursum injunctæ obedientiæ pro viribus adimplere. Unde Hieremias [12] : *Si defecerint leges cœli* (*b*) *coram me, dicit Dominus, tunc semen Israel*

[1] *Isa.*, LXVI, 1. — [2] *Psal.* LXXXVIII, 6. — [3] *Eccli.*, XXIX, 7. — [4] *Prov.*, XXV, 3. — [5] *Prov.*, XXX, 19. — [6] *Eccli.*, XVII, 33. — [7] *Isa.*, XIV, 22. — [8] Arist., *de Cœl.*, lib. I, text. 20. — [9] *Psal.* LXXXVIII, 30. — [10] *Ezech.*, I, 22. — [11] *Psal.* CII, 19. — [12] *Hier.*, XXXI, 36.

(*a*) *Edit. Ven.* et. — (*b*) Vulg. *istæ*.

deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus, etc. Hunc motum velut stellæ erraticæ quidam retardant, et obedientiæ legibus obviantes, et voluntatis propriæ motibus innitentes, quietam claustri conversationem dissipant et perturbant, juxta illud Apocalypsis [1]: *Factum est prælium magnum in cœlo, et draco pugnabat,* etc. Dicitur, quod quando stellæ erraticæ mutuo conveniunt in capite vel cauda Draconis, vel contrarie se aspiciunt, tunc cœlum perturbatur, et frequenter oriuntur tempestates, et eclipsis nunc Lunæ, nunc Solis in capite vel cauda Draconis ex mutua conjunctione, vel directa oppositione procreatur. Stellæ evagantes, sunt perversi claustrales a rectitudine regularis disciplinæ per campos licentiæ deviantes, qui nunc conveniunt in Dracone per fraudulentam conspirationem, nunc ex adverso se aspiciunt, et mutuo se opponunt per mutuam defensionem, ex quorum lite et conspiratione turbationis non modicæ, scandala plurima sæpius oriuntur, et ipsi religiosi, qui per famam velut cœli relucere deberent, famæ suæ jacturam per talium insolentiam patiuntur. Unde dicitur in Apocalypsi [2]: *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et stellæ ceciderunt de cœlo,* etc.

Item quarto, propter harmonicam circulorum cœli proportionem : nam in cœlo quidam sunt circuli superiores, quidam inferiores, quidam autem dicuntur solstitiales, quidam æquinoctiales, quidam æstivales, quidam hiemales. Sic in religiosorum collegio, velut in cœlo; quidam vicem gerunt prælationis, et hi sunt solstitiales, in quorum vita et conversatione Sol justitiæ debet expressius relucere, juxta illud Ecclesiastici [3]: *In unamquamque gentem posuit rectorem, et pars Dei Israel facta est manifesta, et omnia opera illorum velut sol in conspectu Domini.* Alii sunt æquinoctiales, illi scilicet qui in statu subjectionis dies et noctes æquare et continuare in Dei laudibus non desistunt, qui scilicet in media nocte ad confitendum Domino surgunt, et in die media, seu meridie, laudes laudibus accumulant et adjungunt. De quibus Isaias [4]: *Tota die et tota nocte non tacebunt.* Et Psalmista [5]: *Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo,* etc. Et Isaias [6]: *Clamabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus,* etc. Et Psalmista [7]: *Tota die laudem tuam.*

Circuli vero æstivales, qui polo appropinquant, et versus verticem cœli plus se elevant, sunt contemplativi, qui ab omni sollicitudine temporali se elongant, et sublimitate contemplationis cœlestibus se conformant. Dicitur enim in Job [8]: *Excelsior cœlo est, et supra stellarum virtutem sublimatur.* Sed per circulos hiemales, qui terræ sunt viciniores, significantur boni activi et officiati, qui officio administrationis intenti temporalia procurant, et ea, quæ sunt aliis necessaria, officiosissime administrant. Iterum dicit Job [9]: *Præcipit hiemis pluviis et imbribus fortitudinis suæ.* Et in Genesi [10]: *Æstas et hiems, nox et dies non requiescent.* Prælati igitur et subditi, activi et contemplativi, velut quidam cœlestes circuli, officiorum gradibus ab (*a*) invicem sunt distincti, nexu tamen indissolubilis charitatis pariter sunt conjuncti, sicut dicit Apostolus [11]: *Totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis,* etc.

Item quinto, propter omnimodam contrarietatis remotionem. Cœlo nihil est contrarium, ut dicit Philosophus [12], maxime quia ex contrariis partibus non componitur, et ideo non potest cœlum aliqua corruptio subintrare: sic inter viros spirituales et cœlestes nulla contrarietas in affectu, nulla disparitas in victu, nulla singularis diversitas in vestitu debet inveniri; imo ipsorum concordia attestatur, quod tam in virtutibus, quam in moribus permanent incorrupti, juxta illud

[1] *Apoc.*, XII, 7. — [2] *Apoc.*, VI, 13. — [3] *Eccli.*, XVII, 14. — [4] *Isa.*, LXII, 6. — [5] *Psal.* LIV, 18. — [6] *Isa.*, VI, 5. — [7] *Psal.* XXXIV, 28. — [8] *Job*, XXII, 12. — [9] *Job*, XXXVII, 6. — [10] *Gen.*, VIII, 22. — [11] *Ephes.*, IV, 16. — [12] Arist., *de Cœl.*, lib. I, text. 20.

(*a*) *Cæt. edit.* ad.

Job [1]: *Qui facit concordiam in sublimibus suis.* Et in Ecclesiastico [2]: *Concordia fratrum, amor proximorum, vir et mulier bene consentientes*, etc. Ubi ergo rixæ et divisiones, et contrariæ partes sunt in claustris, ibi summa est corruptela. Dicit enim in Osea [3]: *Divisum est cor eorum, ideo nunc interibunt.* Nam contrarietas est causa corruptionis, sicut unitas sive simplicitas incorruptibilitatis. Unde dicitur in Actibus [4]: *Erat omnibus cor unum, et anima una in Domino.* Et in Psalmis [5]: *Qui habitare facit unius moris in domo.* Et Sophonias [6]: *Ut invocent omnes nomen Domini, et serviant ei humero uno.* Et in Osea [7]: *Congregabuntur filii Israel, et filii Juda pariter*, etc. Unde discipuli congregati in unum, Spiritum sanctum recipere meruerunt, ut dicitur [8] in Actibus.

Item sexto, propter ordinatam orbium cœli elevationem et depressionem : dicunt enim Philosophi, quod ex ordinato orbium motu, et eorum gravi et acuto et interciso processu, incredibilis harmonia procreatur. Sic viri cœlestes, omnia ordinate facientes, suavem reddunt melodiam : quando scilicet de contemplatione ad actionem, de lectione procedunt ad orationem; quando superiores juste et benigne præsunt sine tyrannide et injusta subditorum oppressione, et inferiores mansuete subsunt sine murmure et contradictione; quando qui præsunt ad subditos condescendunt per compassionem et amorem, et illi qui subsunt ordinate exhibent suis superioribus reverentiam debitam et honorem, ex tali ordinato ascensu, et descensu, dulcis concentus generatur. Ideo dicit Job [9]: *Concentum cœli quis dormire faciet?* Sed hic concentus jam minus in cœli orbibus, id est, claustralibus invenitur, juxta illud Apocalypsis [10]: *Factum est silentium in cœlo fere per dimidiam horam.* Ecce in multis locis insurgunt subditi contra prælatos, et prælati contra subditos grassantur; et sic concentus cœli in talibus vel silet penitus, vel plurimum impeditur : boni tamen istud silentium tanquam periculosum et nocivum infringunt, qui scilicet ordinate et pacifice vivunt, sicut dicitur iterum in Apocalypsi [11]: *Audivi vocem in cœlo, sicut vocem citharœdorum citharizantium in citharis suis, et cantabant quasi canticum novum.*

Item septimo, propter cautissimam meritorum suorum occultationem : nam cœlum interpolare (*a*) aliqua de suis contentis aspicientibus repræsentat, sed plura et nobiliora ab oculis intuentium subtrahit et occultat : et hoc religiosis vitam cœlestem habentibus convenit, ut aliqua de suis virtutibus ostendant aliquando ad ædificationem proximi; sed plura abscondant propter humiliationem sui, secundum doctrinam Domini dicentis in Matthæo [12]: *Tu cum oraveris, intra cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito*, etc. Et in eodem : *Faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans; sed Patri tuo, qui videt in abscondito.* Et in eodem : *Attendite ne faciatis justitiam vestram coram hominibus*, etc. Qui igitur cœlicam ducunt vitam, non omnia omnibus revelent propter ostentationem; sed quando aliqua oportet facere proximis ad exemplum, in occulto faciant quoad intentionem. Nam nobiliora in cœlo plus celantur, quam illa, quæ in firmamento sensibiliter intuentur. Ait enim Sapiens [13]: *Quæ in prospectu nostro sunt, invenimus cum labore; quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?* quasi dicat : Nullus potest merita sanctorum occulta cognoscere, nisi ille solus, qui *super omnes cœlos considerat, et lumen ejus super omnes terminos terræ*, ut dicitur [14] in Job. Ille solus vota humilium respicit et approbat, qui solus cœli occultissima investigat. Et in Psalmis [15]: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat?* etc. Hypocritæ vero,

[1] *Job*, XXV, 2. — [2] *Eccli.*, XXV, 2. — [3] *Ose.*, X, 2. — [4] *Act.*, IV, 32. — [5] *Psal.* LXVII, 7. — [6] *Sophon.*, III, 9. — [7] *Ose.*, I, 11. — [8] *Act.*, II, 1. — [9] *Job*, XXXVIII, 37. — [10] *Apoc.*, XIII, 1. — [11] *Apoc.*, XIV, 2. — [12] *Matth.*, VI, 6, 17, 1. — [13] *Sap.*, IX, 16. — [14] *Job*, XXXVII, 3. — [15] *Psal.* CXII, 5.

(*a*) *Cæt. edit.* interpolate.

qui in seipsis cœli speciem mentiuntur se habere, plura bona. quam habeant, fingere non verentur (*a*). Unde dicit Nahum [1] : *Plures fecisti, quam stellæ sint cœli, negotiationes tuas.* Sed tales stellæ non sunt stellæ veræ, quia in cœli corpore non sunt fixæ; et ideo semper pereunt et cadunt in fine, sicut quasdam flammulas, stellis similes, de cœlo in noctibus cadere sæpius est videre. Ideo in Apocalypsi [2] dicuntur stellæ de cœlo cecidisse, et [3] in Matthæo. Nam, ut dicit Gregorius [4] : « Hypocritarum opera, quamvis ad tempus inter justorum merita lucere videantur, in fine tamen, quia a fructu sunt vacua, funditus annullantur. » Ideo dicitur in Job [5] : *Si ascenderit ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit*, etc. Et in Abdia [6] : *Inter sidera posueris nidum tuum*, etc. Et Isaias [7] : *In cœlum ascendam, super astra cœli exaltabo solium meum.* Et Psalmista [8]: *Posuerunt in cœlum os suum*, etc. Sed qui veri sunt cœli, in Deo abscondita sua occultant opera, et ideo stabilia permanent usque in posterum atque fixa, juxta illud Ecclesiastici [9] : *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et orabit pro te, et proderit tibi super aurum.*

Item octavo, propter continuam influentiam et virtutis diffusionem : nam virtus cœlestis per singula se diffundit elementa. Sic religiosi bona, quæ desuper receperunt, omnibus indigentibus communicant, et misericordiæ opera secundum uniuscujusque indigentiam singulis administrant, et ad imitationem Patris cœlestis, qui misericors est, et misericordes diligit, et illis specialem gratiam infundere consuevit, sicut dicit Psalmista [10] : *Domine, in cœlo misericordia tua*, etc. *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, dicitur [11] in Matthæo. Religiosi itaque pietatis opera diligentes, sunt cœli, in quibus thesauri Domini reperiuntur, qui inspiratione divina, necessitatis tempore, pauperibus diffunduntur. Unde dicitur in Deuteronomio : [12] *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cœlum : ut pluviam tribuat terræ in tempore suo.*

Patet ex prædictis, quod cœlorum nomine religiosi in Scripturis sæpius denotantur, qui inter ceteros electorum gradus, cœlis potissime conformantur, ratione subtilitatis divinæ Scripturæ, in qua velut in cœlo omnia occulta Christi et Ecclesiæ mysteria continentur, juxta illud Isaiæ [13] : *Complicabuntur sicut liber cœli*, etc. Et Ezechiel [14] : *Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei.* Et in Apocalypsi [15] : *Apertum est templum in cœlo, et visa est arca testamenti in cœlo.* Nam sicut cœlum est principium illuminationis et irradiationis totius mundi sensibilis, sic totius veritatis cognitio exordium a divinis eloquiis accipit et scripturis, juxta illud Psalmi [16] : *Declaratio sermonum tuorum illuminat. Nam mandatum lucerna est, et lex lux*, ut dicitur [17] in Proverbiis. Unde quidquid proponitur propheticæ rationis, quidquid asseritur mundanæ sapientiæ argumentis, si veritati theologicæ non consonat, a natura cœli discrepat et discordat, ut dicere possit mundi sapientibus Scriptura veritatis [18] : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic viæ meæ a viis vestris.*

Item secundo virtus cœli est causa vivificationis inferiorum et sensificationis, quia nihil vivit, nec sensum percipit, ubi cœli radius non pertingit : ex quo manifeste convincitur, quod omnis mens vel conscientia moritur, ad cujus interiora verbi vitæ virtus non ingreditur. Quod expertus Petrus, dixit in Joanne [19] : *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Et Psalmista [20] : *Eloquium tuum vivificabit me.* Et Dominus in Joanne [21] : *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et*

[1] *Nah.*, III, 16. — [2] *Apoc.*, VI, 13. — [3] *Matth.*, XXIV, 29. — [4] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. XXIV, quoad sensum. — [5] *Job*, XX, 6. — [6] *Abd.*, 4. — [7] *Isa.*, XIV, 13. — [8] *Psal.* LXXII, 9. — [9] *Eccli.*, XXIX, 15. — [10] *Psal.* XXXV, 6. — [11] *Matth.*, V, 7. — [12] *Deut*, XXVIII, 12. — [13] *Isa.*, XXXIV, 4. — [14] *Ezech.*, I, 1. — [15] *Apoc.*, XI, 19. — [16] *Psal.* CXVIII, 130. — [17] *Prov.*, VI, 23. — [18] *Isa*, LV, 9. — [19] *Joan.*, VI, 68. — [20] *Psal.* CXVIII, 50. — [21] *Joan.*, VI, 64.

(*a*) *Edit. Ven.* non velentur.

vita sunt. Et in Ecclesiastico [1] : *Sustulisti mortuum ab inferis, de sorte mortis, in verbo Dei tui.* Et ideo Scriptura divina, spiritualiter intellecta, intellectum vivificat et affectum, juxta illud Joannis [2] : *Vita erat lux hominum.* Et Apostolus [3] : *In (a) tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi*, etc. Tuba de cœlo canens est vox prædicatorum de secretis Scripturæ cœlestia exprimens, resonans et exponens. Ad tubæ sonitum resurgent mortui de sepulchris peccatorum, sicut dicit Joannes [4] : *Hora venit, et jam nunc est, in qua (b) omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei*, etc.

Item tertio, ratione obnubilationis, quia cœlum, quod in suo proprio circulo semper lucidum est et serenum, secundum nostrum aspectum, propter interpositionem vaporum, sæpius apparet nubilosum : sic Scriptura divinitus inspirata (b), figuris et ænigmatibus est sæpius involuta, ut carnalibus et indignis Scripturarum lateant mysteria, quæ tamen piis mentibus, sapientibus ea quæ sunt spiritus, lucida sunt et aperta, juxta illud Genesis [5] : *Cum obduxero cœlum nubibus, apparebit arcus meus*, etc. Quandoque enim propter aliquorum imperitiam, quandoque etiam propter hæreticorum malitiam, sunt celanda quædam Scripturæ et fidei sacramenta. Et hoc faciendum est coram simplicibus et infirmis, ne subtilia et sublimia capere non valentes a recto devient; similiter coram infidelibus, ne blasphement : non enim debemus *sanctum dare canibus, neque spargere margaritas coram porcis, ne forte conculcent eas*, etc., sicut dicit [6] Dominus in Matthæo. Ideo præceptum fuit, quod nulli viderent vasa sanctuarii nuda, exceptis sacerdotibus filiis Aaron, ut dicitur [7] in Numeris. Ideo oportuit arcam et alia tabernaculi vasa obvolvere pellibus hyacinthinis, ne forsitan alii aliqua curiositate secreta tabernaculi intuentes morerentur, sicut ibidem [8] dicitur. Claritatem itaque cœli obvolvit nubibus et obducit, qui Scripturarum subtilia subticens, simplicia et intellectu facilia proponit, simplicibus autem exponit. Radius enim luminis cœlestis, qui visum aquilæ acuit et confortat, obtundit visum noctuæ et excæcat. Unde qui debilis est visus, id est, parvi intellectus, non debet alta et insensibilia perscrutari, ne de claritate nimia obtenebretur ejus animus, unde putabat illuminari. Unde dicitur in Proverbiis [9] : *Ad opes quas habere non poteris, ne erigas oculos tuos. Facient enim sibi pennas, et volabunt in cœlum.* Hoc sciens Dominus, dixit Nicodemo in Joanne [10] : *Si dixi vobis terrena, et non creditis ; si dixero vobis cœlestia, quomodo credetis ?* Et in Ecclesiastico [11] : *Altiora te ne quæsieris, et in pluribus Dei operibus non fueris curiosus*, etc. Et sequitur : *Non est necesse quæ abscondita sunt videre oculis tuis.*

Item quarto, ratione fœcundationis. Nam calore cœlesti pariter et rore omnia procreantur, nec aliquid in terra crescendo proficit, nisi ubi calor cœlestis se spargit, et humor roris aut pluviæ cœlestis se diffundit. Scriptura tota ignea est, illuminans per sapientiam intellectum, et ad amorem inflammans affectum. Unde dicit Psalmista [12] : *Ignitum eloquium tuum vehementer*, etc. Et in Deuteronomio [13] : *In dextera ejus ignea lex.* Et Hieremias [14] : *Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis æstuans, clausus in ossibus meis.* Et in Proverbiis [15] : *Omnis sermo Domini ignitus clypeus*, etc. Clypeus est, cum protegit; ignitus, cum accendit. Cœlum igitur igneum, divinum est verbum, dum inflammat. Unde ait Psalmista [16] : *Eloquium Domini inflammavit eum*, etc. Rorifluum autem est, dum fecundat : inflammat enim cor ad dilectionem ; fecundat, velut pluvia aut ros, ad opera-

[1] *Eccli.*, XLVIII, 5. — [2] *Joan.*, I, 4. — [3] I *Thess.*, IV, 15. — [4] *Joan.*, V, 28. — [5] *Gen.*, IX, 14. — [6] *Matth.*, VII, 6. — [7] *Num.*, IV, 14. — [8] Ibid., 20. — [9] *Prov.*, XXIII, 5. — [10] *Joan.*, III, 12. — [11] *Eccli.*, III, 22, 23. — [12] *Psal.* CXVIII, 140. — [13] *Deut.*, XXXIII, 2. — [14] *Jerem.*, XX, 9. — [15] *Prov.*, XXX, 5. — [16] *Psal.* CIV, 19.

(a) Al. deest *in*. — (b) Al. *quod*. — (c) aspirata.

tionem. Dicitur enim in Deuteronomio [1] : *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat velut ros eloquium meum.* Et Job [2] : *Stillabat super eos eloquium meum, expectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.* Vi ergo talis caloris et humoris, de agro cordis, virtutis germen prorumpit in fructum operationis. Unde dicit Isaias [3] : *Quomodo descendit imber de cœlo, et non revertitur, sed infundit terram et inebriat* (a) *eam, et germinare eam facit*, etc. Et Job [4] : *Ros in messione mea morabitur*, etc. Maledicta autem terra, quæ rorifluis cœli guttis continue infunditur, et tamen sterilis invenitur. Et Paulus [5] : *Terra quæ spinas profert et tribulos, reproba est, et maledicto proxima.* Et in Deutoronomio [6] : *De cœlo descendet super te cinis*, etc. Quod fit in perversis theologis, qui rore cœli quotidie pluuntur, semper tamen remanent sine fructu.

Item quinto, ratione permanentiæ infinitæ durationis. Cœlum enim, inter omnia corpora, magis durabile est et firmum : et ideo est perpetuum, quia cum non sit compositum ex contrariis, non habet in se principium dissolutionis : et hoc convenit Scripturæ veritati, quæ tantæ est firmitatis, quod non potest arte vel ingenio immutari. Et ideo dicit Psalmista [7] :*Statuit ea in æternum et in sæculum sæculi*; *præceptum posuit, et non præteribit.* Et in Proverbiis [8] : *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* Et iterum in Psalmis [9] : *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita* : Et in secunda Petri [10] : *Et habemus firmiorem propheticum sermonem.* Unde omnes scientiæ quæ in firmitate istius scripturæ non sunt fundatæ, inutiles sunt atque vanæ, juxta illud Hieremiæ [11] : *Omnes leges gentium* (b) *vanæ sunt.* Et Sapiens [12] : *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest sapientia.* Et Apostolus [13] : *Evanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Unde sapientes hujus sæculi, qui ingenia sua fundant in sapientia hujus mundi, nihil habent cœlestis penitus firmitatis : sed doctores boni, virtute divini verbi, sunt firmissimi sicut cœli, juxta illud Psalmi [14] : *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Et Daniel [15] : *Fulgebunt sicut splendor firmamenti.* Et Job [16] : *Solidissimi sunt quasi ære fundati* (c).

Item sexto, ratione ornatus et compositionis : nam propter varium stellarum ornatum, nihil est pulchrius quam sit cœlum. Sic divina sapientia, quæ in scriptura divina sculpta est et cælata, expositionibus variis, quasi quibusdam radiantibus stellis, multipliciter est ornata. Relucet enim divina veritas nunc in historia, nunc in allegoria, nunc in ea rutilat sensus tropologicus, nunc irradiat anagogicus intellectus. Unde in Ecclesiastico [17] : *Species cœli est gloria stellarum.* Et in Sapientia [18] : *Dedit mihi scire anni cursus, et stellarum dispositiones*, etc. Variis itaque scripturæ divinæ sententiis, quasi coruscantibus cœli astris, omnium errorum et phantasmatum tenebrositas effugatur, et relucet veritas fidei, qua totius Ecclesiæ superficies decoratur. Unde dicit Job [19] : *Super omnes cœlos considerat, et lumen illius super omnes terminos terræ.* Tempore vero Antichristi, istius cœli ornatus splendidus obfuscabitur, quando verbi prædicatio ab hæreticis et tyrannis prohibebitur, et veritas fidei latens in Scripturis, variis hæreticorum figmentis, insuper et physicis argumentis multipliciter impugnabitur, sicut dicit Daniel [20] : *Magnificatum est cornu modicum usque ad fortitudinem cœli, et dejecit de stellis, et conculcavit eas, et abstulit juge sacrificium, et dejecit locum sanctificationis ejus*, etc. Et in Apocalypsi [21] : *Cœlum re-*

[1] *Deut.*, XXXII, 2. — [2] *Job*, XXIX, 23. — [3] *Isa.*, LV, 10. — [4] *Job*, XXIX, 19. — [5] *Hebr.*, VI, 8. — [6] *Deut.*, XXVIII, 24. — [7] *Psal.* CXLVIII, 6. — [8] *Prov.*, XII, 19. — [9] *Psal.* LXXXVIII, 35. — [10] *II Petr.*, I, 19. — [11] *Jerem.*, X, 3. — [12] *Sap.*, VIII, 1. — [13] *Rom.*, I, 21. — [14] *Psal.* XXXI, 6. — [15] *Dan.*, XII, 3. — [16] *Job.*, XXXVII, 18. — [17] *Eccli.*, XLIII, 10. — [18] *Sap.*, VII, 19. — [19] *Job*, XXXVII, 3. — [20] *Dan.*, VIII, 10. — [21] *Apoc.*, VI, 14.

(a) Vulg. *sed inebriat terram et infundit eam*; Cæt. edit. *se infundit in terram et inebriat.* — (b) Vulg. *populorum.* — (c) Vulg. *fusi.*

cessit sicut liber involutus, et montes et insulæ de loco suo motæ sunt. Nam liber divinæ sapientiæ, qui modo omnibus est apertus, tempore persecutionis extremæ claudetur undique, et erit omnibus obvolutus; et tunc montes et insulæ movebuntur, quia tam prælati quam subditi, tam contemplativi quam activi, qui voluerint esse stabiles in fide, in lege Domini permanere, iniquitatem persecutionis dæmonis et Antichristi cum suis fugere compellentur. Quapropter dicitur in Proverbiis [1] : *Cum defecerit prophetia, dissipatur populus; qui vero custodit legem, beatus est.* Patet itaque quod veritas divinæ sapientiæ, quæ in Scriptura sacra velut in cœlo occultatur, congrua similitudine cœlesti corpori comparatur.

CAPUT V.

Cœlorum nomine Doctores sacræ Scripturæ significantur.

Doctores sacræ Scripturæ propter (*a*) rationes prætaxatas *cœli* sæpius nuncupantur, quia mundum illuminant per vitam et doctrinam. Unde dicit Daniel [2] : *Qui docti fuerint fulgebunt sicut splendor firmamenti.* Et Paulus [3] : *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.*

Item primo, quia mortuos in peccatis vivificant et sensificant ad vitam, eos inducendo ad pœnitentiam, sicut fecit David, qui quos voluit vivificavit, et quos voluit mortificavit, ut patet [4] in secundo Regum. Nam bonorum confessorum et doctorum consilio, qui vivunt mundo et peccato, mortificantur, ut vivant Deo; mortificant carnem, sed spiritui vitam conferunt spiritualem, juxta illud Petri [5] : *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* Et Paulus [6] : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est in Christo.* Ad hanc vitam perducit solertia doctorum et sacerdotum, ex quorum consilio dependet vita subditorum, juxta illud Judith [7] : *Vos qui estis presbyteri in populo Dei, ex vobis dependet anima illorum; ad eloquium vestrum illorum corda eriguntur.* Ideo legitur Dominus dixisse discipulis ad prædicandum destinatis [8] : *Infirmos curate, mortuos suscitate,* ut dicitur in Matthæo. Sicut leo, qui vocis rugitu suscitat catulum mortuum; sic strenuus doctor, rugitu prædicationis et corruptionis, revocat subditos ad vitam spiritualem : nam dicitur in Proverbiis [9] : *Virga percute eum, et animam ejus a morte liberabis,* etc. Sic vivificativi tanquam cœli, et inferiorum sensificativi fuerunt doctores et sacerdotes primitivi; sed de modernis sacerdotibus potest dici illud Ezechielis [10] : *Violabant me ad populum meum, ut interficerent animas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo,* etc. Et in Osea [11] : *Particeps sacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem.*

Item secundo, propter subditorum exemplum se humiliant, et tam in parcitate victus, quam in humilitate habitus, corpora sua cruciant et castigant : sicut Joannes Baptista, qui erat vestitus pilis camelorum. Sic Elias, de quo dicitur [12] : *Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus.* Et illi similes sunt cœlo, cujus claritas non deficit, quamvis nebulis vel nubibus obducatur : quia asperitate pœnitentiæ eorum sanctitas amplius augmentatur, juxta illud Isaiæ [13] : *Induam cœlos tenebris, et ponam saccum operimentum eorum :* quod fit, quando divina virtute, sub sacco vel cilicio pœnitentiæ, cœlestis thesaurus occultatur. Sic legitur scyphus Joseph argenteus, et ad augurandum optimus, in sacco Benjamin fuisse occultatus, ut legitur [14] in Genesi. Scyphus argenteus est sacerdos clarus scientia, mun-

[1] *Prov.*, XXIX, 18. — [2] *Dan.*, XII, 3. — [3] *Philip.*, II, 15. — [4] II *Reg.*, VIII, 2. — [5] I *Petr.*, III, 18. — [6] *Coloss.*, III, 3. — [7] *Judith*, VIII, 21. — [8] *Matth.*, X, 8. — [9] *Prov.*, XXIII, 14. — [10] *Ezech.*, XIII, 19. — [11] *Ose.*, VI, 9. — [12] IV *Reg.*, I, 8. — [13] *Isa.*, L, 3. — [14] *Gen.*, XLIV, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* per.

dus vita : cujus oris ministerio, quasi scypho mundo, auditoribus doctrinæ salutaris eloquium præfulgeat (*a*). Talis scyphus fuit Paulus, sicut ibidem dicit Glossa, in cujus corde cœlestis doctrinæ poculum propinabatur (*b*), juxta illud Ezechielis [1] : *Tulisti tibi scyphos, et vasa aurea et argentea*, etc. Et Salomon dicit [2] : *Feci mihi scyphos, et urceolos in ministerio ad vina fundenda, et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem.* Urceoli sunt doctores, dum vinum cœlestis sapientiæ hauriunt et recipiunt; scyphi vero, quando gratiam cœlitus receptam aliis tribuunt et diffundunt. Tales scyphi in sacco Benjamin, id est, filiorum dexteræ deponuntur, quia sub habitu humilitatis et pœnitentiæ usque ad tempus prævisum a Patre absconduntur; sed aperto sacco, statim proditur, quam pretiosum vasculum in sacci orificio continetur, quia animæ resolutæ a corporis ergastulo evidenter solet Deus ostendere, quantum dilexit thesauros repositos in sacco. Unde Psalmista [3] : *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.*

Item boni doctores comparantur cœlis, quia cœlesti more alios rore cœlestis gratiæ infundunt, et humore devotionis ad compunctionis gratiam ipsos provocant et invitant. Nam multi omnimodo aridi et indevoti accedunt ad prædicationem, vel confessionem, qui bonorum sacerdotum suffragio ante suum recessum de cœlo consolatione et lacrymarum imbre copiosius compluti recedunt, in optimo proposito fructiferi, qui prius æstimabantur penitus steriles et infecundi. Unde dicitur in Genesi [4] : *De rore cœli et de pinguedine terræ, erit benedictio tua.* Et in Canticis [5] : *Caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* Ideo de confessoribus et de doctoribus, quos reliquit Deus ad mundi fecundationem, dicitur in Michæa [6] ; *Erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum sicut ros a Domino, et quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum, et non præstolatur filios hominum. Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis sylvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum.* Ideo dicit Isaias [7] : *Rorate cœli desuper*, *et nubes pluant justum*, etc.

Item secundo fixi sunt et constantes per omnimodam patientiam, sicut cœli, qui ita sunt firmi et stabiles, quod nullius (*c*) contrarii motus impetu possunt dissolvi. Sic doctores et prædicatores Christi nulla (*d*) corporis injuria possunt frangi. Unde Psalmista [8] : *Patientes erunt, ut annuntient.* Et in Proverbiis [9] : *Doctrina viri per patientiam noscitur*, etc. Unde, sicut cœlum a superioribus aquis non deprimitur, nec ab inferioribus elevatur ; sic nec justus doctor erigitur in prosperis, nec dejicitur per pusillanimitatem in adversis. Aquæ enim superiores significant prospera, juxta illud Job [10] : *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur ; si emerserit eas, subvertent terram.* Inferiores vero significant gravia et adversa, ut dicitur in Threnis [11] : *Aquæ inundaverunt super caput meum; et dixi : Perii.* Inter has aquas stabant boni immobiles atque firmi, sicut dicitur in Josue [12] : *Ingressis sacerdotibus Jordanem, steterunt aquæ superiores instar montis intumescentes, quæ autem inferiores erant in mare solitudinis descenderunt*, etc. Unde sacerdotes portantes arcam, ad modum cœli, inter medias aquas, fuerunt tuti, juxta illud Isaiæ [13] : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te.* Sic Eliseus [14], divisis aquis Jordanis, transivit intrepidus, Eliæ pallio, qui in cœlum raptus fuerat, præmunitus. Eliæ pallium de cœlo derelictum, est Christi exemplum nobis datum in subsidium, ut

[1] *Ezech.*, XVI, 17. — [2] *Eccle.*, II, 8. — [3] *Psal.* XXIX, 12. — [4] *Gen.*, XXVII, 28. — [5] *Cant.*, V, 2. — [6] *Mich.*, V, 7, 8. — [7] *Isa.*, XLV, 8. — [8] *Psal.* LXX, 18. — [9] *Prov.*, XIX, 11. — [10] *Job*, XII, 15. — [11] *Thren.*, III, 54. — [12] *Jos.*, III, 16. — [13] *Isa.*, XLIII, 2. — [14] IV *Reg.*, II, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* præfulgebat.— (*b*) *Cæt. edit.* propinatur. — (*c*) *Edit. Lugd.* de nullius. — (*d*) *Cæt. edit.* cum nulla.

nec mundi prospera timeamus, nec adversa. Unde Apostolus [1] : *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes*, etc.

Item cœlesti decorantur, sicut cœli, ornatu, quantum ad vitæ perfectionem, et virtutum decentiam, et cœlestem in moribus disciplinam. Unde dicit Job [2] : *Spiritus Domini ornavit cœlos.* Ubi dicit Gregorius [3] : « Quot sunt dona prædicantium, tot sunt ornamenta cœlorum. » Quem ornatum enumerat Apostolus, dicens [4] : *Oportet Episcopum esse prudentem, sobrium, pudicum, hospitalem, modestum, ornatum*, etc. Hunc ornatum cœlestem præfigurabat habitus sacerdotis in Exodo [5] : *Fecit superhumerale de auro et hyacintho, purpura coccoque bis tincto, et bysso retorta opere plumario, et posuit in rationali doctrinam et veritatem*, etc. Et in Sapientia [6] : *In veste poderis ejus erat descriptus totus orbis terrarum.* Cœlique non sunt, ubi tales ornatus desunt : sicut est videre in perversis sacerdotibus, in quorum vita non relucet sol ferventis charitatis, nec resplendet luna misericordiæ et pietatis, nec refulgent stellæ munditiæ et castitatis, non comparent etiam constellationes duodecim signorum, id est, non relucet in eis, nec apparet vestigium vitæ et conversationis duodecim apostolorum, non Hyades, non Pleiades, non Oriona cum interioribus Austri, quoniam nec virtutes interiores, scilicet purgati animi, ad contemplativam pertinentes ; nec exteriores, videlicet purgatoriæ et politicæ vitam exteriorem quoad (*a*) activam dirigentes, jam in Ecclesiæ doctoribus vix inveniuntur, et ideo totius Ecclesiæ species in tenebram et deformitatem est mutata. Ideo dicit Job [7] : *Qui præcipit Soli, et non oritur ; et claudit stellas quasi sub signaculo.* Sequitur : *Qui facit Arcturum, Oriona, et Hyadas, et interiora Austri.* Et in Hieremia [8] : *Aspexi cœlos, et lux non erat in eis.* Et ideo multa imminent mundo pericula, quia ubique deficiunt in doctoribus et sacerdotibus hujus mundi cœlica ornamenta, sicut dicitur in Actibus [9] : *Neque sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, et tempestate non exigua ingruente, omnis spes salutis ablata est.*

Item quarto, sicut cœli universaliter extenduntur, juxta illud Isaiæ [10] : *Qui extendit cœlos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum.* Nulla enim est cœli particula, quin æqualiter expansa inveniatur et extensa : sic Christi sacerdotes, ad cœli similitudinem, nihil retinent non extensum. Extendunt enim linguam, cor et manum. Cor, inquam, extendunt ad Deum per devotionem, ad proximum per compassionem. De primo dicit Psalmista [11] : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* De secundo dicitur in Job [12] : *Compatiebatur anima mea pauperi.* Et Isaias [13] : *Cum effuderis esurienti animam tuam*, etc. Linguam etiam extendunt ad Deum in oratione et continua gratiarum actione ; ad proximum, in doctrina et prædicatione. De primo dicitur in Ecclesiastico [14] : *Iteravit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei.* Et post : *Rursum oravit Deum omnium, qui magna fecit in omni terra.* Et Psalmista [15] : *Labiis exultationis laudabit os meum.* De secundo dicitur in Proverbiis [16] : *Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus.* Similiter manus extendunt ad Deum per supplicationem, juxta illud Psalmi [17] : *In noctibus extollite manus vestras in sancta.* Sic Moyses extendit manus suas in cœlum, et cessaverunt tonitrua (in [18] Exodo). Ad proximum vero extendunt manus per subventionem, et necessitatis proximi sublevationem. De hoc dicitur in Proverbiis [19] : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* Sic Martinus tanquam cœlum

[1] *Hebr.*, XII, 1. — [2] *Job.*, XXVI, 13. — [3] Greg., *Morol.*, lib. XVII, c. XVI, et *in Evang.*, hom. XXX. — [4] I *Tim.*, III, 2.— [5] *Exod.*, XXVIII, 6. — [6] *Sap.*, XVIII, 24. — [7] *Job.*, IX, 7, 9. — [8] *Jerem.*, IV, 25. — [9] *Act.*, XXVII, 20. — [10] *Isa.*, XL, 22. — [11] *Psal.* CXLII, 9. — [12] *Job*, XXX, 25. — [13] *Isa.*, LVIII, 10.— [14] *Eccli.*, L, 23, 24. — [15] *Psal.* LXII, 6. — [16] *Prov.*, XXXI, 26. — [17] *Psal.* CXXXIII, 2. — [18] *Exod.*, IX, 28. — [19] *Prov.*, XXXI, 20.

(*a*) *Forsan legendum* sive.

fuit extensus ad Deum, quando [1] *oculis et manibus in cœlum intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat.* Similiter ad proximum, quando etiam nec pallium sibi sine pauperis solatio retinebat, et ideo, propter tantam charitatis extensionem, cœlum extensum potuit merito nuncupari, juxta illud Psalmi [2] : *Extendens cœlum sicut pellem.* Et Isaias [3] : *Manus meæ tetenderunt cœlos, et omni militiæ eorum demandavi* (a). Et in Hieremia [4] : *Prudentia sua extendit cœlos.* Propter istas et alias suprapositas cœli proprietates et naturas, merito doctores Scripturæ cœlo comparantur.

CAPUT VI.

Firmamenti nomine Christus significatur.

Sicut nomine cœli significantur sancti superius nominati, sic et nomine firmamenti. Idem est enim firmamentum, quod et cœlum, sicut dicitur in Genesi [5] : *Vocavit firmamentum cœlum.* Singulariter tamen potest vocari *firmamentum* natura nostra a Christo assumpta, et in ipso unione personæ cum divinitate unita, de quo Psalmista [6] : *Fiat manus tua super virum decteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi.* Nam Redemptor noster, super omnia Deus verus, et factus super omnia homo perfectus, secundum naturam assumptæ humanitatis firmamentum nuncupatur, sicut dicit Psalmista [7] : *Dominus firmamentum meum et refugium meum.* Et Ezecheiel [8] : *Aspectus firmamenti, quasi aspectus crystalli,* etc. Natura enim nostra, priusquam assumeretur, fuit terra; postquam autem ab auctore est assumpta et super angelos sublevata, facta est firmamentum : et ideo similis est crystallo, quæ ex aqua congelata indissolubilem contrahit firmitatem. Quia igitur corpus Redemptoris usque ad mortem passionibus et pœnis subjacuit, aquæ fluxibilitatem in se habuit : quia nascendo, crescendo, esuriendo, sitiendo, moriendo, per momenta temporum mobiliter decucurrit. Cujus cursum intuens Propheta ait [9] : *Exultavit ut gigas ad currendam viam,* etc. Sed in resurrectionis gloria virtutem incorruptionis obtinuit, et in crystallinam firmitatem natura primo mutabilis mutata fuit. Dicitur itaque Christus homo firmamentum, ratione firmæ et fixæ unionis, qua humana natura in unione personæ in Christo indissolubiliter copulatur juxta illud Ezechielis [10] : *In firmamento quod erat super caput Cherubim quasi lapis sapphirus.* Lapis sapphirus est Christus Dominus, qui est lapis angularis, in se Deum et hominem uniens, homines et angelos quasi parietes duos associans, et conjungens sibi per fidem et amorem, infixos retinens, etiam ab ipsorum favore et gratia non recedens. Unde Paulus [11] : *In spiritu vobiscum sum gaudens, et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ.* Et sequitur ibi : *Superædificati, et confirmati in illo, in gratiarum actione,* etc. Quia igitur ipse totius Ecclesiæ militantis, et etiam triumphantis, congruum est fundamentum, ideo bene vocatur firmamentum. Et quia fundamentum cœleste est, et non terrenum, ideo dicitur in Isaia [12] : *Fundabo te in sapphiris.* Et in Exodo [13] : *Sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphiri,* etc. Et Paulus [14] : *Firmum Dei fundamentum stat.* Et in Matthæo [15] : *Fundata erat supra firmam petram.*

Item secundo, ratione mediationis; nam sicut firmamentum est inter aquas superiores et inferiores medium collocatum, sic Mediator Dei et hominum, secundum quod homo Patre minor, tamen in quantum Dei Filius omni creatura superior, ima et summa, invisibilia et sensibilia reconciliat, et in se medio recolligit et adunat, sicut dicit Apostolus [16] : *In ipso condita sunt universa in cœlo*

[1] In fest. S. Martin., ant. 4. — [2] *Psal.* CIII, 2. — [3] *Isa.*, XLV, 12. — [4] *Jerem.*, X, 12. — [5] *Gen.*, I, 8. — [6] *Psal.* LXXIX, 18. — [7] *Psal.* XVII, 3. — [8] *Ezech.*, I, 22. — [9] *Psal.* XVIII, 6. — [10] *Ezech.*, X, 1. — [11] *Coloss.*, II, 5, 7. — [12] *Isa.*, LIV, 11. — [13] *Exod.*, XXIV, 10. — [14] II *Tim.*, II, 19. — [15] *Matth.*, VII, 25. — [16] *Coloss.*, I, 16.

(a) Vulg. *mandavi.*

et in terra; visibilia et invisibilia. Et in Genesi[1] : *Posuit firmamentum in medio aquarum, divisitque aquas ab aquis*, etc. Et ideo qui modo secernit et dividit inter inferiorum et superiorum, bonorum et malorum, spiritualium vel carnalium merita, æquo judicio dividet et discernet inter præmia aut flagella. Unde dicitur in Matthæo[2] : *Cujus ventilabrum in manu ejus*, etc. Et in Proverbiis[3] : *Sicut divisiones aquarum, ita corda regum in manu Domini.*

Item tertio, ratione universalis conservationis inferiorum et comprehensionis : nam firmamentum infra suæ sphæræ circumferentiam omnia sensibilia comprehendit, et per alternum generationis vel corruptionis officium, quidquid est de esse et substantia universi, custodit, nec destructionem permittit. Sic Christus, ars et sapientia Dei Patris, infra sinum suæ potestatis prædestinatos continet et præscitos, nec prædestinationis filios finaliter permittit ire ad interitum, nec præscitos ex toto in nihilum. Nam filios gratiæ præservat ad gloriam; reprobationis vero filios servat ad gehennam : ut sicut in bonis immutabilis Dei gratia commendatur, ita ejus inflexibilis justitia, quæ videbitur in reprobis, timeatur. Unde Sapiens dicit[4] : *Tempore casus sui inveniet firmamentum.* Et rursum[5] : *Justitia ejus proteget te, et in die agnitionis invenies firmamentam.*

Item quarto, ratione divinæ inhabitationis : nam cum Deus sit in omni creatura, cœlum tamen sive firmamentum pro speciali sede sibi vendicat, quia ibi singulariter et excellenter operando, majestatis suæ præsentiam manifestat, ut dicit Damascenus : sicut humanitas, quæ de Virgine est assumpta, singulare divinitatis habitaculum est effecta, quando[6] *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Unde dicit Paulus[7] : *Complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum omnia reconciliari*, etc.,[8] *de præparato habitaculo suo.* Et in tertio Regum[9] : *Cum oraverit in loco hoc, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui*, etc. Et in Exodo[10] : *Sanctuarium tuum quod firmaverunt manus tuæ.* Et in eodem : *Firmissimo habitaculo quod operatus es*, etc. Ideo enim divinitas Christi humanitatem inhabitat, ut homines per hominem deprecantes audiat, et eorum postulationibus condescendat. Propter quod omnes collectæ et orationes Ecclesiæ per Christum nostrum finiuntur. Unde dicit Apostolus[11] : *In quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti*, etc.

Item quinto, ratione circularis revolutionis : circularem enim formam habet firmamentum, et motum oblique volubilem. Si enim firmamentum moveretur in directam quoad nos, generatio rerum inferiorum non perficeretur. Et talis forma, quæ est perfecta et nobilissima, nobilissimo corpori erat danda, quia talis figura continuo motui ejus fuit necessaria. Circularis, imo circulus perfectissimus est ipse Christus, in quo duæ extremitates lineæ velut in puncto uniuntur. Nam divinitas, quæ omnium rerum caput est et principium, cum natura humana quæ finis erat omnium creaturarum, et ultimo in esse producta, in ipso Christo, velut in puncto, in unione personæ est conjuncta, et tanta firmitate roborata. Firmatæ enim sunt duæ naturæ in una persona sic, quod una ab altera nunquam poterit separari. Et ideo proprie Christus nomen obtinet firmamenti, cujus motus et operatio circularis est. De sinu enim Patris, in Virginis uterum est ingressus; deinde, per mundum et limbum progrediens, iterum ad Patrem est reversus, sicut dicitur in Joanne[12] : *Exivi a Patre, et veni in mundum; et iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Et in Ecclesiaste[13] : *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, gyrat per meridiem, et flectitur ad*

[1] *Gen.*, I, 7. — [2] *Matth.*, III, 12; *Luc.*, III, 17. — [3] *Prov.*, XXI, 1. — [4] *Eccli.*, III, 34. — [5] *Eccli.*, XXVII, 9. — [6] *Joan.*, I, 14. — [7] *Coloss.*, I, 20. — [8] *Psal.* XXXII, 14. — [9] III *Reg*, VIII, 43. — [10] *Exod.*, XV, 17. — [11] *Coloss.*, III, 16. — [12] *Joan.*, XVI, 28. — [13] *Eccle.*, I, 5,

(a) *Forsan leg.* in directum.

aquilonem, etc. Ecce motus Christi reflexus et obliquus. *Attingit enim a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, sicut dicitur [1] in Sapientia : quia nunc flectitur ad aquilonem, id est, ad peccatores in peccatis induratos, per misericordiam illorum corda ad pœnitentiam remolliendo ; nunc vero ad meridiem, id est, ad bonos in fervore charitatis existentes, ipsos consolando. Ideo dicitur in Ecclesiastico [2] : *In meridiano exurit terram*, etc. Et in Esdra [3] : *Convertitur in gyro cœli, et iterum revertitur in eumdem locum in uno die.*

Item sexto, ratione fortissimæ impressionis et aggregationis luminis in centro. Nam cum sit firmamentum corpus sphæricum, et luminosum, et concavum, et convexum, cujus medium est (*a*) centrum, ex omni parte ex se emittit radium ad suum medium : unde cum terra teneat vicem centri, manifestum est, quod in terra fit radiorum maxima aggregatio, et ex influentia radiorum luminis maxima fit variarum specierum productio et generatio. Firmamentum igitur lucidum et connexum significat Christum Dominum, qui est *lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut dicit [4] Joannes : cujus sphærica rotunditas, id est, æterna potestas, omnia continet et sustentat; cujus luminositas omnia illustrat; cujus convexitas omnium bonorum, gratiarum, et donorum plenitudinem commensurat, juxta illud Joannis [5] : *Vidimus* [6] *eum quasi unigenitum a Patre plenum gratiæ et veritatis.* Ab istius igitur firmamenti convexitate, ad cor humanum, velut ad proprium centrum, transfunduntur radii gratiarum. *De plenitudine ejus omnes recipimus, gratiam pro gratia.* Plena igitur fit impressio et coadunatio cœlestis luminis in corde hominis quoad ipsius justificationem; plenior, quantum ad illustrationem sapientiæ, et veritatis inspirationem; plenissima vero, quoad consummationem justitiæ, et finalem charitatis in homine perfectionem et conservationem. Ideo ait Apostolus [7] : *Plenitudo legis est charitas* (*b*). De prima dicitur in Psalmis [8] : *Plena est justitia dextera ejus.* Et iterum in alio Psalmo [9]: *Flumen Dei repletum est aquis*, etc. A Christo enim, velut a fonte, procedit flumen pœnitentiæ, qua anima a sordibus abluitur et purgatur, et ad videndum lumen desuper veniens disponitur et habilitatur, sicut dicitur in Joanne [10] : *Abii, lavi, et video.* Et in Sapientia [11] : *Omnis orbis terrarum limpido replebatur* (*c*) *lumine*, etc. De secundo dicitur in Isaia [12] : *Replebitur terra scientia Domini, quasi aquæ maris operientes.* De tertio dicitur in Psalmis [13] : *Dies pleni invenientur in eis.* Et Job [14] : *Complebunt dies suos in bono, et annos suos in gloria.* Et in Canticis [15] : *Resident juxta fluenta plenissima.* Talibus radiis a Christo effluentibus, tanquam a firmamento nobilissimo, virtutum et meritorum species in electorum cordibus procreantur, juxta illud Ecclesiastici [16] : *Ipse est firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiei, deprecatio offensionis, adjutorium casus, exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, vitam, et benedictionem :* quasi dicat : A Christo, velut a firmamento, effluit virtutis perditæ restitutio, ardoris concupiscentiæ et diabolicæ inflammationis repressio, persecutionis mitigatio, de offensis remissio, et apud Patrem pro peccatis *propitiatio*, ut dicitur [17] in Joanne, et in Daniele; a ruina et casu sublevatio, ut (*d*) in Psalmis [18] : *Cum ceciderit, non collidetur;* et in Proverbiis [19] : *Septies cadit justus;* affectionis ad cœlestia elevatio, ut (*e*) in primo Regum [20] : *Ut sedeat cum principibus;* et in

[1] *Sap.*, VIII, 1. — [2] *Eccli.*, XLIII, 3. — [3] III *Esdr.*, IV, inter apocrypha. — [4] *Joan.*, I, 9. — [5] Ibid., 14. — [6] Ibid., 15. — [7] *Rom.*, XIII, 10. — [8] *Psal.* XLVII, 11. — [9] *Psal.* LXIV, 10. — [10] *Joan.*, IX, 15. — [11] *Sap.*, XVII, 19. — [12] *Isa.*, XI, 9. — [13] *Psal.* LXXII, 10. — [14] *Job*, XXXVI, 11. — [15] *Cant.*, V, 12. — [16] *Eccli.*, XXXIV, 19. — [17] I *Joan.*, II, 2; *Dan.*, IX, 9. — [18] *Psal.* XXXVI, 24. — [19] *Prov.*, XXIV, 1. — [20] I *Reg.* II, 8.

(*a*) *Cæt. edit.* et. — (*b*) Vulg. *dilectio.* — (*c*) *Illuminabatur.* — (*d*) *Cæt. edit.* Et. — (*e*) *Cæt. edit.* deest ut.

Psalmis[1] : *Exaltavi animam meam;* secretorum revelatio, collatio impassibilitatis, donum immortalitatis, benedictio æternæ hæreditatis, ut (*a*) iterum in alio psalmo[2] : *Illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam,* etc. Ista decem bona, velut decem radii, a Christo exeunt, ad perfectionem hominum emanare et effluere undique non desistunt. Unde dicitur in Genesi[3] : *Cataractæ cœli apertæ sunt, et facta est pluvia magna,* etc.; et in quarto Regum[4] : *Si fecerit Deus cataractas cœli aperire, numquid poterit esse quod loqueris,* etc.

Item septimo, ratione inflammationis : nam firmamentum illud inflammat, ad quod per contactum appropinquat. Hoc Christo convenit, qui sibi gratia et favore conjunctos ad divinum amorem inflammat penitus et accendit, ut patet in apostolis, qui tanto ferventiori igniculo sunt accensi, quanto magis sibi vicini, meruerunt fieri per familiaritatis gratiam propinqui, juxta illud Deuteronomii[5] : *Qui appropinquant pedibus ejus,* etc. Unde doctrina Christi ignea ipsos fecit fervidos penitus et ignitos. Unde dicitur in Threnis[6] : *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me Dominus.* Et Ezechiel[7] : *Vidi speciem ejus quasi speciem electri, et quasi aspectum ignis intrinsecus,* etc. Loquitur de sedente in throno super firmamentum : qui utique significat Christum, cujus humanitas significatur per electrum, quod est metallum ex auro et argento compositum, subtili artificio conflatum. Nam in auro incorruptibili, animæ Christi immortalitas; in argento candido et mundo, assumpti corporis puritas designatur; ex eis duobus Christus secundum hominem est formatus : qui secundum utramque naturam argento mundior, et auro obrizo pretiosior inæstimabiliter arbitratur. Istud electrum intrinsecus videtur igneum, quia corpus Christi cum anima Deo, qui est[8] *ignis consumens*, ineffabiliter est unitum. Istius sedentis species, a medio corporis et sursum, videbatur ardens intrinsecus et latens; a lumbis vero deorsum, ignis splendens exterius et apparens : nam Christi virtus cum supernis spiritibus quantum ardeat, humana ratio non excogitat. Unde dicit Isaias[9] : *Quis potest habitare cum igne devorante, et cum ardoribus sempiternis?* etc. Et Ezechiel[10] : *In medio lapidum ignitorum ambulasti.* A lumbis autem deorsum apparet ignis splendens, quia in quantum apostolos et alios gratiæ filios accenderit, per facti evidentiam omnibus est apparens. Nam in lumbis sedes est generationis : et ideo a lumbis deorsum in circuitu splendere dicitur, quia in illis, quos per gratiam gignit, ampliori gratia fervescere se ostendit. Unde dicitur in Levitico[11] : *Sanctificabor in his, qui appropinquant mihi*, etc. Nos siquidem latet, quantum Christi virtus accendit illos qui sunt in patria; sed per multa exempla videmus, qualiter a sua gratia igniuntur, quos per verbum vitæ genuit hic in via. Et ideo bene firmamentum dicitur, quia mens, quæ ab eo tangitur, accenditur subito, et ignitur.

Item octavo, ratione impermutabilis fixionis, quia firmamentum in sua natura immutabile permanet, et persistit; et quamvis inferiora variis impressionibus alteret et immutet, tamen mutabilitatem inferiorum corporum in se non recipit, nec admittit. Hæc firmamenti proprietas est in Christo manifesta, cujus bonitatem humana perversitas non superat, cujus misericordiam ad ultimam pœnam creaturæ malitia non inclinat; quia ex innata sibi bonitate semper punit citra meritum, et remunerat supra dignum. Ideo dicit Habacuc[12] : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Et Psalmista[13] : *Iratus es, et misertus es nobis.* Imo quando, exigente justitia, tanquam (*b*)

[1] *Psal.* CXXX, 2. — [2] *Psal.* CXXXII, 3. — [3] *Gen.*, VIII, 2. — [4] IV *Reg.*, VII, 2. — [5] *Deut.*, XXXIII, 3. — [6] *Thren.*, 13. — [7] *Ezech.*, I, 27. — [8] *Deut.*, IV, 24; *Hebr*, XII, 29. — [9] *Isa.*, XXXIII, 14. — [10] *Ezech.*, XXVIII, 14. — [11] *Levit.*, X, 3. — [12] *Habac.*, III, 2. — [13] *Psal.* LIX, 3.

(*a*) *Cæt. edit. deest* ut. — (*b*) *Cæt. edit.* nunquam.

iratus, aliquos punit, in puniendo tamen irascentis passionem non sentit, sicut dicitur in Sapientia [1] : *Tu, dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos.* Et in Psalmis [2] : *Mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es,* etc. Et in Numeris [3] : *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur.* Et Malachias [4] : *Ego sum Deus, et non mutor.* Et Jacobus [5] : *Apud quem non est transmutatio,* etc. Permanens itaque veritas in Christo fixaque bonitas, sicut est permanens fixio vel stabilitas in firmamento. Unde dicitur in Ecclesiastico [6] : *Amicus si permanserit fixus, erit tibi coæqualis :* quia permanet in die necessitatis.

Item nono, ratione immensæ magnitudinis et incomprehensibilis dimensionis. Nam sicut cœli altitudo vel latitudo super verticem cœli graditur, etc. Et in Esdra [7] : *Excelsum est cœlum,* etc. Et Job [8] : *Excelsior cœlo est : et quid facies ?* Et Psalmista [9] : *Super cœlos est gloria ejus.* Firmamentum quidem quandoque cum terra videtur conjungi, ut patet in nostro horizonte, sive in termino nostri visus; et tamen quantum distat a nostro capite, tantum vel plus distat ab horizonte. Sic Christus [10] *in terra visus, cum hominibus conversatus*, in nullo differre ab aliis mortalibus est putatus. Unde dixerunt [11] : *Unde huic sapientia? nonne hic est filius Joseph et Mariæ,* etc. Falsa tamen fuit eorum opinio, sicut falsa est oculi visio, ubi putat adæquari terræ superficiem firmamento. Unde Isaias [12] : *Sicut exaltantur cœli a terra, ita viæ meæ a viis vestris,* etc. Et in Psalmista [13] : *Elevata est magnificentia tua super cœlos.* Patet igitur ex prædictis, quod humanitas assumpta, prædictis rationibus, cœlum fuit, quod firmamentum est vocatum.

[1] *Sap.*, XII, 18. — [2] *Psal.* CI, 27. — [3] *Num.*, XXIII, 19. — [4] *Malac.*, III, 6. — [5] *Jac.*, I, 17. — [6] *Eccli.*, VI, 11. — [7] III *Esdr.*, IV, inter apocrypha. — [8] *Job*, XI, 8. — [9] *Psal.* CXII, 4. — [10] *Baruc.*, III, 38. — [11] *Matth.*, XIII, 54. — [12] *Isa.*, LV, 9. — [13] *Psal.* VIII, 2. — [14] *Psal.* XVII, 10. — [15] III *Reg.*, VIII, 27. — [16] *Sap.*, XI, 23. — [17] *Isa.*, XL, 15. — [18] *Psal.* XCII, 2.

CAPUT VII.

Cœli natura et proprietas quomodo B. Virgini Mariæ conveniant.

Nec caret natura et proprietate cœlesti Virgo beatissima, ad cujus uterum subintrandum per incarnationem Verbi est divinitas inclinata, quando, secundum Psalmistam [14], *Inclinavit cœlos, et descendit* : ibi Verbum Dei se inclinavit, et carne indutum ad nos venit, sicut ibi exponit Glossa. Cœli itaque puritatem in se habere debuit Maria, de cujus mundissimis particulis illa purissima caro Verbi cœlestis unibilis est assumpta. Ecce *cœlum, et cœli cœlorum* Deitatis magnitudinem ad plenum *capere non possunt*, sicut dicitur [15] in tertio Regum, et ad comprehendendam magnificentiam gloriæ sanctitatis ejus, virtutes cœlestes non sufficiunt; et tamen Maria ipsum cum plenitudine deitatis genuit, ad cujus susceptionem totus mundus non sufficit, nec suffecit, juxta illud Sapientiæ [16] : *Tanquam momentum stateræ est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani,* etc. Et Isaias [17] : *Ecce omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram te,* etc. Patet igitur quod Maria Deum incomprehensibilem totum et plenum in se nullatenus suscepisset, nisi virtute et gratia cœli magnitudinem transcendisset. Cœlo igitur cœlica Virgo comparatur, quia cœlo nihil purius, nihil sublimius, nihil pulchrius, nihil utilius, nihil communius, nihil velocius, nihil perfectius, nihil durabilius inter corpora visibilia invenitur.

Cœlo igitur nihil est purius, et hoc propter naturæ suæ transparentiam et diaphaneitatem : et hoc gloriosissimæ Virgini convenit, propter omnimodam ipsius munditiam, et castitatem. Nam per sanctificationis gratiam in utero materno extitit ab omni originalis culpæ fœditate depurata, et ad susceptionem Verbi vitæ, antequam nasceretur, disposita et præordinata, juxta illud Psalmi [18] : *Parata est sedes tua ex tunc,* etc.

Nam quæ ab æterno præelecta est et prædestinata, in Dei scientia, ut ad tantam gloriam assumeretur; in materno utero a Spiritu sanctificante præventa est, et sanctificata, ut in tempore, a Patre luminum præfixo, Mater Dei fieri mereretur, sicut dicit in Proverbiis [1] : *Ab æterno ordinata sum, et antequam terra fieret.* Et in Ecclesiastico [2] : *Ab initio et ante sæcula creata sum,* id est, quodam privilegiato modo creari prævisa, ut perficeret cœlum, in quo Deus novo modo resideret, sicut dicit Psalmista [3] : *Dominus in cœlo paravit sedem suam.* Et Isaias [4] : *Cœlum mihi sedes est*, etc. Hanc sedem sibi paravit omnium artifex et sapientia Christus in virginali sanctificatione; ipsam sedem subintravit, et in ipsa quievit, in ipsius Virginis fecundatione. Unde præfigurata est per thronum Salomonis [5], quem fecit de ebore grandem; et per sedile, vel ferculum, quod fecit sibi Salomon de lignis Libani, cujus ascensus fuit purpureus, et reclinatorium aureum, ut dicitur [6] in Canticis. Hæc omnia de his sedibus dicta, puritati conveniunt virginali, quia pura fuit in utero, purior in mundo, purissima hæc rutilat nunc in cœlo. Prima refertur ad ortus ipsius sanctificationem, quantum ad fœditatis originalis ablationem; secunda, ad ejus miraculosam fecundationem, quando non solum per Spiritum sanctum supervenientem pronitas fomitis est extincta [7], imo etiam omnis potestas peccandi ab ipsa est ablata, et in gratia est totaliter confirmata; tertia refertur ad ejus gloriosam in cœlo collocationem, quando penitus ablata omni infirmitate corporali, in naturam cœlestem per immortalitatis dotem est mutata. Prima itaque puritas, scilicet originalis, significatur in sede facta de lignis Libani. Nam illa ligna sunt cedrina, quæ habent naturam et proprietatem imputribilitatis, et emittunt spiramen fragantiæ et odoris. Et hoc convenit ejus mundissimis membris, per sanctificationis gratiam a motibus fomitis alienis, juxta illud Ecclesiastici [8] : *Ego quasi libanus non incisus evaporavi, et sicut balsamus non mixtus odor meus.* Libanus fuit per innocentiam; non incisus, per peccandi impotentiam; et ideo evaporavit odorem balsamo impermixto suaviorem. Nam tota massa in Adam corruptioni fomitis est admixta, et sic per consequens adulterata, licet Virginis corpusculum ab hac corruptela est per gratiam liberatum : et ideo effudit odorem suavissimum tanquam balsamum impermixtum, id est, Filium, cujus *odor est sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus,* ut dicitur [9] in Genesi.

Secunda puritas, scilicet virtualis, quam contraxit ex conceptione Verbi, significatur in munditia throni eburnei. Ebur enim candidissimum et solidissimum, nihil habens in se concavum vel porosum, designat munditiam Mariæ virgineam, per præsentiam ipsius concepti Verbi, in totius gratiæ plenitudine solidatam. Nam ipsa sola *plena gratia* inter mulieres est reperta, cujus intellectus repletus est apertissima fidei veritate, sicut beata dixit Elisabeth [10]: *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino.* Ejus etiam affectus repletus est ferventissima charitate. Eburneum vero, id est, virgineum corpus repletum est majestate, et ideo significatur per solium in quo sedere vidit Dominum Isaias [11] : *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum, et plena erat domus a majestate ejus*, etc. Excelsum siquidem fuit hoc solium, quia supra conditionem naturæ corruptæ a fomite liberatum; elevatum autem est dictum, quia supra hominem, ne peccandi habeat potentiam, est per gratiæ beneficium confirmatum. Pura itaque fuit nascendo; purior Dei Verbum concipiendo; purissima vero, omnes molestias corrupti corporis in sua assumptione finaliter eva-

[1] *Prov.*, VIII, 23. — [2] *Eccli.*, XXIV, 14. — [3] *Psal.* CII, 19. — [4] *Psal.* LXVI, 1. — [5] III *Reg.*, X, 18. — [6] *Cant.*, III, 10.— [7] Vid. quæ dicta sunt tom. IV, pag. XIII.—

[8] *Eccli.*, XXIV, 21. — [9] *Gen.*, XXVII, 27. — [10] *Luc.*, I, 45. — [11] *Isa.*, VI, 1.

(a) Vulg. *et ea quæ sub ipsa erant, replebant templum.*

dendo : et ideo bene comparabilis est cœlo ratione incorruptionis, et omnimodæ puritatis.

Item, sicut cœlo inter corporalia quoad se nihil sublimius, quia nihil a centro terræ remotius, et hoc forsitan propter disparem circumferentiæ et centri qualitatem : nam centrum suo pondere petit imum; sphæræ vero circumferentia sua levitate tendit sursum usque ad summum : sic Virgo benedicta a mole fomitis, et amore carnalis affectionis per gratiam absoluta, tota a mundano consortio differens et recedens, vita et moribus in cœlestibus est locata, juxta illud Ecclesiastici [1] : *Ego in altissimis habito :* et quia in altissimis et inauditis Dei consiliis semper mansit, et aliquid propter cœlestia inter mundi prospera non curavit, ideo significatur in Genesi per scalam, quam vidit Jacob [2], *cujus cacumen tangebat cœlum, et Dominus innixus scalæ,* etc. Scala cœlica, per quam patet ascensus ad æterna, est Maria, quæ a Jacob est visa in somnis, quia Mariæ præsentia prævisa est multipliciter a prophetis. Latera hujus scalæ sunt tribus duæ, scilicet sacerdotalis et regalis, ex quibus Maria contraxit originem secundum carnem. Gradus interscalares, sunt ejus privilegia et dignitates singulares; hujus scalæ cacumen in Deo est, et ei conjungitur per cœlestem conversationem, sicut dicitur in Apocalypsi [3] : *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole,* etc. De ista inhærentia cum cœlo dicit Bernardus [4] : « O Virgo virginum, virga sublimis, in quam sublime tuum sanctum verticem erigis, usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis : nec id quidem mirum est, quia mittis in altum radices humilitatis. Per hanc scalam descendit Angelus magni consilii, ut nostram assumeret infirmitatem, unde Apostolus [5] : *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Per hanc etiam scalam angeli ascendunt, scilicet qui angelicam vitam ducunt. » Hieronymus : « In carne studeamus per Mariam ascendere ad ipsum, qui per ipsam ad nos descendit : ut per eam ipsius inveniamus gratiam, qui per eam ad nostram devenit miseriam. Per te habeamus ascensum ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. » Patet itaque, quod Maria tanquam cœlum, locum supremum sibi vindicat, et nos hæreditatis cœlestis amatores in cœlestibus coadaptat, juxta illud Ecclesiastici [6] : *In hæreditate Domini morabor,* etc.

Item cœlo nihil est pulchrius, nihilque aspectui est jucundius, et hoc propter ordinatissimam contentorum ipsius varietatem : nam Sol, et Luna, etc., sidera fixa vel non fixa, ornant mirabiliter firmamentum. Sic illa gloriosa Virgo, cœlo simillima post suum Filium, qui est [7] *speciosus forma præ filiis hominum,* imo præ multis millibus angelorum, inter omnes creaturas est pulcherrima, et ad intuendum magis grata. Ideo dicit Ecclesiasticus [8] : *Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus, species cœli in visione gloriæ,* etc. Stellarum gloriosa numerositas, virtutum et gratiarum singularium est diversitas, quibus misericordiæ Mater inæstimabiliter decoratur. Idem rursus [9] : *Vas castrorum in excelsis in firmamento cœli resplendens gloriose* (a). Ideo describitur in Apocalypsi [10], quod mulier illa cœlestis fuit *amicta sole, et corona duodecim stellarum in capite ipsius.* Unde angeli admirantes ipsius pulchritudinem, prout possunt, ipsius gloriam per similitudinem corporum cœlestium exprimunt, et describunt in Canticis [11] : *Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* etc. Sole enim nihil pulchrius est de die; luna nihil pulchrius de nocte; aurora nihil formosius in confinio utriusque. Pro-

[1] *Eccli.*, XXIV, 7. — [2] *Gen.*, XXVIII, 12. — [3] *Apoc.*, XII, 1. — [4] Bern., super *Missus est*, serm. II, post med. — [5] *Ephes.*, IV, 9. — [6] *Eccli.*, XXIV, 11. — [7] *Psal.* XLIV, 3. — [8] *Eccli.*, XLIII, 1. — [9] Ibid., 9. — [10] *Apoc.*, XII, 1. — [11] *Cant.*, VI, 9.

(a) Cæt. edit. *gloriosa.*

gressa est igitur, ut aurora, in nascendo; per mundum progressa est, quasi luna, in virtutibus concrescendo; egressa est de mundo, singularem gloriæ dignitatem, quasi sol, præ cæteris obtinendo. Aurora siquidem finis est noctis, et principium diei subsequentis, et indicium solis jam in proximo orientis : sic Maria in suo ortu fuit quasi finis et consummatio culpæ originalis, et evacuatio omnis tenebræ spiritualis. Fuit etiam lucis veræ præambulum indicium, et futuræ gratiæ in mundum præveniens argumentum : quia ortus Virginis adventum annuntiavit in proximo Salvatoris. Unde dicitur in secundo Regum [1] : *Sicut lux auroræ oriente sole rutilat, et sicut herba germinat de terra*, etc. et in Osea [2] : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus*, etc. Dicitur ergo Virgo esse quasi aurora consurgens, per gratiam ipsam sanctificantem a corruptione spiritualis et corporalis culpæ se erigens, quia non jacuit inclinata ex toto ob culpam originalem, sicut jacent non renati; nec sedit partim erecta, partim prostrata, habens pronitatem concupiscentiæ, sicut habent baptizati : sed dicitur *consurgens*, id est, ex toto ad cœlestia se erigens et extendens, quia nullum in ipsa remansit inclinativum vel motivum ad peccandum. Bernardus : « Copiosissima sanctificationis gratia descendit in Mariam Dei matrem, quæ non solum sanctificavit ejus ortum, sed a peccato eam custodivit immunem », juxta illud Psalmi [3] : *Tu fabricatus es auroram et solem.* Unde sicut, veniente aurora, abundat ros; sic nascente Virgine, ros benedictionis et gratiæ incepit mundi superficiem infundere, et corda credentium adimplere; quod innuitur in libro Judicum [4] : *Compresso vellere, ros replevit terram* (a) : sicut manna jacuit quasi ros in circuitu castrorum, mane vel aurora consurgente, ut dicitur [5] in Exodo. Ideo etiam Jacob, surgente aurora, meruit accipere benedictionem, ut dicitur [6] in Genesi. Et ideo qui benedictionibus gratiæ et gloriæ repleri desiderat, accedat ad auroram, requirat et Mariam. Unde dicit Job [7] : *Præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum.* Pulchra vero fuit ut luna quoad gratiam conceptionis, quia luna soli conjuncta radium solarem recipit, et accensa radium receptum ad terram transfundit. Sic Maria paternum radium Dei Verbum carnem (b) factum in se concepit, et conceptum sine virginitatis detrimento peperit et transfudit, juxta illud Ecclesiastici [8] : *A luna signum diei festi*, etc. Pulcherrima autem ut sol facta est quoad gloriam suæ assumptionis, quando omnes creaturas in luminositate dignitatis, in fervore charitatis, in magnitudine potestatis transcendere meruit, sicut sol cætera sidera præcelit : sicut dicitur in Ecclesiastico [9] : *Sicut sol oriens in altissimis Dei, sic bonæ mulieris species in ornamentum domus.* Sicut igitur pulchritudo firmamenti consistit in his et aliis corporibus luminosis, sic pulchritudo Mariæ in prædictis operibus virtuosis.

Item cœlo nihil utilius, quia ex virtute et influentia cœli, mortua et inveterata reviviscunt et renascuntur, et quæ consumpta fuerant, renovantur, nec potest aliquid vivere, ubi virtus desuper effluens non potest pervenire : et hoc Virgini gloriosæ congruit, a cujus virtute et gratia vita uniuscujsuque oritur et procedit, juxta illud Ecclesiastici [10] : *In me omnis gratia vitæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis.* Sicut ergo cœlum suos emittit radios ad vegetationem et sensificationem inferiorum, sic Virgo cœlestis radios misericordiæ transfundit ad vivificationem peccatorum, et ad conservationem electorum. Dicitur enim in Ecclesiastico [11] : *Sapientia inspirat vitam filiis suis.* Et in Canticis [12] : *Emissiones tuæ*

[1] II *Reg.*, XXIII, 4. — [2] *Ose.*, VI, 3. — [3] *Psal.* LXXIII, 6. — [4] *Judic.*, VI, 38. — [5] *Exod.*, XVI, 13. — [6] *Gen.*, XXVII, 29. — [7] *Job*, XXXVIII, 12. — [8] *Eccli.*, XLIII, 7. — [9] *Eccli.*, XXVI, 21. — [10] *Eccli.*, XXIV, 25. — [11] *Eccli.*, IV, 12. — [12] *Cant.*, IV, 13.

(a) Vulg. *Expresso vellere, concham rore implevit.* — (b) *Cæt. edit.* caro.

paradisus malorum, etc. Sicut enim paradisus a se emittit flumina et fontes continue emanantes, herbas et arbores fructificantes; sic mater misericordiæ a se emittit rivulos et fontes gratiarum, quibus corda arida infunduntur et imbuuntur, et fructus virtutum, quibus affectiones illorum, qui esuriunt justitiam, fructuosis operibus nutriuntur. Ideo signatur per paradisum voluptatis, quem [1] *plantavit Dominus a principio*, in quo *posuit hominem* quem formavit, quia in beata Virgine est repositus in Incarnatione ille cœlestis homo, scilicet Christus, non ab homine, sed a solo Deo. Unde dicitur in Esther [2]: *Fecit rex regum convivium in vestibulo horti, consiti ad modum densi nemoris.* Hortus est Virginis uterus, in quo Rex regum nostræ mortalitatis vestibus est indutus. Unde dicitur in Canticis [3]: *Hortus conclusus, soror mea sponsa.* Hic hortus ad modum densi nemoris est consitus, quia in ipsa omnium virtutum genera sine mensura et numero sunt inserta. Hæ vero plantationes non terrenæ, sed cœlestes et spirituales sunt insertiones. Unde dicitur in Deuteronomio [4]: *De pomis cœli, et rore, de pomis fructuum solis et lunæ erit benedictio tua.* Ei ideo qui aridos, vel etiam mortuos in peccatis se sentiunt, ad Mariam debent festinare, quia in ipsa, velut in cœlo aut in paradiso, omnia prædicta poterunt invenire, juxta illud Ecclesiastici [5]: *Adimplet quasi Euphrates sensum, et multiplicat quasi Jordanis in tempore messis.*

Item cœlo nihil est communius, et hoc est propter ejus immensurabilem quantitatem: quia, quantum de se est, omnibus se æqualiter commensurat, et luminis sui radios indesinenter omnibus administrat. Sic innata Virginis bonitas a nullo se subtrahit; sed omnibus se communicat et diffundit, nisi illi forsitan, qui voluntarie se ab ea illuminari negligit vel contemnit. Unde dicitur in Job [6]: *Super quem non fulget (a) lumen illius?* etc. Unde et ipsa dicit in Ecclesiastico [7]: *Ego feci, ut oriretur in cœlo lumen indeficiens*, etc.

CÆTERA DESIDERANTUR.

[1] *Gen.*, II, 8, 15. — [2] *Esth.*, I, 5. — [3] *Cant.*, IV, 12. — [4] *Deut.*, XXXIII, 13. — [5] *Eccli.*, XXIV, 36. — [6] *Job*, XXV, 3. — [7] *Eccli.*, XXIV, 6.

(a) Vulg. *surget.*

OPUSCULUM

DE

REDUCTIONE ARTIUM AD THEOLOGIAM[1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

In hoc Opusculo de reductione artium ad Theologiam, Auctor in primis quadripartitum cognitionis lumen ostendit, et singula membra ita perfecte subdividit, ut in enumeratione artium atque scientiarum nihil habeat quod aut desit, aut redundet. Hoc autem lumen desursum descendens, quamvis quadruplex sit, sex tamen ejus statuit differentias, quas reduci posse ad senarium numerum formationum, sive illuminationum, in quibus factus est mundus, satis aperte docet. Deinde vero copiose demonstrat, quomodo ad lumen sacræ Scripturæ aliquæ illuminationes cognitionum referantur, et divinæ Theologiæ tanquam dominæ famulentur. Quare cum tota Scripturæ sacræ intentio ad charitatem tendat, charitati inniti debet omnis cognitio, ut ex ea fructus uberrimus percipiatur. Is enim est scientiarum omnium fructus, Auctore in fine Opusculi attestante, ut ædificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, et consolationes hauriantur, quæ sunt in unione Sponsi et Sponsæ.

Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, inquit Jacobus[2]. In hoc verbo tangitur origo omnis illuminationis, et simul cum hoc insinuatur multiplicis luminis, ab illa fontali luce, liberalis emanatio. Licet autem omnis illuminatio interna fit cognitione, possumus tamen rationabiliter distinguere, ut dicamus quod est lumen exterius, scilicet lumen artis mechanicæ; lumen inferius, scilicet lumen cognitionis sensitivæ; lumen interius, scilicet lumen cognitionis philosophicæ; lumen superius, scilicet lumen gratiæ et sacræ Scripturæ. Primum illuminat respectu formæ artificialis; secundum, respectu formæ naturalis; tertium, respectu veritatis intellectualis; quartum et ultimum, respectu veritatis salutaris.

Lumen quadruplex.

Primum ergo lumen, quod illuminat ad figuras artificiales, quæ quasi exterius sunt, et propter supplendam corporis indigentiam repertæ, dicitur lumen artis mechanicæ: quæ quia quodam modo servilis est, et degenerat a cognitione philosophiæ, recte ideo potest dici exterius. Et illud septuplicatur, secundum septem artes mechanicas quas assignat Hugo de Sancto Victore[3], quæ sunt

Lumen artis mechanicæ.

[1] *Cf.* Edit. Argent., an. 1495; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, part. I, p. 1; edit. Lugd., an. 1617, tom. I, p. 1; edit. Ven. an. 1754, tom. VI, part. I, p. 1. —

[2] *Jac.*, I, 17. — [3] Hug., *Excerpt. prior.* lib. I, c. XIV, et *Didasc.*, lib. II, c. XXI.

scilicet lanificium, armatura, agricultura, venatio, navigatio, theatrica, medicina. Quarum sufficientia sic accipitur : quoniam omnis ars mechanica aut est ad solatium, sive sit ad excludendum tristitiam, sive indigentiam ; aut est ad commodum, sive illud prodest, aut delectat, secundum illud Horatii[1] :

Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ.

Et iterum :

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Si est ad solatium et delectationem, sic est Theatrica, quæ est ars ludorum, omnem modum ludendi continens, sive sit in cantibus, sive in organis, sive in figmentis, sive in gesticulationibus corporis. Si vero ordinatur ad commodum, sive profectum secundum exteriorem hominem, hoc potest esse aut quantum ad operimentum, aut quantum ad alimentum, aut quantum ad utriusque adminiculum. Si quantum ad operimentum, aut illud est de materia molli et leni, sic est Lanificium ; aut est de materia dura et forti, et sic est Armatura sive ars fabrilis, quæ continet omnem armaturam fabricatam, sive ex ferro, sive ex quocumque metallo, sive ex lapide, sive ex ligno. Si vero juvat quantum ad alimentum, hoc potest esse dupliciter, quia cibamur vegetabilibus et sensibilibus : si quantum ad vegetabilia, sic est Agricultura; si quantum ad sensibilia, sic est Venatio. Vel aliter, quia juvare quantum ad cibum potest esse dupliciter, aut quantum ad ciborum genituram et multiplicationem, et sic est Agricultura ; aut quantum ad ciborum multiplicatorum præparationem, et sic est Venatio, quæ continet omne genus præparandi cibos, et potus, et sapores, quod pertinet ad pistores, cocos et caupones. Denominatur autem ab unius parte solum, propter quamdam excellentiam et comparabilitatem. Si autem ad utriusque adminiculum, hoc est dupliciter : aut defectum supplendo, et sic est Navigatio, sub qua continetur omnis mercatio, sive pertinentium ad operimentum, sive ad alimentum ; aut removendo impedimentum aut nocumentum, et sic est Medicina, sive quæ consistit in confectione electuariorum, sive potionum, sive unguentorum, sive curatione vulnerum, sive decisione membrorum, sicut Chirurgia. Theatrica autem est unica: et sic patet sufficientia.

Lumen cognitionis sensitivæ.

Secundum lumen quod illuminat nos ad formas naturales apprehendendas, est lumen cognitionis sensitivæ, quod recte dicitur inferius, quia cognitio sensitiva ab inferiori incipit, et fit beneficio lucis corporalis; et hoc quintuplicatur secundum quinque sensus. Quorum sufficientiam sumit Augustinus[2] secundum naturam luminis elementorum, hoc modo : Quia lumen, sive lux faciens ad distinctionem rerum corporearum, aut est in suæ proprietatis eminentia, et quadam puritate, et sic est sensus visus; aut commiscetur aeri, et sic est auditus ; aut vapori, et sic est odoratus ; aut humori, et sic est gustus ; aut terreæ grossitiei, et sic est tactus. Spiritus enim sensibilis naturam luminis habet, et in nervis viget, quorum natura est clara et pervia ; et in istis quinque sensibus multiplicatur, secundum majorem et minorem depurationem. Itaque cum quinque sint corpora mundi simplicia, scilicet quatuor elementa, et quinta essentia, ut homo omnes formas corporeas posset percipere, quinque sensus habet illis correspondentes : quia nulla fit apprehensio, nisi per aliquam similitudinem et convenientiam organi et objecti, pro eo quod natura sensus determinata est. Est et alius modus sufficientiam sensuum sumendi ; sed hanc approbat Augustinus, et rationabilis videtur, quia ad hanc sufficientiam simul concurrunt correspondentia ex parte organi, medii et objecti.

Quinque sensuum exteriorum sufficientia.

Lumen cognitionis philosophicæ.

Tertium lumen, quod illuminat ad veritates intelligibiles perscrutandas, est lumen cognitionis philosophicæ, quod ideo interius dicitur, quia interiores causas et laten-

[1] Hor., *de Art. poet.*, prope finem. — [2] Aug., *de Gen. ad litt.*, lib. III, c. III et IV.

tes requirit; et hoc per principia disciplinarum et veritatis naturalis, quæ homini naturaliter sunt inserta. Et hæc triplicatur, in rationalem, naturalem, et moralem. Et sufficientia potest sumi sic: Est enim veritas sermonum, veritas rerum, et veritas morum. Rationalis veritatem sermonum considerat; naturalis, veritatem rerum; moralis, veritatem morum. Vel aliter, sicut in summo Deo est considerare rationem causæ efficientis, formalis, et exemplaris, quia est causa subsistendi, ratio intelligendi, et ordo vivendi; sic in ipsa illuminatione philosophiæ: quoniam aut illuminat ad cognoscendas causas essendi, et sic est Physica; aut rationes intelligendi, et sic est Logica; aut ordinem vivendi, et sic est Moralis. Tertio modo sic: quia lumen cognitionis philosophicæ illuminat ipsam intelligentiam, hoc autem potest esse tripliciter: aut in quantum regit motivam, et sic est Moralis; aut in quantum regit seipsam, et sic est Naturalis; aut in quantum regit interpretativam, et sic est Sermocinalis: ut sic illuminetur homo ad veritatem vitæ, ad veritatem scientiæ, et ad veritatem doctrinæ: et quoniam tripliciter potest aliquis per sermonem, quem habet apud se, interpretari, ut scilicet vel notum faciat mentis suæ conceptum, vel ut amplius moveat ad credendum, vel ut moveat ad amorem vel odium; ideo sermocinalis sive rationalis philosophia triplicatur, scilicet in Grammaticam, Logicam, et Rhetoricam: quarum prima est ad exprimendum; secunda, ad docendum; tertia, ad movendum. Prima respicit rationem, ut apprehensivam; secunda, ut judicativam; tertia, ut motivam. Et quia ratio apprehendit per sermonem congruum, judicat per verum, movet per sermonem ornatum; hinc est, quod hæc triplex scientia has tres passiones circa sermonem considerat. Rursus, quoniam intellectus noster dirigi habet in judicando secundum rationes formales; et hæ tripliciter considerari possunt: vel in comparatione ad materiam, et sic dicuntur rationes formales; vel in comparatione ad animam, et sic dicuntur intellectuales; vel in comparatione ad divinam sapientiam, et sic dicuntur ideales: ideo naturalis philosophia triplicatur, scilicet in Physicam proprie dictam, in Mathematicam, et in Metaphysicam: ita quod physica consideratio est circa rerum generationem et corruptionem, secundum virtutes naturales et rationes seminales; Mathematica est circa considerationes formarum abstractibilium, secundum rationes intelligibiles; Metaphysica, circa cognitionem omnium entium, quæ reducit ad unum primum principium, a quo exierunt secundum rationes ideales, sive ad Deum, in quantum principium, finis et exemplar: licet inter Metaphysicos de hujusmodi rationibus idealibus nonnulla fuit controversia. Postremo, quia regimen virtutis motivæ tripliciter habet attendi, scilicet respectu vitæ propriæ, respectu familiæ, et respectu multitudinis subjectæ; ideo moralis philosophia triplicatur, scilicet in Monasticam, Œconomicam, et Politicam, quæ distinguuntur secundum triplicem modum prædictum, sicut apparet ex ipsis nominibus.

Veritas triplex.

Philosophiæ naturalis partitio.

Philosophiæ moralis partitio.

Quartum lumen, quod illuminat ad veritatem salutarem, est lumen sacræ Scripturæ, quod ideo dicitur superius, quia ad superiora ducit, manifestando ea quæ sunt supra rationem; et etiam quia non per inventionem, sed per inspirationem, a Patre luminum descendit. Quod licet unum sit secundum intellectum literalem, est tamen triplex secundum sensum mysticum et spiritualem. In omnibus enim sacræ Scripturæ libris, præter literalem sensum, quem exterius verba sonant, concipitur triplex sensus spiritualis, scilicet allegoricus, quo docetur quid credendum de divinitate et humanitate sit; moralis, quo docetur quomodo vivendum sit; et anagogicus, quo docetur qualiter est Deo adhærendum. Unde tota sacra Scriptura hæc tria docet, scilicet Christi æternam generationem et incarnationem,

Lumen sacræ Scripturæ.

Scripturæ sensus.

Scriptura sacra tria præci-

pue docet. vivendi ordinem, et Dei et animæ unionem. Primum respicit fidem; secundum, mores; tertium, finem utriusque. Circa primum insudare debet studium doctorum; circa secundum, studium prædicatorum; circa tertium, studium contemplativorum. Primum maxime docet Augustinus; secundum maxime docet Gregorius; tertium vero docet Dionysius. Anselmus sequitur Augustinum; Bernardus sequitur Gregorium; Richardus sequitur Dionysium: quia Anselmus in ratiocinatione, Bernardus in prædicatione, Richardus in contemplatione. Hugo vero omnia hæc, id est, omnes sequitur.

Luminis desursum descendentis differentiæ sex.

Ex prædictis colligitur, quod licet, ex primaria divisione, quadruplex sit lumen desursum descendens; sunt tamen sex ejus differentiæ, scilicet lumen sacræ Scripturæ, lumen cognitionis sensitivæ, lumen artis mechanicæ, lumen philosophiæ rationalis, lumen philosophiæ naturalis, et lumen philosophiæ moralis. Et ideo sex illuminationes sunt in vita ista: et habent vesperam, quia omnis hæc scientia destruetur. Et ideo succedit eis septima dies requietionis, quæ vesperam non habet, scilicet illuminatio gloriæ. Unde valde aperte possunt reduci sex istæ illuminationes ad senarium formationum, sive illuminationum, in quibus factus est mundus: ut cognitio sacræ Scripturæ primæ formationi, scilicet formationi lucis respondeat; et sic deinceps per ordinem. Et sicut omnes illæ ab una luce habebant originem, sic omnes istæ cognitiones ad cognitionem sacræ Scripturæ ordinantur, in ea clauduntur, et in illa perficiuntur, et, mediante illa, ad æternam illuminationem ordinantur. Unde omnis nostra cognitio in cognitione sacræ Scripturæ debet habere statum, et maxime quantum ad intellectum anagogiæ, per quem illuminatio nostra fertur in Deum, unde habuit ortum. Et ideo completus est circulus, completus est senarius, et proportio status.

Reductio cognitionis sensitivæ ad lumen sacræ Scripturæ.

Videamus ergo qualiter aliæ illuminationes cognitionum reduci habent ad lumen sacræ Scripturæ. Et primo videamus de illuminatione cognitionis sensitivæ, quæ tota versatur circa cognitionem sensibilium: ubi tria est considerare, videlicet cognoscendi medium, cognoscendi exercitium, cognoscendi oblectamentum. Si consideremus medium cognoscendi, intuebimur ibi Verbum æternaliter generatum, et ex tempore incarnatum. Nullum enim[1] sensibile movet potentiam, nisi mediante similitudine, quæ egreditur ab objecto, sicut proles a parente, et hoc generaliter, realiter et exemplariter est necesse esse in omni sensu. Illa autem similitudo non facit completionem in actu sentiendi, nisi uniatur cum organo et virtute. Et cum unitur, nova fit perceptio, et per illam perceptionem fit reductio, mediante illa similitudine, in objectum. Et licet non semper ita objectum sentiatur, semper tamen, quantum est de se, gignit similitudinem, cum est in sua completione. Per hunc etiam modum intelligo, quod a summa mente, quæ cognoscibilis est in interioribus sensibus mentis nostræ, æternaliter emanavit similitudo, imago et proles, et ille postmodum[2], *quando venit plenitudo temporis*, unitus est menti et carni, id est homini, quem formaverat, qui nunquam fuerat prius: et per illum omnes mentes nostræ reducuntur in Deum, quæ illam similitudinem Patris per fidem in corde suscipiunt. Si vero consideremus sensuum exercitium, intuebimur ibi ordinem vivendi: unusquisque enim sensus se exercet circa proprium objectum, refugit sibi nocivum, et non usurpat alienum. Per hunc modum tunc sensus cordis ordinate vivit, dum seipsum exercet ad id ad quod est, contra negligentiam; dum refugit sibi nocivum, contra concupiscentiam; et dum non usurpat sibi alienum, contra superbiam. Omnis enim inordinatio aut venit ex negligentia, aut ex concupiscentia, aut ex superbia. Ille enim ordinate vivit, qui vivit prudenter, temperanter et obtemperan- Ordinate quis vivat.

[1] Arist., *de Anima*, lib. II, text. 121. — [2] *Gal.*, IV, 4.

ter, ut refugiat negligentiam in operabilibus, concupiscentiam in appetibilibus, superbiam in excellentibus sive sublimibus. Si autem consideremus oblectamentum, intuebimur Dei et animæ unionem. Omnis enim sensus suum sensibile conveniens quærit cum desiderio, invenit cum gaudio, repetit sine fastidio, quia non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Per hunc etiam modum sensus cordis nostri, sive pulchrum, sive consonum, sive odoriferum, sive dulce, sive mulcebre, debet desideranter quærere, gaudenter invenire, incessanter repetere. Ecce quomodo in cognitione sensitiva continetur occulte divina sapientia, et quam mira est contemplatio quinque sensuum spiritualium, secundum conformitatem ad sensus corporales.

Reductio artis mechanicæ.

Per hunc modum est reperire in illuminatione artis mechanicæ, cujus tota intentio versatur circa artificialium productionem. In qua ista tria possumus intueri, scilicet Verbi generationem et incarnationem, vivendi ordinem, et Dei et animæ fœderationem; et hoc, si consideremus scilicet egressum, effectum, fructum; vel sic : artem operandi, qualitatem effecti artificii, et utilitatem fructus eliciti. Si consideremus egressum, videbimus quod effectus artificialis exit ab artifice, mediante similitudine existente in mente, per quam artifex excogitat, antequam producat, et inde producit, sicut disposuit. Producit autem artifex exterius opus assimilatum exemplari interiori eatenus, quo potest melius. Et si talem effectum posset producere qui ipsum amaret et cognosceret, utique faceret. Et si effectus ille cognosceret suum opificem, hoc esset mediante similitudine, secundum quam ab artifice processit. Et si haberet obtenebratos oculos cognitionis, ut non posset supra se elevari, necesse esset ad hoc, ut ad cognitionem sui opificis duceretur, quod similitudo, per quam productus esset effectus, condescenderet usque ad illam naturam, quæ ab eo posset capi et cognosci. Per hunc modum intellige, quod a summo Opifice nulla creatura processit, nisi per Verbum æternum, in quo omnia disposuit, et per quod omnia produxit, non solum creaturas habentes rationem vestigii, sed etiam imaginis, ut eidem assimilari possint per cognitionem et amorem. Et quoniam per peccatum rationalis creatura oculum contemplationis obnubilatum habuit, decentissimum fuit ut æternum et invisibile fieret visibile, et assumeret carnem, ut nos ad Patrem reduceret. Et hoc est, quod dicitur [1] : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Et [2] : *Patrem nemo novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Et ideo dicitur [3] : *Verbum caro factum.* Considerantes igitur illuminationem artis mechanicæ quantum ad operis egressum, intuebimur ibi Verbum generatum et incarnatum, id est divinitatem et humanitatem, et totius fidei integritatem. Si vero consideremus effectum, intuebimur vivendi ordinem. Omnis enim artifex intendit producere opus pulchrum, et utile, et stabile : et tunc est carum et acceptabile opus, cum habet istas tres conditiones. Juxta hæc tria, necesse est reperiri tria in ordine vivendi, scilicet scire, velle, et impermutabiliter operari, sive perseveranter. Scientia reddit opus pulchrum, voluntas reddit utile, perseverantia reddit stabile. Primum est in rationali, secundum in concupiscibili, tertium in irascibili. Si consideremus fructum, inveniemus Dei et animæ unionem. Omnis enim artifex, qui aliquod opus facit, aut facit ut per illud laudetur; aut ut per illud aliquid sibi operetur, vel lucretur; aut ut in illo delectetur : secundum tria, quæ sunt in appetibilibus, scilicet bonum honestum, conferens et delectabile. Propter hæc tria, fecit Deus animam rationalem, ut ipsa eum laudaret, et ut ipsa illi serviret, et ut ipsa in eo delectaretur et quiesceret. Et hoc est per charitatem [4], *in qua qui manet, in Deo manet, et*

Tria in ordine vivendi.

[1] *Joan.*, XIV, 6. — [2] *Matth.*, XI, 27. — [3] I *Joan.*, I, 14. — [4] I *Joan.*, IV, 15.

Deus in eo : ita quod est ibi quædam mirabilis unio, et in unione mirabilis delectatio. Quoniam ipse loquitur[1] : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Ecce quomodo illuminatio artis mechanicæ via est ad illuminationem sacræ Scripturæ, et nihil est in ea, quod non prædicet veram sapientiam. Et ideo sacra Scriptura frequenter talibus similitudinibus utitur satis recte.

Reductio Philosophiæ rationalis.

Juxta hunc etiam modum est reperire in illuminatione rationalis philosophiæ, cujus principalis intentio versatur circa sermonem, in quo est tria considerare, secundum triplicem ipsius sermonis considerationem, scilicet respectu proferentis, ratione prolationis, et respectu audientis, sive ratione finis. Si sermonem consideremus in respectu ad loquentem, sic videbimus quomodo omnis sermo significat mentis conceptum; et ille conceptus interior est verbum mentis, et ejus proles, quæ nota est etiam ipsi concipienti. Sed ad hoc quod fiat nota audienti, induit formam vocis, et verbum intelligibile, mediante illo indumento, fit sensibile, et auditur exterius, et suscipitur in aure cordis audientis, et tamen non recedit a mente proferentis. Juxta hunc modum, videmus in Verbo æterno, quod Pater æternaliter ipsum concepit generando, secundum illud[2] : *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.* Sed ad hoc quod homini sensibili fieret cognoscibile, induit formam carnis, et[3] *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, et tamen remansit in sinu Patris. Si vero consideremus sermonem ratione sui, sic intuebimur in eo vivendi ordinem. Ad complementum enim sermonis necessario ista tria concurrunt, scilicet congruitas, veritas et ornatus. Et juxta hæc tria, omnis actio nostra debet habere modum, speciem, et ordinem : ut sit modificata per modestiam in exteriori opere; speciosa per munditiam in affectione; ordinata et ornata per rectitudinem in intentione. Tunc enim recte, et

De ratione sermonis tria.

ordinate vivitur, cum intentio recta, et affectio munda, et operatio modesta. Si vero consideremus sermonem ratione finis, sic est ad exprimendum, ad erudiendum, et ad movendum : sed nunquam exprimit aliquis, nisi mediante specie; nunquam docet, nisi mediante lumine arguente; nunquam movet, nisi mediante virtute. Et sic constat, quod hoc non fit (*a*) nisi per speciem, et lumen, et virtutem intrinsecam, intrinsecus animæ unitam. Et ideo concludit Augustinus, quod ille solus est verus Doctor, qui potest speciem imprimere, et lumen infundere, et virtutem dare cordi audientis. Et hinc est, quod cathedram habet in cœlo, qui intus corda docet. Sicut ergo nihil cognoscitur per sermonem perfecte nisi mediante virtute, lumine et specie unitis animæ; sic ad hoc, quod anima erudiatur ad Dei cognitionem per ipsius internam locutionem, necesse est quod uniatur ei qui est[4] *splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ.* Ex quo patet, quam mira est hæc contemplatio per quam Augustinus in multis libris manuducit ad divinam sapientiam.

Reductio Philosophiæ naturalis.

Secundum etiam hunc modum est reperire in illuminatione naturalis Philosophiæ, cujus principalis intentio versatur circa rationes formales in materia, in anima, et in divina sapientia : quas tripliciter contingit considerare, scilicet secundum habitudinem proportionis, secundum effectum causalitatis, et secundum medium unionis. Et secundum hæc tria, est reperire tria præmissa. Si consideremus eas secundum habitudinem proportionis, videbimus in eis Verbum æternum, et Verbum incarnatum. Rationes intellectuales et abstractæ quasi mediæ sunt inter seminales et ideales. Sed rationes seminales non possunt esse in materia, quin sit in ea generatio et productio formæ. Similiter vero in anima non sunt rationes intellectuales, quin sit generatio verbi in mente : ergo nec idealis in Deo,

[1] *Prov.*, VIII, 31. — [2] Ibid., 24. — [3] *Joan.*, I, 14. — [4] *Hebr.*, I, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* sit.

quin sit productio Verbi a Patre secundum rectam proportionem : hoc enim est dignitatis; et si convenit creaturæ, multo fortius inferri potest de Creatore. Propter quod dixit Augustinus [1], quod Filius Dei est ars Patris. Rursus appetitus qui est in materia, ordinatur ad rationes intellectuales, ut nullo modo perfecta sit generatio, nisi anima rationalis uniatur materiæ corporali. Per consimilem igitur rationem potest argui, quod summa perfectio, et nobilissima in universo, esse non potest nisi natura in qua sunt rationes seminales, et natura in qua sunt rationes intellectuales, et natura in qua sunt rationes ideales, simul concurrant in unitatem personæ; quod factum est in Filii Dei incarnatione. Prædicat igitur tota naturalis Philosophia, per habitudinem proportionis, Dei Verbum natum, et incarnatum, ut idem sit [2] *Alpha et Omega*, natum scilicet in principio et ante tempora, incarnatum vero in fine sæculorum. Si vero consideremus rationes istas secundum effectum causalitatis, perpendimus ordinem vivendi : quoniam generatio non potest fieri in materia generabili et corruptibili secundum rationes seminales, nisi beneficio luminis corporum supercœlestium, quæ elongantur a generatione et corruptione, scilicet a sole, luna et stellis. Per hunc etiam modum anima non potest opera vitæ facere, nisi suscipiat a Sole, id est a Christo, gratuiti luminis beneficium, et nisi consequatur ipsius Lunæ, id est, Virginis Mariæ matris Christi patrocinium, et nisi imitetur aliorum Sanctorum exempla : ex quorum concursu congregetur in ipsa opus unum atque perfectum. Unde ordo vivendi pendet in his tribus. Si autem consideremus istas rationes secundum unionis medium, intelligemus per quem modum fiat unio animæ ad Deum. Nam natura corporalis animæ non potest uniri, nisi mediante humore, mediante spiritu, et mediante calore; quæ tria disponunt carnem, ut vitam suscipiat ab anima. Secundum hoc etiam intelligitur, quod Deus non præstat vitam animæ, nec ei etiam unitur, nisi sit humida per gemitum compunctionis et pietatis, et nisi sit spiritualis per contemptum omnis terrenitatis, et nisi sit calida per desiderium ipsius dilecti, et patriæ cœlestis. Ecce qualiter in Philosophia naturaliter latet sapientia Dei,

Unio animæ ad Deum quomodo fiat.

Penes modos prædictos est reperire in illuminatione Philosophiæ moralis lumen sacræ Scripturæ : quoniam intentio moralis Philosophiæ principaliter versatur circa rectitudinem : versatur enim circa justitiam generalem, quæ, ut dicit Anselmus [3], est rectitudo voluntatis. Rectum autem habet tripliciter notificari; et secundum hoc, tria præmissa relucent in consideratione rectitudinis. Uno modo dicitur rectum, cujus medium non exit ab extremis. Si ergo in Deo est summa rectitudo, et secundum se, et in quantum est principium, et in quantum est finis omnium, necesse est in Deo ponere mediam personam secundum se, ut una sit tantum producens, alia tantum producta, media vero producens et producta. Necesse est etiam ponere medium in egressu et regressu rerum : sed medium in egressu necesse est quod plus teneat se a parte producentis; medium vero in regressu, plus a parte redeuntis. Sicut ergo res exierunt a Deo per Verbum Dei, sic ad completum reditum necesse est Mediatorem Dei et hominum non tantum Deum esse, sed etiam hominem, ut homines reducat ad Deum. Alio modo dicitur rectum, quod dirigenti se conformatur. Et secundum hoc in consideratione rectitudinis conspicitur ordo vivendi. Ille enim recte vivit, qui dirigitur secundum regulas juris divini: et hoc est, quando voluntas hominis assentit præceptis necessariis, monitis salutiferis, consiliis perfectis, ut probet homo [4] *quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta :* et tunc rectus ordo vivendi dicitur, in quo nulla obliquitas potest reperiri. Tertio modo dicitur rectum, cujus summitas

Reductio Philosophiæ moralis.

Rectum tripliciter dicitur.

Recte quis vivit.

[1] Aug., *de Trinit.*, lib. VI, c. x. — [2] *Apoc.*, XXII, 13. — [3] Anselm., Dial. *de Verit.*, c. XIII. — [4] *Rom.*, XII, 2.

est sursum erecta, sicut homo habet staturam rectam. Et secundum hoc, in consideratione rectitudinis, manifestatur Dei et animæ unio. Cum enim Deus sit sursum, necesse est quod apex ipsius mentis sursum erigatur. Hoc autem est, cum rationalis assentit primæ veritati propter se et super omnia; cum irascibilis innititur summæ largitati; et cum concupiscibilis adhæret bonitati: tunc [1] *qui* hoc modo *adhæret, unus spiritus* est cum Deo. Et sic patet quomodo [2] *multiformis sapientia Dei*, quæ lucide traditur in sacra Scriptura, occultatur in omni cognitione et in omni natura. Patet etiam quomodo omnes cognitiones famulantur Theologiæ. Et ideo ipsa assumit exempla, et utitur vocabulis pertinentibus ad omne genus cognitionis. Patet etiam quam ampla sit via illuminativa, et quomodo in omni re quæ sentitur, sive quæ cognoscitur, interius lateat ipse Deus. Et hic est fructus omnium scientiarum, ut in omnibus ædificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes, quæ sunt in unione Sponsi et Sponsæ. Quæ quidem unio fit per charitatem, ad quam terminatur tota intentio sacræ Scripturæ, et per consequens omnis illuminatio desursum descendens, et sine qua omnis cognitio vana est: quia nunquam pervenitur ad Filium, nisi per Spiritum sanctum, qui docet nos omnem veritatem, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Fructus scientiarum quis sit.

[1] I *Cor.*, VI, 17. — [2] *Ephes.*, III, 10.

OPUSCULUM

DE

QUATUOR VIRTUTIBUS CARDINALIBUS [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Plotinum, inter Philosophiæ professores cum Platone principem, libro II *de Virtutibus*, Enn. I, et Macrobium, libro I *in Somn. Scip.*, c. VIII, secutus Auctor, de quatuor virtutibus cardinalibus in hoc opusculo sermonem scribit, rationemque exponit, quare vocentur cardinales : ac præterea virtutum earumdem officia docet, gradus etiam, et status diversos, quorum causa appellationes diversas sortiuntur. Nam hæ quatuor virtutes politicæ, purgatoriæ, purgati animi, et exemplares dicuntur; imo singulæ his quatuor nominibus possunt nuncupari. Bona quoque pars hujus opusculi desumitur ex tractatu *de Virtutibus Cardinalibus* olim Senecæ ascripto, postea vero Martino episcopo Dumiensi, germano suo auctori, ope MSS. codicum, restituto. Qui quidem auctor teste Trithemio, claruit sub Theudemiro rege Suevorum, Imperium Constantinopolitanum gubernante Justiniano Augusto, anno Domini 540. Hæc autem materia sæpius a S. Bonaventura tractatur, ut videre est apud eumdem, lib. III *Sent.*, dist. XXXIII (huj. edit. tom. V, pag. 47 et seq.), et in *Hexaem.*, serm. V et VI, et in *Breviloq.*, part. V, cap. IV, et in *Centiloq.*, part. III, sect. XXXVI et XLI, cum sequentibus, supra, hoc eodem tomo (huj. edit. pag. 300, 404, 410, etc.).

De quatuor virtutibus cardinalibus, sunt virtutes politicæ, id est, scientiæ de gubernatione civitatum, purgatoriæ, purgati animi, et exemplares. Seneca [2]: « Quatuor virtutum species multorum sapientum sententiis diffinitæ sunt, quibus animus humanus comptus, ad honestatem vitæ possit accedere : quarum prima est prudentia, secunda magnanimitas, tertia continentia, quarta justitia. Singulæ igitur honestum, et bene morigeratum faciunt virum. » Gregorius [3]: « Solidum nostræ mentis ædificium prudentia, temperantia, fortitudo, justitia sustinent. In his igitur quatuor virtutibus tota boni operis structura consurgit. » Unde quatuor paradisi fluminibus terra irrigatur, quia dum his quatuor virtutibus cor confunditur (*a*), ab omni desideriorum æstu temperatur. Cardinales appellantur, quia sicut ostium vertitur in cardine et regitur, ita his regitur et vertitur vita hominis. Per virtutes namque cardinales rectificatur anima in suis virtutibus. Nam prudentia rectificat vim rationalem; fortitudo, sive magnanimitas, irascibilem; temperantia, sive continentia, concupiscibilem; justitia vero

Cardinales virtutes cur dictæ.

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. II; edit. Vatic., 1596, tom. VI, part. I, p. 234; edit. Lugd., an. 1647, tom. I, p. 233; edit. Ven., an. 1754, tom. VI, part. I, p. 17. — [2] Imo Martin. Dum., *de quat. Virt. Cardin.* — [3] Greg., *Moral.*, lib II, c. XXVII, non longe a princ.

(*a*) *Forte legend.* conspergitur.

rectificat omnes vires. Ipsa enim justitia apprehendit omnes virtutes ad proximum, ut est liberalitas, et ordinantes ad seipsum, sicut est pœnitentia et innocentia; et ordinantes ad Deum, sicut est latria, pietas et obedientia. Et ideo justitia dicitur retinens omnes virtutes, quia non tantum est specialis, sed generalis virtus, comprehendens totius animi rectitudinem, cum ipsa dicatur rectitudo voluntatis.

Justitia non tantum specialis, sed generalis virtus.

Nota : per virtutes cardinales homo in omnibus operibus instruitur, et contra vitia armatur. Primum fit dupliciter : quoad se, per prudentiam; quoad proximum, per justitiam. Secundum etiam dupliciter : in prosperis, per temperantiam; in adversis, per fortitudinem armatur. Augustinus [1] : « Prudentia est in præcavendis insidiis; justitia, in subveniendis miseriis; fortitudo, in perferendis molestiis; temperantia, in coercendis delectationibus pravis. » Politicæ dicuntur, prout sunt in recto regimine rationis; purgatoriæ, prout sunt in victoria vitiorum, et respiciunt partim interiora, et partim exteriora; purgati animi dicuntur, quando devictis vitiis possessor virtutum quiescit, raro insurgentibus motibus pravis primis. Exemplares dicuntur, quæ in mente divina consistunt : nam ideæ in Deo sunt, et omnium rerum exemplar est.

De prudentia.

Nota, quod quælibet virtus cardinalis potest coaptari singulis virtutibus jam præmissis. Nam prudentia, prout est virtus politica, ut ait Macrobius [2], « est ad rationis normam, quæ cogitat, et quæ agit, universa dirigere, nihil præter rectum facere vel velle. » Secundo, prout est virtus purgatoria, est mundum, et omnia quæ in mundo sunt, divinorum contemplatione despicere. Tertio, prout est virtus purgati animi, est sola divina noscere, et ea, tanquam nihil sit aliud, intueri. Exemplaris autem est ipsa mens divina, cui omnia nuda sunt et aperta, et disponit universa, quæ in cœlo sunt, et quæ in terra sunt, etc. Primus gradus facit hominem in omnibus rationabiliter operari, et cum hominibus honeste conversari. Secundus mentem altius erigit, quia cum mundana despicit, æterna et cœlestia prudenter appetit. Tertius mentem plenius perficit, dum eam in æternis figit, quia sola æterna cœlestia bona concupiscit. Quartus, qui in solo Deo est, prædictos gradus inchoat, deducit et consummat, quia omnis vera prudentia a Domino Deo est. Seneca [3]: « Quisquis prudentiam sequi desideras, tunc per rationem recte vives, si omnia prius æstimes et perpenses. Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, et quæ possint contingere cuncta ante propone. Nil tibi subitum sit, sed ante per otium prospicias. Nam qui prudens est, nunquam dicit : « Non putavi id fieri, » quia non dubitat, sed expectat; nec suspicatur, sed cavet. Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris : et prout varietas exigit rerum, ita te accommodes tempori. Sermo tuus non sit inanis; sed aut suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat. Lauda parce, vitupera parcius : nam similiter reprehensibilis nimia laudatio, sicut immoderata culpatio. Illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur : præsentia ordina, futura prævide, et præterita recordare. Nam qui non de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit (a). Propone animo tuo mala futura, et bona, ut illa sustinere possis, ista moderari. Non semper sis in actu, sed interdum animo tuo dato requiem. Sed et ipsa requies plena sit scientiæ studiis, et cogitationibus bonis. Nam prudens nunquam marcet otio : aliquando animum remissum, nunquam dissolutum habet. Non te moveat auctoritas dicentis; nec quis, sed quid dicatur, attendito; nec quam multis, sed qualibus placeas cogites. » Prudentia est bonarum rerum et malarum discretio, utraque cum fuga mali

Prudentia quid.

[1] Aug., *de Trinit.*, lib. XIV, c. IX. — [2] Macrob., *in Somm. Scip.*, lib. I, c. II. — [3] Imo Martin. Dum., lib. cit.

(a) *Cat. edit.* inedit.

et electione boni : de qua procedit circumspectio, docilitas, et cautio. Circumspectio est cautela contrariorum vitiorum, qua fugimus avaritiam, et cavemus prodigalitatem. Docilitas est potentia erudiendi, hoc ordine, ut prius te, et postea alios instruas. Cautio est prudentia discernendi vitia, virtutum speciem inferentia. Prudentia in sex dividitur : primo in cognitionem præsentium, unde in Proverbio dicitur [1] : *Præcedant palpebræ tuæ gressus tuos*, id est consilia tua facta tua præveniant. Secundo, in memoriam præteritorum; unde dicit Ezechias[2]: *Recogitabo tibi omnes annos meos*, etc. Tertio, in providentiam futurorum, unde Boetius [3] : « Non sufficit intueri quod situm est ante oculos; prudentia rerum exitus metitur. » Quarto, in circumspectionem contrariorum, ut in Proverbio dicitur [4] : *Est via, quæ videtur homini recta; novissima autem illius ducunt ad mortem.* Quinto, in cohibitionem peccatorum, unde dicit Paulus[5] : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.* Sexto, in exercitationem virtutum, ait enim Ecclesiastes [6] : *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare.*

Prudentiæ divisio.

De temperantia.

Secunda virtus cardinalis est temperantia, quæ prout est virtus politica, est nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, et sub jugo rationis cupiditatem domare. Secundo, prout est purgatoria, est omnia relinquere, in quantum natura patitur, quæ corporis usus requirit. Tertio, prout virtus purgati animi, est terrenas cupiditates non solum reprimere, sed penitus oblivisci. Quarto, prout exemplaris, quæ in Deo est, sic est, quod in se perpetua intentione conversa est. Primus gradus ab excessu et defectu custodit, quia ei medium virtutis omni tempore ostendit. Secundus mentem ad æterna perfecte dirigit, quia superfluitatem rerum gravantium firmiter excludit. Tertius mentem in æternis figit, quia concupiscentiam omnis inordinati concupiscibilis penitus extinguit. Quartus prædictos gradus inchoat, deducit, et perducit, et perficit, quia omni creaturæ numerum, pondus et mensuram tribuit. Seneca [7] : « Si continentiam diligis, circumcide superflua, et in arctum desideria constringe. Considera tecum quantum natura deposcat, non quantum cupiditas spectat. Palatum tuum fames excitet, non sapores : nec ad voluptatem, sed ad cibum accedas : nec præsentibus deliciis inhærebis, nec desiderabis absentes. Si continentiam diligis, turpia fugito, antequam accidant; nec quidquam aliud magis vereberis, quam teipsum. Omnia præter turpitudinem tolerabilius crede. A verbis quoque turpibus te abstine, quia licentia eorum impudentiam nutrit. Si continens es, opus est continue affectiones adulationum repellere, quarum sermones animum quadam voluptate resolvunt. Si continens es, et animi et corporis impetus observa, ne indecori sint; nec ideo contemnes, quia latent : nam nihil differt, si nemo videat, cum ipse videas. Cunctis esto benignus, nulli blandus, et paucis familiaris, omnibus æquus : bonæ famæ, neque tuæ seminator, neque invidus alienæ. Ad iram tardus : ad misericordiam pronus. In adversis firmus : in prosperis cautus et humilis. Virtutum occultator, sicut alii vitiorum : rari sermonis, sed loquentium patiens. Quæ nosti, sine arrogantia postulanti imparties : quæ nescis, sine occultatione ignorantiæ, tibi postula humiliter impartiri. » Notandum quod temperantia est virtus cum potentia resistendi illecebris in nobis impetus facientibus : ex qua procedit continentia, quæ est virtus ab illecebris, castitas, sobrietas, parcitas, qua retinemus retinenda, largitas, moderantia, honestas, abstinentia, verecundia, modestia, omnium rerum moderatio.

Tertia cardinalis virtus est fortitudo : 1. politica, quæ est animum supra periculi metum erigere, nihilque nisi turpia timere.

De fortitudine.

[1] *Prov.*, IV, 25. — [2] *Isa.*, XXXVIII, 15. — [3] Boet., *de Consol. philosoph.*, lib. II, pros. 1. — [4] *Prov.*, XVI, 25. — [5] I *Cor.*, IX, 27. — [6] *Eccle.*, IX, 10. — [7] Imo Martin. Dum., lib. cit.

Secundo purgatoria, est animo non terreri contra quæque adversa. Tertio purgati animi, est passiones non solum vincere corporis, sed animo penitus ignorare. Exemplaris, quæ in Deo est, quod semper idem est, nec unquam mutatur. Ex his potest patere, quod primus gradus hominem facit omnem metum pro utilitate reipublicæ postponere, et nihil nisi turpia formidare. Secundus magis confortat, ut nulla pœna carnalis eum terreat, quia ad sola æterna fortiter anhelat. Tertius mentem in æternis figit, cum contraria viderit repugnare animo, et confidenter contemnit. Quartus prædictos gradus inchoat, deducit, et consummat. Ipse[1] *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Seneca[2] : « Magnanimitas, quæ et fortitudo dicitur, si insit animo tuo, vives cum magna fiducia, liber, intrepidus, alacer. Magni animi hominis bonum est, finem hujus vitæ intrepidum expectare. Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices : « Non mihi nocuit, sed nocendi animum habuit : » et cum ipsum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse, et non fecisse. Scito enim magnum et honestum vindictæ esse genus, ignoscere. Eris magnanimus, si pericula non appetas ut temerarius, nec formides ut timidus. Nam timidum nil facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia. Fortitudo est immobilis inter adversa animi, laborum et periculorum susceptio, quæ nec adversitatis incursu frangitur, nec prosperitatis blandimento elevatur. De qua oritur magnanimitas, fiducia, securitas, patientia, perseverantia, longanimitas, humilitas, mansuetudo, etc.

Magnum, et honestum vindictæ genus. Fortitudo quid.

[1] *Sap.*, VIII, 1. — [2] Imo Martin. Dum., lib. cit. — [3] Imo Martin. Dum., ubi supra.

Quarta virtus cardinalis est justitia : 1. politica, quæ est mundum despicere, et servare unicuique quod suum est, scilicet sibiipsi, et proximo, et Deo. Secundo purgatoria, est ad veram viam proximi consentire, et uniuscujusque virtutes in suo vigore servare. Tertio, purgati animi, est cum divina mente perpetuo fœdere sociari. Exemplaris justitia, quæ in Deo est, perenni lege a sempiterna operis sui continuatione non flectitur. Primus gradus ab omni iniquitate custodit, et cum omnibus hominibus conversari facit. Secundus mentem ad æterna trahit, quia justo ordini rationis perfecte consentit. Tertius mentem in æternis figit, quia illam cum Deo æterno perpetuo fœdere sociat. Quartus prædictos gradus inchoat, deducit et perficit, quia omnem creaturam sua perpetua et inflexibili lege juste regit. Ex his patet, quo modo per virtutes cardinales, ut sunt politicæ, homo ordinatur in operationibus suis quoad proximum suum ; per virtutes, quæ sunt purgatoriæ, ordinatur ad seipsum ; per virtutes purgati animi, ad Deum. Seneca[3] : « Justitia est naturæ tacita conventio in adjutorium multorum inventa. »

OPUSCULUM

DE

TRIBUS TERNARIIS PECCATORUM INFAMIBUS[1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Opusculum hoc de tribus ternariis peccatorum infamibus mutilum et imperfectum est : id quod Lector facile intelligere potest. Nam cum S. Bonaventura sermonem instituat de tribus peccatorum ternariis, quorum primus est de originali, mortali, et veniali peccato; secundus de peccato cordis, oris, et operis; tertius de concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ : primum tantum ternarium explicando prosequitur, reliqui vero duo neque in impressis, neque in manuscriptis codicibus reperiuntur. Illud autem quidquid ex hoc Opusculo residui est, de omni peccatorum conditione doctrinam valde utilem continet. Si quis vero materiam hanc copiosius ab Auctore explicatam desiderat, legat eumdem in librum II *Sententiarum*, dist. XXXV et XXXVI; *Breviloquii*, parte III per totum; *Centiloquii*, parte I per totum; *Pharetre,* libro II, capite V. Ubi multæ de peccato sanctorum Patrum sententiæ conjunguntur; Diætæ Salutis titulo I, et multis aliis locis.

CAPUT PRIMUM.

Quod tres sunt ternarii peccatorum infames, et de primo ternario in genere.

Tres peccatorum generales divisiones.

Tres sunt ternarii peccatorum infames. In primo est peccatum originale, mortale et veniale, ad quæ omnia alia peccata reducuntur. In secundo est peccatum cordis, oris et operis; et his tribus modis omnia peccata committuntur. In tertio est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ; et ab his tribus omnia peccata oriuntur. Quantum autem ad primum nota, quod illa tria possunt distingui secundum naturam corporalis infirmitatis : est enim quædam infirmitas, quæ cum natura producitur, sicut podagra; est quædam per quam tota vita destruitur, sicut febris continua; et est quædam per quam natura debilitatur, sicut febris discrasia. Secundum hunc modum ista tria peccata distinguuntur. Nam peccatum originale est illud, quod cum natura traducitur; et ideo dicitur[2]: *Omnes nascimur filii iræ.* Peccatum mortale est illud per quod tota vita spiritualis destruitur, vel consumitur; de quo dicitur[3]: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Peccatum veniale est illud, per quod natura debilitatur. Et ista duo sic differunt : nam peccatum veniale est in anima sicut punctura pulicis in corpore, quæ modicum lædit;

Peccatum veniale et mortale quomo-

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. I; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, part. I, p. 279; edit. Ven., an. 1611, tom. I, p. 7; edit. Lugd., an. 1647, tom. I, part. I, p. 277; edit. Ven., an. 1754, tom. IX, p. 40.— [2] *Ephes.*, II, 3. — [3] *Ezech.*, XVIII, 4.

de differant.

sed peccatum mortale est in anima sicut morsus serpentis in corpore, qui veneno hominem interficit. Vel aliter potest patere sub tali exemplo : peccatum mortale opponitur charitati ; sed veniale opponitur fervori charitatis. Unde sicut homo, quando projicit in ollam ferventem modicum aquæ frigidæ, impedit fervorem, sed non tollit caliditatem ; ita peccatum veniale impedit fervorem charitatis, quia ex hoc efficitur homo tepidus ; sed non tollit charitatem, quia compatiuntur se ad invicem in eodem subjecto. Sed mortale destruit totum, sicut si homo projiceret in ollam ferventem aquam frigidam in maxima copia, et fervorem impediret, et caliditatem extingueret. Sic ergo differunt mortale, et veniale.

CAPUT II.

De peccato originali, et de quadruplici ejus distinctione ab aliis peccatis.

Peccatum originale qualiter ab aliis differat.

Circa originale nota, quod ab aliis in quatuor distinguitur, quia habet unitatem, communitatem, æqualitatem, et differentem qualitatem. Primo unitatem habet, quia est unum in omnibus. Nam in uno homine est unum numero; in omnibus est unum proportione, respectu ad unum principium. Alia autem peccata sunt varia et diversa. Quod autem peccatum originale sit unum, patet ex ipsa natura cum qua traducitur : quia sicut humana natura est una, ita infectio naturæ est una. Et hoc potest patere multis exemplis. Videmus enim quod arbor unius naturæ multa folia habet, et tamen omnia folia eamdem figuram habent. Et arbor una multos fructus producit, qui similem saporem habent : simile est in proposito, quia ab uno homine omnes homines producuntur. Et quia ipse primus homo peccatum originale commisit, ideo in omnes posteros transmisit. Ideo dicitur [1] : *Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum.*

Secundo habet communitatem, quod de aliis non contingit. Peccatum enim mortale non est in omnibus, quia non fuit in Joanne Baptista, Hieremia, et multis aliis; et etiam veniale, quia non fuit in Beata Virgine. Augustinus [2] : « Cum de peccatis agitur, nolo de Virgine fieri mentionem. » Sed originale omnibus est commune, qui per carnalem originem descenderunt. Et quia Christus non descendit ab Adam per originem carnalem vel feminalem, ideo peccatum originale non contraxit. Et ideo dicit Augustinus, quod esse sine peccato, solius est Redemptoris, qui fuit sine peccato contracto et commisso. Et si aliquis alius miraculose ex carne humana formaretur, peccatum originale non haberet, quia ab Adam secundum legem communem, scilicet concupiscentiæ, non descenderet. Cum autem omnes ab eo secundum legem prædictam descendant, id est secundum feminalem rationem, omnes contrahunt originale peccatum, cujus signum est mors, quæ est stipendium originalis. Unde Paulus [3] : *Stipendium peccati mors.* Unde sicut omnes morimur, ita omnes originale contrahimus. Sed si aliquis non contraheret, redemptione facta per Christum non indigeret : quod est hæreticum, et a fide catholica alienum.

Tertio habet æqualitatem. In aliis peccatis magna diversitas est, quia homicidium est majus peccatum quam furtum, et adulterium quam fornicatio, et sic de aliis. Et in venialibus sunt etiam gradus, penes illa tria quæ dicit Apostolus [4], id est *lignum, fœnum, stipulam :* sed peccatum originale æquale est in omnibus, quia est a principio naturæ, quæ æqualiter est in omnibus.

Quarto habet differentem qualitatem, quia reliqua peccata ideo sunt peccata, quia voluntaria, et si non essent voluntaria, non essent peccata : sed peccatum originale non est voluntarium voluntate contrahentis, sed

[1] *Rom.*, v, 12. — [2] Aug., *de Nat. et Grat.*, c. xxxvi, n. 42; *de Peccat. merit. et remiss.*, lib. II, c. xx et xxix, n. 28 et 57; *contra Julian.*, lib. V, c. ix, post med. — [3] *Rom.*, vi, 23. — [4] I *Cor.*, iii, 12.

tantum voluntate primi originantis. Alia etiam peccata non traducuntur in filios a parentibus; sed originale traducitur. Et ratio hujus est, quia in quolibet homine duo sunt natura, et persona. Ea quæ sunt personæ, non traducuntur a parentibus in filios : non enim pater traducit in filios virtutes et scientiam, quæ proprio studio acquisivit, nec peccata, quia proprio actu commisit; sed ea, quæ pertinent ad naturam speciei, a parentibus in filios traducuntur, nisi aliquod eveniat impedimentum. Unde oculatus generat oculatum. Et sic cum originale peccatum sit naturæ, a parentibus in filios traducitur; sed peccatum mortale cum sit peccatum personæ, in filios non traducitur. Hujus exemplum, scilicet peccati originalis, in rebus sensibilibus apparet. Si aliquis vellet haurire de fonte aquam quæ esset turbida et corrupta, hauriendo aquam, hauriret corruptionem. Simile est in proposito, quia cum tota natura sit corrupta per peccatum originale, quicumque recipit naturam, simul recipit et peccatum. Item alio modo : omnes homines qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt; et sic multi homines ab Adam derivati, sunt tanquam multa membra unius corporis. Actus autem unius membri corporalis non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate ipsius animæ, quæ primo movet membra. Unde homicidium quod manus committit, non imputatur manui ad peccatum secundum se, ut divisa a corpore; sed imputatur ei, in quantum est hominis aliquid, per quod movetur, quia a principio hominis est motio. Sed inordinatio quæ est in homine isto, non est voluntaria, voluntate scilicet ipsius hominis, sed voluntate primi parentis. Unde inordinatio Adæ, in qua omnes originaliter fuimus, redundat in omnes. Sic calefactio hepatis redundat in faciem. Videmus enim, quod illi qui habent hepar calefactum, habent vultum croceum, propter colligationem membrorum ad unum principium.

CAPUT III.

Quid sit peccatum originale, et de ejus effectibus.

Nunc autem videndum est, quid sit originale peccatum. Circa quod sciendum, quod sicut quilibet artifex opus suum ordinat et disponit, ut possit consequi debitum finem; ita Deus hominem ordinavit, ut possit pervenire ad ultimum finem. Cum igitur finis humanæ naturæ, omnis naturæ facultatem excedat, non poterat homo ad prædictum finem pervenire. Et ideo Deus addidit humanæ naturæ donum justitiæ naturalis : quæ quidem justitia in hoc consistebat, quod quandiu fuit anima Deo subjecta, ipsi animæ subjiciebantur omnes vires corporis, et ipsum corpus, ita quod nullus motus poterat esse in corpore, sine imperio rationis. Unde in elementis, ex quibus corpus componitur, non fuisset aliqua pugna, nec in humoribus aliqua discrasia, si anima Deo perfecte subjecta fuisset. In viribus etiam corporis et animæ non fuisset motus contra imperium rationis; quia nec concupiscentia tetendisset effrænate in delectabile præter regulas rationis, potentias animæ et vires corporis regulantis (*a*) quantum ad objecta et actus earum. Et ideo statim amoto primo ordine, etiam secundus ordo est rationabiliter mutatus : quia quam cito anima fuit inobediens Deo, et corpus fuit inobediens animæ. De qua inobedientia dicitur [1] : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, etc. Illud ergo quod hunc ordinem privat, dicitur peccatum originale, id est privatio originalis justitiæ. Quod tali patet exemplo. Corpus in statu innocentiæ erat sicut equus infrænatus, qui ducitur secundum voluntatem sessoris; sed postquam frænum deponitur, inordinate movetur. Ita etiam Deus in primo statu infrænabat corpus,

Justitia originalis in quo consisteret.

[1] *Rom.*, VII, 23. — (*a*) *Cæt. edit.* regulantes.

quod moveri non poterat nisi secundum regimen rationis : sed postquam homo peccavit, Deus frænum deposuit, et subtraxit, et sic effrænate effertur contra imperium rationis. Hoc est, quod dicitur [1] : *Caro concupiscit adversus spiritum.* Ex isto peccato multi defectus sunt in homine, sicut ex gravi infirmitate corporali relinquuntur reliquiæ infirmitatis præteritæ, scilicet debilitas in operando, alteratio gustus in appetendo, visus in respiciendo, gressus in ambulando. Sic ex originali peccato quædam reliquiæ relinquuntur, quæ vulnera appellantur. Quod sic patet : quandiu fuit anima Deo subjecta, nihil inordinatum contingebat in carne, nec in viribus animæ. Nam desiderium ordinate ferebatur in suum delectabile, et animus in aggressibile, et intellectus in intelligibile, et voluntas in appetibile.

Peccati originalis effectus.

Ex quo autem anima recessit a Dei imperio, statim inordinatio et contradictio in omnibus accessit; et sic desiderium vulneratum concupiscentia, animum dyscrasia, intellectum ignorantia, voluntatem malitia habuit. Sunt ergo ista quatuor vulnera ex primo peccato inflicta. Quorum primum,

De concupiscentia.

scilicet concupiscentia, est quasi vulnus insanabile, unde miro modo inimicatur animæ : ideo assimilatur cuidam animali, quod vocatur enhydrus, quod mirabiliter inimicatur crocodilo. Cum enim [2] sit animal venenosum, involvit se in herba, quam crocodilus deglutiens, ex veneno moritur, et enhydrus de ventre ejus exit illæsus : sic concupiscentia involvit se delectationibus, et homo deglutiens mundi delectabilia, deglutit concupiscentiam, qua anima venenatur, et privatur vita gratiæ. Hæc est ergo plaga insanabilis, quæ quanto magis degustatur, tanto magis degustans famelicus redditur, vel efficitur. Et ideo dicitur in proverbio, et habetur septimo *Ethicorum* [3]: « Quid oportet bibere eum, quem aqua suffocat? » Quasi diceret : Sicut aqua quæ (*a*) suffocat, non satiat; ita concupiscentiæ deditum, nihil est quod satiet. Hæc est plaga, quæ omne bonum eradicat spirituale. Ideo dixit Daniel seni, qui in concupiscentiam Susannæ exarserat [4] : *Concupiscentia subvertit cor tuum.* A corde siquidem procedunt sensus, et motus, et corporales actus. Unde, destructo corde, omnia illa destruuntur. Et sic concupiscentia, cum cor subvertit, omnia alia bona consumit.

De ignorantia.

Secunda plaga est ignorantia, quæ vulnerat intellectum. Psalmus [5] : *Lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.* Sed amisso (*b*) visu, amittitur omne gaudium, secundum illud [6] : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video?* Et hoc ideo, quia dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. Et ratio hujus est, quia, ut dicit sapiens [7], inter omnes sensus visus est diligibilior. Sed si hoc est de visu corporali, multo magis de visu spirituali. Hæc ergo plaga ex primo peccato est, quia omnes [8] *involvimur tenebris*, ut dicitur in *Job*.

De infirmitate.

Tertia plaga est passionis, vel impotentiæ dyscrasia, quæ potest dici infirmitas in anima ad similitudinem infirmitatis corporalis. Dicitur autem corpus infirmum, quando debilitatur vel in executione propriæ operationis, vel impeditur propter aliquam inordinationem partium corporis; ita humores et membra non subduntur virtuti regitivæ corporis. Sicut oculus dicitur infirmus, quando non potest clare videre; sic infirmitas animæ dicitur, quando ipsa impeditur in propria operatione, eo quod partes ejus non subduntur regimini rationis. Unde Philosophus [9], in primo *Ethicorum*, comparat incontinentem paralytico, cujus partes moventur in contrarium ejus, quod ipse disposuit. Ideo clamat Apostolus [10] : *Non quod*

[1] *Gal.*, v, 17. — [2] *Cf.* Jul. Solin. Polyhist., c. xxxiv, post med. — [3] Arist., *Ethic.*, lib. VII, c. II. — [4] *Dan.*, XIII, 5, 6. — [5] *Psal.* XXXVII, 11. — [6] *Tob.*, v, 12. — [7] Arist., *Metaph.*, lib. I, text. 1. — [8] *Job*, XXXVII, 19.

— [9] Arist., *Ethic.*, lib. VII, comparat incontinentem epileptico. — [10] *Rom.*, VII, 15.

(*a*) *Cæt. edit.* deest quæ. — (*b*) *Cæt. edit.* omisso.

volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. Inter omnes autem passiones, quæ debilitant animam, nulla ita debilitat, ut amor carnalis. Unde anima propter amorem languet. Languor autem est infirmitas animæ, ut dicit Tullius. Et ratio hujus est, quia tunc anima infirmatur et languet, quando a propria et naturali forma discedit: hoc autem facit amor, qui transformat amantem in amatum, ita quod amans jam non agit secundum suam formam, sed secundum formam amati. Ideo dicebat Sponsa in *Canticis*[1]: *Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo.* Quando autem passio amoris multum intenditur, amittit rationis usum, quia multi propter abundantiam amoris versi sunt in insaniam. Amor autem nihil aliud est, quam complacentia alicujus rei convenientis, acceptæ per sensus. Ex hoc amore procedit concupiscentia, quæ tendit in rem amatam, nec potest quietari, donec perveniat, et cum pervenit, delectatur: quia delectatio nihil aliud est, quam quietatio in re adepta. Hic plura dicta sunt, quæ possunt convenire primo vulneri.

Amor quid.

De malitia.

Quarta plaga est malitia, quæ vulnerat voluntatem. Sed videtur, quod voluntas nullum peccatum committit ex propria malitia, quia, sicut dicit Dionysius in libro *de Divinis Nominibus*[2], « nullus ad malum respiciens operatur. » Ad quod dicendum, quod malum non potest esse secundum se intentum; sicut usurarius, extorquendo usuram, non intendit offensam divinam, sed intendit multiplicare pecuniam. Unde bene vellet, si posset, absque offensa Dei habere pecuniam; sed duobus propositis, offensam Dei negligit, et acquirit pecuniam. Et sic est de omnibus aliis.

CAPUT IV.

De mortali peccato, et ejus effectu.

Argumenta in contrarium.

Dicto de originali peccato, dicendum est de mortali: et quæritur utrum aliquid possit esse mortale peccatum; et videtur quod non, quia mortale dicitur, quod mortem infert: sed non potest inferri animæ mors, cum sit immortalis: ergo nullum peccatum est mortale.

Item mors propria operatione hominem privat, unde homo mortuus nihil potest operari: sed peccatores, in peccato existentes, multa strenue operantur et perspicue intelligunt: et sic videtur, quod nullum sit peccatum mortale.

Et dicendum, quod multa sunt peccata mortalia, et vere aliquis actus humanus habet rationem peccati mortalis. Est enim peccatum mortale, quod corrumpit vitam, tollit efficaciam, dimittit viam, et obligat ad gehennam. Vita autem spiritualis consistit in calore, sicut vita corporalis: unde defectus caloris est defectus vitæ. Sicut videmus in morientibus, quod paulatim calor deficit in extremitatibus corporis, quæ prius infrigidantur; et calor ad principium vitæ, id est, ad cor recolligitur, qui cum ex toto deficit ibidem, vita totaliter perit. Hujus exemplum videmus in lucerna, in qua quandiu est calor, vel humor, vel liquor, tamdiu est ibi splendor luminis, et, deficiente calore, deficit lumen: sic vita spiritualis non est aliud nisi quidam calor, id est amor divinus, qui quidem duplicem faciem habet, secundum duplicem aspectum: unam, quæ respicit Deum; aliam, quæ respicit proximum: quia charitas nihil aliud est, quam dilectio qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum. Illud ergo quod istum amorem corrumpit, est peccatum mortale: sic blasphemia, perjurium, hæresis, et hujusmodi, quæ charitatem corrumpunt, quam habemus ad Deum; falsum testimonium, furtum, et hujusmodi, quæ contrariantur charitati, quam habemus ad proximum: et omnia quæ præceptis decalogi prohibentur, peccata mortalia judicantur.

Peccati mortalis effectus.

Charitas quid.

Secundo tollit virtutis efficaciam. Ex quo enim homo in mortale se præcipitavit, jam

[1] *Cant.*, II, 5. — [2] Dion., *de div. Nom.*, c. VI.

non potest per se resurgere, nisi gratia Salvatoris mediante. Ideo dicitur in Psalmo [1], quod homo est *spiritus vadens, et non rediens,* id est, per se in peccatum vadens, sed non per se resurgens : sicut per se potest se projicere in profundum lacum, vel lutum; sed non potest per se exire. Et ideo per se homo ad mortem vadit; sed non per se redit, nisi miraculose : quia non est regressus de privatione ad habitum secundum naturam.

Finis ultimus Deus.

Tertio dimittit viam. Omnis enim via ducit ad aliquem finem, sicut omnes viæ contra civitatem, ducunt ad civitatem. Ultimus autem finis omnium est unus, scilicet Deus. Nam sicut ipse est unum principium, et universale, ita est unus finis et ultimus omnium. Quando autem alius constituitur, diligitur et eligitur, receditur ab hoc fine ultimo. Et cum finis sit maxime diligibilis, ille finis constitutus diligitur plusquam Deus, qui est ultimus finis. Hoc autem non potest sine mortali accidere, sicut patet in gulosis, qui ventrem pro Deo colunt. De quibus Paulus [2] : *Quorum Deus venter est.* Et hoc sic patet. Si proponatur guloso Deus ex una parte, et cibus delectabilis ex alia parte, ipse, spreto Deo incommutabili bono, per amorem cibo inhæret, tanquam ultimo fini. Et si luxurioso ex una parte proponatur adulterium, prout est delectabile, et ex alia parte Deus prohibens, contemnit Dei prohibitionem, et se adulterinæ delectationi immergit, et deviat a fine. Et hæc est differentia peccati mortalis a veniali : quia mortale totaliter elongat a via, et retrorsum graditur; et ideo quanto magis a via deviat, tanto magis a fine recedit et elongatur, juxta illud Psalmi [3] : *Longe a peccatoribus salus* : veniale autem a via non abducit, nec ab ultimo fine separat.

Quarto obligat ad gehennam; quod non contingit de veniali vel originali. Sed videtur inconveniens, quod pro modica delectatione quis adjudicetur æternæ damnationi. Et (a) dicendum, quod pœna commensuratur secundum conditionem illius in quem peccatur. Unde magis peccat qui percutit militem, quam qui rusticum; et magis qui regem offendit, quam qui militem : et sic de aliis, secundum gradum nobilitatis. Qui ergo offendit Deum, qui est infinitum bonum, merito pœnam incurrit infinitam propter contemptum majestatis divinæ : et infinitati culpæ respondet infinitas pœnæ in damnatione. Unde pœna damnatorum est infinita, et est finita. Finita est in acerbitate : et hoc respondet delectationi, quæ fuit in actu peccati. Infinita est in duratione : et hoc, propter contemptum Dei qui est infinitus.

Pœna damnatorum quomodo finita et infinita.

Ad opp.

Ad illud quod objicitur, quod animæ non potest inferri mors, dicendum est, quod duplex est mors, scilicet naturæ et culpæ. Quoad mortem naturæ, anima dicitur immortalis; sed quoad mortem culpæ moritur : quia, sicut dicit Augustinus in libro *de Mendacio* [4], « sicut corpus vivit ex anima, ita anima vivit ex Deo : » sed, anima separata a corpore, moritur corpus : ergo cum Deus separatur ab anima, moritur anima : sed non separatur nisi per peccatum mortale : ergo, etc.

Ad aliud, quod mors privat ab operatione, dicendum quod quidquid peccator operatur, mortuum dicitur, nec tamen debet cessare a bonis operibus : sicut infirmus, si utatur malis cibis, leviter moritur; si autem bonis, paulatim ad sanitatem reducitur.

CAPUT V.

De venialis peccati essentia, efficacia, sufficientia, et indulgentia.

Post mortale et originale, dicendum est de veniali. Circa quod quatuor quærenda

[1] *Psal.* LXXVII, 39. — [2] *Philip.*, III, 19. — [3] *Psal.* CXVIII, 155. — [4] Est apud Aug., tract. XIX, *in Joan.*, ante med., et in auctore libri *de Cog. veræ vitæ*, c. XXXI, apud Aug., *et de verb. Apost.*, serm. XIII, in med.

(a) *Cæt. edit.* est.

sunt, scilicet de ipsius essentia, efficacia, sufficientia, et indulgentia.

Quot modis dicatur peccatum veniale.

Quantum ad primum, peccatum veniale dicitur tripliciter, scilicet ab eventu, a causa, et sua natura : ab eventu, quia omne mortale dicitur veniale per pœnitentiam, ut dicit Ambrosius; a causa, quando in natura sua habet, ut veniam mereatur, sicut peccatum quod fit ex infirmitate, vel ignorantia, habet in se causam veniæ : nam qui ex infirmitate frangit jejunium, non incurrit peccatum; et si ex ignorantia aliquis faciat, quod non credat peccatum, veniam meretur. A sua natura et a suo genere, ut verbum otiosum, ridere, et hujusmodi.

Quoad sufficientiam, licet peccata venialia non sint determinata aliquo modo, possunt tamen reduci ad certum numerum, scilicet ad ternarium, scilicet *lignum*, *fœnum*, et *stipulam*. Et ratio hujus est, quia veniale dicitur quod de facili purgatur et consumitur; et ideo per hæc tria designatur, quia ab igne de facili comburuntur. Per lignum quidem peccata venialia graviora designantur; per stipulam, leviora; per fœnum, mediocria designantur. Et hujus ratio est, quia omnia ternario consistunt. Unde quælibet creatura habet suum ternarium, scilicet, essentiam, virtutem, et operationem. Et quælibet operatio consistit in ternario, scilicet in principio, medio, et in fine. Et anima in sua natura habet ternarium, scilicet memoriam, intellectum, et voluntatem. Item peccata mortalia per tria distinguuntur, sicut dicit Glossa super *Epistolam primam ad Corinthios* [1], scilicet per *ferrum*, *æs*, *et plumbum*.

Venialium peccatorum tres differentiæ.

Ternario omnia consistunt.

Sine veniali peccato quomodo homo esse non potest.

Quoad efficientiam, nota, quod homo potest esse sine peccato mortali, sed non sine veniali. Et ratio hujus, quia homo dum unum veniale vitat, aliud incurrit. Unde dicunt doctores, quod homo potest vitare quodlibet veniale in particulari, sed non in universali. Et est exemplum de navi, in qua sunt multa foramina, quorum quodlibet in particulari nauta oppilare potest, sed non omnia simul. Et ideo sine veniali vix homo esse potest, dicente Joanne [2] : *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

Veniale peccatum multipliciter expiatur.

Quoad indulgentiam nota, quod sicut veniale multipliciter incurritur, ita multipliciter purgatur. Modi autem purgationis his versibus continentur :

> Confiteor, tundo, conspergo, conteror, oro,
> Signor, edo, dono; per hæc venialia pono,

Id est, depono et tollo. Remittuntur ergo per generalem confessionem, per pectoris tunsionem, per aquæ benedictæ aspersionem, per cordis contritionem, per dominicam Orationem, per confirmationem, ac episcopalem benedictionem, Eucharistiæ sumptionem, offensæ condonationem, extremam unctionem, levem pœnitentiam, compassionem fraternam, ut patet in hoc versiculo :

> Unctio, pœna levis, compassio quæ fit egenis.

Vide in *Centiloquio* [3], de peccato veniali, latius.

CAPUT VI.

De radice peccatorum, quæ est amor sui.

An amor sui sit radix omnium peccatorum.

Nunc dicendum est de radice peccatorum, quæ radix dicitur amor sui. Sed videtur, quod non : illud enim quod est causa omnis boni, non potest esse causa omnis mali. Sed Apostolus, cum dicit [4] : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habuero*, etc., probat charitatem esse causam omnis boni : ergo omnia bona sunt ab amore et charitate.

Item ab eodem canali non potest exire dulcis et amara aqua, nec ab eadem arbore fructus bonus et malus. Et ita videtur, quod nec ab amore, bonum meriti, et malum peccati.

Et dicendum quod ab amore procedit

[1] Gloss. in I *Cor.*, III. — [2] I *Joan.*, I, 8. — [3] *Centiloq.*, p. I, sect. 6, huj. tomi p. 350-351. — [4] I *Cor.*, XIII, 1.

omne meritum et demeritum, et omne malum : quia ab amore casto et divino procedit omne bonum, sed ab amore carnali procedit omne malum. Non potest autem procedere ab eodem canali numero, simul et semel, bonum et malum, etc. : sicut enim ab eodem foramine non fluit dulcis et amara aqua, sic nec ab eodem amore bonum et malum.

Amor sui est causa omnis mali et peccati tripliciter.

Dicendum est ergo, quod amor sui est causa omnis mali et peccati, et ratione conversionis, et ratione appropriationis, et ratione reflexionis. Ratione conversionis, quia homini propositum est duplex bonum, scilicet incommutabile et æternum, et commutabile et transitorium. Sed peccatum nihil aliud est, nisi, spreto incommutabili bono, inhærere alicui commutabili et temporali bono. Hoc autem non procedit [1], nisi ex aliquo inordinato appetitu alicujus boni temporalis. Sed quod aliquis appetat inordinate aliquod bonum temporale, procedit ex hoc, quod inordinate amat seipsum, quia amare aliquem non est nisi velle ei bonum; et est in tantum, quod inordinatus amor sui est causa omnis peccati. Quod patet in multis exemplis, tum ex parte passionis animæ, tum ex parte peccatorum. Ex parte passionis animæ, quia amor est causa desiderii et delectationis : homo enim propter hoc desiderat aliquam rem, quia eam amat; et si non amaret, non desideraret. Item delectatio ex amore causatur, quia, ut dicit Augustinus [2], amor inhians habere quod amat, est cupiditas; eoque fruens, est lætitia. Item ab amore procedit tristitia, quia homo tristatur de re amissa, quia illam amat. Item ab eo procedit gaudium, et odium : ideo enim aliquid odio habetur, quia est impedimentum ejus, quod amatur. Ex parte etiam peccatorum, quia ex amore sui procedit superbia : nam superbia est amor propriæ excellentiæ; item invidia, quæ est dolor de bono alterius, in quantum est diminutivum proprii; item acidia, quæ est tristitia de bono spirituali, in quantum per ipsum impeditur bonum temporale, vel corporale; item ira, ideo enim quis accenditur ad vindictam, quia honor proprius nimis amatur; item gula et luxuria, quæ propter corporalem delectationem appetuntur. Et sic omnes malæ passiones, et vitia capitalia, ex amore inordinato tanquam a radice procedunt.

Secundo, ratione appropriationis. Bonum enim commune melius est particulari : qui ergo appropriat sibi quod commune est, peccatum incurrit; sicut usurarius, qui vendit tempus, quod omnibus commune est, et omnibus rebus communius. Cum igitur amor est communis (a) omnibus creaturis, et terrenis, et spiritalibus, et cœlestibus, est super omnia diffusivus, et ideo peccatum grave est, quod uni soli approprietur.

Tertio, ratione reflexionis. Est enim duplex amor, scilicet concupiscentiæ, et amicitiæ. Ex amore amicitiæ procedit bonum, quia talis amor diligit amicum, eo quia amicus. Sed amor concupiscentiæ super seipsum reflectitur, sicut homo diligit vinum non propter vinum, sed propter seipsum, quia sibi sapit. Et iste amor est, qui est causa omnis peccati.

CAPUT VII.

Quare homo solus ex inferioribus creaturis possit peccare.

Potest autem quæri, quare homo potest peccare, et nulla alia creatura sub cœlo. Ratio hujus est, quia ubi non est voluntarium, ibi non est peccatum : et ideo nec in brutis, nec in aliis creaturis potest esse peccatum. Sed quia in homine est liberum arbitrium, ideo peccatum committitur ab eodem. Quod potest ostendi quadruplici ratione, scilicet ratione domicilii, ratione consortii, ratione judicii et ratione oppositi. Primo, ratione domicilii, sive ratione loci,

[1] S. Thom., I-II, q. LXXVII, art. 4. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. VII.

(a) *Ita edit. Lug.; Cæt. edit.* communius.

quia, ut dicit sapiens [1], locus est conservativus locati : unde res extra locum suum diu conservari non potest. Et sicut est in corporalibus, ita est in spiritualibus : si enim piscis extrahatur de mari, et ponatur in terra, post modicum moritur, quia est extra locum suum : et si homo ponatur in mari, moritur, quia mare non est locus ejus proprius; et rosa quandiu est in spina, recens conservatur, quando autem a spina decerpitur, et in manu tenetur, corrumpitur et marcessit, quia manus non est locus ejus. Et hæc est causa, quare levia tendunt sursum, et gravia deorsum, quia scilicet vadunt ad locum proprium, ubi conservantur. Et tanta est virtus loci, quod quanto magis res appropinquat ad locum proprium, tanto fortius movetur in ipsum. Unde motus naturalis est in principio debilis, et fortis in fine. Et secundum hunc modum, quia anima est extra locum suum, non potest esse quin in peccatum labatur. Ideo dicitur in Canonica Joannis [2] : *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Locus animarum Deus est, secundum illud Augustini : « Circuivi in mente mea, » etc. Et ideo animæ sanctorum quæ sunt in Deo, sicut in loco proprio, peccare non possunt, de quibus Sapiens [3] : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ*, id est peccatum, in quo anima tormentatur, sicut ostendit Augustinus dicens (a) : « Jussisti; Domine, et sic est, ut pœna sibi sit omnis inordinatus animus. » Et ideo valde mirabile est, quod homo animam suam ponat in loco immundo in hoc terrenitatis cœno. Ibi enim ponis animam tuam, ubi ponis amorem tuum : amor enim applicat amantem cum amato, et ideo anima terrenis applicata, maculatur, et inficitur, ut dicitur in Osea [5] : *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*

Secundo, ratione consortii. Nam propter malum consortium inducitur ad peccandum, quia [6] *qui tangit picem, inquinabitur*, etc. Psalmista [7] : *Et cum sancto sanctus eris.* Et quia anima consortium habet ad carnem, ideo frequenter peccatum incurrit. Hujus exemplum videmus in mari. Nam aqua maris in profundo, ubi a terra elongatur, habet dulcedinem ; sed superius, ubi ei admiscetur vapor terrestris a sole combustus, contrahit amaritudinem. Sic anima, propter consortium ad terram, contrahit peccatum, quod est amarissimum, ut habetur in Jeremia [8] : *Vide quam malum et amarum est te dereliquisse Dominum Deum tuum*, etc. Sicut enim ex conjunctione ad Deum causatur summa delectatio et dulcedo, ita ex separatione summa amaritudo. Tanto autem quis a divino consortio avertitur, quanto interius delectatur, ut Gregorius dicit.

Tertio, ratione judicii. Anima enim in operando quodam utitur syllogismo. Nam ratio superior proponit omne malum vitandum ; inferior subjungit : « Fornicatio est malum : » sensualitas adjungit : « Accedere ad hanc est delectabile. » Si ergo voluntas sit fortis, et aspiciat ad hoc, quod fornicatio sit malum, eliget non peccare. Si autem respiciat inferius ad hoc quod est delectabile, eliget fornicari, et sic incurret peccatum, quia de agendis male judicat. Unde ita facit caro animæ, sicut quædam herba posita in igne, quæ trabes domus facit apparere serpentes. Caro enim continuo fumans, ita obumbrat aspectum intellectus, ut illud quod est amarum, facit videri dulce, et bonum malum, etc.

Quarto, ratione oppositi, quia quælibet res habet diversas conditiones, et secundum unam est appetenda, et secundum aliam est fugienda, sicut patet in pulchritudine. Pulchritudo enim potest appeti in quantum est quædam resultatio divini decoris, et se-

[1] Arist., *Physic.*, lib. IV, text. 4. — [2] I *Joan.*, I, 8. — [3] *Sap.*, III, 1. — [4] Aug., *Confess.*, lib. II, c. XII. — [5] *Ose.*, IX, 10. — [6] *Eccli.*, XIII, 1. — [7] *Psal.* XVII, 26. — [8] *Jerem.*, II, 19.

cundum hoc bonum est respicere pulchrum, et secundum hunc modum loquitur Psalmista [1] : *Delectasti me, Domine, in factura tua.* Sed quia aspectus pulchri incitat ad concupiscentiam, ideo aspicere pulchrum est malum. Unde dicit Salomon [2] : *Fallax gratia, et vana est pulchritudo.* Sic ergo res quæ sensui objicitur, propter diversas conditiones ducit hominem in errorem, dum unam considerat, et aliam negligit : sicut patet de medico, qui judicat aliquid esse expediens uni ægro, considerata una ejus infirmitate, quod tamen non est sibi expediens simpliciter, propter aliam ægritudinem, quam non considerat, quæ ex curatione alterius augmentatur. Exemplum horum videmus in piscibus, qui videntes escam, et non advertentes hamum sub ea latentem, volentes capere escam, capiuntur ab hamo. Similiter aves videntes virgulas, et non advertentes viscum, dum in virgulis resident, capiuntur a visco. Hoc etiam patet in his, qui propinant venenum : homo enim considerans poculum, et non attendens venenum, bibens poculum a veneno occiditur. Sic peccator considerans rem delectabilem apparentem, et non attendens amaritudinem latentem, incidit in peccatum. Et hujus signum est, quia, ut dicit Sapiens : *Pravi replentur amaritudine* (*a*), quia dum sentiunt amaritudinem, pœnitent, quia conscientiæ eorum remurmurant de peccato. Sic ergo patet, quod peccatum potest esse in hominibus, et non in aliis sensibilibus.

CAPUT VIII.

Quare peccatum non vitetur (*b*), *nisi prius cognoscatur.*

Peccatum quot modis cognoscitur.

Quæritur quare peccatum non vitatur, nisi prius cognoscatur. Ad quod dicendum, quod peccatum cognoscitur tripliciter. Primo ex opere, quia, sicut dicit Augustinus *contra Faustum* [4], « peccatum est dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei. » In dicto peccatum est, quia cum locutio inventa sit ad exprimendum conceptum cordis, vel conceptionem, quandocumque quis loquitur quod id corde non habet, discordat a lege æterna, quæ est regula humanorum actuum. Ideo præcipitur in Levitico [5]: *Non perjurabis :* in quo prohibetur mendacium. Item consistit in facto, cujus ratio est, quia cum manus sit ministra rationis, ut dicit sapiens [6], conceptiones enim rationis per manus explicantur, quandocumque manuale opus discordat a lege divina, quæ dicit [7] : *Non occides, Non furaberis,* peccatum incurritur. Item consistit in desiderio et concupiscentia : concupiscentia enim præter rationis regulam est peccatum, quia quilibet debet esse contentus suis terminis ; et ideo hoc prohibetur lege divina, quæ dicit [8] : *Non concupisces rem proximi tui.*

Secundo cognoscitur ex fine. Et ideo dicit Augustinus in libro *de Libero Arbitrio* [9], quod peccatum nihil aliud est quam, neglectis regulis æternis, temporalia sectari. Et in libro *Octoginta trium quæstionum* dicit [10], quod omnis humana perversitas est uti fruendis, et frui utendis. Et ratio hujus est, quia cum omnis res ordinetur ad finem debitum, quando a fine deviat, incurrit peccatum, sicut patet in operibus naturæ. Homo enim generans, intendit generare sibi simile secundum omnium membrorum proportionem. Quando vero conceptum generatur cum duobus capitibus, vel duobus digitis, dicitur esse peccatum naturæ, quia deviat a debito fine. Et secundum hunc modum, cum homo sit ordinatus, tanquam ad debitum finem, ad diligendum æterna ; ideo natura dedit homini oculos sursum, ut respiciat quod diligere debeat. Quia dicitur in *Ethicis :* « Nullus diligit aliquid, nisi præ delectatione visus, sicut patet in amore carnali, quia homo vi-

[1] *Psal.* XCI, 5. — [2] *Prov.*, XXXI, 30. — [3] *Psal.* IX, 7, quoad sensum. — [4] Aug., *cont. Faust.*, lib. XXII, c. XXVII. — [5] *Levit.*, XIX, 12. — [6] Arist., *de Part. Animal.*, lib. IV, c. X. — [7] *Exod.*, XX, 13, 15. — [8] Ibid., 17. — [9] Aug., *de Lib. Arb.*, lib. I, c. XVI. — [10] Id., *de LXXXIII Quæst.* q. XXX.

(*a*) *Cæt. edit.* plenitudine. — (*b*) *vitatur.*

dens rem pulchram et delectabilem, incipit eam ex ejus visione diligere, et diligendo desiderare, et desiderando apprehendere, et cum adeptus fuerit, tunc in bono convenienti incipit delectari. » Sic debet homo sursum oculos dirigere, et cœlestia contemplari : quia ex hoc generabitur amor, et ex amore desiderium, et ex desiderio acquirendi studium. Sed quia peccatores, ut dicitur in Psalmo [1], *Statuerunt oculos suos declinare in terram;* ideo terram diligunt, et sic deviant a recto fine : ex quo incurrunt peccatum.

Tertio, cognoscitur ex ratione, quia, ut dicit Dionysius [2], « malum hominis est contra rationem esse. » Et quia ratio est regula proxima humanorum actuum; ideo, si volumus videre utrum aliquis humanus actus sit rectus vel vitiosus, inspiciamus regulam rationis. Sicut patet in artificialibus, quia tunc lignum cernitur rectum vel obliquum, si apponatur regulæ rectæ. Rectum enim est judex sui, et obliqui. Et hoc patet in actu comestionis: cum enim in homine sit regula rationis, et concupiscentia carnis, si homo sumat cibum, existimans sibi necessarium secundum quod ratio dictat, non incurrit peccatum, etiamsi quantitatem excedat. Si autem propter concupiscentiam sumat, vel propter delectationem solum, pertinet ad gulæ peccatum. Et sic patet quod ratio est recta mensura, et regula actuum humanorum, quantum ad bonitatem moralem: et si ab hac discordatur, incurritur peccatum.

Quarto cognoscitur ex privatione, quia secundum Augustinum in libro *de Natura boni* [3] : « Peccatum est privatio speciei, et modi, et ordinis. » Secundum quæ tria dicitur [4]: *Omnia constituisti in numero, pondere, et mensura.* Ita quod *pondus* referatur ad ordinem, *mensura* ad modum, et *numerus* ad speciem : quia unaquæque res dicitur mensurata, pulchra, et ordinata natura. Quælibet enim res mensuratur, his tribus dumtaxat exceptis, scilicet gratia Christi, charitate Dei, luce cœli. Gratia Christi mensuram non habet : nam Deus omnibus sanctis gratiam mensuratam dedit, Filio autem dedit [5] *spiritum non ad mensuram,* ut dicitur in *Joanne*. Et ratio hujus est, quia ipse fuit fontale principium, a quo est omnis gratiarum influxus. Propter quod ipse dicit [6] : *Qui credit in me, de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Item charitas non habet mensuram respectu Dei, quia cum charitas ejus non sit nisi respectu boni, et ubi est majus bonum, ibi sit major amor, sicut homo magis diligit aurum quam argentum, quia ubi majus bonum invenitur, illud magis diligitur, et Deus est infinitum bonum in tantum, quod quanto plus diligitur Deus, tanto diligibilior invenitur : ideo dicit Bernardus [7] : « Modus diligendi Deum, est sine modo diligere. » Item lux cœli non habet mensuram respectu sensibilium, quia cum sensibilia habeant virtutem determinatam et mensuratam, ut patet in arboribus, nam arbor unius speciei non extendit se ad producendum fructus alterius speciei, vel arboris, sicut ficulnea non facit uvas : lux autem ad omnia se extendit. Unde dicit Dionysius, loquens de radio solari, quod « ad sensibilium generationem confert, et ad vitam movet, nutrit, perficit, et auget, aliæ vero res habent determinatam mensuram in augmento et diminutione. » Unde sapiens dicit [8], quod omnium natura constantium, terminus est et ratio magnitudinis et augmenti, sicut patet in natura humana. Nam est terminus aliquis in augmento, ut in gigantibus; et in diminutione, ut in pygmæis; et sic est de singulis rebus, quia secundum rerum diversitatem, est diversitas mensurarum. Anima etiam rationalis habet hanc mensuram, quia potest capere omnes scientias et virtutes, et potest esse habitaculum Creatoris. Illud autem quod hanc mensuram minuit et destruit, est peccatum: quod animam ita astringit, quod Deus in ea

[1] *Psal.* XVI, 11. — [2] Dion, *de Div. Nom.*, c. IV. — [3] Aug, *de Nat. Bon.*, c. IV. — [4] *Sap.*, XI, 21. — [5] *Joan*, III, 34. — [6] *Joan.*, VII, 38. — [7] Bern, *de dilig. Deo*, stat. a princ. — [8] Arist., *Physic.*, lib. I, text. 36

habitare non possit. Exemplum hujus patet in materialibus : peccatum enim facit in anima, quod frigus in aqua. Aqua enim antequam congeletur, est receptiva corporum, quæ immittuntur; postquam autem per frigus congelatur, ita constringitur, quod nihil in ea recipitur, nisi resolvatur per calorem. Sic anima per peccatum tantum constringitur, quod nulla virtus in ea recipitur; et Deus inde recedit, nisi calore gratiæ resolvatur. Et sic patet, quod peccatum corrumpit animæ mensuram.

Item quælibet res est suo modo pulchra, licet aliquando videatur deformis : quia secundum diversitatem rerum, est diversitas pulchritudinis, quia quod est pulchrum in homine, non est pulchrum in equo. Et secundum hunc modum dicit Dionysius, quod illud quod est laudabile in uno, est vituperabile in alio: sicut esse furibundum est laudabile in cane, et vituperabile in homine; et esse mansuetum, est laudabile in homine, et vituperabile in cane. Et sic est de pulchritudine, quia videmus quod rubedo est pulchritudo in rosa, et albedo in lilio; et nigredo est pulchritudo in equo, et turpitudo in homine, licet apud Æthiopes quanto quis nigrior, tanto pulchrior reputetur. Unde dicitur, quod apud eos imago Christi colore nigro depingitur, et Diaboli albo. Sic anima habet suam pulchritudinem, scilicet claritatem, quia anima est splendor divinæ lucis. De quo Psalmista [1] : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Nihil autem tollit illam pulchritudinem, nisi peccatum : quia peccatum est quoddam obstaculum, quod interponitur inter animam et Deum, sive lucem divinam. Unde sicut videmus, quod quando arbor vel turris opponitur radiis solis, ex opposito facit umbram; ita peccatum, quod interponitur inter lucem divinam et animam, facit umbram in anima; et sic anima peccatoris remanet umbrosa et tenebrosa, et amittit nitorem et pulchritudinem suam. Et hoc deplorat Hieremias [2] : *Quo modo obscuratum est aurum?* Sic ergo peccatum est corruptio speciei.

Item quælibet creatura est ordinata. Ordinatur autem ad duo, scilicet ad operationem, et operatio ad delectationem. Operatio autem hominis est duplex, scilicet intelligere veritatem, et diligere bonitatem. Illud autem quod corrumpit intellectum, non est nisi peccatum. Unde primus homo licet fuerit mente præditus, tamen per peccatum fuit obtenebratus, et per consequens totum genus humanum fuit tenebris involutum. Et ideo quantumcumque studeant homines, non possunt pervenire ad cognoscendum plene veritatem, licet quilibet apponat aliquid, ad istam quoque cognitionem det operam studio veritatis, sicut patet de philosophis et doctoribus sacræ Scripturæ. Et sic ex omnibus congregatis licet cognitio veritatis aliquod magnum augmentum recipiat, tamen adhuc pro majori parte remanet veritas incognita : quia quandiu sumus in præsenti vita, non possumus cogitare primam veritatem. Et hoc est in nobis valde miserabile, quia illud quod valde lucet, non possumus respicere, scilicet Deum et substantias separatas. Unde exemplum ponitur a sapiente [3], quod sicut oculus noctuæ non potest respicere lucem Solis, sic nos non possumus respicere lucem Creatoris. Et hujus exemplum videmus in naturalibus : illud enim quod maculat oculum, impedit oculi visionem. Unde oculus maculosus non potest clare videre : sic cum peccatum maculat animam, impedit intellectualem ejus visionem : ideo [4] *diminutæ sunt veritates a filiis hominum.*

Item operatio ordinatur ad delectationem : quælibet enim propria hominis operatio habet annexam delectationem. Et virtus etiam facit delectabiliter operari, quia in modum naturæ inclinat, ut dicit Tullius. Ideo dicitur secundo Ethicorum [5] : « Signum autem generati habitus, oportet accipere in

[1] *Psal.* IV, 7. — [2] *Thren.*, IV, 1. — [3] Arist., *Metaph.*, lib. II, c. I. — [4] *Psal.* XI, 2. — [5] Arist., *Ethic.*, lib. II, c. II.

operatione delectationem. » Illud autem quod impedit delectationem est peccatum, quia licet luxuriosus faciat aliquando casta opera, non tamen facit ut castus; quia castus talia delectabiliter operatur, et luxuriosus cum tristitia, et sic de similibus : et sic peccatum privat delectationem, ad quam operatio ordinatur. Et sic patet, quod peccatum privat modum, speciem et ordinem. Hujus exemplum habetur in infirmitate corporali, quæ privat a corpore modum, quia totum attenuatur; speciem, quia totaliter deformatur; et humorum ordinem, ex quibus componitur, etc.

OPUSCULUM

QUOD INSCRIBITUR

SPECULUM ANIMÆ [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Aperte huic opusculo sanctus Bonaventura *Speculum animæ* nomen dedit. Sicut enim in speculo objectarum rerum imagines apparent, et quisque in eo effigiem suam intuetur; ita in hoc tractatu capitalia vitia, eorumque propagines adeo perspicue cernuntur, ut eo sibi ob oculos mentis proposito non mediocriter juvetur is, qui conscientiam suam examinare, et patrata scelera inquirere, eademque in memoriam revocare studet, ad integram eorum confessionem. Hoc autem opusculum tripartitum est. Primo siquidem Auctor præfationem præmittit, in qua describit arborem, cujus radix cupiditas est, truncus vero voluntatis consensus, rami affectiones variæ, quæ, ut ipse ait, ex voluntate procedunt, et secundum ejus conditionem pensantur. Deinde per tria capita tractat de tribus præcipuis hujus arboris ramis, scilicet superbia, concupiscentia divitiarum, et concupiscentia carnis. Postremo, ut facilius sibi arborem quisque confingat, breviori, quo potest, compendio seu epilogo hæc omnia comprehendit. De hac re legendus est Auctor his præsertim in locis, videlicet II *Sent.*, d. XXXV et XXXVI; *Breviloq.*, p. III per tot.; itidem *Centiloq.*, p. I; *Diæt. Salut.*, tit. I; *Exposit. Missæ*, et plerisque in aliis.

PRÆFATIO

Arbor mala fructus malos facit [2], dicit Dominus. Secundum Glossam interlinealem, ibidem, mala arbor mala voluntas est, ex qua, secundum aliam Glossam, fructus malæ operationis procedit. Hujus autem arboris folia, mala verba sunt, secundum Glossam in principio Psalmorum (a) super illud [3]: *Et folium ejus non defluet.* Per folia enim verba signantur: folia siquidem vanitatem et fluxibilitatem habent, quod est de natura verborum. Hujus arboris rami sunt affectiones diversæ, quæ ex voluntate procedunt, et secundum ejus conditionem pensantur. Si enim voluntas mala est, ramis suis suam corruptionem immittit, secundum illud Apostoli [4]: *Si radix sancta, et rami*, etc. Truncus autem istius arboris est voluntatis consensus, quoniam sicut radix ramos suos, nisi mediante trunco, non potest expandere; sic

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, p. 30; edit. Ven., an. 1611, tom. II, p. 9; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, p. 30; edit. Ven., 1754, tom. IX, p. 94. — [2] *Matth.*, VII, 17. — [3] *Psal.* I, 3. — [4] *Rom.*, XI, 16.

(a) *Cæt. edit.* Psalmistæ.

nec radix malæ voluntatis ramos vitiorum non potest emittere, nisi mediante consensu, siquidem, secundum Gregorium [1], suggestione, delectatione, et consensu peccatum perficitur. Radix autem istius arboris, secundum Apostolum [2], *est cupiditas*. Licet autem radix arbori præstet originem, tamen a fructu incipimus per folia et ramos et truncum descendentes per ordinem ad radicem, ut iterum incipientes ab ipsa, qualiter procedant ascendendo monstremus.

Sciendum igitur, quod hæc radix, quæ cupiditas vel concupiscentia nominatur, secundum Bedam [3], ex corruptione seminis, transfusa per primos parentes ad posteros, habet ortum. Sicut autem materialis radix humorem trahit et germinat; sic radix concupiscentiæ, secundum Gregorium [4], ab imaginatione suggesta ab extrinseco sumit naturam, qua mediante germinat, cum delectatio ex imaginatione procedat. Tunc autem emittit virus, cum ex delectatione consensus oritur, quia, secundum Augustinum [5], est duplex consensus, scilicet in delectatione et opere. Cum enim ex imaginatione et delectatione morosa cum adversione periculi, consensus in delectationem sequitur, etiam si opere non complendum decernat, mortale est. Et propter hoc, secundum Augustinum, totus homo damnabitur, licet iste progressus peccati, qui dictus est, potissime in peccato carnali locum habeat, et manifestius ibidem appareat; tamen et in omnibus aliis mortalibus locum habet. Si enim quodcumque peccatum mortale mente per cogitationem tenueris, et delectationem consensus in ipsum sequatur, absque consensu in opus si facultas adesset, nihilominus est mortale.

Ut autem de radice ista pleniorem notitiam habeamus, et quomodo ex ipsa fructus malæ operationis procedat, quadruplicem actuum differentiam assignamus. Sunt enim quidam actus, qui de natura sui bonum dicunt. Sunt alii, qui quantum de natura sui esse, indifferentiam habent, nec boni, nec mali in genere moris dicuntur, ut levare festucam, et hujusmodi. Sunt alii, qui de natura sui malum dicunt, et tamen aliqua de causa vel fine bonitatem moris sortiri possunt, ut occidere hominem, quod quidem existente justitia bonum fieri potest, licet de sui genere malum dicat. Sunt autem, secundum Augustinum [6], alii qui ita habent deformitatem annexam, quod nullo bono fine vel intentione possunt fieri, nec facientem excusare : ut fornicari, vel injustitiam facere, vel adulterium committere, et hujusmodi. Hoc igitur circa istam materiam est sciendum, quod secundum Ambrosium [7], « affectus nomen operi imponit, et ex intentione opera judicantur. » Quod quidem de duobus primis generibus actuum intelligit Ambrosius, scilicet quando bonum est, vel indifferens. Si enim aliquis intentione inanis gloriæ pascat pauperem, vel ex contemptu festucam erigat, ex mala intentione procedit, et rationem radicis sortitur. In alio autem genere actuum sola justa intentio opus bonum facere potest. In quarto autem genere actuum, nulla intentio vel finis potest facere bonum actum : quacumque enim intentione quis fornicationem, vel actum adulterii committat, nullatenus excusatur. Hoc etiam circa istam arborem est sciendum, quod truncus istius arboris, rami et fructus cum foliis, ex quibusdam circumstantiis quantitatem assumunt, sicut materialis arbor ex sterquilinii et corruptionis injectione in fructibus et aliis recipit incrementum, secundum quod dicit colonus ille [8] in *Luca*. Hæ autem circumstantiæ hoc versiculo continentur, videlicet :

Actuum quadruplex differentia.

Quo, quis, ubi, cum quo, quoties, cur, quomodo, quando.

Quo, *motu* supple, utrum ex tentatione gravi, vel levi, vel nulla; si malitia, vel

Circumstantiæ actuum.

[1] Greg., lib. XII, epist. XXXI, ad interrog. XI Aug. (Labb. *Conc.*, t. V, col. 1575). — [2] I *Tim.*, VI, 10. — [3] Beda, in Ep. *ad Rom.*, t. V, in illa verba : *Propterea sicut per unum hominem*, etc. — [4] Greg., ubi sup., ad interrog. X, quoad sensum. — [5] Aug., *de Gen. cont. Manich.*, lib. II, c. XIV, n. 21. — [6] Aug., *de serm. Dom. in monte*, lib. II, c. XVIII, n. 60, quod sensum. — [7] Ambr., *de Offic.*, lib. I, c. XXX, n. 147. — [8] *Luc.*, XIII. 8.

infirmitate, vel ignorantia. *Quis*, persona, prælatus, vel ordinatus clericus, vel alius, vel alii, in exemplum positus religiosus, vel hujusmodi, in quibus peccatum aggravari potest ratione personæ. *Ubi*, si in loco sacro, vel communi, ita quod malum possit esse in aliis exemplum. *Cum quo*, si multos ad simile malum traxit, etc. *Quoties*, si habuit in consuetudine. *Cur*, scilicet quo fine vel intentione : licet enim malum facere bona intentione, non excuset a toto, tamen excusat a tanto. Similiter autem et perversa intentione, aggravat peccatum. *Quomodo*, si forte modum novum, modum effrenatum peccati invenit. *Quando*, ut si forte tempus sacrum, vel orationi deputatum, in peccato expendit. Sunt autem aliæ circumstantiæ, quæ specialem speciem dant peccato, ut cognoscere uxorem alterius, et similia, quæ nullatenus a confitente omitti debent, et plenius in arboris prosecutione patebunt. Quod autem, ut jam supradictum est, secundum Apostolum, rami et fructus ex radice pensantur, satis de facili potest quisque perpendere, si peccatum ejus radicem mortalem habet : et ponitur exemplum. Videre enim mulierem, de se non habet rationem peccati, nec tangere; et tamen, si de radice luxuriæ procedat directe, cujus malus habitus latet interius, est mortale. Quando autem radix rationem mortalis habeat, in prosecutione et formatione arboris poterit plenius pertractari. Hoc autem addo, quod illud mortale de suo genere dicitur, quod directe est contra Deum, vel proximum. *Directe* autem dico, quia sicut in materiali arbore ex trunco vel ramis quædam pullulationes indirecte procedunt, quas adulterinas vocamus; ita ex radice malæ voluntatis, quam concupiscentiam nominamus, multa semina prodeunt, quæ directe contra Deum vel proximum non faciunt, sed aliqualiter indirecte : et talia venialia nuncupantur. Unde etiam advertendum, quod multa talia ponuntur in formatione istius arboris, quæ licet in se et in suo genere mortalia non dicantur, tamen ad suam radicem relata, et eidem conjuncta, possunt habere rationem mortalis. Licet autem contingat interdum, quod unum opus et idem a diversis trahat originem, ut percutere, ex superbia, invidia et ira potest procedere; tamen idem actus in arbore nullatenus iteratur. Sed vere pœnitens, arboris inspector, diligenter advertat, quibus ex causis et radicibus actus ille inveniatur in ipso; digna etiam deliberatione consideret progressum peccati, quomodo radix concupiscentiæ germinaverit in ipso, et circumstantiis, de quibus superius est expressum. Et si de fructu, vel foliis, vel ramis arboris se comedisse advertat, per confessionem evomat, ut animæ recuperet sanitatem. Hæc est enim arbor, de cujus fructu mortifero protoplasti parentes contra præceptum summi Medici gustaverunt, et mortem experti sunt, quam ad posteros transmiserunt. Et hæc est arbor, quæ, secundum testimonium *Matthæi*[1], *excidetur, et in ignem mittetur, et ardebit* (a).

His ergo prælibatis, arborem imaginariam describamus, in cujus radice sit illa Apostoli auctoritas[2] : *Radix omnium malorum cupiditas*. Truncus autem istius arboris taliter describatur, quod ab imaginatione incipiat, et in delectatione morosa cum adversione periculi sit ejus medium, et in consensu triplici terminetur, scilicet in consensu, in delectatione, et in opere, secundum quod progressus peccati superius est expressus. Quia autem omne peccatum vel cogitatione, vel locutione, vel opere perpetratur, et sicut supra probatum est, in ramo mala voluntas significatur, in verbo autem folium, fructus in opere; ideo omnia peccata, quæ in progressu occurrunt, quæ ad cogitationem pertinent per modum rami; quæ vero ad locutionem per modum foliorum, quæ autem ad opus per modum fructuum in arbore describantur. Sed hos ramos, fructus et folia describamus hujus arboris.

[1] *Matth.*, VII, 19; *Joan.*, XV, 6. — [2] I *Tim.*, VI, 10.

(a) Vulg. *ardet*.

Siquidem, secundum Joannis testimonium, tres rami principales ex radice concupiscentiæ prodeunt[1], *quoniam omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*, quæ concupiscentia honoris nominatur. Et de hoc ultimo primo est dicendum, tanquam de grossiori, et a quo plures rami, onusti fructu et foliis mortiferis, oriuntur; et primo de superbia.

CAPUT PRIMUM.

De primo principali ramo, scilicet superbia.

Hic igitur ramus, qui superbia nominatur, in genere suo mortale peccatum dicitur, quoniam directe est contra Deum et ejus reverentiam, cum scilicet creatura ultra quod a Factore accepit, extollitur, et quasi usurpare præsumit. Unde et Gregorius, XXXIV *Moralium*, dicit[2]: « Evidentissimum signum reproborum est superbia. » Per hoc patet, quod illa superbia est mortalis, qua quis se ultra merita extollere appetit, et se melioribus anteponit; et hoc, si ex deliberatione procedat. Sicut enim alia peccata carnalia motus habent qui præveniunt rationem, quibus ratio non consentit; sic et superbiæ motus quamplurimi in homine rationem præveniunt, quos ratio advertens reprimit, vel saltem non consentit. Hic autem ramus superbiæ tres præcipue ramos habet, scilicet præsumptionem, contemptum, et inanem gloriam.

Præsumptio quid. Præsumptio in hoc consistit præcipue, quod homo præsumit gratiam se habere, vel ex se, vel pro meritis suis, vel falso, vel plus aliis, unde versus :

Ex se pro meritis, falso, plus omnibus instat.

Et secundum hoc præsumptio quatuor ramos habet secundum Gregorium in *Moralibus*[3]. Hi autem rami cum suis fructibus et foliis habent rationem mortalis eo modo, quo de superbia est prædictum. Ex hoc autem ultimo ramo, scilicet *plus omnibus*, duplex ramus oritur. Hoc enim in gratuitis, sicut in virtutibus, vel in gratis datis, scilicet in gratiis exterioribus potest intelligi. Ex quorum ramorum medio oritur elatio cordis inordinata, et confidentia de se, et inepta audacia. Ex ramo autem, qui est præsumptio de bonis gratuitis, oritur folium divinæ tentationis, et fructus discriminis. Appellatur Dei tentatio, quando quis experimentum divinæ potentiæ quærit, ut signum (a) petere absque necessitate. Discrimen autem dicitur, quando quis se exponit periculo, in sola divina virtute confidens, contempto humano adjutorio, absque necessitate fidei, vel Ecclesiæ, et habet rationem mortalis. Unde dicitur in Deuteronomio[4] : *Non tentabis Dominum Deum tuum;* dicit Glossa : « Deum tentat, qui, habens quod faciat, sine ratione se committit periculo. »

Contemptus quid. Secundus ramus superbiæ est, contemptus : eo enim quo quis alios se præsumit supergredi, Deum contemnit et hominem, et secundum hoc hic ramus in duos dividitur, videlicet in contemptum Dei, et proximi : qui plane habent rationem mortalis, quia contra charitatem Dei et proximi sunt directe. Ex ramorum istorum medio procedit ramus inobedientiæ, per quam a potestate alterius et subjectione se eximit, nulli volens subesse. Ex primo autem ramo, qui est contemnere proximum, procedunt isti fructus, scilicet se a societate subtrahere, et verbo (b) et gestu indignationem vel contemptum ostendere; folia etiam ex ipso procedunt, quæ sunt verborum indignatio, irreverentia in verbo (ironia, derisio, subsannatio[5]) : quæ omnia

[1] I *Joan.*, II, 16. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXXIV, cap. ult., circa fin. — [3] Ibid., lib. XXXI, c. XVII, post med. — [4] *Deut.*, VI, 16. — [5] Hæc suppleta sunt ex quarto capite, ubi continetur horum epilogus.

(a) *Cœt. edit.* sicut. — (b) et verbo subtrahere.

sunt contra charitatem ad proximum, et mortalia sunt, secundum quod ex superbia et contemptu nascuntur. Est autem ironia alterius detestatio per contrarium. Derisio autem, et subsannatio differunt : quoniam derisio fit in voce; sed subsannatio fit in gestu, vel trahendo linguam, vel faciendo nutus, et similia; irreverentia autem in modo loquendi : cum hoc autem folio est irreverentia in facto : ex quorum medio procedunt isti fructus, scilicet irreverentia facta parentibus, prælatis, principibus, majoribus, senioribus, patribus spiritualibus, et sanctis viris, locis, et rebus sacris, et temporibus, ut in violatione festorum contingit, et præcipue sacramentis, maxime sacramento altaris. Qui enim excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus, vel in mortali peccato solemniter in Ecclesia officiat, vel sacramentum administrat, vel recipit in mortali, vel irregularis, vel inconfessus post mortale cum copia sacerdotis celebrat, vel notorius peccator officium correctionis exercet, vel excommunicato scienter participat in divinis, sive (*a*) hoc scienter faciat, sive (*a*) ignarus juris existat, irreverentiam divinis exhibet, et mortaliter peccat. Hoc etiam sciendum est, quod excommunicati vel interdicti, qui se ingerunt divinis, si hoc scienter faciant contra præceptum Ecclesiæ, mortaliter peccant. Alia etiam supra posita rationem mortalis peccati habere possunt, secundum quod ex ramo contemptus procedunt.

Nota pro excommunicatis.

Secundus ramus, qui ex contemptu Dei et proximi oritur, est superbia, quæ quidem respectu Dei manifeste mortale est, respectu etiam majorum quibus obedire debemus, sive parentibus, sive prælatis, rationem mortalis habet, si præcipiantur licita et honesta. Unde dicit Apostolus[1] : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et parentibus non obedire, ab eodem Apostolo[2] inter mortalia computatur.

Inobedientia duplex.

Ex medio autem ramorum inobedientiæ respectu Dei et proximi procedit ramus impatientiæ, similiter bipartitus contra Deum, et proximum : et ista quidem impatientia ex inobedientia oriri dicitur, quia cum a superiori aliquid faciendum imponitur, quod perversæ displicet voluntati, in ipsa impatientia excitatur, quod nihil aliud est, quam immoderata animi perturbatio ex dicto vel facto alterius, quod personam ipsius tangit, et in quo se reputat gravari : unde hoc laborat vitio, qui infirmitates, vel infortunium, vel onus impositum non sustinet patienter; et habet rationem mortalis, cum usque ad odium Dei et proximi se extendit. Et secundum hoc, ex hoc ramo impatientiæ procedit aliud, scilicet odium Dei, qui licet in se odio haberi non possit, tamen in effectibus suis odiri potest. Ex hoc ramo folium blasphemiæ et murmuris nascitur, et manifeste rationem habet mortalis.

Ex ramo autem impatientiæ ad prælatum oritur et murmuratio, folium scilicet vento superbiæ agitatum. Est autem murmuratio, injusta querela contra superiores latenter multorum auribus inculcata (*b*); et habet rationem mortalis, secundum quod ad alterius diffamationem anhelat. Cum hoc autem folio est fructus obstinationis et pertinaciæ.

Murmurationis descriptio.

Est autem pertinacia, perseverantia in malo proposito contra voluntatem superiorum. Ex qua oritur folium rebellionis apertæ; et fructum transgressionis secum habet : quæ omnia habent rationem mortalis, secundum quod ex inobedientia oriuntur. Cum fructu autem transgressionis sunt excommunicationis, interdicti, et suspensionis sententiæ, quas sustinere procedit ex inobedientia, si debite infligantur.

Pertinacia quid.

Item ex ramo inobedientiæ ramus infidelitatis procedit, secundum quam aliquis se ab obedientia Romanæ Ecclesiæ alienat. Et quidem hic ramus in hos ramos se dividit, scilicet in hæsitationem, dubitationem, et errorem; et hos fructus habet, hæresim, schisma, sortilegium; et divinationis superstitionisque folia, quæ etiam fructus aposta-

[1] *Rom.*, XIII, 2. — [2] *Rom.*, I, 30.

(*a*) *Cæt. edit.* et. — (*b*) *Item* conculcata.

siæ et idololatriæ secum habent. Et de singulis, quid sint, per ordinem exprimamus.

Hæsitatio quid.

Est autem hæsitatio, mentis titillatio contra fidem, cum scilicet intellectus non perfecte consentit his quæ sunt fidei, sed dubitat : quod etiam de suo genere est mortale.

Error quid.

Est autem error, quando jam tenetur contrarium fidei, sive scienter, sive ignoranter. Sed tamen multum interest : qui enim credenda novit per fidem Ecclesiæ, et tenet contrarium, peccat mortaliter; qui autem ex simplicitate ignorat, si tamen intentionem et voluntatem habeat generaliter credendi quod credit Ecclesia, nullatenus judicandum est mortale. Si quis ex simplicitate veritatem videre oculis corporalibus credat, non propter hoc contemnendus est, cum paratus sit credere quod credit Ecclesia indistincte. Unde dicit Augustinus : « Errare potero, sed hæreticus non ero. »

Hæresis et schisma.

Est autem hæresis, obstinata affirmatio contra fidem. Schisma autem a *scissione* dictum est. Unde ille schismaticus dicitur, qui ab unitate Ecclesiæ se separare intendit, licet eadem sentiat, quæ tenet Ecclesia et fides catholica, secundum Augustinum *contra Faustum* [1].

Sortilegium est, cum id, quod futurum est, inquiritur; et habet multas species, quæ per folia in arbore designantur, scilicet divinationes per astra, per incantationes, per dæmonum consultationes, per garritum avium, quod dicitur augurium, per ligaturas nominum, temporum observationes, et somniorum; quæ omnia prohibentur ab Ecclesia tanquam mala, et habent rationem mortalis, quia quod soli Deo competit, attribuitur creaturæ. Hoc tamen circa observantiam temporum, et orationes, debes advertere, quod sortiuntur sortilegii rationem, quando scilicet creditur, quod magis valeant ad unum effectum, quam ad alium, vel quando quis confidit (*a*) in determinato orationum numero, vel effectum optatum, qui sic fecerit, infallibiliter consequi putat.

Augurium unde dicatur.

Apostasia.

Quid autem sit apostasia a fide, vel idololatria, plane patet.

Inanis gloria quid.

Tertius ramus superbiæ est inanis gloria, qua quis appetit suam excellentiam ostendere : quæ habet rationem mortalis, in quantum quis gloriam sibi appetit, quæ soli Deo debetur, quoniam [2] *ipse fecit nos, et non ipsi nos*. Unde qui gloriam non refert in Deum, vel sic gloriam affectat acquirere, quod si ex hoc assequatur, offensam Dei non metuit, mortaliter peccat. Unde Augustinus, in libro *de Civitate Dei*, dicit [3] : « Hoc vitium inimicum est piæ fidei, si major in corde sit cupiditas gloriæ, quam Dei timor et (*b*) amor. » Si autem in bono proprio quis inaniter glorietur, ita tamen quod ibidem non sistat, vel actu vel habitu in Deum referat, nec ut hoc acquireret aliquo modo Deum vellet offendere, nullatenus est judicandum mortale.

Ex hoc inanis gloriæ ramo quatuor rami oriuntur, scilicet ambitio honoris, et favoris humani appetitus, confusionis timor, et laudis amor. Ex primo autem ramo inanis gloriæ, qui est ambitio, oritur fructus pompæ, qui tres fructus habet, et unum folium, scilicet fastum in superfluo comitatu, et apparatu, et fastuoso gestu, et affatu : quæ licet mortalia non sint ex suo genere, tamen, prout oriuntur ex ramo superbiæ, mortalia esse possunt.

Ex secundo ramo, qui est appetitus humani favoris, est adulationis folium, quæ quandoque mortalis, et quandoque venialis; qui enim ad malum alium incitat, malum factum ejus laudando per adulationem, vel alii occasionem præbet ut in peccato remaneat, vel ut ultra merita sua efferat ipsum, scilicet falsa laudando, in tali adulatio est mortalis : si autem sola intentione placendi, et ut Dei gratia augeatur, quam in veritate ipse commendat, mortalis nullatenus judi-

[1] Augustinus habet hoc, lib. II, *cont. Crescon Grammat.*, c. VII, n. 9. — [2] *Psal.* XCIX, 3. — [3] Aug., *de Civit. Dei*, lib. V, c. XIV.

(*a*) *Cœt. edit.* confidat.— (*b*) *Edit. Benedictin. Oper. S. Aug.*, vel.

catur. Et hoc Augustinus, in sermone *de Purgatorio*[1], judicat veniale.

Secundum igitur hoc, folium adulationis in tria dividitur, quia aut adulatio est de bono habito, aut non habito, vel de malo.

Item ex ramo appetitus favoris humani, oritur prodigalitatis fructus : fit enim homo prodigus, ut humanum favorem acquirat. Habet autem prodigalitas rationem mortalis, secundum quod bona, quæ utiliter in pauperes fundi debebant, inutiliter expenduntur, et in personis inhonestis, non servando modum, vel tempus. Et quidem hoc vitium malum est in personis ecclesiasticis, quorum bona, ultra sustentationem personæ et status, debent pauperibus erogari. Secundum hoc autem prodigalitas quatuor fructus habet, quia nec personam cui dat, nec modum, nec tempus considerat, et incuriam secum habet. Est autem incuria, cum quis sic curam de bonis suis abjicit, quod bona ejus depereunt, quæ a Deo collata sunt, ut exinde sustententur pauperes Christi. Hæc autem incuria non judicatur mortalis, nisi secundum quod ex aliqua radice mortali procedit. Quandoque enim ex contemptu temporalium procedit; tamen semper ad indiscretionem pertinet, et ex tanta negligentia procedere potest, quod mortalis esse posset, ut si forte indigentiam manifestam pauperum viderit, et bona, quibus eos juvare posset, deperire permittit.

Incuria quid sit.

Item ex tertio ramo inanis gloriæ, qui est timor confusionis, hi procedunt fructus, mala scilicet verecundia, et falsa humilitas. Verecundia autem hos habet fructus secum, scilicet erubescentiam divinorum, ut cum quis erubescit vel facere Missam, vel orare. Item verecundiam paupertatis parentum, vel pauperum amicorum. Item in confessione, secundum quod aliquis confessionem dimittit, vel non confitetur veritatem propter confusionis timorem. Falsa autem humilitas est, cum aliquis se ipsum humiliat, ne per superbiam minus reputetur ab aliis. Item ex illo ramo, qui est timor confusionis, hæc folia oriuntur, videlicet veritatis negatio in judicio vel extra judicium, veritatis impugnatio, falsa excusatio, et peccati defensio. Ista autem, quæ ad timorem confusionis pertinent, habent rationem mortalis, non ex genere, sed secundum quod amor favoris humani amori divino præfertur, et eligit hoc magis contra Deum facere, quam confusionem humanam incurrere. Hoc tamen circa negationem veritatis in judicio advertendum est, quod ex suo genere mortale est, et quia superiori in judicio obedire tenemur, et quia (*a*) justitiæ opponitur. Si tamen aliquid superior interroget, quod secundum juris ordinem interrogare non debet, potest appellari, sed nullo modo licet mentiri.

Humilitas falsa quid.

Ex quarto ramo inanis gloriæ, qui est amor humanæ laudis, oriuntur tres fructus, scilicet hypocrisis, ostentatio, singularitas, et jactantiæ folium, quod in quatuor est divisum. Aut enim est de bono habito, vel non habito, aut de malo facto, vel non facto : et de his per ordinem videamus. Est autem hypocrisis, secundum Isidorum [2], simulatio boni non existentis; unde est mendacium in signo. Sicut enim mendacium omne non semper est mortale, sed quando est in detrimentum proximi, vel contra veritatem fidei, vel morum; sic nec hypocrisis semper est mortalis, nisi quando fit intentione decipiendi sub specie bonitatis, sicut illi qui simulant sanctitatem, ut bona Ecclesiæ habeant, quæ habere digni non sunt, et Ecclesiam per suam simulationem decipiunt. Quando autem fit intentione laudis, tunc de ea sicut de inani gloria judicandum est, sicut superius est expressum.

Hypocrisis.

Ostentatio est, quando bonum quod quis habet, vel habere se putat, exterius ostendere nititur, ut laudem humanam exinde consequatur; nec est mortale ex suo genere, nisi secundum quod inanis gloria judicatur

Ostentatio.

[1] Aug., *de Sanctis*, serm. XLI, al. CIV, n. 3, in append. — [2] Isid., *de Sum. Bon.*, c. XXIV, sent. 2. —

(*a*) *Cæt. edit. deest* quia.

Singularitas. mortalis. Singularitas est, cum quis vult singulariter apparere, et secum habet fructus diversos, secundum quod in diversis materiis invenitur, cum scilicet communia quis non dignatur facere, vel docere, vel modum singularem in factis satagit ostendere; et hoc quandoque rationem mortalis habere dicitur, secundum conditionem radicis, eo modo quo inanis gloria, quæ propter hoc intenditur esse mortalis. Jactantia quandoque mortalis, quandoque venialis. Cum enim quis se jactat de bono quod habet, vel se habere putat, ut inanem gloriam consequatur, tunc judicandum est de tali jactantia, sicut de radice ipsius. Cum de bono quod non habet, tunc est ibi mendacium; et tunc, si tale est mendacium, quod sit contra divinam reverentiam, vel proximi charitatem, habet rationem mortalis. Contra Dei reverentiam se [1] jactabat Pharisæus. Cum autem quis de peccato mortali, quod non fecit, vel quod fecit, se jactat, mortale est, quoniam in peccato facto sibi complacet, et unde confusionem meruit, quærit gloriam, si factum suum in alios extendit.

Jactantia

Item nota, quod fructus singularitatis, qui procedit ex inani gloria, ut jam supra diximus, non solum per modum fructus in opere, sed etiam per modum rami, debet describi in arbore, ad significandam voluntatem singularem apparendi. Ex hoc autem ramo procedit ramus invidiæ. Sic autem ex voluntate singulariter apparendi procedit, quia dum quis videri singulariter appetit, si aliquem videt in gratia præeminere qui ejus offuscet gratiam, eidem invidet, et est peccatum mortale.

Invidia quid. Est autem invidia tristitia de bono alterius secundum Damascenum [2]. Circa quod notandum, quod hoc quatuor modis potest contingere: uno quidem modo, cum quis bonum alterius sibi esse damnosum advertit, et cum quis de promotione inimicorum tristatur, et hoc rationem mortalis non habet; item, secundum quod quis bonum videt in alio, in quo defectum patitur, et ex quo dolet, non quidem quia alius bonum habeat, sed quia ipse non habet, et non habet rationem peccati; item alio modo dolet quis de bono alterius in quantum ipsum indignum videt bonis, quæ habet, et hoc etiam non habet rationem peccati in bonis temporalibus, quæ homini quandoque proficiunt ad ruinam; alio modo quis dolet de bono alterius, secundum quod per bonum alterius gloriam suam putat diminui, et hoc est invidia, quæ judicatur mortalis, et quia ex ramo procedit superbiæ, et quia directe opponitur charitati, in qua vita animæ conservatur. Sicut autem de superbia dictum est, quod quidam motus præveniunt rationem, quibus ratio non consentit, nec habent rationem mortalis, ita et de invidia est dicendum.

De ramis, fructibus, et foliis invidiæ. De ramo autem invidiæ præcipue exeunt duo rami, scilicet exultatio in adversis, et dolor in prosperis, qui, sicut dictum est de invidia, rationem habent mortalis. De primo autem ramo, scilicet de gaudio in adversis, oriuntur hi fructus: machinatio, scandalum, insidiæ, proditio, suspicio, et judicium; inter hæc folia: discordiarum seminatio, secretorum et confessionis revelatio, signo, vel verbo, vel circumstantia, et falsum testimonium: de quibus sigillatim aliquid est dicendum.

Machinatio quid. Machinatio est mali occulta et studiosa procuratio. Scandalum, secundum Augustinum [3], est dictum vel factum minus rectum, præbens alii occasionem ruinæ, cum scilicet aliquis alium in malum inducit; et est mortalis, cum aliquis per consilium vel exemplum ex intentione inducitur in mortale. Insidiæ sunt, prout hic de insidiis loquimur, investigatio et consideratio factorum alterius, ut accusari possit deprehensus in malo. Proditio est, cum aliquis amicitiam ad alium simulat, ut ipsum decipiat, de quo

Scandalum quid

Insidiæ.

[1] *Luc.*, XVIII, 11. — [2] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. II, c. XIV.— [3] Vel potius Hieronymus, in *Matth.*, c. XV, ad illa verba : *Scis quia Pharisæi*, etc.

dicit Boetius, quod nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris inimicus. Suspicio est, cum quis facilis est ut malum de alio suspicetur, unde Tullius : « Suspicio est mala opinio ex levibus causis : » et hoc ex mala affectione invidiæ procedit, et tunc habet rationem mortalis, alias autem non judicatur mortalis. Judicium perversum est, cum quis ad alium male affectus, non solum malum suspicatur in ipso ex causis levibus, verum etiam diffinit in corde vel ore sententialiter peccatum mortale committi ab aliquo : et hoc de suo genere est mortale, ex quacumque radice procedat. Unde Glossa super illud *ad Corinthios* [1] : *Nolite ante tempus judicare :* « Suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus ; judicia tamen, id est, sententias diffinitivas cavere debemus. » Hoc autem judicium semper est nimis grave peccatum, et procedit cum quis ex sola suspicione ex causis levibus condemnatur.

Suspicio quid.

Judicium perversum quid

Item folia quæ de ramo isto procedunt, sicut dictum est, sunt discordiarum seminatio. Cum enim adversitati quis congaudet alterius, alios concitat contra ipsum : quod est peccatum mortale. Unde in Proverbiis dicitur [2] : *Sex sunt quæ odit Dominus ;* et ultimum ponitur tanquam pejus : *Qui seminat inter fratres discordias.* Item secretorum revelatio tunc est peccatum mortale, cum tale secretum est quod in illius, qui secretum commisit, potest verti detrimentum. Tunc autem maximum est peccatum, cum videlicet ad revelationem confessionis, verbo, vel signo, vel circumstantia aliqua quis procedit.

Secundus ramus invidiæ principalis, est dolor in prosperitate proximi : quod, ut supra dictum est de invidia, habet rationem mortalis. Ex hoc autem ramo procedit detractionis folium, quo proximi prosperitas impeditur. Hoc autem folium principaliter in duo dividitur : quia qui detrahit, aut hoc est ejus bonum diminuendo, aut eidem malum imponendo. Primum folium quatuor folia secum habet, scilicet bonum proximi tacere, diminuere, pervertere, et negare. Ex secundo autem ramo hæc folia procedunt : malum libenter audire, dissimulare, confirmare, aggravare, addere, revelare, et imponere : de quibus videamus qualiter habeant rationem mortalis. Sciendum igitur quod est denigratio famæ alterius per verba occulta. Unde Salomon dicit [3] : *Si mordeat serpens in silentio, nihil habet eo minus qui occulte detrahit.* Habet autem ex suo genere rationem mortalis : cum enim, secundum Sapientem [4], *Melius sit nomen bonum quam divitiæ multæ :* sicut mortale est rem invito domino pertractare, et qui hoc facit, ad restitutionem tenetur ; sic etiam alterius famam auferre, mortale est, et qui hoc facit, ad restitutionem tenetur. Hoc tamen circa istam materiam est advertendum, quod quodlibet breve verbum, quod in derogationem vergit alterius, non est judicandum mortale, maxime cum ex habitu invidiæ non procedit. Ad detractionem autem spectat, ut dictum est, bonum proximi tacere : quod quidem mortale est, cum videt aliquis injuste famam alterius deperire. Sicut enim in arcta necessitate tenemur proximo in rebus temporalibus providere, sic etiam et in necessitate famam ejus servare. Diminuere bonum alterius est, cum aliquis commendationem alterius audire non potest, sed eam diminuit : quod charitati opponitur, et, si ex ramo invidiæ procedat, mortale est ; quandoque tamen absque mortali contingit, ut cum quis audit commendari indignum, vel ultra merita, et ex hoc potest oriri aliqua deceptio, tunc non habet rationem peccati. Convertere bonum alterius, est bonum quod negari non potest, mala intentione factum asserere. Unde de tali dicitur [5] : *Bona in mala convertens insidiatur, et in electis ponit maculam.* Quod manifeste habet rationem mortalis, cum procedit ex invidia ; tamen cum hoc ex falso procedit judicio, de hoc quan-

[1] I *Cor.*, IV, 5. — [2] *Prov.*, VI, 16. — [3] *Eccle.*, X, 11. — [4] *Prov.*, XXII, 1. — [5] *Eccli.*, XI, 33.

doque judicari debet, sicut de malo judicio est dictum. Cum quis bonum pervertit alterius cum mendacio, tale mendacium, cum sit perniciosum, rationem mortalis sortitur. Item negare bonum alterius, quod scitur inesse, pertinet ad detractionem mortalem. Item de alio malum libenter audire, vel occasionem detractionis præstare, vel dissimulare, cum possit corrigere, est mortale. Unde Apostolus [1] *detractores Deo odibiles* esse commemorat, *dignos morte* judicat, *non solum autem facientes, sed consentientes*. Tamen circa hoc debemus dicere, quod si aliquis detractionem alterius audiat, et non ex invidia, sed ex verecundia, vel aliquo timore humano ne offendat aliquem, non est judicandum mortale; nisi sit talis persona, quod ex officio corrigere debeat, cui posset cedere in mortale. Item malum auditum de aliquo confirmare, et additis circumstantiis aggravare, vel dicto alterius addere mendaciter, vel veraciter, ad diffamationem intendendo, est mortale. Multum tamen interest, utrum hoc procedat ex invidia, vel indiscreto zelo justitiæ : quandoque enim contingit mala aliorum facta ex quadam indignatione vel levitate loquendi, nec intentione diffamandi contra aliquem malum recitari, vel etiam aggravari : quod esset durum judicare mortale. Hoc tamen a plerisque magis dicitur, quod crimen alterius etiam verum extra correctionis ordinem revelare mortale est. Ordo autem correctionis fraternæ est a Domino institutus, qui ait [2] : *Si peccaverit in te frater : in te,* id est, te sciente : *vade et corripe eum*, etc. Hic etiam circa istam materiam est notandum, quod crimen alterius detegere, ubi non potest prodesse nisi ad diffamationem, est contra ordinem correctionis fraternæ.

Item ex medio duorum ramorum invidiæ descriptorum, procedit ramus rancoris: cum enim invidus bonum proximi non potest diminuere, nec eidem malum inferre, prorumpit in cordis rancorem. Est autem rancor motus cordis gravis ex mala affectione procedens in proximum; et habet rationem mortalis, si ex invidia procedat, vel libera voluntate. Ex libera autem voluntate dico, quia contingit interdum, quod aliquis homo propter suam ineptitudinem, vel illatam injuriam, sine motu displicentiæ videri non potest : quod quidem in multis magis habet rationem passionis, quam peccati, dum voluntas libera non consentit. Ex hoc autem ramo rancoris procedit ramus odii, qui manifeste habet rationem mortalis, quia recte charitati opponitur, in qua vita animæ conservatur. Hoc etiam advertendum, quod non solum secundum præceptum tenemur diligere amicos, sed etiam inimicos et malos : vitium tamen in aliquo non tenemur diligere. Unde et si quis contra alium moveatur propter ejus vitium, quandoque non est vitium, sed virtus; licet quandoque zelus indiscretus circa hoc possit contingere, et sic oditur vitium, quod aliquando redundat in personam. Debent autem, secundum Augustinum in *Speculo* [3], corrigi vitia hominum, cum dilectione personarum, et odio vitiorum.

Rancor quid.

Inimici et mali sunt diligendi, non tamen vitium.

Ex ramo autem odii oritur ramus iræ. Est autem ira, ut hic accipitur, inordinatus animi motus ad nocendum proximo sine causa; et cum sit contra charitatem, habet manifeste rationem mortalis. Hoc tamen notandum est, quod quælibet ira non debet judicari mortalis: secundum enim Gregorium [4], est ira per zelum, et est ira per vitium. Est autem ira per zelum, cum quis multum intense contra malum movetur, et in punitionem tendit; quod quidem virtutis est, nisi zeli indiscretio interveniat, sicut de odio immediate est prædictum. Ira autem per vitium est, cum quis contra proximum movetur injuste, et ad ejus pœnam intendit. Et quandoque, sicut de aliis vitiis est dictum, talis modus prævenit judicium rationis ex complexione, vel ex causa alia, et tunc

Ira quid.

Ira duplex.

[1] *Rom.*, I, 30, 32. — [2] *Matth.*, XVIII, 15. — [3] Augustinus hoc habet epist. V, al. CXXXVIII, n. II, et alias passim. — [4] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XXXI, post med.

non habet rationem mortalis. Ex hoc autem ramo iræ procedit ramus appetitus vindictæ et fructus crudelitatis, et folium discordiæ, quæ consistit in verbis.

Circa appetitum vindictæ intellige, quod aliquis vindictam de aliquo dupliciter potest appetere : aut in quantum est in proximi nocumentum, et procedit ex odio; aut in quantum per pœnam potest corripi proximus, ne de cætero ad peccatum declinet, et hoc modo vindictam appetere non est malum. Licet autem vere puniens, debet advertere, quod quandoque mens sibimet mentitur, et quod facit ex odio, ex bona intentione fieri sibiipsi simulat, et in hoc conscientiam suam mendaciter informat.

Ex ramo appetitus vindictæ oriuntur hi fructus : Calumnia, vexatio, et damnificatio. Calumnia est falsi criminis impositio : et est manifeste mortale, quia est perniciosum mendacium et procedit ex odio, et quia injustitia invenitur ibidem.

Calumnia quid.

Vexatio.

Est autem vexatio, cum quis alium trahit ad judicium sine causa, et ipsum in persona sua vexat, et in expensis damnificat : quod fit quandoque per falsas litteras, vel falso impetratas, vel non suas, sed alterius, vel juris ordine prætermisso, vel ad impossibilia obligando, ut citando coram diversis judicibus ad loca distantia, et injuste : in quibus causis non solum quis peccat mortaliter, verum etiam ad restitutionem omnium damnorum et expensarum tenetur.

Damnificatio.

Item damnificatio est, cum quis in temporalibus bonis damnificat, et est mortale. Hoc etiam potest fieri dupliciter : aut impediendo bonum habitum vel habendum, aut malum inferendo, quod etiam fit pluribus modis, quæ per modum fructus in arbore describuntur. Unde circa hoc est notandum, quod quinque modis est quis reus damnificatione proximi, scilicet faciendo, præcipiendo, consulendo, juvando, et dissimulando, scilicet cum prohiberi potest vel impediri damnum proximi, et voluntarie sustinetur; et quatuor casibus primo dictis, qui sic reus est, ad restitutionem tenetur, et in omnibus istis est peccatum mortale, quoniam hæc omnia directe charitati proximi opponuntur. Hoc tamen circa dissimulationem damni alterius est advertendum, quod alterius damnum dissimulare non semper judicandum est mortale, puta cum quis ex timore magis quam ex ira vel odio dissimulat, timens ne forte malefactores contra ipsum moveantur, et in damnum proprium possit aliqualiter redundare, vel in casu ubi probabiliter credit, quod sua correctio non prodesset. Unde Augustinus, primo *de Civitate Dei*[1] : « Si propterea quisque objurgandis et corripiendis mala agentibus parcit, ne deteriores efficiantur, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. »

Secundus ramus iræ est crudelitas, ex qua oriuntur hi fructus, scilicet, incarceratio, percussio, verberatio, duellum, bellum, mutilatio, et occisio : de quibus aliquid videamus.

Crudelitas.

Est autem crudelitas, secundum Senecam[2], atrocitas animi in exigendis pœnis. Ex hoc etiam ramus feritatis procedit. Est autem feritas, cum quis sævit in proximum absque aliqua culpa præcedente in ipso; et in hoc a crudelitate differt, quia crudelitas est excessus in infligendo pœnam pro peccato commisso : habet autem utrumque rationem mortalis, quia opponitur charitati. Si tamen excessus in puniendo ex zelo justitiæ quandoque contingat, ut alii terreantur, nisi sit excessus notabilis, non esset de facili judicandum mortale. Punire autem absque omni culpa et causa, semper habet rationem peccati mortalis; *absque* autem *causa* dico, quia sine culpa quandoque quis punitur, non tamen sine causa, sicut patet in crimine læsæ majestatis. Et quandoque etiam illi de terra alicujus, in quantum sunt res domini offendentis, absque culpa propria in temporalibus puniuntur.

Feritas.

De incarceratione autem et verberatione,

[1] Aug., *de Civit. Dei*, lib. I, c. IX. — [2] Senec., *de Clement.*, lib. II, c. IV.

vel percussione, mutilatione, vel occisione proximi, clarum est quod habent rationem mortalis, nisi fiant, per justitiæ auctoritatem, juris ordine et moderamine observato, vim vi repellendo, cum moderamine inculpatæ tutelæ : hæc enim opponuntur charitati proximi; et licet de suo genere mala sunt, tamen multum aggravantur secundum radicem, si ex radice odii oriuntur.

Simplex sacerdos non potest absolvere parentum percussores.

Hoc tamen de percussione notandum, quod parentum percussio specialius est peccatum, a quo simplex sacerdos non potest absolvere; et est contra præceptum divinum de honore parentum. Percussio autem clerici gravior est quam alia; et si gravis est, ad solum Papam pertinet absolutio.

Tria ad justum bellum requisita

De bello autem notare debemus, quod ad justum bellum tria specialiter requiruntur, sine quibus habet rationem mortalis, videlicet : principis auctoritas; unde Augustinus *contra Faustum* [1] : « Suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit. » Item justa causa; unde idem Augustinus [2] : « Justa debent esse bella, quæ ulciscuntur injurias. » Tertio requiritur intentio recta; unde idem etiam Augustinus, *de Verbis Domini* : « Apud veros Dei cultores, bella non crudelitate, aut cupiditate geruntur. »

Duellum

Duellum autem, nota quod secundum jura est prohibitum, et secundum rationem habet rationem mortalis, et in appellatione, et in domino cujus auctoritate fit, et procuratoribus, et in pugilibus propter pecuniam. Et hoc patet, cum manifeste habeat rationem tentationis divinæ, et a forti debilis per naturam vincatur. Dicunt tamen quidam, quod consuetudo excusat in hoc facto : cujus contrarium tenetur communiter a theologis et jurisperitis.

Discordiæ.

Tertium, quod ex ramo iræ procedit, est discordiæ folium, secundum quod consistit in verbis. Ex discordia enim animorum, etiam discordia verborum procedit. Hoc autem folium in hujusmodi folia est divisum, quæ sunt irritatio, comminatio, contumelia, improperium, maledictio, procacitas, clamor, et irreconciliatio. Circa materiam istam in generali notandum est, quod discordia in verbis contentio dicitur, qua quis verbis alterius procaciter contradicit : unde contentio duorum dicitur; dicit enim modum inordinatum, et contradictionem. Potest igitur inordinate aliquis contradicere proximo malum et falsum dicenti; et tunc, ratione contradictionis, peccatum non habet, sed in modo potest esse excessus, scilicet cum excedit (*a*) modum negotii vel personæ; et potest esse mortale, cum quis ad confusionem anhelat alterius ex ira forte, vel odio, vel fit tanta contentio, quod exinde scandalum oriatur. Cum autem quis contendit cum aliquo, et veritati etiam contradicit, vel veritatem impugnat ex invidia, vel ira, vel odio, tunc est mortalis contentio : et est contentio quæ inter opera carnis ab Apostolo numeratur [3] : *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Hujusmodi autem contentionis species est irritatio, quando aliquis proximo loquitur pungitive, secundum quod quandoque contingit, quod homo ex odio, quod habet ad alterum, libenter eum verbis stimulat et irritat, sicut de fratribus Joseph in *Genesi* dicitur [4] : *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui*. Et sic est mortale peccatum, secundum quod ex odio vel ira mortali procedit; unde de hoc judicandum est secundum rationem radicis.

Contentio.

Irritatio.

Comminatio.

Item cum hoc folio est comminatio, cum scilicet aliquis alicui se malum facturum promittit. Et sicut lædere proximum est mortale, sicut dictum est superius, sic malum comminari, quod, si fieret, mortale (*b*) esset, peccatum mortale est, si sit deliberatio, et proponat facere quod minatur. Unde scriptum est [5] : *Ante sanguinem, maledicta, contumelia et minæ*.

Contumelia.

Sequitur videre de contumelia, improperio et convicio; et notandum, quod con-

[1] Aug., *cont. Faust.*, lib. XXII, c. LXXV. — [2] Id., *super Jos.*, lib. VI, q. X. — [3] *Gal.*, V, 20, 21. — [4] *Gen.*, XXXVII, 4. — [5] *Eccli.*, XXII, 30.

(*a*) *Al.* extendit. — (*b*) mortalis.

tumelia est objectio criminis perpetrati. Improperium. Improperium est, cum quis injuriose reducit ad memoriam auxilium, quod contulit necessitatem patienti. Unde ait Sapiens [1] : Convicium. *Pauca dabit, et multa improperabit.* Convicium autem est, cum defectus corporalis, vel aliud quodcumque crimen objicitur ad confusionem personæ. Et de his videamus quomodo habeant rationem peccati. Hoc igitur circa istam materiam est notandum, quod cum, secundum philosophum [2], voces sint signa intellectuum, multum considerandum est quo animo verba dicantur. Contingit autem quandoque talia verba dici ex indiscreto zelo, vel zelo justitiæ, aut amoris, vel ex quadam surreptione et subito motu iræ ; et tunc non esset judicandum mortale, nisi tantus esset excessus, et verba sic inordinata, quod aliquis per talem contumeliam in diffamationem incurreret manifeste. Tunc enim zelus justitiæ nullatenus excusaret, quin peccaret mortaliter, sicut si aliquis aliquem ludendo interficeret per cautelam, tamen posset peccare mortaliter. Cum autem quis alteri convicium vel contumeliam, vel improperium dicit ad proximi confusionem et dehonorationem intendens, tunc agit (*a*) contra charitatem proximi, et peccat mortaliter, et sic intelligitur verbum Domini, dicentis [3] : *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis.*

Item folium discordiæ, ut dictum est superius, est maledictio, ut cum aliquis malum alii imprecatur optative ; et manifeste habet rationem mortalis, quia est contra proximi charitatem, si tamen mente ita teneatur, sicut ore profertur. Et hoc modo loquitur Apostolus, cum dicit [4] : *Maledici regnum Dei non possidebunt.* Contingit tamen verbum maledictionis esse veniale, vel propter parvitatem mali optati, vel quia ludo, vel surreptione, vel zelo justitiæ, vel non malo affectu verba dicuntur. Et hoc modo Augustinus, in sermone *de Purgatorio* [5], hoc judicat veniale.

De clamore autem verborum et procacitate sciendum, quod quandoque contingit, quod licet intentione verborum convicia gravia non dicantur, tamen tantus clamor et procacitas potest esse, quod scandalum sequitur, vel etiam ex intentione proximus provocatur, et tunc habet rationem mortalis eo modo, quo dictum est de contentione; si tamen ex deliberatione procedit, et ex ramo iræ vel odii procedit : alias autem non judicaretur mortale.

Item ad discordiam pertinet irreconciliatio, cum scilicet quis proximum per contumeliam, vel alio modo læsit, et ipsum pacificare contemnit. Sicut enim rem alterius ablatam, vel famam, tenetur restituere proximo, sic et pacem, petendo veniam. Unde convenienter dicit Augustinus in *Speculo*, quod melior est ille, qui quamvis ira sæpe tentetur, tamen ad impetrandum festinat, ut ei dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam, quam qui tardius irascitur, et ad impetrandum veniam tardius inclinatur. Unde non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera. Quod si quis contemnat facere, peccatum committit, sicut patet per verbum veritatis dicentis [6] : *Si offers*, etc.; secundum Glossam, munus nequaquam acceptatur talis offerentis, ante reconciliationem fratris. Et per hoc manifeste probatur, quod est ibi peccatum mortale : non enim nisi per peccatum mortale amittit acceptationem divinam. Hoc tamen sane debet intelligi, cum scilicet talis fuit offensa, quod rationem mortalis habuerit. Qualiter autem contumelia rationem mortalis habeat, jam dictum est.

CAPUT II.

De concupiscentia divitiarum.

Secundus ramus qui ex radice concupiscentiæ et ex trunco mali consensus pro-

[1] *Eccli.*, XX, 15. — [2] Arist., *de Interpret.*, text. 1. — [3] *Matth.*, V, 22.— [4] I *Cor.*, VI, 10.— [5] Aug., *de Sanctis*, serm. XLI, al. CIV, n. 3, in Append. — [6] *Matth.*, V, 23.
(*a*) *Cat. edit.* agitur.

cedit, est concupiscentia oculorum, qui alio nomine avaritia nominatur. Dicitur autem

Avaritia quid. *avaritia* secundum quod est aviditas æris, id est, pecuniæ, ita quod per pecuniam omnia temporalia designantur. Unde avaritia est inordinatio animi circa temporalia habita vel habenda. Quod duobus modis potest contingere, vel inordinate amando, vel appetendo, vel injuste acquirendo. Circa hoc tamen advertendum est, quod utroque modo potest esse mortale, cum scilicet aliquis amorem divitiarum præfert charitati Dei vel proximi, vel cum injuste præfertur, vel per rapinam temporalia acquiruntur: et sic avaritia ab Apostolo inter mortalia computatur. Sicut autem de aliis vitiis dictum est, quod sua venialia habent, dum scilicet rationem præveniunt; sic etiam avaritia quælibet non judicatur mortalis, ut cum quis ad temporalia inordinate afficitur, tamen salva charitate Dei et proximi, vel proximus in tam modico læditur, quod nullo modo judicetur (*a*) mortale. Secundum hoc igitur, ex primo ramo avaritiæ tres rami principales procedunt, qui dicuntur: inordinatum desiderium habendi, inordinatus habiti amor, et inordinatus dolor amissi; et eo modo, quo dictum est de avaritia, est judicandum de ipsis.

Item ex primo ramo, qui est inordinatum desiderium habendi, procedunt hæc, scilicet

Sollicitudo. sollicitudo in mente, et injustitia in opere. Hæc autem sollicitudo potest habere rationem mortalis, scilicet cum propter sollicitudinem rerum temporalium dimittuntur necessaria ad salutem. Unde ex hoc ramo sabbati violatio oritur, cum scilicet contra præceptum divinum vel Ecclesiæ, tempora non servantur. Per hoc autem sabbatum, in lege nostra, dominica intelligitur, et festa alia ab Ecclesia instituta. Observatio siquidem diei dominicæ est de jure divino, scilicet præceptum divinum, ut habetur in *Exodo* [1]: *Memento ut diem sabbati sanctifices*, ex constitutione Ecclesiæ, et Spiritus sancti familiari consilio, propter solemnitatem resurrectionis dominicæ, et propter quietem quæ octavæ ætati respondet, succedit dominica sabbato, et in ipsa cessare a servili opere debemus, et vacare divinis. Hoc autem circa istam materiam est notandum, quod observatio ista quantum ad aliquid est moralis et de jure divino; quantum autem ad aliquid cæremonialis, et ad jus positivum pertinet: quod enim homo aliquod tempus habeat ad vacandum divinis, hoc pertinet ad morale præceptum; sed quod tali vel tali die, vel ab isto opere cessetur, vel ab illo, hoc ad jus positivum pertinet. Igitur mandatum divinum transgreditur, qui sic temporalibus negotiis occupatur, quod nunquam vacat divinis. Præcipue etiam festum vel dominicam violat, qui peccato operam dat; hoc enim est opus servile [2]: *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Unde Augustinus, *de Decem Chordis* [3]: « Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam in theatro seditiosus existeret; et melius feminæ eorum die sabbati lanam facerent, quam tota die in neomeniis suis impudice saltarent. » Quod tamen intelligendum est de ludis, qui fiunt cum peccato mortali. Non enim intelligo sabbatum violari per peccatum veniale, quia secum compatitur observantiam (*b*) mandatorum. De operibus autem mechanicis, quæ servilia dicuntur, sicut jam dictum est, ad Ecclesiam pertinet judicare qualiter sit abstinendum. Unde Ecclesia pro tempore necessitatis, quæ legem non habet, dispensat; unde in hoc casu præceptum universalis Ecclesiæ particulariter, vel consuetudo generaliter approbata ab omnibus est observanda. Unde de mercatis, et quadrigatione, et negotiatione, et nundinis, et talibus, quæ quandoque fiunt in multis locis diebus dominicis et festivis, utrum sit mortale, vel non, a legislatoris interpretatione dependere videtur: si enim

[1] *Exod.*, XX, 8. — [2] *Joan.*, VIII, 34. — [3] Aug., *de Decem Chor.*, c. III.

(*a*) *Cæt. edit.* judicaretur. — (*b*) *Cæt. edit.* observantia.

hoc Ecclesia prohibeat sub virtute obedientiæ, constat transgredi esse mortale peccatum.

Injustitia. Secundum, quod ex ramo inordinati appetitus temporalium procedit, ut dictum est, est injustitia in opere, quæ in duos fructus principales distinguitur : quia aut est aperta injustitia, aut occulta, quæ fraus alio nomine nuncupatur. Injustitia autem aperta hos fructus secum habet, qui sunt furtum, usura, rapina, et iniqua sententia : de quibus aliquid videamus.

Furtum quid. Circa furtum nota, quod furtum est occulta rei alienæ contrectatio invito domino; et habet rationem mortalis, in quantum est contra justitiam, et opponitur charitati proximi. Unde lex divina dicit [1] : *Non facies furtum.* Hoc tamen advertendum, quod tam modica res posset esse, vel tam modici valoris, quod non haberet rationem mortalis, nisi forte adesset voluntas majus accipiendi, si facultas adesset, vel in illo modico esset alterius notabilis damnificatio; plus enim quandoque damnificatur pauper in parvo, quam dives in magno; vel nisi forte esset tanta necessitas, quod accipere rem alterius cogeretur : tunc enim potest aliquis rem alterius pro extrema vel urgente necessitate corporis accipere, quia in necessitate omnia sunt communia, et tunc furtum dici non debet, quia suum est quod in necessitate accipit, vel etiam pro necessitate alterius. Unde Ambrosius [2] : « Esurientium panis est, quem tu detines; » et loquitur de avaro. Hujus autem furti quatuor sunt species, scilicet rei occulta acceptio, rei inventæ detentio, sacrilegium, et proprietas in Religiosis.

Circa rei inventionem nota, quod quædam inveniuntur in littore maris vel aquæ communis; talia enim cedunt in proprietatem invenientis. Similiter et thesauri, qui inveniuntur in terra, qui non fuerunt a tempore a quo sit memoria in bonis alicujus; tamen, secundum leges, dominus terræ debet habere medietatem. Unde in *Matthæo* dicitur [3] de inventione thesauri absconditi, quod *emit eum.* Illa autem quæ inveniuntur, quæ probabiliter fuerunt in bonis alterius, retinere, est furtum. Unde Augustinus [4] : « Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti. » Si autem possessor inveniri non possit, consuetudo terræ est servanda.

Circa sacrilegium nota, quod sacrilegium est ratione acceptionis sacræ rei, vel in loco sacro; et secundum hoc triplex est species sacrilegii, ut quando aufertur sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro. Triplex sacrilegii species.

Quarto, circa furtum Religiosorum in retentione proprii, notandum est quod dicit Augustinus [5] de Religiosis, quod si quis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur. Tunc autem intelligo hoc celari, et habere proprii rationem, quando sic celatur, quod si etiam prælatus in virtute sanctæ obedientiæ præciperet quod revelaretur, etiam celaretur. Nec aliter intelligo mortale, nisi quando contra voluntatem prælati præceptoriam detineretur. Hoc etiam notandum de Religiosis, et dispensatoribus, et filiisfamilias, et uxoribus, quod furtum possunt committere, si notabiliter dominos rerum in dispensando damnificant contra voluntatem et intentionem dominorum; cum autem intuitu pietatis etiam commune bonum procurando, nec mala intentione dant aliqua, vel dispensant, non est judicandum mortale.

Sequitur de rapina. Est autem rapina, cum quis rem alterius manifeste per violentiam accipit injuste; et habet manifeste rationem mortalis, sicut de furto dictum est. Unde in *Isaia* dicitur [6] : *Ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam.* Potest tamen esse veniale, vel etiam nullum, eo modo quo de furto dictum est, vel etiam in bello justo, Rapina.

[1] *Exod.*, XX, 15. — [2] Ambrosius, vel potius Ambrosiaster, in Dom. VIII, post Pentec., serm. LXIV, circa fin. — [3] *Matth.*, XIII, 44. — [4] Aug., *de verb. Apost.*, serm. XIX, al. CLXXXVIII, n. 9. — [5] Aug., *ad fratres in Eremo*, serm. I, circa med. Refertur *Decret.*, p. 2, caus. 14, q. V, c. *Si quid.* — [6] *Isa.*, LXI, 8.

quando bona inimicorum rapiuntur. Quid autem requiratur ad bellum justum, dictum est superius. Cum rapina autem sunt fructus alii, scilicet inductio novæ taliæ vel consuetudinis, exactio, extorsio, munerum acceptio, et ludus alearum.

Inductio novæ taliæ.

Notabile pro Principibus.

Circa primum notandum, quod novas talias, vel leges, vel consuetudines constituere, ad extorquendum pecuniam absque justa causa, habet rationem rapinæ. Item exactio est, cum quis debitum inordinate exigit; et potest habere rationem rapinæ, cum scilicet creditor videt damnum notabile debitoris, nec necessitatem patitur, sed commode potest expectare : tunc enim posset lædi charitas, et posset esse necessitas, quod exactio haberet rationem mortalis. Unde qui a subditis talias et servitia isto modo exigunt, nec necessitati eorum, quantumcumque sint pauperes, compatiuntur, recte raptores dicuntur. Unde hæc, quæ de exactione dicta sunt, contra illud præceptum morale sunt, quod ponitur in *Exodo* [1] *: Si pecuniam dederis mutuo populo meo pauperi, non urgebis eum quasi exactor.*

Exactio.

Extorsio.

Tertius fructus rapinæ est extorsio; quod quidem est, cum quis terrendo, vel adulando, vel violentis precibus extorquet ab aliquo servitium, vel aliquod temporale : et tunc quidem potest habere rationem mortalis, cum tollitur ratio voluntarii arbitrii ab illo, cui infertur talis extorsio, et talis est qui minatur, vel rogat ab eo, qui potest nocere, et cujus offensa probabiliter timetur, nisi habeat quod petit : et hoc modo extorsio violenta est, et sic est contra præceptum in *Levitico* [2] positum, ubi jubetur non aliquid extorqueri.

Munerum acceptio.

Quartus fructus rapinæ est munerum acceptio, quæ quandoque non habet (*a*) rationem peccati, scilicet cum pauper dat diviti, reus judici, creditori debitor. Suspecta tamen est talis munerum collatio et receptio, et (*b*) ex intentione dantis vel recipientis cito posset inveniri ratio mortalis peccati. Unde cum dives a paupere recipit, ut ipsum secundum justitiam tueatur, cum alias hoc facere teneatur, et judex cui datur aliquid ut pervertat judicium, vel ut justitiam consequatur, cum munus recipit, aut judicium pervertit, aut justitiam vendit, manifeste habet rationem mortalem. Creditor etiam qui a debitore munus recipit, in rationem debiti videtur quod accipiat; et si hac ratione (*c*) accipit, tunc habet rationem usuræ. Quandoque tamen non habet rationem peccati, ut cum quis simpliciter recipit munus absque mala intentione, nec habet rationem quare possit suspicari, quod mala intentione donetur.

Ludus alearum.

Quintus fructus rapinæ est ludus alearum, seu taxillorum, qui prohibitus est tam a jure canonico, quam civili. Unde et de hoc dicunt quidam quod sit peccatum mortale, eo quod sit contra jus canonicum et civile; et quod ex ludo habetur, nullo bono titulo possidetur, nec potest retineri, sed debet pauperibus erogari. Quia enim qui in ludo lucratur, injuste lucratur, et qui amittit, juste amittit, ideo qui lucratur, eidem a quo lucratur restituere non tenetur, nisi forte induxerit ad ludendum. Cum autem ludus satis videatur ex radice rationem habere mortalis peccati, quia scilicet ex avaritia videtur procedere, et quia ludo multa committuntur (*d*) peccata, scilicet fraus, mendacium, perjurium, blasphemia, scandalum, amissio temporis, et ira frequenter; ideo hæc causa prohibitionis ludi esse videtur. Cum ludit aliquis causa recreationis, peccatis supradictis exclusis, non videtur habere rationem mortalis.

Usura quid.

Tertius fructus principalis injustitiæ ad proximum, quæ ex ramo avaritiæ procedit, est usura. Dicitur autem *usura* ab usu æris; sunt enim quædam res, quarum usus est rei consumptio, quarum dominium in accipientem transfertur, ut pecunia, et bladum, et vinum : unde qui talium usum vendit, usurarius dicitur; et habet rationem mortalis

[1] *Exod.*, XXII, 25. — [2] *Levit.*, VI, 2.

(*a*) *Al.* habent. — (*b*) *Cæt. edit. deest* et. — (*c*) *Cæt. edit. add.* non. — (*d*) *Cæt. edit.* communicantur.

peccati, (*a*) in quantum contra præceptum morale (*b*) justitiæ est, quia vendit alii quod suum non est, cum jam sit translatum dominium. Unde scriptum est[1] : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Usura enim in has species dividitur : est enim usura in spe, cum quis non expresse contractum usurarium facit, licet speret pro mutuo se aliquid accepturum, et hac intentione dat mutuum, alias non daturus; constat, quod talis quantum ad Deum, qui cor intuetur, usurarius judicatur. Unde Dominus[2] : *Date mutuum, nihil inde sperantes.* Item est usura non solum intentione, sed et opere, cum quis debitorem ad amplius obligat quoquo modo, vel tacite, vel expresse : tacite quidem, mutuando speciem pro specie, ut bladum pro blado, et hujusmodi, ut ea recipiat tempore cariori, vel dando antiquum pro novo, ut melius recipiat innovatum : in quibus casibus usura committitur, cum proprium commodum, non necessitas proximi ibidem attendatur. Tunc autem potest manifeste sciri corrupta intentio, cum solummodo præcluditur infra tempus, quo carius venduntur; cum quis autem hujusmodi intendit servare usque ad tempus, quo vendentur carius, licet debitor in se periculum suscipiat, non tamen in creditore judicatur usura, si hoc faciat, ut proximo subveniat. Item tacita usura est, cum quis ratione dilationis plus justo vendit et accipit, et cum quis ratione mutui servitium vel munus accipit, ut superius est expressum. Item est usura tacita, cum quis aliquid commune habet cum aliquo, quidquid sit illud, et periculum vel damnum-non fit (*c*) commune. Item est usura manifesta, cum promissum ex pacto intervenit accipiendi amplius, vel etiam obligatio ex pacto ad simile mutuum faciendum.

Injustitia in contractibus. Secundus ramus principalis avaritiæ est injustitia occulta, quæ in contractibus multis modis contingit, scilicet vendendo, emendo, commutando; et hoc potest esse, quando circa spiritualia vel temporalia fit fraus in numero, pondere et mensura, in valore, seu in quantitate, in defectus taciturnitate, cum scilicet notabilis est defectus et occultus rei venditæ, et tacetur, et ita care venditur, ac si non esset ibi defectus aliquis. Item notabiliter care vendendo, vel propter necessitatem ementis, vel propter solutionis dilationem, vel propter simplicitatem ementis, qui rei valorem non novit. Item in venditione suspecta locutio plurima, scilicet rei falsa commendatio, perjurium, execratio, verborum duplicitas, seu falsitas : quæ omnino (*d*) secundum quod ad nocumentum proximi vel deceptionem ordinantur, sic contra proximi charitatem sunt. Hoc tamen advertendum, quod, sicut supra dictum est de furto, ita posset esse proximi tam modicum nocumentum, quod, quantum esset de ratione contractus, non judicaretur mortale.

Mendacium. Hoc tamen circa mendacium est notandum, quod, sicut habetur super illud Psalmi[3]: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, triplex est mendacium, scilicet jocosum, officiosum, quod fit propter bonum proprium vel etiam proximi, et perniciosum, quod fit in nocumentum proximi, vel fidei detrimentum : et hoc ultimum de suo genere est mortale. Unde cum mendacium fit in proximi nocumentum in contractibus, patet quod habet rationem mortalis.

Hoc etiam circa perjurium et juramentum est notandum, quod juramentum, secundum Hieronymum[4], tres comites habere debet, scilicet veritatem, judicium, et justitiam. Judicio caret juramentum absque discretione et deliberatione factum. Justitia caret juramentum illicitum, quod est in detrimentum salutis æternæ. Veritate autem caret, cum falsum juratur. Juramentum.

Circa juramentum etiam est sciendum, quod duplex est juramentum, scilicet asser-

[1] *Psal.* XIV, 5. — [2] *Luc.*, VI, 35. — [3] *Psal* V, 7. —
— (*a*) *Cæt. edit. add.* et — (*b*) *Cæt. edit* mortale. — (*c*) *Al.* sit. — (*d*) *Forte leg.* omnia.

[4] Hieron , *Comment in Jerem.*, lib. I, c.IV, non longe a princ. Refertur *Decret.*, p. II, caus. 22, q. II, c. *Animadvertendum.*

torium, et promissorium. Juramentum assertorium est, cum falsum juratur, vel quod creditur esse falsum : ex suo genere est mortale, et contra præceptum divinum [1] de non assumendo nomen Dei in vanum. Hoc autem sic intelligendum videtur, cum quis ex deliberatione peccat, et se peccare advertit.

Circa juramentum promissorium notandum, quod cum quis promittit per juramentum aliquid se facturum, et deliberative, tenetur illud adimplere: aliter est trangressor præcepti, nisi forte ad implendum reddatur impotens, vel nisi juramentum vergat aliquo modo contra Dei vel proximi charitatem. Dicit enim Isidorus [2] : « In malis promissis rescinde fidem; in turpi voto muta decretum. » De verborum autem duplicitate et falsitate, quando fit in proximi deceptionem et nocumentum, sicut de mendacio judicandum videtur. Unde dicit Isidorus [3] : « Quacumque arte quis juraverit, Deus, qui conscientiæ testis est, illud accipit, sicut ille, cui juratur. »

Circa fraudes quæ in emendo fiunt, notandum, quod quandoque in venditore est simplicitas, vel necessitas : et hoc modo contingit fraus in emptore, scilicet cum res emit vilius, vel ratione simplicitatis illius qui (*a*) vendit, vel necessitatis, vel ignorantiæ.

Item peccata locutionis in emptoribus frequenter inveniuntur, cum scilicet res mendaciter vilipenduntur, et rationes quæ circa venditores sunt dictæ. Et eo modo quo dictum est de venditore, sic etiam de fraude in commutationibus est similiter judicandum.

Item, ut dictum est, non solum consistit injustitia et fraus in contractu temporalium rerum, sed etiam circa spiritualia. Et quidem potest fieri, vel circa judicia, et sic est fructus iniquæ sententiæ; vel circa beneficia, et sic simonia. Est autem simonia, secundum quod communiter diffinitur, studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum; et habet rationem mortalis, quia manifeste ibi est injustitia contra Deum, cum spiritualia non possint cadere sub pretio temporali, et quia non potest quis vendere vel emere illud, cujus non potest habere dominium : spiritualium autem non sumus domini, sed ministri. Unde Apostolus ait [4] : *Sic nos existimet homo,* etc. Item, quia gratis accipiuntur, gratis conferri debent, juxta illud *Matthæi* [5]: *Gratis accepistis,* etc. Simonia autem tribus modis committitur, et secundum hoc tres fructus habet in arbore : committitur enim a manu, ut munera corporalia conferendo pro spiritualibus obtinendis; item per (*b*) munus a lingua, ut per preces carnales et injustas spiritualia obtinendo; item munere ab obsequio, ut cum quis per servitium humanum, injustum vel inhonestum, spiritualia obtinet. Item nota alias species simoniæ, quia permutando, transigendo spiritualia beneficia absque superioris auctoritate, contrahitur simonia secundum jura. Appellatur permutatio, cum fit mutatio dignitatum, vel quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum. Transactio autem est de quacumque re spirtuali non gratuita pactio. Hoc autem circa materiam generaliter est advertendum, quod spirituale dare vel accipere pro temporali, ita quod spirituale cadat sub pretio, est vitium simoniæ. Licet autem pro labore et pro sustentatione secundum bonas consuetudines accipere seu dare.

Simonia quid.

Item, ut dictum est, alius fructus injustitiæ seu fraudis est ad proximum, scilicet injusta sententia; et multos fructus mortiferos habet, qui sunt justitiæ perversio sive dilatio ordinis, juris mutatio, falsum testimonium, injusta advocatio, litterarum abusio : quæ omnia habent rationem mortalis, secundum quod cedunt in proximi nocumentum, et ex radice avaritiæ procedunt, ut pecunia emergatur.

Advocatio injusta.

Circa quartum, scilicet de injusta advocatione, nota peccata, quæ ibi inveniuntur

[1] *Exod.*, xx. 7. — [2] Isid., *de Contempt. Mund.*, c. de *Voto*. — [3] Id., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. xxxi, sent. 8. — [4] I *Cor.*, iv, 1. — [5] *Matth.*, x, 8.

(*a*) *Cæt. edit. deest* qui. — (*b*) *Cæt. edit. deest.* per.

frequenter, scilicet injustum patrocinium, litis prolongatio, et juris sophistica allegatio, injustum consilium, scilicet de mendacio, seu perjurio in judicio faciendo : quæ manifeste rationem mortalis habent, cum fiunt in proximi nocumentum.

Abusio litterarum. Circa quintum, scilicet litterarum abusionem, nota etiam multa peccata, quæ committuntur hoc facto, scilicet injusta impetratio, ut cum, veritate tacita vel falsitate suggesta, litteræ ad vexationem proximi impetrantur; injusta extensio, ut cum quis habet litteram ad aliquas personas specialiter, vel ad certum numerum personarum, vel ad certum negotium, et ultra litteræ virtutem vel tenorem extenditur ad negotia vel personas; item additio vel diminutio per rasuram, vel fictio, cum quis bullam subtiliter raserit, vel bullam falsam facit : in quo ultimo casu, ipso jure majorem excommunicationem incurrit.

Secundus ramus principalis, qui ex avaritia procedit, est inordinatus amor habiti : et ex hoc ramo hi fructus procedunt : injusta congregatio, immisericordia, seu incompassio, restitutionis dilatio, irrecompensatio, illiberalitas : de quibus est videndum, quomodo habent rationem peccati.

Circa primum, de injusta congregatione, est notandum, quod injusta congregatio est, cum quis bona sua, seu fructus terræ congregat solo ardore habendi, vel ut carestia procuretur, et res servatæ postmodum carius vendantur, et iterum pretium reponatur. Et hoc quidem rationem mortalis habere potest, dum est ibi intentio ita congregandi, nec dispergendi loco et tempore, sed solo ardore habendi et luxuriandi in eis. Et hoc exemplum patet in illo divite, de quo dicitur, quod dicebat [1] : *Anima mea, habes*, etc. ; cui responsum est : *Stulte, hac nocte repetent animam tuam*, scilicet dæmones, etc. Ergo manifestum est, quod faciebat peccatum mortale. Secundus fructus est immisericordia in effectu, cum scilicet proximus in arcta necessitate videtur, et scitur hoc, et non subvenitur ei, cum tamen omnia in necessitate debeant esse communia : et tunc potest esse mortale ; et secundum hoc mali judicabuntur de defectu misericordiæ, sicut patet in *Matthæo* [2]. Unde et sic intelligit Ambrosius, ubi dicit [3] : « Pasce fame morientem ; si non pavisti, occidisti. » Non solum autem est in præcepto proximum juvare in datione temporalium, sed etiam in aliis actibus misericordiæ, sicut patet in *Matthæo,* ubi supra. Tertius fructus est restitutionis dilatio. In illis enim casibus, in quibus non transfertur dominium, sicut in furto, rapina, et similibus, semper est detentor in mora; et peccat mortaliter retinendo, licet pœniteat accepisse, si tamen adsit reddendi possibilitas, vel opportunitas. Unde et Augustinus dicit [4] : « Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. » In his autem, in quibus dominium transit in accipientem, sicut in mutuo, non est quis in mora, nisi secundum conditiones appositas, et sic posset esse tantæ conditionis transgressio in proximi læsionem, quod posset habere rationem mortalis. Quartus fructus inordinati amoris temporalium est irrecompensatio, cum scilicet quis multa bona accipit ab aliis, et, ex inordinato amore temporalium, aliquid recompensare dimittit : quod manifeste est contra jus naturale. De hoc tamen secundum radicem judicandum est, scilicet, utrum hoc ex avaritia procedat, quæ habeat rationem mortalis : qualis autem avaritia radicem mortalis habeat, dictum est. Sicut autem de irrecompensatione, ita et de illiberalitate dicendum est, cum quis non est liberalis in dando.

[1] *Luc.*, XII, 19. — [2] *Matth.*, XXV, 42. — [3] Refertur ex Ambrosio, *Decret.*, p. I, dist. LXXXVI, c. *Pasce.* — [4] Aug., *ad Maced.*, epist. LIV, post med.

CAPUT III.

Tertius principalis ramus est concupiscentia carnis.

Tertius ramus principalis, qui ex radice concupiscentiæ, ex trunco malæ voluntatis procedit, est carnis concupiscentia, secundum Joannem in canonica sua [1], scilicet, in quærendo delectationem, et vitando molestiam. Et secundum hoc in duos ramos principales iste ramus dividitur. Primus autem ramus, qui ex quæstu delectationum consistit, in duos ramos dividitur, quia quædam est delectatio pertinens ad conservationem invidui per actum refectionis; alia est pertinens ad conservationem speciei per propagationem seminis.

Gula quid. Quantum autem ad primum, specialiter peccatum gulæ consistit. Est autem gula, secundum quod habet rationem peccati mortalis, inordinatus appetitus vel usus nutrimenti, rationem subvertens, et avertens a Deo : et hoc patet in illa gula præcipue, qua quis præcepta Dei non timet prætergredi, ut delectamenta ciborum sequatur, et illa in qua etiam ratio subvertitur, cum ex deliberatione seu adversione rationis procedit, ut cum quis scienter se inebriat, vel naturam propriam gravat. Unde Gregorius, trigesimo *Moralium* [2], sic loquitur de gula dicens, quod dominante gulæ vitio, omne quod egerint homines fortiter, perdunt. Sicut autem alia vitia sua venialia habent, ut supra dictum est, ita etiam gula sua venialia habet, ubi circa actum nutritionis et desiderium non est inordinatio contra Deum, nec adversio (a) rationis; quia tales actus non sunt quandoque in potestate hominis. Ex hoc autem ramo præcipue tres rami exeunt principales, scilicet incontinentia gulæ, immodestia, et delectatio.

Gulæ incontinentia. Circa primum, scilicet de incontinentia gulæ, notandum est, quod istos fructus habet secum, anticipationem, frequentationem, et jejunii fractionem. Anticipatio est, cum quis horam comedendi anticipat, quod potest fieri tempore jejunii, vel alio tempore. Si autem tempore jejunii quod est in præcepto, cum hora comedendi secundum jura et consuetudinem assignetur post meridiem, qui horam notabiliter anticipat sine causa, sola comedendi libidine, fraudem facit, nec tale jejunium reputatur : ut si quis forte hora tertia comederet, et sic se impleret, quod postmodum illa die non esuriret. Qui autem fraudem facit legi, committit in legem. Unde Chalcedonense Concilium [3] : « Nullatenus judicandi sunt jejunare, qui ante comedunt, quam vespertinum celebretur officium, quod tempore quadragesimali dicitur; alias autem post nonam. » Item ista anticipatio fit etiam alio tempore, ut multi qui volunt comedere statim quando de lecto exeunt, sicut bruta, etiam quandoque absque aliquo appetitu ex prava consuetudine : quod est grave peccatum; et vix potest contingere, quin a radice mortali procedat. Secundus fructus est frequentia cibi vel potus : quod nisi cogat ætas, vel infirmitas, vel justa necessitas, manifeste contra rationem est peccatum; quam prohibet Apostolus, qui ponit [4] *comessationem* inter *opera carnis*, de quibus dicit : *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Per quod patet manifeste, quod aliqua comessatio habet rationem mortalis, cum scilicet procedit ex gula eo modo, quo habet rationem mortalis. Quando autem habeat rationem hanc, dictum est supra. Tertius fructus incontinentiæ gulæ, est fractio jejunii ab Ecclesia instituti : quod fit in numero (b), et in qualitate : in numero comestionum, pluries comedendo; in qualitate cibi, cibum vetitum comedendo, ut comedendo carnes, vel lacticinia, et hujusmodi, in Quadragesima. Et hoc de jejunio est sciendum, quod quicumque hoc jeju- Jejunium.

[1] I *Joan.*, II, 16. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XXX, CXIII, ante med. — [3] Non reperitur in collectionibus Conciliorum. — [4] *Gal.*, V, 21 et seq.

(a) *Cœt. edit.* aversio. — (b) *Cœt. edit.* et.

nium non observat absque dispensatione superioris, justa necessitate laboris necessarii, vel paupertatis notabilis, vel ætatis, vel infirmitatis, est transgressor præcepti, et sic peccatum mortale committit. Unde Hieronymus ad Lucinium, loquens de jejunio, dicit [1] « Unaquæque provincia abundet in suo sensu, et præcepta majorum leges apostolicas arbitretur. » Per quod patet jejunium esse in præcepto.

Immodestia. Secundus ramus principalis gulæ, est immodestia, scilicet cum in nutriendo corpus, modus debitus non servatur; et duos fructus habet, scilicet aviditatem, et nimietatem. Est autem aviditas, inordinata in comedendo gulositas; et est peccatum, cum motus brutales et inordinatos debeat refrenare; et potest quandoque sine peccato esse, ut cum homo non subjacet suæ potestati; et quandoque est veniale, ut cum ita reprimit sicut decet, et potest esse mortale, si ex radice mortali procedat, sicut de frequentia dictum est. Secundus autem fructus immodestiæ in cibo est nimietas, ut cum quis comedit in nimia quantitate, vel bibit. Ex hoc fructu nascitur corporis gravitas et infirmitas, mentis hebetudo et cæcitas, judicii præcipitatio, incircumspectio, ebrietas, loquacitas, inepta lætitia, et dissolutio. Circa materiam istam notandum in generali, quod ille nimis dicitur comedere, qui ultra commoditatem naturæ comedit et bibit : et est contra rationem, et per consequens peccatum, cum actus nutritionis sit ad conservationem individui, et per talem culpam fiat naturæ subversio : unde patet, quod ibi est abusio et peccatum. Et tantum in gravamen naturæ procedere potest, si ex deliberatione fiat, quod habebit rationem mortalis. *Ex deliberatione* autem dico, quia quandoque ex passione famis, vel prætextu æstimatæ necessitatis hoc potest fieri, quod de facili non esset judicandum mortale. Ex hoc autem fructu, ut dictum est, est corporis gravitas et infirmitas, quæ ex nimia cibi sumptione procedit, et hebetudo mentis, et cæcitas, quæ licet magis rationem pœnæ quam culpæ habeant, tamen causa peccati esse possunt, cum quis ratione infirmitatis, vel gravitatis carnis, jam non potest facere nec implere id, ad quod a natura sive (*a*) ex præcepto tenebatur; vel cum ex nimia sumptione cibi vel potus, in talem hebetudinem vel cæcitatem mentis incidit, quod necessaria ad salutem non cogitat, nec dijudicat, et transgreditur, vel sententiam vel verbum præcipitat in proximi nocumentum. Et tunc manifeste non excusatur quin talibus possit peccare mortaliter in talium commissione, cum factus sit ineptus ad talia exercenda, dando operam rei illicitæ. Et hæc intelligo, nisi amisisset totaliter rationem, vel forte corporis potestatem, eo modo, quo de ebrietate dicetur.

De ebrietate autem notandum, quod si quis sciens vini vel liquoris fortitudinem, et advertens quod ex ejus nimia sumptione potest ebrietatem incurrere, nimis sumendo peccat mortaliter, quia scilicet usu rationis se privat, et omnium peccatorum periculis se exponit. Unde Ambrosius, in libro *de Patriarchis* [2] : « Vitandam discimus ebrietatem, per quam crimina vitare non possumus : nam quæ sobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus. » Et Apostolus, *ad Galatas* [3], inter opera mortalia *ebrietatem* connumerat. Potest tamen ebrietas contingere absque mortali, et etiam veniali, ut cum quis liquoris fortitudinem non agnoscit, vel liquorem inebriantem pro alio bibit, vel siti ducitur non advertens. Unde et Augustinus, *contra Faustum* [4], Loth de ebrietate excusat. Cum autem quis ratione ebrietatis, vel occasione, peccatum mortale ignoranter postmodum committit, si mortalis fuit ebrietas, non totaliter excusatur; tamen secundum quod ratio voluntarii di- Ebrietas

[1] Hieron., *ad Lucin.*, epist. XXVIII. — [2] Ambros., *de Abrah.*, lib. I, c. VI, n. 57. Refertur *Decret.*, p. II, caus. 15, q. I, c. *Sane.* — [3] *Gal.*, V, 21. — [4] Aug., *cont. Faust.*, lib. XXII, c. XLIV.

(*a*) *Cæt edit. deest* sive.

minuitur, sic peccatum excusatur a tanto, licet non a toto. Si autem ebrietas absque peccato contingit, tunc a peccato mortali excusare potest. Unde Augustinus Loth ebrium ab incestu excusat, dicens *contra Faustum* [1] : « Loth culpandus, non quantum incestus, sed quantum ebrietas meruit. » Tamen cum quis ad se redierit, debet de illo peccato dolere, ut credo, et etiam confiteri: quia ad superiorem pertinet judicare, utrum talis fuerit ebrietas, quæ peccatum valeat excusare. Item folium istius immodestiæ est loquacitas, quæ multa folia secum habet, scilicet multiloquium, vaniloquium, stultiloquium, turpiloquium : de quibus, cum voces sint signa intellectuum, judicandum videtur secundum rationem radicis.

Ultimus fructus nimiæ comestionis est inepta lætitia et dissolutio, quæ sortiuntur rationem peccati secundum radicem, et in aliquibus, secundum scandalum, seu occasionem scandali, quod tantum esse poterit, quod habebit rationem mortalis.

Tertius ramus principalis, qui ex gula procedit, est inordinata delectatio : et hos fructus etiam secum habet, scilicet sollicitudinem in quærendo, studiositatem in præparando, multiplicitatem in diversificando, carestiam in emendo, voracitatem in sumendo; quæ rationem peccati sortiuntur secundum rationem radicis, et personarum, et statuum, vel secundum quod in talibus fit ita notabilis superfluitas atque sumptus, quod pauperum indigentia et necessitas hoc faciat habere rationem mortalis, eo modo, quo superius de prodigalitate est dictum.

Secundus ramus principalis, qui ex radice carnalis concupiscentiæ procedit, est delectatio inordinata circa actum qui pertinet ad conservationem speciei, ut dictum est supra, quæ luxuria appellatur : quæ quidem habet rationem peccati, in quantum repugnat rationi vel naturæ; et habet rationem mortalis, sicut patet *ad Galatas* [2], ubi inter carnis opera computatur. Hic autem ramus cum præcedenti ramo convenienter inseritur, quia ex gula procedit; et gula ei materiam administrat, quia semen secundum Philosophum [3] est superfluum alimenti. Sicut autem dictum est de aliis peccatis, quod motus proprii et diversi, qui præveniunt rationem, nec adhibetur consensus, non habent rationem mortalis, sic etiam de luxuria est dicendum.

Luxuria.

Ex hoc autem ramo tres rami speciales procedunt, qui sunt : inhonestas, carnalis affectio, et incontinentia. Inhonestas hos fructus emittit, quia est inverecunda in verbo, in gestu, in facto, in habitu. Circa inverecundiam hoc est advertendum, quod licet sit passio, tamen ex vitio oritur; cum enim inverecundia sit de turpi proprie, quia qui inverecundus est, turpia videtur diligere; unde de ipsa judicandum est secundum rationem radicis. Neque enim quandoque est in potestate hominis, quando voluerit, verecundari, quia hujusmodi passiones ut frequenter complexionem sequuntur.

Inhonestas.

Circa inhonestatem in gestu, vel facto, vel verbo, sciendum quod multum ex affectu pensantur, vel secundum quod ex hoc ratione temporis, vel loci, vel personæ potest oriri scandalum; et tunc ex aliqua circumstantia posset tantam præstare occasionem scandali, quod posset habere rationem mortalis, ut si forte persona religiosa, vel posita in exemplum, choreas vel tripudia duceret, vel si forte quæcumque in Parasceve talia exercerent (*a*). Inhonestas autem in verbo, quæ scurrilitas dicitur, de qua dicit Apostolus [4] : *Nec nominetur in vobis*, ex affectu pensatur, vel secundum scandalum ratione personæ, vel secundum quod verba talia alios ad malum incitant, cum et tali intentione dicuntur; et sic posset habere rationem mortalis. Et sic etiam de choreis, et cantilenis, et lusibus intelligendum est. Per hæc igitur quæ dicta sunt, patet quomodo histriones, saltatrices, et tales joculatores, qui

[1] Aug., *cont. Faust.*, lib. XXII, c. XLIV. — [2] *Gal.*, v, 19. — [3] Arist., *de Gener. Animal.*, lib. I, cont. 29. — [4] *Ephes.*, v, 3. — (*a*) *Cæt. edit.* exercerentur.

inhonestis verbis et factis homines faciunt delectari, non pensantes quæ verba vel facta proferant, dum tamen possint pecuniam extorquere, non sunt in statu salutis. Dare etiam talibus est in peccato fovere. Unde Augustinus *super Joannem* [1] : « Dare res suas histrionibus, vitiosum est. » Qui autem talia exercent officia absque inhonestate ad recreationem hominum, cum quandoque talis recreatio sit lætitia et virtus, etiam secundum Philosophum *eutrapelia* nominatur, non tales damnandi, nec talibus dare judicatur peccatum.

Inhonestas habitus. Circa inhonestatem habitus notandum, quod iste fructus quatuor secum habet, scilicet superfluitatem, pretiositatem, curiositatem, et inhonestatem. Superfluitas autem consistit in duobus, numero et mensura, ut cum habentur vestes plures, vel nimis latæ vel defluentes. Item curiositas in veste duobus modis invenitur, scilicet in colore et modo facturæ. Inhonestas autem est, cum modus facturæ vestium impudicitiam prætendit et ad malum provocat, ut pretiosarum vestium, vel circa collum et guttur, tale quod. Hujus autem inhonestatis sunt fructus, unctio, lotio, deceptio, compositio, multiplicatio, adinventio; ut cum fiunt unctiones vel lotiones ad acquirendum colorem, vel deceptiones in mutando capillos, vel fucando caput et hujusmodi; item compositio, ut cum nimis stricti sotulares, vel singularis modus in compositione servatur; item multiplicatio jocalium; etiam adinventio novi modi in talibus : quæ omnia, quomodo rationem peccati habeant, videamus.

Circa ergo hanc materiam est notandum, quod ista quatuor possunt habere rationem peccati, vel ratione perversæ intentionis, vel contrariæ consuetudinis, vel conditionis personæ, vel temporis, vel ratione radicis possunt habere rationem peccati, vel cum ista ex superbia oriuntur, et ad inanem gloriam ordinantur, vel cum ista fiunt intentione placendi, et ad luxuriam provocandi : et si radix mortalis sit, et ramus mortalis erit. Dicit enim Augustinus [2], quod non solum appetere, sed etiam appeti velle, criminosum est. Hæc etiam ratione consuetudinis contrariæ possunt habere rationem peccati, ut cum quis quærit habitum, qui consuetudini terræ non congruit, vel unguentis utitur, vel modo ornat et incedit in scandalum proximorum, ut si vir veste muliebri uteretur, et e converso, et hujus modi. Et ita talibus tanta posset dari occasio scandali, quod posset judicari mortale. Unde Augustinus, tertio *Confessionum* [3] : « Consuetudo, vel lex terræ, nulla civis vel peregrini libidine violetur. » Item ratione conditionis personæ, quia aliud decet clericum et personas ecclesiasticas, vel prælatum et religiosum, aliud personas laicas; aliud divitem, aliud pauperem; aliud viduam, aliud conjugatam. In hoc etiam potest contingere ratio peccati, secundum quod quælibet persona suum statum in aliquo prædictorum excedit, ut si forte tot paria vestium velit habere burgensis aliqua, quot regina; et sic de aliis. Unde sic potest in talibus excedere statum suum, quod oportet concludi, quod ex aliqua mala radice procedat, et quod vergat in scandalum proximorum. Quarto ratione temporis, ut cum quis utitur talibus, et talia multiplicat tempore necessitatis pauperum, et cum tanta est caristia, quod pauperes arctam indigentiam patiantur, quod deberent pauperibus erogari, quæ in talibus superfluitatibus expenduntur : et tanta posset esse ex una parte superfluitas, et ex alia tanta indigentia, quod posset habere rationem mortalis eo modo, quo dictum est de prodigalitate.

Carnalis affectio. Secundus ramus principalis luxuriæ est carnalis affectio, quæ duobus modis contingit : vel secundum quod aliquis ad carnem suam seu corpus inordinate afficitur, vel etiam ad alium. Primum autem istorum *cura carnis* vocatur, de qua dicit Apostolus [4] : *Curam carnis ne feceritis in deside-*

[1] Aug., *super Joan.*, tract. C. — [2] Aug., *de reg. Monach.*, epist. CIX, al. CCXI, n. 10. — [3] Id., *Confess.*, lib. III, c. VIII. — [4] *Rom.*, XIII, 14.

riis. Hujus autem rami sunt multi fructus, secundum diversa opera in quibus consistit carnalis delectatio; et secundum hoc est mollities in vestibus, in culcitris, in lineis, in sedilibus, et in lectis quies corporis. Item sollicita cautio adversitatis, vel frigoris, caloris, famis, et hujusmodi : et ista licet de se non habeant rationem mortalis, tamen circa ista tanta potest esse sollicitudo, quod ista præponuntur amori divino, vel aliquod divinorum præceptorum omittitur, vel aliquid contra Deum fit, ut talia habeantur. Item carnalis affectio quandoque habetur, ut cum quis ratione eorum, quæ ad carnem pertinent, inordinate diligit, potest carnalis affectio nuncupari. In hoc autem potest esse duplex excessus, scilicet in affectu, et effectu. In affectu autem potest esse duplex, vel secundum quod *caro* sonat in naturam, secundum illud Apostoli [1] : *Carnem suam nemo odio habuit;* vel secundum quod sonat vitium, secundum illud [2] : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*. Primo modo, quando est excessus in diligendo filios vel parentes, ut eorum (*a*) amor Creatori præfera tur, ut si quis Deum offendere magis eligeret, quam amorem talium amittere, vel eorum quodcumque detrimentum videre : quod esset peccatum mortale secundum verbum Domini, dicentis [3]: *Qui amat patrem, aut matrem, aut filios plus quam me, non est me dignus*. Est autem alius amor carnalis, secundum quod caro sonat in vitium, qui ex corruptione carnis nascitur, ut cum quis ad aliam personam sic quandoque afficitur, quod licet in actu peccati consensus non interveniat, tamen ad actum illum talis affectio aliqualiter ordinatur: quod ex ejus fructibus comprobatur, cum scilicet ex mutua collocutione, vel societate, vel aspectu, vel visu, carnis stimuli oriuntur. Constat autem secundum Apostolum [4], quod si rami sint mali, et radix etiam mala erit. Hoc etiam patet, quod habet rationem peccati, quia ex tali affectione ratio amittit dominium, et voluntas etiam rationem quandoque sequi non potest, tali affectione ligata, cum scilicet affectus trahatur ad cogitandum de re amata, nec sit in potestate ejus cogitationem dimittere. Insuper et ad Dei delectationem elevari non potest, tali affectione depressa. Insuper et quandoque corporis detrimentum incurrit. Cum igitur aliquis se scienter inebrians, quia usum et potestatem rationis voluntarie amittit, et in corpus proprium peccat, quia ex hoc deterioratur in corpore, multo amplius videtur, quod qui in talem affectionis servitutem se scienter injicit, cum non ita cito sicut ebrietas transeat, peccat mortaliter. Unde et hoc videtur dicere Augustinus in *Speculo*, cum de talibus dicit [5]: « Secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, et intactis etiam ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. » Sicut autem supra dictum est, quod quandoque ebrietas rationem mortalis non habet, cum aliquis fortitudine vini vel conditione decipitur non advertens; sic et si quis per contubernium personæ alicujus in talem affectionem incidat non advertens, non judicarem peccatum, imo potius passionem. Si inde advertens, affectionis periculum fovet, affectionem et nutrit, jam in talem affectionem consentit. Si autem aliquis talem affectionem sentiret, et semper displiceret eidem, aut si esset urgens necessitas, vel magna utilitas convivendi, vel colloquendi, vel consolandi personas hujusmodi, non crederem judicandum mortale, nisi per talem affectionem sentiret in se notabile spiritualium detrimentum. Et si forte talis esset persona, quam oporteret actus spirituales exercere, et per hoc impediretur, ne possit implere officium competenter, tunc licet in societate personæ illius posset sequi utilitas, tamen ex ordine charitatis tenetur occasionem vitare, cum damnum suum magis quam alterius vitare teneatur.

[1] *Ephes.*, v, 30. — [2] I *Cor.*, xv, 50. — [3] *Matth.*, x, 37.— [4] *Rom.*, xi, 16.— [5] Aug., *Reg.* iii, c. xxi, et *Reg. Monach.*, epist. cix, al. ccxi, n. 19.— (*a*) *Cæt. edit.* cum.

Acceptio personarum.

Item ex affectione carnali in effectu oritur acceptio personarum, et perversio ordinis charitatis, et favor mali. Circa primum, scilicet de acceptione personarum, notandum, quod acceptio personarum est, cum alicui personæ aliquid utilitatis impenditur, cum tamen illud idem faciendi alteri major ratio inveniatur. Et hoc quidem ex affectione inordinata oritur et contra legem, juxta illud [1] : *Non accipietis cujusquam personam.* Hæc acceptio personarum quadruplicem fructum habet, quia in beneficiis, electionibus, honoribus, et judiciis. In beneficiis est dupliciter, ut cum dantur beneficia ecclesiastica, vel temporalia. Circa collationem beneficiorum ecclesiasticorum tunc intelligo acceptionem personarum habere rationem mortalis, cum beneficium ecclesiasticum alicui indigno confertur, scienter dignis postpositis, sive sit intuitu consanguinitatis, vel etiam beneficii temporalis, vel affectionis spiritualis. Similiter autem et divitem eligere ad dignitatem Ecclesiæ, contempto paupere instructiore. Unde Augustinus super illud [2], *Nolite in personarum acceptione*, etc. : « Quis, inquit [3], ferat, si quis divitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore et sanctiore ? » Si autem sint temporalia beneficia, sic in eis potest esse personarum acceptio mortale peccatum, in necessitatis articulo, quando quis tenetur beneficium conferre ex præcepto, et cum datur beneficium illi qui non indiget, ratione particularis amoris, et ille qui est (a) in arcta necessitate contemnitur. In his autem, in quibus non tenetur quis dare, non cadit acceptio personarum, secundum illud *Matthæi* [4] *: Aut non licet mihi quod volo facere?*

Circa tertium, scilicet de acceptione in honoribus, est notandum, quod cum quis solum ratione divitiarum honoratur absque ratione virtutis vel status, peccatum est, secundum illud [5] : « Quicumque divitem propter divitias honorat, peccat. » In hoc autem posset habere rationem mortalis, ut si quis pauperes sanctos contemneret, nec eis ratione sanctitatis honorem præstaret, nec aliquem, nisi divitem vel potentem, honorare vellet, cum, secundum Philosophum [6], honor non sit aliud quam testimonium virtutis.

Circa quartum, hoc notandum videtur, quod qui sic personam in judicio accipit a vero judicio deviando, manifeste facit contra justitiam et proximi charitatem, et ita non est dubium quin peccet mortaliter ; unde et contra legem est, quæ dicit [7] : *Non accipies personam, ut a vero judicio devies.*

Circa secundum principale, quod ex affectione carnali oritur, scilicet de perversione ordinis charitatis, hoc primo notandum est, quod charitas ordinata esse debet, secundum illud [8] : *Ordinavit in me charitatem.* Quatuor autem sunt secundum charitatem diligenda per ordinem, scilicet Deus, nos, proximus, et corpus nostrum. Hic autem ordo est necessarius ad salutem respectu bonorum spiritualium, scilicet quod amor alicujus creaturæ Deo nullatenus præferatur. Item, quod non faciat aliquis peccatum propter dilectionem proximi. Item, quod corpus proprium non tantum diligat, quod ex hoc aliquo modo peccatum vellet committere. Item, quod salutem proximi proprii corporis dilectioni præponat. — Ordo charitatis.

Tertius fructus affectionis carnalis est favor mali, et hoc fit multis modis : quandoque enim ex familiari amore contingit, quod peccatum alterius dissimulatur, et secundum hoc est incorrectio, consensus, procuratio seu adjutorium, et communicatio in casu illicito. — Favor mali.

Circa primum notandum, quod correctio proximi est omnibus in præcepto, cum tamen scitur vel creditur quod correctio peccatum impediat, quod alias fieret. Et licet sit omnibus in præcepto, illis tamen præcipue, — Correctio proximi.

[1] *Deuter.*, I, 17.— [2] *Jac.*, II, 1. — [3] Aug., *Epist.* XXIX, al. CLXVII, n. 18.— [4] *Matth.*, XX, 15.— [5] Gloss. interlin. in *Jacob.*, c. II, 1.— [6] Arist., *Rhet.*, lib. I, c. V.— [7] *Deut.*, XVI, 19. — [8] *Cant.*, II, 4. — (a) *Cæt. edit.* est qui.

quibus incumbit ex officio, ut sunt domini, principes, prælati; et magis in hoc peccare possunt. Quod autem correctio sit omnibus in præcepto, patet per Augustinum, de *Verbis Domini*[1] : « Si negligis corrigere, pejor factus es eo, qui peccavit. »

Item procuratio peccati, et (*a*) consensus in peccatum, adjutorium quodcumque, et participatio, si sint respectu peccati mortalis, erunt ejusdem generis secundum Apostolum dicentem[2] : *Qui talia agunt, digni sunt morte : non solum qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Tertius ramus carnalis concupiscentiæ est, ut dictum est, incontinentia, quæ præcipue circa actus venereos consistit. Ex hoc ramo procedit turpis imaginatio, motus carnalis, delectatio simplex, et morosa, adversio periculi, consensus in delectationem, et consensus in opus, et deinde fructus operis malus. Circa materiam istam notandum est, quod in consensu in delectationem primo mortalis ratio invenitur. Sicut enim dicit Augustinus[3] : « Si mente delectatio teneatur, et voluntas (*b*), cum adversione periculi, (*c*) in delectationem hujusmodi consentit, etiamsi in opus extrinsecum non interveniat consensus, nihilominus est mortale peccatum, et propter hoc totus homo damnabitur. » De consensu autem in opus mortale, quin habeat rationem mortalis, non est dubium. Fructus autem operis per quinque sensus distinguitur, scilicet in auditu, visu, odoratu, loquela, et tactu. In auditu autem multiplex contingit peccatum luxuriæ, prout luxuria in inordinatam delectationem ducit : scilicet in curioso auditu rumorum, instrumentorum musicorum, cantilenarum scurrilium, et verborum inhonestorum : quæ omnia videntur judicanda secundum habitum, quo quis movetur ad audiendum talia, scilicet secundum conditionem radicis. Visus etiam inordinatus pestiferos fructus habet : aspectus pulchritudinum, et visus delectabilium, cum inordinatione delectationis, et curiosus aspectus mulierum; item aspectus, signa, et nutus; item aspectus factorum impudicorum, et motuum, seu carnalium peccatorum, de quibus dicit Augustinus in *Speculo*[4] : « Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et cum se sibi mutuo aspectu corda nuntiant impudica, et alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. » Secundum hoc igitur satis potest patere, quoniam inordinati aspectus possunt habere rationem mortalis, cum scilicet ex malo consensu periculum grave et probabile peccati mortalis in se vel in alio advertitur ex aspectu; quoniam secundum Sapientem[5] : *Qui amat periculum, in illo peribit.* De odoratu autem judicandum est secundum conditionem radicis. De loquela autem, secundum quod ex carnali concupiscentia oriri videtur, multi prodeunt fructus, scilicet scurrilitas, de qua jam dictum est, cum de inhonestate verborum fecimus mentionem; item incitatio, provocatio ad peccatum, verbo vel scripto, vel nuntio; item attractio per verba dulcia : quæ affectu pensantur.

Circa tactum hoc advertendum videtur, quod in tactibus multiplex peccatum invenitur, secundum quod loca, circa quæ tactus contingit, habent majorem inhonestatem, et magis possunt ad luxuriam provocare. Unde hoc circa istam materiam est tenendum, quod libidinosi tactus, et oscula, absque etiam consensu in opus carnale, habent rationem peccati mortalis, secundum quod in eis oritur delectatio carnalis voluntarie et deliberative. Unde super illud[6], *Fornicatio, et omnis immunditia*, etc., dicit Glossa : « In osculis et amplexibus, de qui-

Incontinentia. — Peccata auditus. — Peccata visus. — Peccata odoratus et loquelæ. — Peccata tactus.

[1] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XVI, al. LXXXVIII, n. 7. — [2] *Rom*, I, 32. — [3] Aug., *de Genes. cont. Manich.*, lib. II, c. XIV. — [4] Aug., *Regul.*, III, c. XXI, et epist. CIX, loc. cit. — [5] *Eccli.*, III, 27. — [6] *Ephes.*, V, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* est. — (*b*) *Item* voluntate. — (*c*) *Item add.* et.

bus dicit Apostolus ibidem, quod non habent hereditatem in regno Christi et Dei. » Hic autem tactus distinguitur, quia vel fit in personam propriam, vel in aliam; et eodem modo habet rationem peccati. Cum tactu autem ponitur corruptio carnis, quæ pollutio dicitur; quæ duobus modis contingit: aut per actum tactus, seu imaginationem delectationis morosæ, aut per actum carnalem. Si primo modo per tactum vel imaginationem, hoc contingere potest dupliciter: aut dormiendo, aut vigilando. Circa pollutionem in somno, de hoc breviter est notandum, quod talis pollutio secundum se non habet rationem peccati, eo quod tunc liberum arbitrium vinctum sit, scilicet per comparationem. Potest autem contingere ex superfluitate cibi vel potus, vel ex turpi imaginatione in vigilia præcedente. Quod si causa mortalis fuit, puta quia vigilando consensit, vel actum gulæ mortalem exercuit, secundum hoc pollutio est signum gravioris, et tunc dictæ circumstantiæ sunt in confessione notandæ vel dicendæ. Cum autem talis pollutio illusione diaboli, vel debilitate retentivæ, vel virtute exclusivæ contingit, nec adest complacentia, non habet rationem peccati. De pollutione autem vigilando sic distinguitur, quod si est procurata per tactum, vel imaginationem voluntariam quoquo modo, vel per auditum, vel visum, vel motum; omnis enim talis resolutio, si sit procurata, vel si consensus interveniat, est mortalis quocumque modo. Et si semen extra vas naturale voluntarie emittatur, habet rationem mortalis peccati, quod etiam contra naturam est. Si autem in tactu sit sexus mutatio, etiam gravissimum est peccatum, et talia peccata nec nominari debent, et ignominiosa dicuntur. Potest etiam hujusmodi pollutio contingere per actum carnalem; et hoc dupliciter, quia vel per actum matrimonialem, vel per actum mœchiæ. In actu autem matrimoniali potest contingere deordinatio in modo, in tempore, et in causa. In modo quidem peccatum est, cum modus qui naturæ non congruit, invenitur. In tempore autem, cum tempore menstruorum debitum exigitur, quod est contra legem; si scienter fiat, est peccatum mortale. Item cum tempora orationi, honestati, et festivitatibus Sanctorum deputata, non observantur: quod tamen mortale non dico. Item in causa, cum in actu hujusmodi non proles, sed carnis delectatio quæritur: quod licet excusetur per matrimonium, tamen posset habere rationem mortalis, si usque ad hoc inordinatio extendatur, quod imaginando alienam mulierem cognoscat propriam, vel si eo affectu cognoscatur, quod etiamsi uxor propria non esset, vellet nihilominus delectationem complere. Si autem per actum mœchiæ talis inordinatio compleatur, secundum hoc hujusmodi peccati sex species distinguuntur: simplex fornicatio, solutus cum soluta; adulterium, ligatus cum ligata, vel altero ipsorum ligato; stuprum, in defloratione virginum; raptus, qui consistit in violenta mulieris cognitione; item incestus, qui est, cum cognoscitur consanguinea vel affinis; item sacrilegium, cum scilicet Deo dicatæ virgines vel viduæ cognoscuntur, vel in sacro loco talia exercentur. De quibus omnibus pertranseundum judico, cum absque hæsitatione habeant rationem mortalis.

De pollutione.

Secundus ramus principalis, qui ex carnis corruptione contingit, ut dictum est supra, est inordinatio in evitandis adversis; et ex hoc ramo procedit vitium capitale, quod acedia nominatur. Est autem acedia secundum actum proprie, ut est vitium principale et capitale, tristitia quædam aggravans, quæ ita deprimit animum hominis, ut eidem nihil agere libeat, et maxime bonum aliquod spirituale. Habet autem rationem peccati mortalis, in quantum quis per talem tristitiam bona spiritualia devitat deliberative, nec placent ei: quod frequenter ex carnis corruptione procedit, in quantum scilicet aliquis curam carnis agens, spiritualia refugit, carne contra spiritum dominante.

Acedia quid.

Unde a beato Gregorio, XXXI, *Moralium*[1], inter capitalia vitia computatur. Sicut autem de aliis est prædictum, non quælibet acedia, nec quilibet motus acediæ habet rationem mortalis; sed oportet quod ex deliberatione procedat. Ex hoc ramo procedunt secundum Isidorum, *de Summo Bono*[2], et secundum Gregorium, XXXI *Moralium*, alia vitia, quæ sunt pusillanimitas, torpor, evagatio mentis, instabilitas corporis, tristitia cordis, et desperatio.

Pusillanimis quis. Circa primum, de pusillanimitate sciendum, quod ille pusillanimis dicitur, qui animum pusillum habet ad exequendum bona opera, quæ faciliter operari posset. Unde sicut præsumptio habet rationem peccati, quia per eam tendit homo ad ea, quæ ejus potestatem excedunt; ita et pusillanimitas est peccatum, dum recusat tendere in illud bonum, quod commensuratum est suæ personæ. Et inde est, quod servus qui accepit pecuniam domini sui, et fodit in terra, nec operatus est ex ea propter quemdam pusillanimitatis timorem, punitur a Domino, ut patet in *Matthæo* et in *Luca*[3]. Habet autem pusillanimitas rationem mortalis, cum pusillanimitate dimittuntur necessaria ad salutem, ut divina præcepta. Posset nihilominus habere rationem mortalis in casu, ut si quis detrimentum fidei, vel damnum proximi spirituale, vel etiam temporale, ex pusillanimitate defensionis, prædicationis, vel correctionis dissimularet. Unde Gregorius in *Pastorali* dicit[4], quod illi, qui prodesse utilitati proximorum refugiunt, si districte judicentur, ex tantis rei sunt, quantis, venientibus ad se, prodesse potuerunt.

Timor. Ex ramo autem pusillanimitatis procedit timor servilis, humanus et mundanus, qui eodem modo, sicut de pusillanimitate dictum est, sortiuntur rationem peccati. Est autem timor servilis, cum quis, ut servus, dimittit malum facere non propter dilectionem, sed propter pœnæ timorem. Timor autem humanus dicitur, cum quis parcens carni suæ, spiritualia bona refugit, quæ carnis delectationibus adversantur. Est autem timor mundanus, cum quis propter timorem mundi, personæ scilicet alicujus, dimittit bonum facere solummodo. Primus autem timor semper cum mortali peccato est, scilicet cum quis peccatum dimittit facere solummodo ratione pœnæ. Secundus autem timor et tertius habent rationem mortalis, cum, propter hujusmodi, necessaria saluti dimittunt.

Torpor. Circa secundum, de torpore notandum est, quod tunc quis torpere dicitur, cum ad bene operandum invenitur inefficax, sicut aquam tepere, seu tepida esse dicitur, cum non est efficacis caloris. Unde tibi in *Apocalypsi* dicitur[5] : *Utinam esses calidus, aut frigidus : sed quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo.* Et talis torpor ex displicentia boni videtur procedere, quæ tanta esse poterit, quod erit cum peccato mortali : ut cum quis palatum animæ sic corruptum habet, quod in nullo bono spirituali complacentiam invenit, et propter hoc, quidquid boni facit, tepide et indevote facit. Unde ex hoc ramo procedit negligentia, cum quis negligit facere quod debet, vel, si forte illud facit, quod absque diligentia facit. Et secundum hoc dupliciter potest habere rationem mortalis : uno modo, si dimittantur per negligentiam necessaria ad salutem; alio modo, ut si forte talia fiant, sic cum contemptu fiunt, quod quoquo modo fiant, non curat omnino. Et sic intelligitur illud[6] : *Qui negligit viam* (*a*) *suam, mortificabitur.*

Omissio. Ex hoc autem ramo negligentiæ multi fructus oriuntur, scilicet omissio, ignorantia, oblivio. Circa omissionem sciendum, quod multiplex est omissio, quæ multipliciter habet rationem peccati. Est enim omis-

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXXI, c. XVII. — [2] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. II, c. XXXVII, sent. 2. — [3] *Matth.*, XXV, 24-29; *Luc.*, XIX, 20-26. — [4] Greg., *Pastor*, p. I, c. V, prope fin., in sensu. — [5] *Apoc.*, III, 15. — [6] *Prov.*, XIX, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* vitam.

sio boni propositi, voti promissi, juramenti debiti, utilium saluti. Circa omissionem boni propositi notandum, quod habet rationem peccati secundum rationem radicis, seu causæ; nec enim de se habet rationem mortalis, nisi fuerit propositum boni necessarii ad salutem.

Votum quid. Circa secundum, scilicet de omissione voti, sciendum quod votum est conceptio melioris propositi, animi deliberatione firmata; et talem promissionem absque causa vel dispensatione debita omittere, habet rationem mortalis. Unde David [1] : *Vovete et reddite;* ubi dicit Glossa quod vovere est voluntatis, et reddere est necessitatis.

Circa tertium, scilicet de omissione promissi, notandum, quod promissum non complere, quando est simplex promissio, nisi compleatur, peccatum est, nisi adsit impedimentum legitimum, vel justa causa dimittendi promissum. Habet autem rationem peccati eo modo, quo et mendacium: tunc enim impletur mendacium, cum non impletur promissum. Patet igitur, quomodo potest habere rationem mortalis; quoniam sicut mendacium, quod in damnum vergit alterius, habet rationem mortalis, sic et frustrare promissum cum damnificatione alterius, ut si forte aliquis promittat adjutorium alicui in prosecutione alicujus negotii, et postmodum ille succumbit, vel notabiliter damnificatur in negotio propter defectum promissi. Item circa hoc sciendum est, quod secundum jura est promissio, secundum quam competit actio in jure illi, cui fit promissio, ut cum quis facto vel verbo, fide præstita coram bonis, se obligat ad implendum promissum; et tunc secundum justitiam promissum tenetur implere: aliter, directe faciendo contra justitiam, peccatum mortale committeret. In promissis autem quæ vergunt in detrimentum salutis, non obligatur quis; unde Isidorus [2] : « In malis promissis rescinde fidem; in turpi voto, muta decretum. » De omissione juramenti hoc idem dicendum, quod sicut qui in juramento assertorio (*a*) pejerando, peccat mortaliter, si hoc deliberative faciat, et se jurare advertat; ita etiam, qui juramentum promissorium frangit sine causa, idem genus culpæ incurrit.

(Margin: Promissio.)

Pœnitentia injuncta. Circa omissionem vero injuncti notandum est, quod pœnitentiam injunctam a discreto confessore contemnere, et sine causa aliqua dimittere absque dispensatione, videtur habere rationem mortalis. Unde Augustinus in *Epistola* [3] : « Nihil aliud agit qui vere pœnitet, nisi ut id, quod male fecerat, impunitum non sinat. »

Circa omissionem debiti hoc est notandum, quod homo debet aliqua de jure naturali agere, ut (*b*) facere alii, quod sibi vult fieri; aliqua de jure divino, ut præcepta decalogi; aliqua de jure positivo ex præcepto, ut semel in anno confiteri proprio sacerdoti, id est, illi qui potest absolvere, et semel in anno, scilicet in Pascha, communicare, nisi ex causa legitima dimittatur: et ille qui est in sacris ordinibus constitutus, vel beneficium habet ecclesiasticum, tenetur ad horas canonicas ex præcepto. Circa primum autem et secundum, scilicet de omissione juris naturalis et divini, in prosecutione prædictorum dictum est. (Margin: Debitum)

De transgressione seu omissione eorum, quæ ad jus positivum pertinent, hoc sciendum est, quod qui jus positivum scienter omittit, si id jus sit præceptorium, inobediens est, et peccat mortaliter: unde illa, quæ ad jus positivum pertinent, et habent rationem præcepti, dimittere, peccatum mortale judicatur. De his vero, quæ ad officium divinum specialiter pertinent, est notandum, quod in hoc multipliciter peccatur, scilicet dicendo officium inattente, indevote, extra horam, corrupte, et diminute; inde tamen non facile est judicandum mortale, nisi hoc proveniat ex contemptu. Simpliciter autem dimittere officium in ordinato in sa- (Margin: Officium divinum)

[1] *Psal.* LXXV, 12. — [2] Isid., *de Contempt. Mund.*, postmed. — [3] Aug., *ad Maced.*, epist. LIV, al. CLIII, n. 6.

(*a*) *Cæt. edit.* assertorie. — (*b*) et.

cris, in religioso clerico, et professo, in beneficiato in Ecclesia, mortale communiter judicatur.

Circa omissionem utilium ad salutem, hoc notare possumus, quod quilibet utilia saluti tenetur quærere, maxime illa, sine quibus non potest habere quis cogitationem illorum, quæ sunt necessaria ad salutem. Unde maximum est, quod ille qui sermones et monitiones, et societatem bonorum evitat hac intentione, ne scilicet hac occasione moveatur ad bonum, vel ut cognitionem eorum non habeat, quæ necessaria sunt saluti vel utilia, resistit Spiritui sancto et gratiæ Dei, et ex hoc mortaliter peccat, utpote qui suam salutem contemnit.

Ignorantia.

Secundus ramus, qui ex negligentia procedit, ut dictum est, est ignorantia, secundum quod potest habere rationem peccati. Nulla enim ignorantia potest habere rationem peccati, nisi ex negligentia oriatur. Unde Augustinus, *de Natura et Gratia* [1]: « Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras. » Unde qui de salute sua diligens est, per ignorantiam damnari non potest: quia si in eo ignorantia esset, invincibilis esset, quæ excusat omnino. Ignorantia igitur, quæ peccatum est, ex negligentia oritur; quæ multiplex potest esse, scilicet ignorantia juris, et facti.

Ignorantia multiplex.

Circa ignorantiam facti notandum, quod tunc dicitur esse facti ignorantia, quando aliquis facit factum malum ex genere, et ignorat quod tale factum faciat, de quo tamen novit quod peccatum est, ut si quis credat interficere feram, et interficiat hominem; vel credit cognoscere suam, et cognoscit non suam. In hoc casu, secundum modum negligentiæ, potest ibi esse peccatum. Si enim in hoc casu non apponit aliquam diligentiam quam debet, ita poterit esse crassa negligentia, quod non excusabit a peccato. Unde Lamech [2], qui putavit occidere feram, et occidit Cain, non excusatur.

[1] Aug., *de Nat. et Grat.*, c. LXVII. — [2] *Gen.*, IV, 23.

Circa ignorantiam juris nota, quod est jus naturale, divinum, et positivum. Circa ignorantiam juris naturalis nota, quod nullus excusatur, quin peccet, faciendo contra legem naturalem. Hoc autem jus naturale, seu lex naturalis appellat illud, ad cujus cognitionem potest homo per naturalia attingere. Constat enim, quod qui tale quid ignorat, hoc ei ex negligentia contingit.

Circa ignorantiam juris divini, scilicet mandatorum decalogi, et articulorum fidei, notandum est, quod hæc ignorantia est mortalis, quia in potestate cujuslibet est hoc scire, et a lege naturali derivatur.

Circa ignorantiam juris positivi notandum, quod quilibet illa quæ pertinent ad officium suum, et de jure positivo sunt, scire tenetur, et talium ignorantia est mortalis. Hic distinguendum videtur: quædam enim sunt jura præceptoria; quædam monitoria; quædam consultatoria. Unde de jure præceptorio hoc intelligo, sicut dictum est supra de jure positivo, ubi de omissione diximus. Licet autem, ut dictum est, naturalis juris ignorantia, seu etiam juris alterius non excuset; tamen, si contingat aliquem multa peccata per ignorantiam commisisse, quorum non potest in modico tempore habere notitiam, in modico tempore possunt per contritionem generalem dimitti, sicut alibi diffusius tractari habetur.

Conscientia.

Item ex ramo ignorantiæ procedit error conscientiæ, et ejus transgressio, et perplexitas, et discrimen. Est autem error conscientiæ, cum conscientia dictat aliquid faciendum, ad quod non tenetur quis, vel quod facere non est peccatum. Qui enim facit contra conscientiam, secundum Gregorium, ædificat ad gehennam: et si sit conscientiæ judicium, quod omissio aliqua vel transgressio sit mortalis, peccat mortaliter dimittendo. Cum autem conscientia dictat aliquid faciendum necessario, quod tamen peccatum mortale est, mortaliter peccat dimittendo, et nihilominus faciendo, et tunc perplexitas est manente conscientia,

quæ tamen dimitti potest et debet. Tunc autem discrimini se quis exponere dicitur, cum aliquid timet et dubitat esse mortale, et tamen id facit; et tunc etiam mortaliter peccat, quia discrimini se exponit. Hæc autem dicta sunt, ut frequenter ex negligenti discussione conscientiæ procedunt : quæ negligentia tanta esse poterit, quod mortalis erit, sicut de ignorantia jam dictum est.

Tertius ramus, qui ex acedia procedit, est oblivio, quæ in duos ramos dividitur. Est enim oblivio peccatorum, et beneficiorum Dei, et hominis, ex qua ingratitudo oritur et indevotio. Circa oblivionem peccatorum est notandum, quod peccata propria oblivisci ex negligentia, est peccatum, cum quis teneatur conteri et confiteri de peccatis suis : quod non potest facere, si oblivioni tradatur : et tanta circa hoc poterit esse negligentia, quod habebit rationem mortalis, sicut de ignorantia est prædictum. Item beneficia Dei oblivisci, nec considerare, et sic Deo esse ingratum, mortale est. Unde bene in quodam sermone de talibus dicit Bernardus[1] : « Quantos videmus quasi oblitos sui et peccatorum suorum, Dei quoque et beneficiorum ejus immemores, sic non redimere, sed amittere tempus, ut de moribus et affectionibus suis ultima apud ipsos vix mentio fiat ! »

Oblivio.

Ultimus ramus, qui ex acedia procedit, est omnium pessimus, scilicet desperatio, qua quis peccatorum suorum immanitatem considerans, et de Dei misericordia diffidens, laxat frenum pecccatis. Et hoc quidem gravissimum est peccatum, quod dicitur in Spiritum sanctum, de quo dicit Dominus[2] : *Non remittetur in hoc sæculo, nec in futuro.* Non quod non possit dimitti; sed quia vix dimitti potest, vel quia ibi non est color excusationis, qui locum præstet divinæ misericordiæ. Hoc autem peccatum convenienter ex acedia oriri dicitur, quia, ut dictum est, acediosus complacentiam aliquam in bono non invenit, et ideo a bono opere se subtrahit; spes autem ex merito operis provenit.

Peccatum in Spiritum sanctum

Hic vero circa peccatum in Spiritum sanctum notandum est, quod hujus peccati sex species a Sanctis assignantur, scilicet desperatio, de qua dictum est; item præsumptio, cum quis in tantam prorumpit insaniam, quod non cogitat justitiam in Deo esse, sed quidquid faciat, ad gloriam sui provenire credit; impœnitentia, cum quis proponit, quod nunquam pœnitebit de peccatis suis. Et juxta hunc ramum est alius, qui licet non dicatur peccatum in Spiritum sanctum, tamen peccatum mortale est, scilicet cum quis se cogitat esse in mortali peccato et in offensa divina, et non statim pœnitet, sed adhuc remanere in peccato intendit.

Quarta species peccati in Spiritum sanctum est obstinatio, cum quis sic malo adhærere intendit, quod nulla persuasione vel timore redire ad bonum intendit.

Quinta est impugnatio veritatis agnitæ, scilicet cum quis impugnat fidei veritatem, ut licentius peccet.

Sexta est invidentia fraternæ gratiæ, cum quis in tantam prorumpit malitiam, quod gratiam Dei multiplicari in mundo et fidem crescere videre non potest. Hæc autem peccata in Spiritum sanctum dicuntur, quoniam licet contra totam Trinitatem sint, tamen sunt præcipue contra bonitatem divinam, quæ Spiritui sancto appropriatur, sicut potentia Patri, sapientia Filio. Dicitur enim quis peccare in Patrem, cum peccat ex infirmitate; in Filium, cum peccat ex ignorantia; in Spiritum sanctum, cum peccat ex malitia : quod habet magis rationem peccati. Soli peccant in Spiritum sanctum, qui impœnitentes existunt usque ad mortem. Spiritus enim sanctus charitas est divinitatis; est amor genitoris et genitæ veritatis, qui suam gratiam nobis tribuit, sui ipsius arrham. Qui igitur peccat, et gratiam suam recuperare non amat, et nunquam curat ab eo diligi, qui totus est amor et charitas, nec ad

Peccare in Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, quid sit.

[1] Bern., *cont. Ingratit.*, serm., circa med. — [2] *Matth.*, XII, 32.

illud tendit, unde sumpsit arrham, in Spiritum sanctum peccat, et nunquam post mortem, sicut neque vivens, consequetur veniam. Sicque nullus peccat in Spiritum sanctum, qui fugit ad ipsum.

Epilogus dictorum

Ecce radicem arboris malæ, truncum, ramos cum foliis, et fructibus plenis veneno mortifero, secundum intellectus mei parvitatem descripsi; sed sicut David, cum diceba t[1] : *Delicta quis intelligit?* etc.; neque ego (*a*) peccatorum gravitatem et conditionem me scire suppono. Unde et si quid in hoc opusculo scriptum lector inveniat, quod ei scrupulum dubitationis ingerat, peritiores medicos consulat, qui securius sibi arboris fructum et ipsius periculum valeant indicare (*b*). Neque intentionis meæ est hic aliquid temere asserere, vel alicui præjudicium generare. Ut autem ea quæ dicta sunt planius innotescant, ipsa breviter recapitulo eo modo, et ordine, quo sunt in arbore describenda.

CAPUT IV.

Epilogus prædictorum, ubi arbor describitur.

Radix malæ arboris est *cupiditas*, secundum Apostolum[2]; ex qua truncus malæ voluntatis procedit, qui incipit in imaginatione mala, et procedit in mala et morosa delectatione, et consummatur in malo consensu : qui duplex est, scilicet consensus in delectationem, et in opus.

Sunt aliquæ circumstantiæ, quibus aggravatur peccatum, quæ in hoc versiculo continentur :

Quid, quis, ubi, cum quo, quoties (*c*), cur, quomodo, [quando.]

Superbia

Ex præmissa radice concupiscentiæ triplex ramus procedit, scilicet concupiscentia honoris, concupiscentia oculorum, et concupiscentia carnis.

Ex primo ramo hi rami procedunt : scilicet præsumptio, inanis gloria, contemptus

[1] *Psal.* XVIII, 13. — [2] I *Tim.*, VI, 10.

Præsumptio hos habet ramusculos :

Ex, se, pro meritis, falso, plus omnibus inflat (*d*).

Et hos ramos habet præeminentia in gratuitis et gratis datis.

Ex primo ramo procedit folium tentationis divinæ cum fructu discriminis.

Ex præeminentia ex gratis datis sunt hi rami : elatio mentis, confidentia de se, de qua procedit fructus inordinatæ audaciæ.

Ex ramo contemptus est ramus duplex : contemptus Dei, et contemptus proximi; et horum medius est inobedientia ad Deum et ad proximum.

Ex contemptu Dei procedunt hi fructus : irreverentia rebus divinis exhibita, locis, personis, temporibus, sacramentis; sustinere interdictum, suspensionem, excommunicationem; recipere quodcumque sacramentum in mortali peccato; quodcumque sacramentum ministrare, vel ecclesiam officiare, officium correctionis exercere, inconfessus sacramentum recipere, habita copia sacerdotis; in statu suspensionis, vel interdicti, vel excommunicationis, vel irregularitis celebrare; item in excommunicatione se divinis ingerere vel interesse; item cum excommunicato in divinis participare.

Ex contemptu proximi hi fructus procedunt : subtractio a verbo, a societate, gestu vel modo indignationem ostendere. Hæc sunt folia : indignatio verborum, ironia, derisio, subsannatio, irreverentia in verbo.

Ex inobedientia procedit ramus impatientiæ, cum fructu murmurationis, blasphemiæ, pertinaciæ, rebellionis, et transgressionis : et hæc possunt esse contra Deum, et contra proximum.

Item ex ramo inobedientiæ, infidelitatis ramus procedit; et hi rami ex ea exeunt : divinatio, apostasia, idololatria. Item hæc folia prædicta, prout in verbis existunt, scilicet, perversum dogma, seu prædicatio.

(*a*) *Cæt. edit.* enim. — (*b*) indagare. — (*c*) *Al.* quotiens, *et sic deinceps.* — (*d*) *Cæt. edit. non habent* inflat.

Secundus ramus superbiæ est inanis gloria, ex qua quatuor rami oriuntur: honoris ambitio, favoris humani appetitus, confusionis timor, et laudis amor.

Ex ramo ambitionis oriuntur hi fructus, scilicet pompa, quæ in tres fructus dividitur, scilicet fastum in superbo apparatu, et comitatu, et gestu ex cordis affectu; et folium, fastus in verbo.

Ex appetitu favoris, procedit folium adulationis, quod tripartitum est, quod aut est de bono habito, aut non habito, vel de malo facto.

Item ex appetitu favoris oritur fructus prodigalitatis quadripartitus, quia non considerat tempus, nec personam, nec modum, et incuriam secum habet.

Ex ramo timoris confusionis hi fructus procedunt : mala verecundia, et falsa humilitas in verbo vel in facto.

Verecundia mala dividitur, quia aut est de bono opere, vel paupertate parentum, vel de naturali defectu, vel carentia gratiæ gratis datæ. Item in confessione hæc folia secum habet, nempe excusationem, defensionem, veritatis negationem; in judicio, vel extra judicium, veritatis impugnationem.

Ex amore humanæ laudis hi fructus oriuntur : simulatio, seu hypocrisis, ostentatio, singularitas. Item jactantiæ est folium, quod quadripartitum est, quia aut est de bono habito, vel non habito, vel de malo facto, vel non facto.

Invidia. Ex singularitate procedit ramus invidiæ, quæ est secundum vitium (*a*) capitale. Invidia vero in duos ramos dividitur principales, qui sunt exultatio in adversis proximi, et dolor in prosperis.

De exultatione in adversis oriuntur hi fructus : machinatio, insidiæ, scandalum, proditio, suspicio, judicium. Item habet folia : discordiarum seminatio, secretorum revelatio, et maxime confessionis, verbo, signo, vel circumstantia; item falsum testimonium.

Ex secundo ramo, scilicet de dolore prosperitatis proximi, procedit detractionis folium, et ramus rancoris. Detractio autem dividitur, quia aut fit bonum alterius diminuendo, vel destruendo, vel malum imponendo.

Primum folium alia quatuor secum habet, scilicet bonum proximi tacere, diminuere, pervertere, et negare.

Secundum folium hæc etiam secum habet : malum libenter audire, dissimulare, confirmare, aggravare, addere, revelare, imponere.

Ex ramo rancoris procedit odium.

Ex ramo odii procedit ira, quæ est tertium capitale.

Ex ira procedunt (*b*) fructus crudelitatis; et hi fructus : percussio, verberatio, incarceratio, duellum, bellum, mutilatio, occisio.

Ex folio discordiæ hi filii oriuntur : irritatio, comminatio, contumacia, improperium, convicium, maledictio, procacitas, clamor, irreconciliatio.

Ex ramo appetitus vindictæ oriuntur calumnia, vexatio, damnificatio.

Vexatio hos fructus secum habet, quia fit per falsas litteras, vel falso impetratas, tacita veritate, vel suggesta falsitate, vel per non suas, vel non ad hoc impetratas, vel coram diversis judicibus ad impossibilia obligando.

Damnificatio in duos fructus dividitur, quia fit aut bonum impediendo habitum, vel habendum; aut malum inferendo, quod etiam multis modis fit, scilicet faciendo, præcipiendo, consulendo, juvando, dissimulando.

Secundus ramus principalis, qui ex radice concupiscentiæ procedit, est concupiscentia oculorum, quæ avaritia nominatur, et est quartum vitium capitale.

Ex avaritia autem tres rami principales procedunt, inordinatum desiderium habendi, vel inordinatus amor habiti, et inordinatus dolor amissi. Avaritia.

Ex inordinato desiderio habendi procedunt duo fructus, scilicet sollicitudo, et injustitia.

(*a*) *Cæt. edit.* judicium. — (*b*) *Item* procedit.

Ex sollicitudine autem procedit festorum violatio.

Injustitia autem dividitur, quia aut est manifesta, aut occulta, quæ fraus nuncupatur. Injustitia aperta hos fructus habet secum, scilicet furtum, rapinam, usuram, et iniquam sententiam.

Furtum in quinque dividitur, qui sunt occulta rei acceptio, rei inventæ detentio, sacrilegium, et proprietas in religiosis, et mala dispensatio.

Rapina hos etiam fructus habet, qui sunt novæ taliæ, vel consuetudinis inductio, exactio, extorsio, munerum acceptio, et ludus alearum.

Usura dividitur, quia quædam est in spe, quædam in rei contractu.

In contractu autem est multiplex usura, scilicet in venditione, emptione, mutua commutatione, ratione temporis, vel rei, vel periculi, vel obligationis, vel corruptæ intentionis.

Item contingit fraus in contractibus, in emptione, et venditione, in numero, pondere, et mensura, in valore, in qualitate, in taciturnitate defectus; item notabiliter carius (*a*) vendendo pro necessitate ementis, vel dilatione (*b*) solutionis, vel pro simplicitate (*c*) ementis.

Item in fraude plurima mala locutionis folia contingunt : mendacium, perjurium, duplicitas.

Ex ramo autem mali contractus oritur fructus simoniæ.

Item ex injustitia ad proximum, ut dictum est, oritur iniqua sententia; et secum habet hos fructus, qui sunt : justitiæ perversio, ordinis juris immutatio, sententiæ dilatio, injusta advocatio, litterarum abusio.

Mala autem advocatio hæc folia secum habet : injustum patrocinium, injustum consilium, litis prolongatio, juris sophistica allegatio, litterarum abusio.

Fit his modis injusta impetratio : tacita veritate, vel suggesta falsitate, injusta extorsio, additio, vel diminutio, sive quæque falsificatio.

Secundus ramus principalis avaritiæ est inordinatus amor habiti; et ex hoc ramo hi fructus procedunt : injusta congregatio, ad proximum incompassio, restitutionis dilatio, beneficii irrecompensatio.

Tertius ramus principalis, qui ex radice cupiditatis procedit, est concupiscentia carnis, quæ in duos ramos dividitur : in quærendo inordinate delectationem, et vitando molestiam. Concupiscentia carnis.

Primus ramus dividitur, quia aut est circa delectationem actus qui pertinet ad conservationem individui, scilicet circa actum nutritionis; aut est circa actum qui pertinet ad conservationem speciei, scilicet circa actum generationis.

Primus igitur ramus, qui ex concupiscentia carnis oritur, est inordinata delectatio circa actum nutritionis, et quintum vitium capitale, quod gastrimargia dicitur.

Ex vitio autem gulæ tres rami principales procedunt, scilicet incontinentia gulæ, immodestia, et inordinata delectatio. Gula.

Ex incontinentia gulæ hi fructus procedunt : anticipatio horæ, nimia frequentia, fractio jejunii.

Ex immodestia hi fructus procedunt : aviditas, et nimietas.

Cum fructu autem isto, qui est nimis sumere, sunt hi fructus : corporis gravitas, infirmitas, mentis hebetudo, cæcitas, præcipitatio judicii, incircumspectio, loquacitas, inepta lætitia, dissolutio, ebrietas.

Loquacitas autem hæc folia secum habet : multiloquium, vaniloquium, stultiloquium, turpiloquium.

Tertius ramus gulæ est inordinata delectatio circa cibum; et hos fructus secum habet, scilicet sollicitudinem in procurando, studiositatem in præparando, multiplicitatem in diversificando, caristiam in emendo.

Secundus ramus, qui ex carnali concupiscentia procedit, est inordinatio circa actum

(*a*) *Cæt. edit.* care. — (*b*) *Item* debitorum. — (*c*) *Item* simpliciter.

generativum; qui luxuria dicitur, et est sextum vitium capitale.

Luxuria. Ex luxuria tres rami principales procedunt : inhonestas, affectio, incontinentia.

Inhonestas hos fructus habet : inverecundiam in verbo, in gestu, in habitu.

Inhonestas in gestu habet choreas et tripudia, et corporis motus.

Item inhonestas in verbo habet scurrilitatem, et histrionatum.

Item inhonestas in habitu hos fructus secum habet : scilicet superfluitatem, pretiositatem, multiplicitatem, curiositatem.

Superfluitas in duobus consistit : in numero, et mensura.

Curiositas consistit in colore et modo facturæ, et compositione corporis.

Hujus compositionis fructus sunt : adinventio novi modi, novorum jocalium; item unctiones, lotiones, fucatio, suppletio capillorum ex alienis.

Secundus ramus luxuriæ principalis est carnalis affectio; et iste est duplex, quia potest esse respectu sui, vel proximi.

Si respectu sui sit, hos fructus habet : primo curam carnis, quæ habet hos fructus, mollitiem in vestibus, in culcitris, et talibus; item nimiam sollicitudinem in evitando pœnam, frigus, calorem, sitim, famem et hujusmodi.

Carnalis affectio ad proximum duplex potest esse : vel ad parentes, vel ad alios; potest etiam esse in affectu, vel in effectu.

Ex ramo carnalis affectionis oritur acceptio personarum, perversio ordinis charitatis, et favor mali.

Personarum acceptio est in beneficiis, electionibus, honoribus et judiciis.

Favor mali hos fructus secum habet : dissimulationem, incorrectionem, consensum, adjutorium, et communicationem.

Tertius ramus principalis concupiscentiæ carnalis est incontinentia, quæ per hos ramusculos procedit : qui sunt turpis imaginatio, morosa delectatio, consensus in delectatione, et consensus in opere. Item hos fructus secum habet, id est, quinque sensus, in auditu, visu, odoratu, gustu et tactu.

In auditu curioso, scilicet rumorum, canticorum, instrumentorum, verborum, dissolutorum et scurrilium.

In visu, in aspectu oculorum, pulchritudinum hominum et mulierum, inhonestorum membrorum, gestuum, spectaculorum.

In verbo, scurrilia dicendo, ad malum incitando verbo, vel in attrahendo.

In tactu multipliciter : in osculis et tactibus libidinosis sui vel alterius; et ex hoc sequitur pollutio dormiendo per naturalem actum in vase debito, vel contra naturam, per actum naturalem matrimonii active; item ex hoc per actum matrimonii, vel mœchiæ; per actum matrimonii, modo inordinato, vel tempore illicito, vel intentione non recta.

Mœchiæ autem sex fructus ponuntur : fornicatio, adulterium, stuprum, raptus, incestus, et sacrilegium.

Secundus ramus principalis concupiscentiæ carnalis, est inordinatio in pœnis evitandis, ex qua oritur ultimum vitium capitale, quod acedia nominatur.

Ex acedia procedunt hi fructus : pusillanimitas, torpor, evagatio mentis, instabilitas corporis, tristitia cordis, et desperatio. Acedia.

Ex pusillanimitate procedit timor servilis, humanus, mundanus.

Ex torpore procedit negligentia, cujus fructus sunt omissio, ignorantia et oblivio.

Omissio multiplex est, scilicet boni propositi, voti promissi, juramenti, injuncti debiti, utilium saluti, pertinentium ad jus naturale, vel divinum, vel positivum.

Ignorantia est multiplex, scilicet juris naturalis, divini, et positivi, item facti; item affectata, crassa, et supina, et invincibilis.

Ex ignorantia procedit error conscientiæ, et ejus transgressio.

Oblivio est duplex, peccatorum et beneficiorum Dei et hominis.

Ex his oritur ingratitudo, et indevotio.

Ultimus fructus est desperatio, peccatum in Spiritum sanctum.

Peccata in Spiritum sanctum.

Peccati in Spiritum sanctum sex species distinguuntur, scilicet desperatio, præsumptio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio agnitæ veritatis et invidentiæ fraternæ gratiæ. Si quis autem plenius de singulis velit habere notitiam, ad tractatum superiorem recurrat.

OPUSCULUM

DE MODO CONFITENDI

ET

DE PURITATE CONSCIENTIÆ [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Tractatus iste de puritate conscientiæ inter Opuscula S. Bonaventuræ impressus fuit Argentinæ anno Domini 1495, et etiam in editione Veneta, anno 1574. Sed in Opusculis qnoque S. Thomæ recensetur in editione Romana sub Pio V Pontifice : et Joannes Trithemius S. Thomam Aquinatem ejus auctorem agnoscit. Verum Joannes Gerso Parisiensis Cancellarius prim. parte Opusc. in Opusculo *de Pollutione diurna* propositiones 12 in fine Sancto Bonaventuræ tribuit, his verbis : « Item tractatus, quem adscribunt aliqui S. Thomæ : sed magis apparet ex stylo, et materia, quod sit Bonaventuræ. Qui incipit : Quoniam fundamentum, et janua. Et est valde utilis. » Hæc Gerso. Cujuscumque autem sit, legitimæ confessionis conditiones continet docte et breviter expressas : necnon quomodo conscientiæ puritas servetur.

Quoniam fundamentum et janua virtutum, omnisque gratiæ spiritualis consolationis principium est conscientiæ puritas, ac cordis munditia; ad quam principaliter et præcipue per puram, et veram, ac integram et perfectam confessionem peccatorum acceditur : nobis qui vocati sumus ad statum gratiæ, et ad acquirendas vitutes ac vitanda vitia, de sufficienti confessione, ac modo confitendi ut decet viros ad statum perfectionis electos, cum summa diligentia, et sollicitudine continua, præ cæteris mortalibus principaliter est videndum.

CAPUT PRIMUM.

Quod plena, pura et integra debeat esse confessio.

Est igitur primo videndum, quod confessio debet esse pura, quia peccata debent simpliciter dici, absque duplicitate et excusatione, sicut homo credit ea manifesta esse coram Deo : nec debent verba dici palliantia, aut cooperientia, vel minuentia peccatum, sicut faciunt multi magnas phylacterias et historias longas dicentes antequam peccatum explicent, ut sic per illas ostendant se minus culpabiles de peccato, quod quidem peccatum in fine illorum verborum superfluorum excludant. Vitanda sunt igitur superflua et excusatoria verba ; sed pure dic peccata tua, et simpliciter te accusa. Similiter non debet dici, quod cadat in infamiam alicujus, aut quod possit præbere confessori occasionem turbationis contra aliquem, aut materiam contemnendi. Unde si expediret

[1] *Cf.* Edit. Argent., an. 1495; edit. Vatic., an. 1596, tom. VII, p. 687; edit. Ven., an. 1611; edit. Lugd., an. 1647, tom. II, p. 668; edit. Ven., an. 1753, tom. XII, p. 223.

nominare peccata alicujus, confitendo propria; tunc taliter explicentur, quod confessor nullo modo possit intelligere personam cum qua peccasti, nec possit venire in notitiam complicis in peccato. Sicut, si dedisti Petro occasionem peccandi, cum peccavit, non debes nominare ipsum, sed sufficit tibi dicere : « Fui causa committendi peccatum tale cuidam personæ. »

Vera. Confessio debet esse vera, ita quod nulla falsitas dicatur scienter, nec aliquod dubium affirmetur; sed certa ut certa, dubia ut dubia sunt dicenda. Et ideo, cum confiteris, non dicas : « Dico culpam meam, si feci tale quid, aut si dedi materiam turbationis tali, aut fecissem tale peccatum si potuissem : » sed dic simpliciter : « Feci sic, et sic, et appetivi sic, et sic, et habui voluntatem deliberatam faciendi tale peccatum, et non dimisi, nisi quia non potui, vel quia nescivi, vel quia timui verecundiam, aut pœnam temporalem. »

Sunt tamen quidam qui nescientes, aut verecundantes, aut non curantes specificare peccata, aperte mentiuntur in confessione quam faciunt, dicendo quædam ad quamdam cautelam, quibus comprehendant peccata omnia quæ fecerunt. Dicunt enim : « Dico culpam meam de quinque sensibus meis male custoditis, scilicet visu, auditu, gustu, etc.; » et tamen si interrogarentur de quolibet, per se invenirentur non offendisse de quolibet præmissorum, maxime postquam confessi fuerint. Et sic dicunt etiam de septem vitiis capitalibus, cum tamen non offenderint in omnibus, sicut sonant verba eorum. Talis ergo modus, maxime ab his, qui sæpe confitentur, est vitandus; sed dicant vera et necessaria, et dimittant falsa et superflua.

Similiter ante confessionem diligenter seipsos examinent, et dicant primo omnia vitiosa et gravia, quæ pro certo noverint fecisse, ita quod sub humilitatis specie, aut causa quacumque nullatenus mentiantur : sed postea possunt dicere generalia et levia, quæ non possunt specialiter explicare, sicut sunt cogitationes otiosæ, verba otiosa, negligentia, pigritia circa orationem, amissio temporis, distractio cordis in dicendo horas, vel orando, ingratitudo beneficiorum Dei, superflua cura de corpore et de rebus temporalibus, turbationes leves contra proximum, judicium leve alieni cordis; despectio proximi quoad personam, mores, sive vitam; non contentari de omnibus, quæ Deus fecit, aut facit, aut fieri permittit, et his similia : quæ cum sint inevitabilia, ab anima infirma non possunt in numero declarari, sed potius expedit ea quotidie delere cum lacrymis, aut per ipsa infirmitatem animæ recognocere, et in humilitate debita permanere.

Confessio debet esse integra, ut omnia peccata, quæ habes in memoria, aut quæ oblitus fueras confiteri, et modo recordaris, integre confitearis : nec dicas partem uni confessori, et partem alteri, quia nullo modo debes dividere confessionem. Hoc faciunt illi, qui timent despici a confessore, vel reputari minus boni, plus timentes humanam verecundiam, quam divinam offensam, et plus amantes laudem extrinsecam, quam intrinsecam pacem mentis, et conscientiæ puritatem. Similiter, si oblitus es, quando confiteris aliqua peccata, et postea die sequenti, vel alia, recordaris, si potes, debes recurrere ad eumdem confessorem, ut confitearis, si potes habere copiam, aut ad alium; alioquin sufficit tibi bona voluntas. Quod si non ex oblivione, sed ex malitia ac verecundia, oblitus es vel omisisti confiteri aliquod peccatum, teneris recurrere ad primum confessorem. Et si vis recurrere ad alium, teneris confiteri omnia peccata prius confessa, et illud quod prius omiseras, et omnia quæ postea commisisti a prima confessione facta; et teneris confiteri de mendacio, aut simulatione quam commisisti : quia dedisti intelligere confessori tuo quod primo integre confessus fuisti. Integra.

CAPUT II.

De peccatorum circumstantiis.

Confessio debet esse plena. Locus. Item confessio debet esse plena, quia debet continere circumstantias aggravantes peccata, quæ sunt 1. locus in quo peccas, quia gravius est peccare in ecclesia, aut in loco sacro, quam in domo, et gravius est cogitare aliquod inhonestum, quando dicis Missam vel Officium, vel quando oras, quam quando scribis. Et gravius est respicere vel tangere animo impudico corpus hominis sub pannis, quam manum vel pedem, quia magis libidinosa delectatio est ibi : et sic facias differentiam inter locum, et locum.

Tempus. 2. Tempus in quo peccas, quia gravius est caveri (*a*) a Missa, vel otiari in die dominico, vel festo solemni, quam in die alio simplici. Et gravius est quodcumque peccatum in magna solemnitate, quam alio tempore. Et gravius est non vacare orationi, vel esse dissolutum in lingua, vel relaxatum in gula, quando homo debet communicare, et die quo homo communicat, quam in alio tempore.

Coram quo. Gravius est dicere et facere aliquod coram eo, qui potest ex hoc sumere occasionem peccandi, quam illud dicere et facere occulte. Et gravius est simulare se esse patientem, habendo iram in corde, quam ostendere se esse turbatum, sicut est, non dando tamen alicui per hoc turbationis, vel mali exempli occasionem, ut dicit Gregorius. Et ideo non sufficit dicere : « Fui iratus de verbo mihi dicto; » sed debet dicere et addere : « Simulavi me esse patientem in verbis, et signis exterioribus, ut reputarer humilis, ubi eram superbus, ita quod cum illa simulatione, addidi mendacium ad iram, quam occultavi. » Adhuc gravius est tangere Bertam osculando, quam ipsam in eodem loco tangere cum pede, quia iste modus tangendi est magis impudicus. Unde non sufficit dicere : « Tetigi Bertam impudice; » sed oportet dicere locum corporis quem tetigisti, scilicet manum, vel pectus, supra pannos, vel ad nudum ; et dicas modum, scilicet cum ore, manu vel cum pede, etc.

Quoniam ibi majus est peccatum, ubi major mora trahitur, sive sit delectatio corporalis, sive mentalis, sive iram, sive odium teneas per mensem, aut annum. Et diligenter est mora examinanda in peccato cogitationis, quia videndum est, si in ipsa mora ratio succumbat sensualitati, consentiendo in opus voluntate deliberata si posset, et tunc non est minor culpa, quam si peccatum opere perfecisset, quia sic voluntas pro facto reputatur. Si autem succumbat ratio consentiendo in delectatione sensualitati tantum, ita quod non vult in opus procedere, sed vult tantum interius in delectatione voluptuari, tunc licet ibi non sit plenus consensus, tamen est ibi peccatum mortale sicut dicit Augustinus ; sed est minus grave quam primum, ubi est consensus in delectationem, et in opus. Si vero in neutrum consentit, sed ibi facit moram invite, quia scilicet nescivit, vel non potest expellere, tunc dicat occasionem datam. Quamvis hæc sententia satis dura locum habeat in peccatis carnalibus, potest etiam notari in homicidio, et in aliis multis peccatis. Quidquid autem sit, expedit conscientiæ mundæ facere prædictam examinationem in quibuscumque cogitationibus vitiosis, morose multum protractis. Mora.

Nam gravius est facere quodcumque peccatum corde, aut aliquo sensu corporis, bis quam semel. Et ideo si potes recordari, debes specificare vices cogitationum malarum, aut motus libidinosos in carne, et voluntatem faciendi aliquod peccatum, aut quotiens iterasti respicere in faciem alicujus propter delectationem visus, aut quoties turbasti aliquem, aut murmurasti, et sic de aliis. Quod si non es memor de numero, dic bona fide, secundum quod judicas te totiens iterasse peccata. Et attende quod cogitationes Quoties.

(*a*) *Forsan legendum* abesse *vel* carere.

leves et levia verba non sunt numero explicanda : nisi essent occasiones alicujus gravis peccati, vel vitii, aut essent de se in aliquo genere septem vitiorum capitalium. Si tamen propter aliquam cogitationem levem haberes nimis longam distractionem mentis in oratione, vel psalmodia, credo quod bonum esset explicare, si esses memor, propter magnum dispendium quod facit. Si etiam propter aliquod verbum otiosum (*a*), vel leve, aliquem turbaveris, aut oriatur (*b*) aliqua mala suspicio, aut aliquod malum, tunc debet specificari, propter malum ipsius effectus, sic quod talia otiosa et levia sunt specificanda, quando propter ea incurritur aliquod grave vitium, vel delictum, aut datur alicui materia peccandi. Sufficit ergo dicere simul omnes distractiones mentis habitas in oratione et in officio propter cogitationes leves, sic dicendo : « Dico meam culpam de nimia distractione, et mentis vagatione, quam habui in oratione, audiendo missam, et dicendo horas, propter cogitationes inutiles et otiosas, in quibus cor meum nimis occupavi, sic quod ibi non fui intentus, ut debui et potui. » Cogitationes autem vitiosæ procuratæ, et cum delectatione receptæ, omnes sunt explicandæ, quantum potest homo, quantum ad qualitatem, moram et vices, ut supra dictum est. Cogitationes vero, quantumcumque malæ et vitiosæ, quæ non sunt studiose procuratæ, nec cum delectatione receptæ, nec cum mora servatæ in corde, nec dedisti occasionem veniendi propter cibi et potus intemperantiam, aut propter occasionem, sed subito venerunt, et recesserunt, et displicentiam habuisti in illis, statim quando sensisti, ut potuisti, expulisti, aut expellere procurasti, occupando te in lectione, aut in meditatione sancta, tales, dico, non sunt confitendæ, quia non solum in istis homo non offendit, sed multum meretur, tanquam pugil, pugnator et victor. Unde Hieronymus : « Ille prædicatur beatus, qui statim, ut cœpit cogitare, cogitatus interficit, et allidit ad petram Christum. » Sed hodie quidam tales cogitationes confitentur potius ad laudem et vanam gloriam, ut confessor reputet ipsos spirituales, cum tamen talia essent occultanda, et etiam in confessione tacenda, quia solum confitens debet se ostendere simpliciter peccatorem. Unde tales sunt thesauri Dei latrones, quia vanæ gloriæ appetitores ; et ideo pœna latronum sunt puniendi. Nam de talibus cogitationibus, quibus sic resistitur, dicit Apostolus [1], quod Deus facit cum tentatione proventum. Quod dicit, quia homo talibus resistendo meretur : et ideo intelligo quod digni sunt suspendio, quia sub specie charitatis, aut petendi consilii, aut alterius causæ coloratæ, quæ soli Deo sunt aperta manifestant, et aperiunt malitiose, et sub dolo.

(*a*) *Cœt. edit.* solatiosum. — (*b*) *Edit. Ven.* orietur ; *Edit. Vatic. et Lugd.* oriretur.— (*c*) *Forsan leg.* inde.

CAPUT III.

De motu vanæ gloriæ.

Quia gravius est habere vanam gloriam de gratia spirituali a Deo recepta, quam de opere hominis manuali ; unde (*c*) confiteri habes de vana gloria, aut spirituali, aut corporali. Et gravius est dolere de bono spirituali alterius, quam de bono corporali ipsius, quia primus dolor est de invidia fraternæ gratiæ, quæ est peccatum in Spiritum sanctum, quod est irremissibile ; secundus dolor ex simplici procedit invidia. Et ideo non sufficit dicere : « Dolui de bono alterius propter invidiam ; » sed debes specificare, si de bono spirituali, vel temporali. Et eadem ratione gravius est gaudere de spirituali damno proximi, sicut de peccato quod fecit, aut de ipsius infamia, aut quia amisit Dei gratiam, quam habebat, quam gaudere de temporali damno hominis. Cavendum tamen est, qualiter confitearis peccatum prædictum vanæ gloriæ de gratia spirituali, ne forte incurras majorem gloriam vanam, in confitendo primum defectum.

Peccatum vanæ gloriæ caute confitendum.

[1] I *Cor.*, x, 13.

Nam dando intelligere confessori, quod habuisti vanam gloriam, quia fuisti visus orare, vel in missa plorare, vel laudatus quod bene prædicaveras, ex hoc potes incurrere vanam gloriam, sive peccatum vanæ gloriæ, quod confessor ex hoc te reputet spiritualem. Debes igitur caute explicare tuo confessori gratiam tibi a Deo datam in oratione, lacrymis, et hujusmodi. Potes tamen dicere: « Dum dicerem, vel audirem missam, vel prædicarem, feci actum aliquem, propter quem personæ aliquæ me videntes, cogitavi, quod crederent me habere aliquam spiritualem gratiam. Et quia in ipsa cogitatione habui complacentiam et consensum, nec dolui, ideo me accuso. » Vel sic : « Appetivi quod aliqui crederent me habere, cum non haberem ; et ad hoc credendum, feci aliquos actus simulatorie. » Et idem intelligas de aliis peccatis. Similiter caute confitearis vanam gloriam, quam habuisti exercendo aliquos actus virtuosos. Sufficit enim tibi non explicando dicere : « Feci aliquem actum, propter quem appetivi non tantum laudem Dei, sed potius hominum, quia non solum volui reputari ab illo cui feci, vel dixi quoddam bonum, sed ut aliis publicaretur. » Et Nota. nota quod cogitationes de vana gloria non sunt confitendæ, nisi quando est ibi complacentia, et consensus, et delectatio morosa. Si autem statim, quando veniunt, cognoscis ea non debere venire, et ex hoc statim displicet tibi quod veniunt, ac per hoc statim recurris ad Deum, ut eas expellat, aut saltem te consentire non sinat, sis certus, quod in eis non peccas, sed potius per eas coronam acquiris. Dic ergo statim in corde tuo, quando sentis eas[1] : *Deus, in adjutorium meum intende*; vel[2]: *Domine, vim patior; responde pro me*. Et caveas ne propter hujusmodi tempestuosas cogitationes, dimittas aliquod bonum incipere, vel incœptum continuare, ex quo principale motivum est bonum, sicut hodie multi faciunt, credentes spiritui diffidentiæ, qui facit eos credere, quod perdunt quidquid agunt, quia in bonis actibus suis cogitationes vanitatis contrahunt. Respondeas ergo tali spiritui : « Nec propter te facio, nec volo facere illud bonum, nec propter te dimittam. » Unde quantumcumque habeas in istis cogitationibus aliquando complacentiam et consensum, doleas et pure confitearis, nec propter hoc cesses a bono, propter Deum principaliter incœpto ; sed pugna viriliter et constanter, Deum orando, ut custodiat suum opus. Si autem esses naturaliter passionatus, et stimulatus de vana gloria, sicut sunt quidam qui nihil boni quasi faciunt, aut dicunt sine ea, tunc consulo tibi, ut non delecteris in loquendo multum de Deo, aut vita spirituali, docendo alios sub specie charitatis, quia pro certo sub hoc velo charitatis latet dulce venenum ; sed puto esse securius, et magis expediens, humiliare se et silere a bonis, ne forte curando infirmeris, quia mens tua adhuc eget custodia. Et frenum est necessarium linguæ tuæ, donec illa pestis in corde fluctuare non cessat ; alioquin, sicut dixi, salvando aut sanando alios, tuam destruis sanitatem : experto crede. Nam docere et curare alios, est cibus perfectorum. Si vero necessitas inevitabilis, vel magna, et rationabilis congruentia loquendi occurrat, tunc loquendum est taliter, quod ita te sicut et alios videaris arguere, et docere. Et quia tibi etiam non deerit spiritus vanæ gloriæ, cupiens quod per hunc modum loquendi reputeris humilis et discretus ; si etiam occurrit tibi vana gloria quando tacebis, vel quando de locutione te humiliter excusabis, nescio tibi aliud remedium, nisi confessionem puram et lacrymas adhibere contra hanc maledictam pestilentiam. Est autem valde timendum, ne timore despectionis humanæ totiens hoc vitium confiteri negligas, quotiens te ab ipso noveris superari. Nec, ut minus verecunderis, mutes sæpius confessorem ; imo, ut plus confundaris, studeas eidem sæpius et clarius solito confiteri. Sic enim virtute humilis confessionis spiritus ille citius expelletur, et

[1] *Psal.* LXIX, 2. — [2] *Isa.*, XXXVIII, 14.

si etiam tuæ confessioni se ingerat, ita ut de humili et pura confessione appetas commendari. Certe si te senseris vulneratum, non timeas in fine confessionis detegere ipsum vulnus. Est enim sciendum, quod gravius est esse inobedientem aut irreverentem patri, vel matri propriæ, quam illi cui non sic teneris obedientiam vel reverentiam exhibere. Et gravius est turbare unum sanctum hominem, aut deridere ipsum, quam unum hominem vitiosum. Et gravius est provocare unam personam religiosam ad aliquod peccatum, quod est contra professionem ejus, quam unam perfonam sæcularem inducere ad idem peccatum. Et gravius est, inspicere impudice unam juvenem et religiosam mulierem, quam sæcularem, secundum beatum Gregorium: « Non licet intueri quod non licet concupisci. » Et ideo dico esse gravius illud vitiose respicere, quod est gravius concupiscere vitiose. Hoc idem intelligo de tactu, et quocumque actu et verbo impudico. De conditione personæ, cum qua peccasti, sufficit exemplum jam dictum. Non sis ergo contentus dicere: « Non bene custodivi visum meum, » aut dicere : « Iteravi pluries aspectum in faciem alicujus personæ, cum complacentia et imaginatione impudica : » sed dic qualitatem et conditionem personæ. Et si de visu expedit sic dicere, multo magis de verbo impudico dante provocationem ad peccatum, et de tactu, aut commotione carnis libidinosa habita ex allocutione vel appropinquatione ad corpus alicujus.

CAPUT IV.

De intentione habita in peccatis.

Intentio prava confitenda.

Gravius est facere quodcumque peccatum, cum intentione provocandi aliquem ad simile, aut ad aliquod peccatum, quam ad satisfaciendum sibi ipsi tantum, ut si noveris defectum alicujus, facias ipsum despici, aut minus reputari propter invidiam tuam, vel aliam malitiam, aut si fecisti aliquem actum cum oculis aut cum manibus versus aliquam personam, ut provocares eam ad malum : et sic de aliis peccatis studiose, non tantum in damnum facientis, sed etiam in proximi detrimentum : quæ quidem peccata non sufficit confiteri, nisi explicentur intentiones malitiosæ. Tales recte assimilantur dæmonibus, et sunt inimici crucis Christi, quia student animas perdere, pro quarum salute Christus sanguinem suum effudit. Item descensus de peccato in peccatum est diligenter perscrutandus. Non est ita grave unum peccatum simpliciter, sicut est illud, cujus occasione plura alia peccata sunt commissa. Unde si studiose fecisti aliquem defectum tali modo quod alius fuit culpatus de hoc, et non excusasti innocentem, sed permisisti eum injuste pati; vel si pro defensione unius mendacii protulisti verba injuriosa, aut incurristi plura mendacia; aut pro excusatione unius mendacii vel peccati commisisti perjurium, et ob hoc fuit suspicio de alio, vel facta injusta punitio super aliquem, aut ortum est odium, aut aliqua turbatio inter aliquos : omnia hæc, et consimilia, quæ ex primo peccato sunt consecuta, debent cum primo peccato principali plenius explicari.

CAPUT V.

De peccati occasione.

Occasiones peccandi explicare oportet.

Similiter de plenitudine confessionis est dicere, non solum circumstantias prædictas, vel similes, sed etiam occasiones et causas peccatorum, propter quas incurristi ipsa peccata, videlicet, quia neglexisti ea vitare sicut potuisti et scivisti. Hujusmodi autem causæ sunt taliter dicendæ, quod te cum ipsis accuses, et non excuses, sicut quidam faciunt, imponentes culpam diabolo, sicut Eva quæ dixit[1]: *Serpens decepit me.* Dicunt enim : « Tantum me tentavit de tali peccato, quod oportuit me consentire, nec potui me defendere ullo modo. » Sed illa non est confessio, nec expressio causæ peccati,

[1] *Genes.*, III, 13.

imo est excusatio tui, et accusatio diaboli, qui forte non est culpabilis ibi. Non enim omne peccatum fit semper ex suggestione diaboli, nec omnis tentatio est a dæmone, sed, secundum beatum Jacobum[1] : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*. Multi ergo mentiuntur dicentes : « Dæmon seduxit me ad tale peccatum, quod sibi consensi, » quia sola sua concupiscentia tentatus cecidit. Et ideo debet dicere : « Cum sentirem me stimulari ad tale peccatum perpetrandum, fui negligens in evitando occasiones me incitantes ad hoc, scilicet locum, tempus et personam, et fui negligens in adjuvando me cum jejunio, cum oratione, et aliis necessariis, sicut scivi et potui. Unde propter negligentiam et malitiam meam commisi ipsum peccatum, potius eligens servire diabolo superbiæ, et carni meæ hoc suggerenti, quam Spiritui sancto inspiranti mihi, quod illud non facerem. Reliqui vero imponunt culpam proximo, sicut fecit Adam, qui dixit Deo[2] : *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi*. Dicunt enim : « Quædam persona tantum institit me rogando, et blandiendo, et aliqua dona dando, quod nullus de mundo potuisset se defendere, sic quod oportuit me finaliter consentire. » Aliqui dicunt : « Quidam dixit mihi tantum malum de quodam, quod fecit me murmurare de illo, et illum despicere. »

Veræ et sanctæ confessionis praxis.

Sed hæc est vitiosa confessio. Dic ergo sic de primo : « Dum viderem expresse, quod locutio, et conversatio cum quadam persona esset mihi inutilis et periculosa, et sentirem affectum cordis mei ad ipsam personam, aut ipsius ad me non esse purum, nec secundum Deum, sed potius secundum carnem, et in aspectu et præsentia ejusdem haberem nimiam complacentiam sensualem, et ex hoc semper haberem imaginationes impudicas de illa, cum libidinosis motibus carnis, quod propter debebam fugere ipsam, nihilominus fui secutus voluptatem carnis, in tantum quod ad tale peccatum deveni cum ea, unde me et ipsam illaqueavi. » De secundo dic sic : « Audiens dici aliqua mala de quadam persona, facilius ea credidi, quam credidissem bona, si audivissem, propter levitatem cordis mei, et defectum charitatis. Et quando debebam compati murmuranti, et excusare in corde meo eum, de quo ille murmurabat, ego statim murmuravi cum illo, confirmando malum de quo dicebat, vel addendo ad illud quod dicebat, ac per hoc dedi sibi occasionem magis murmurandi. » Et nota, quod non debet quis murmurantem nominare, nec factum de quo murmuravit, quando scilicet talis nominatio esset in excusationem tui, vel in infamiam proximi. Item, si te accuses de turbatione proximi, aut de turbatione habita contra aliquem propter defectum ejus, principaliter non debes exprimere illum defectum, ne per hoc ostendas te habuisse rationabiles causas turbationis, et sic videaris minus peccasse, aut motus zelo justitiæ. Sunt enim qui dicunt in confessione : « Vidi fieri talem defectum, vel audivi dicere tale verbum, et de hoc fui valde turbatus, quia erat contra honorem Dei, et contra bonos mores in malum exemplum aliorum. » O stulte hypocrita, quid dicis? Nam te simpliciter laudas, et nihil penitus confiteris; taces peccatum tuum, quod fecisti videndo alienum defectum, quod forte fuit gravius (*a*) quam defectus alterius, quia despexisti peccantem, cui debebas compati, et mentiris dicendo te fuisse turbatum propter amorem Dei, et proximi, cum tamen fueris turbatus propter superbiam tuam, et quia non habes charitatem proximi, quæ non permittit aliquem contra proximum turbari. Sic ergo dicas : « Videns, vel audiens, fieri vel dici aliquid quod judicavi esse malum, et forte pejus quam fuit, propter malitiam meam, quæ non permisit me excusare defectum, nec intentionem dicentis, vel facientis, sicut poteram et debebam : non fui motus ad com-

[1] *Jac.*, I, 14. — [2] *Gen.*, III, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* qui forte fuit gravior.

patiendum illi, vel ad orandum pro ipso, sicut debui ex charitate; sed magis fui commotus ad iram contra ipsum, contemnendo et judicando ipsum, et appetendo statim punitionem ejus, vel habere potestatem puniendi eum : et hoc accidit mihi propter duritiam cordis mei, et quia non recognosco patientiam Dei, quæ supportavit me in gravioribus peccatis absque ulla punitione : » et sic de aliis. Sicut alii, qui se clarius laudant in confessione dicentes : « Per gratiam Dei, satis bene custodivi me tali tempore, vel citra, a tali, vel tali peccato. Nam bene continuavi officium, missas, et prædicationes, et orationes meas. Faciant, qui volunt, male; quia ego intendo bene facere facta mea, et me custodire a peccatis melius, quam facit major pars vicinorum meorum, quia prius me permitterem occidi, quam facere tale peccatum : ét in me non sentio alium defectum, nisi quia sum ingratus de beneficiis Dei, nec sum sufficiens ad grates agendum Deo, qui me liberavit ab his peccatis, quæ faciunt multi alii. » O Deus! isti sunt similes Pharisæo [1], qui ascendit in templum ut oraret, cujus oratio fuit tota sui exaltatio super alios : sic et isti, qui debent se simpliciter accusare in confessione, se super alios laudant, narrando bona quæ faciunt; de superbia autem, et præsumptione, quæ latet interius, nihil dicunt. Sunt alii, qui confitendo peccata sua, totam culpam imponunt Deo. Sic enim dicunt : « Deus dedit mihi naturam ita perversam et promptam ad tale peccatum, quod non possum cavere. » Isti dicunt cum Adam, qui dixit [2] : *Mulier quam dedisti mihi*, et cætera; quasi dicat : « Si non dedisses mihi, non peccassem. » Sed isti aperte mentiuntur : nam, secundum B. Gregorium [3], diabolus non potest vincere nisi volentem, cum tamen de ipso dicatur [4], quod *non sit potestas super terram, quæ illius potestati valeat comparari :* ergo multo minus potest quis violentari a concupiscentia naturali. Sunt alii qui dicunt : « Fui deceptus a tali tentatione, quia Deus noluit me adjuvare, cum tamen sæpe jejunarem, et orarem, et ad ipsum recurrerem. » Isti non accusant pigritiam suam et negligentiam, qua noluerunt vitare occasionem peccandi, et perseverare in oratione. Asserunt enim Deum impium, mendacem, qui tamen dicit in Psalmo [5] : *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum.* Et alibi [6] : *Venite ad me omnes, qui laboratis.* Et alibi [7] : *Petite, et accipietis,* Et Apostolus dicit [8] : *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ultra illud, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum.* Sciant ergo, quod ideo relinquuntur a Deo, quia insipide et sine fide orant, nec volunt pugnare contra seipsos, nec perseverare patienter postulantes auxilium Dei, sicut decet; sed volunt habere gratiam statim sine labore, petentes etiam illam a Deo non humiliter, sed præsumptuose, tanquam non indigni, ac si esset Deus obligatus eis : orant ipsum cum securitate quadam, ut exaudiantur statim ut ipsi volunt, et non sicut ipse vult : sicque putantes ipsum ducere ad auxiliandum, potius provocant ad derelinquendum, quia superbe et præsumptuose accedunt ad ipsum. Causa ergo lapsus eorum est superbia et negligentia sua, quam debent simpliciter accusare.

CAPUT VI.

De occasionibus, quæ dantur aliis in peccando.

Sunt etiam in confessione explicandæ occasiones datæ aliis ad peccandum, quia omnium peccatorum homo est particeps, quibus occasionem præbuit malitiose, vel non malitiose. Unde confiteri debes, si malitiose, vel ignoranter dedisti alicui occasionem peccandi; nec nominare debes directe, vel indirecte, personam cui dedisti causam; sed sola occasio est dicenda. Peccatum vero, quod factum est ab alio occasione tui, potest

[1] *Luc.*, XVIII, 10. — [2] *Gen.*, III, 12. — [3] Greg., *Moral.*, lib. XXXIV, c. XVII, quoad sensum. — [4] *Job*, XLI, 24.

— [5] *Psal* XC, 15. — [6] *Matth.*, XI, 28. — [7] *Joan.*, XVI, 24. — [8] I *Cor.*, X, 13.

dici (a) explicite, quando est notum confessori, non illum qui fecit; alioquin dic solum qualitatem delicti, sic dicendo : « Feci fieri quoddam peccatum mortale, vel grave, propter talia verba quæ dixi, aut propter tale malum exemplum quod dedi. » Item, si habuisti turbationem cum socio in itinere, vel aliquo opere, aut propter socium dixisti male officium, quia male proferebat, non debes dicere : « Socius meus me turbavit tali facto, » aut : « Dixi male officium meum propter defectum socii mei; » quia sic accusas socium, in cujus notitiam confessor posset venire. Dic ergo : « Habui turbationem cum aliquo propter meam superbiam, quia ipsi dixi verba injuriosa, et ipsum provocavi ad dicendum mihi. » Et si est illius culpa, dic : « Habui turbationem cum quodam propter impatientiam meam, quia nolui supportare eum in charitate, propter aliqua verba ab eo dicta; » vel : « Dixi male officium cum aliquo in tali hora; et dictante mihi conscientia, ut redicerem, propter pigritiam meam non redixi. »

CAPUT VII.

De pollutione.

Si habuisti pollutionem carnis vigilando, dic causam expresse; si dormiendo, dic causam quam dedisse te credis. Causæ possunt esse cibus, et potus, et intemperantia diei præcedentis, aut alio modo. Et sic dicendo ipsam, dabis intelligere confessori vitium dierum præteritorum, ut sunt cogitationes inhonestæ habitæ ante dormitionem, quas explicare debes, potissime quando somnias ea quæ præcogitasti. Nec sunt recitanda somnia vitiosa, vel inhonesta, nisi ante cogitasses ea, aut post somnium, cum delectatione et mora, et motu carnis cogitasses : et hæc sunt dicenda magis, quia cogitata, quam somniata. Si vero somniasti habere aliquem actum impudicum cum persona ad quam habes sensualem affectum, aut quam ante conspexisti oculo impudico, hoc debes exprimere, ut causam illius somnii, et quia homo plus in talibus delectatur, et multi post somnium gaudent se talia somniasse. Ubi vero non fuerit aliqua ex prædictis causis vel similibus, nihil de somnio est dicendum, quia nulla culpa est ibi; et tunc sufficit dolere in corde, et ad quietandum conscientiam potes dicere : « Habui somnium inhonestum, cui si dedissem causam, quam nescio, tunc dico culpam meam. »

CAPUT VIII.

De causis pollutionis.

Secundum sanctos Patres, triplex est causa pollutionis nocturnæ. Prima provenit ex voracitate gulæ, et superabundantia cibi et potus : quæ est diligenter examinanda ab illis, qui vocati sunt ad spirituale exercitium. Nam quandoque accidit aliquos relaxari gula nimis aliquo tempore, et postea quando abstinent, polluuntur in somnis, credunt quod hoc non accidat ex culpa immoderantiæ, sed potius ex debilitate vel necessitate naturæ; sed errant, quia debent judicare et cavere, ne evenerit ex nimietate saturitatis præteritæ. Quod enim per voracitatem et ingluviem congregatum fuerat in medullis, necesse est ut aliquando per pruritum vel per insensibilitatem (b) corporis jejunio afflicti, egeratur. Propter quod non solum abstinendum est a delicatis cibis, verum etiam a vilibus (c) cum æquali temperantia continendum est; imo panis et aquæ satietas est timenda, ut possit in nobis acquisita puritas permanere. Isti ergo, qui nondum æqualis continentiæ et moderantiæ gratiam sunt adepti, non minus in præfatam pollutionem incidunt, quæ etiam hominibus abstinentibus sic accidit. Secunda causa est, quando per incuriam et immunditiam mentis elabitur. Nam mens spiritualibus exercitiis vacua, et disciplinis interioribus non intenta, sensu corporis, per vanas et immundas cogitationes evaga-

Tres causæ contingentis pollutionis nocturnæ.

(a) *Forte legend.* potes dicere. — (b) *Leg.* imbecillitatem. — (c) *Cæt. edit. add.* et.

tur, ex quibus merito culpæ eliciuntur humores : et ideo volentibus obviare, necesse est privare, et hanc causam eradicare, videlicet mentis torporem excutere, et sensus refrenare, ne mens ad vana et noxia discurrat, et excessibus illis assuefacta, ad immundissima incitamenta luxuriæ somnians perturbetur. Prædicta ergo negligentia acquirendi munditiam, et evitandi immunditiam, in confessione pariter explicetur. Tertia causa potest esse, quando illudentis inimici invidia pollutio procuratur. Dum enim videt sanctum virum, qui per sollicitam victus moderationem, integram, et perfectam, ac frequentem peccatorum confessionem, perpetuam munditiæ puritatem acquirere conatur, ejus conscientiam perturbare nititur, maxime diebus illis, quibus desiderat divino aspectui (a) complacere, fluxus illius emissione polluere procurat, ut sic a sancta communione retrahatur. Quibusdam vero contingere dicitur ex debilitate naturæ, quæ non est ita fortis et valida, sicut antiquitus dicitur extitisse. Hanc causam potest quis in se ipso advertere, quando in illo turpi, moderamine victus, frequentius plus solito polluitur absque turpis somni interventu, sicut ego quosdam cognovi hac peste certis temporibus ter et quater in hebdomada sordidari, quamvis non minus prædictæ illusioni possit ascribi.

CAPUT IX.

Qualiter post pollutionem licet, vel non licet accedere ad divina.

Secundum sanctorum Patrum sententiam, vigilanti circumspectione cavendum est ad communionem salutaris convivii accedere, tempore quo sentimus nos somnii illusione pollutos. Sed si hostis invidus taliter menti nostræ illuserit, ut nobis cœlestis remedii subtrahat medicinam, dummodo nullus reprehensibilis interveniat pruritus aut oblectationis assensus, si fluxus iste fuerit naturali necessitate profusus, aut impugnatione hostis antiqui procuratus, et absque sensu voluptatis adductus, debemus ad gratiam salutaris cibi nihilominus accedere confidenter. Quod si creditur evenisse occasione vitiosa, die illa debent se humiliter subtrahere ab altari, ne in nobis verificetur sententia Apostoli[1] : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini;* id est, non faciens differentiam inter perceptionem cibi cœlestis, et carnalis, nec judicans ipsum corpus Domini esse tale, quod (b) non nisi pura mente, et carne liceat manducare. Et ideo subinfert idem apostolus[2] : *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi;* quasi dicat : Multi, ex hac præsumptione et manducatione indigna, spiritualiter *infirmantur*, et somno mortali *dormiunt* multi per peccatum, quod ex ipsa indigna manducatione, et sumptione incurrunt. *Probet* ergo, id est examinet seipsum homo, antequam sacramentum percipiat; et diligenter se videat, utrum sit mundus, vel immundus, utrum devotus, vel indevotus, utrum reverens, vel irreverens, utrum timens, vel præsumens accedat, etiamsi certus sit, vel certum se putet, quod non sit vitiose pollutus, vel aliquo modo mortali peccato infectus. Non enim debet, volens istum cœlestem panem sumere, esse contentus se non habere peccatum mortale, neque præcedenti nocte vitiosa occasione fuisse pollutum, quia licet hæc duo quemlibet reddant ipso cibo indignum, alia tamen plura sunt quibus se homo debet ab hoc cibo subtrahere reverenter, quæ explicare non audeo, quia a sanctis et doctoribus ipsa expressa non reperi, atque illustratione (c) gratiæ Dei, ea securius simpliciter relinquenda decrevi. Id tamen, quod pro me ipse retineo, est verbum illius, qui hoc sacramentum instituit, quem non credo illud frustra protulisse; dixit enim[3] : *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Ex quo quidem verbo arguo mihi ipsi, quod quoties volo id agere quod ipse

(a) *Cæt. edit.* aspectu. — (b) Esse quale tale. — (c) *Forte legendum* illustrationi.

[1] I *Cor.*, XI, 29. — [2] Ibid., 30. — [3] *Luc.*, XXII, 19.

instituit, et modo prædicto reliquit, timeo nequaquam sine remorsu conscientiæ, ac præjudicio animæ ad illud posse accedere, nisi præmemorata ipsius instituentis charitate, ac ejus passione et morte, in cujus memoriam perpetue recolendam illud sacramentum debere confici et percipi ipse præclare asseruit et injunxit. Considerans insuper circa hujus sacramenti primordia lotionem pedum factum, non absque mysterio et sacramento, ibique dictum fuisse a Domino[1]: *Si non lavero te, non habebis partem mecum :* agnosco per hoc, et judico, non sine præsumptionis et gravis offensæ periculo, aliquem velle habere partem secum ipsum sacramentum sumendo, non præhabita alicujus spiritualis gratiæ lotione, quam non solum per compunctionis lacrymas puto fieri, verum etiam per interiorem mentis devotionem, et fidem in qua ipse Dominus vocat, et invitat animam, et trahit, et quodammodo cogit ad ipsum cibum angelicum et cœlestem. Unde et ipse dixit illis, quos laverat[2] : *Jam mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis.* Non dixit : « propter aquam qua loti estis, » sed : *propter sermonem.* Hoc autem est verbum fidei, quod (*a*) prædicamus secundum Apostolum[3]. Unde in *Actibus Apostolorum* legitur[4] : *Fide purificans corda eorum.* Hanc autem devotionem et fidem celebrantis, seu sacramentum sumentis, credo esse illam, quæ celebrat, et quæ facit ips m sacramentum percipi cum effectu, sicut et verba Christi sunt illa quibus consecratur, et transsubstantiatur panis et vinum in corpus Christi, et sanguinem. Quam quidem devotionem voco Dei gratiam, quæ prævenit et disponit, subsequitur et infunditur (*b*). Ad hoc ergo sacramentum, cum instantia ferventis et assiduæ orationis, procuremus modo prædicto vocari a Domino, videlicet præhabita ipsius memoria, atque compunctionis, et devotionis, et fidei lotione : ad quæ præparari nos oportet per mentis et corporis munditiam, et per linguæ ac sensuum refrenationem, et per nostrarum passionum continentiam et moderationem.

CAPUT X.

De fluxu libidinis.

Prætermittendum quoque non est, quod quibusdam contingit interdum conscientiæ dubietas et perturbatio magna, unde ipsis vigilantibus, absque ulla commotione carnis et cogitatione immunda, humor quidam per membrum secretum egreditur sine delectatione, et quasi insensibiliter, ita ut multi de hoc aliter non perpendunt, nisi cum pannos senserunt madefactos. Cujus causa aliqui ignorantes turbantur et errant, putantes se esse pollutos. Et ideo sciendum est, quod illius humoris effusio non est pollutio, quia, ut dicunt medici, sine libidinosa delectatione et carnis motione nullus potest pollui vigilando. Ad ipsius tamen effusionem humoris videtur naturalis conditio causam exhibere primariam; sed deinde id quod ad naturam (*c*) disponit, causa vitiosa et inevitabilis perficit et consummat. Quibusdam hoc provenire agnovi propter solam præsentiam et allocutionem personæ alicujus, in cujus aspectu habuit complacentiam sensualem et vanam, seu ad quam inordinato amore afficitur, aut per tactum impudicum levem, aut imaginando aliquos actus impudicos fortiter et morose. In his enim casibus, et similibus, multi inveniuntur habere calefactiones et commotiones carnis libidinosas, dictumque humorem emittere, velint, nolint. Sed eas causas, et similes, quæ sunt evitabiles, debet quilibet fugere et evitare pro posse, maxime qui sentit de hoc se passionatum, seu ad hoc naturaliter inclinatum, sive ex vitio mentis, sive ex debilitate naturæ : et qui occasiones hujusmodi non evitaverit juxta posse, relinquendo amicitiam et familiaritatem personarum, ad quas inordinate affi-

[1] *Joan.*, XIII, 8. — [2] *Joan.*, XV, 3. — [3] *Rom.*, X, 15. — [4] *Act.*, XV, 9.

(*a*) *Cæt. edit.* quo. — (*b*) infundit. — (*c*) *Leg.* id ad quod natura.

citur, fugiendo etiam allocutiones et aspectum personarum, licet non credam ipsum per dictam effusionem peccare mortaliter, nisi forte aliter concupisceret, aut impudice tangeret personam, quæ est causa illius defectus, tamen credo eum graviter peccare, et magno peccati mortalis periculo subjacere. Et ideo consilium do tibi, vel tali, quod absque dilatione morosa ipse sibi violentiam faciat in hac parte, fugiendo personas hujusmodi, atque cum eis omnem opportunitatem loci et temporis evitet. Hic itaque prædictus fluxus, qui a quibusdam vocatur libido, si potest evitari ipsius occasio, et si studiose non evitatur, est omnino confitendus cum suis occasionibus, et negligentia habita circa ipsas. Si vero contingat ex causa, quæ vitari non potest, sicut quando audiuntur verba impudica a casu, vel loquitur cum persona, vel sedet juxta eam, de cujus præsentia habet complacentiam vanam, et ab ea separari non valet: in his et similibus credo sufficere, quod tam de occasione habita, et impotentia vitandi, quam de fluxu illius libidinis dolor est simpliciter habendus. Quia tamen dubitare in talibus, quæ spectant ad conscientiæ puritatem, est quandoque valde proficuum, poteris hoc confiteri propter quietudinem mentis, et pacem, quamvis expedire non credam.

CAPUT XI.

De complacentia habita in memoria peccati.

Morosa cogitatio quando sit confitenda.

Sciendum est, quod quando cogitas de injuriis receptis, et in illa memoria turbaris intra tecum aliqua mora, et appetis vindictam fieri, aut factam esse, aut doles quod non fuit facta per te, aut per alium, aut imaginaris aliqua facere, aut aliquem modum (*a*) tenere animo vindicativo : hæc omnia sunt confitenda, et alia quæcumque similia in mente tua ratione istius injuriæ. Si autem rememorando male præterita, quæ fecisti, non habes (*b*) dolorem, sed potius delectationem in eis, et propter hanc delectationem facis moram ibidem, non credo expedire, quod specifices ipsa peccata rememorata, si alias integre confessus es. Et si non habuisti aliquam delectationem in mente, sufficit tibi dicere : « Mihi venerunt ad memoriam quædam vindictæ, vel injuriæ quas feci, vel quædam peccata gravia quæ commisi, de quibus non solum non habui dolorem in tali cogitatione, sed de ipsis cum multa complacentia cogitavi. » Et si aliud tibi occurrit in carne, vel in mente, propter dictam complacentiam, quod tibi videtur aggravare peccatum, ipsum etiam debes confiteri. Verbi gratia, si de peccato luxuriæ per te facto habuisti memoriam, et de hoc habuisti motum carnis, et pœnitudinem quia ipsum peccatum non fecisti pluries, vel cum pluribus; tunc enim debes sic dicere : « Ex imaginatione quam habui de quodam peccato luxuriæ, habui motum carnis, et complacentiam in mente, et appetivi illud fecisse multotiens, et cum multis personis. Et sic non oportet te indicare confessori, te jam fecisse illud peccatum, nisi forte alias indicasses eidem, et nisi pro majori humilitate et merito velis ipsum ei simpliciter explicare. Si autem recordaris te habuisse opportunitatem faciendi aliquod peccatum, quod non fecisti, et in ista recordatione non gaudes te evasisse illud peccatum, nec grates agis Deo, quia custodivit te ab ipso, et abstulit opportunitatem et voluntatem faciendi ipsum, omnia ista sunt plenius referenda : videtur enim hæc magna ingratitudo, et peccati commissio voluntaria. Sed si in prædicta recordatione peccatorum, et maxime carnalium, non posses vitare complacentiam et motus carnis, dum velles eam studiose recolere causa te ipsum excitandi ad compunctionem et dolorem, consulo tibi, quod non ea specialiter recolas, nec etiam alia peccata, quæ non potes sine complacentia recolere, sicut est vindicta facta per te, vel per alium, de inimico tuo, aut

(*a*) *Cæt. edit.* motum. — (*b*) *Cæt. edit.* haberes.

damnum, vel mors, quia aliquem occidisti. Debes ergo omnia peccata tua, si vis confiteri generaliter, sub duobus, scilicet superbia et delectatione carnis, confiteri, dicendo sic, corde meditando et ore proferendo : Dico meam culpam de superbia, quam habui contra Deum, et proximum irascendo, invidendo, alios provocando, mundi gloriam appetendo, proximos judicando, Dei creaturas contemnendo, meipsum bonum reputando, et alios vilificando, de Dei operibus, ac judiciis, et ejus permissionibus murmurando, bonas ejus inspirationes et omnia ejus beneficia negligendo, impetus vitiosos sectando, blasphemando, et nomen Dei in vanum proferendo, et linguam meam contra veritatem per mendacia, et simulationes, per duplicitates, adulationes, per juramenta, et multa alia verba vitiosa, loquendo otiose, acediose vivendo, de me nimis confidendo, de fide dubitando, de occultis Dei operibus rationem præsumptuose quærendo plus quam oportet sapere de Deo et proximo, et de hoc sæculo multa scire cupiendo, gratiam Dei non humiliter affectando, dona Dei occultando, temerarie propalando, non in veritate, sed in hypocrisi et falsitate coram Deo et hominibus ambulando, et multa alia per superbiam mentaliter et corporaliter exercendo.

Compendiosa confessio.

Postquam confessus es, dic animo tuo, maxime quando vides te morti proximum : O anima mea, egressus tuus appropinquat, et prope est terminus tuæ superbiæ, et prope est finis delectationis hujus mundi, et miseriæ carnis tuæ, quam (*a*) delectationibus carnalibus pertulisti, plus ipsas amando quam Deum, plus sibi complacendo quam tibi, plus laborando pro ipsa quam pro te, plus obediendo ejus concupiscentiis, quam divinis inspirationibus et consiliis, scilicet dum contendisti satisfacere sibi in delectationibus gulæ et luxuriæ, multis et diversis modis, opere et voluntate, atque satiare ejus visum, auditum, gustum, tactum et odoratum, quantum et qualiter potuisti; consensisti, amore ipsius carnis, amittere partem maximam tui temporis, superflue dormiendo et quiescendo, in multis operibus vitiosis (*b*) occupando, in nimia cura, et sollicitudine rerum temporalium et corporalium te exercendo, plus propter avaritiam et delectationem, quam propter necessitatem; consensisti ejus pigritiei, quam habuit semper ad operandum bonum, et ejus sollicitudini, quam habuit ad peragendum malum quod potuit. In his fuit vita mea; in his expendi tempus meum. Ubi ergo es, o vanitas mea, et superbia mea? Quo perrexistis, delectationes carnis meæ? Quid mihi attulistis? Quid mihi reliquistis pro subjectione et obedientia, qua vobis tot annis deservivi? Pro vobis commutavi vitam æternam, amisi Deum, acquisivi infernum, perdidi gaudia infinita, et lucratus sum lamenta æterna; privatus sum societate sanctorum et angelorum, et merui fieri socius civium infernorum. Considera ergo, o anima mea, qualem te fecit Deus, quia ad imaginem et similitudinem suam; et modo sic es denigrata peccatis, nec aliquam virtutem in te agnoscit. Considera in te imaginem tentatoris tui, qui te depinxit colore superbiæ, gulæ, luxuriæ, avaritiæ, vanæ gloriæ, invidiæ, acediæ, et ingratitudinis, negligentiæ, et odii, et vindictæ; tibi suasit contemptum Dei, et apposuit amorem sæculi, te induxit contra proximum ad murmurandum, judicandum, decipiendum, despiciendum, detrahendum, et aliorum defectus ponderandum, et tua gravia vitia non videndum. Non video igitur, o anima mea, nisi ut provoceris ad gemitum, fletum, planctum, tristitiam et lamentum, et clames humiliter et ferventer ad Dominum [1] : *Domine, ne in furore tuo arguas me*, etc.; *Miserere mei, Deus*, etc.

Pro moribundis documentum.

(*a*) Quas. — (*b*) *Cæt. edit. add.* ac.

[1] *Psal.* VI, 2, 3.

CAPUT XII.

Qualiter cogitationes inhonestæ sint confitendæ.

Plerique dubitant, si cogitationes inhonestæ sint exterius explicandæ. Credo quod hoc sit puritatis, et perfectionis, et magni meriti; sed non credo esse necessitatis semper, nisi quando, ex nimia mora facta in cogitatione illa, homo sentiret se inclinari ad faciendum et perficiendum cogitatum, si haberet opportunitatem quam vellet, aut si pollueretur ex illa vehementi cogitatione morosa, aut si inordinate afficeretur ad aliquam personam, et de ipsa multum molestaretur in cogitatione, habendo motus carnis, et imaginando habere aliquos actus impudicos cum ipsa persona. Hunc enim affectum inordinatum debes exprimere, cum cogitationibus et motibus carnis procedentibus ex ipso affectu, dicendo sic : « Habui affectum sensualem et inordinatum ad quamdam mulierem, vel quemdam (a) juvenem talis conditionis, et hunc affectum concepi ex complacentia habita in aspectu, vel collocutione, ac præsentia corporali ipsius, de ipsa, vel de ipso tot vicibus. Habui etiam tot vicibus imaginationes turpes, respiciendo oculis corporeis, vel mentalibus, vel faciem, vel aliam partem corporis ejus, et imaginando cum ipsa persona habere amplexus et oscula, vel talem actum impudicum. Et in his feci moram per magnum spatium, habendo ibi motus carnis libidinosos; et specialiter mihi accidit in oratione, aut missa; et semper fui negligens laborare pro posse ad expellendum talia per potentiam, propter nimiam delectationem quam habebam ibidem, nec curavi, quantum potui, refrenare oculos ab aspectu illius personæ, quando fuit præsens. Quicumque igitur tales, vel tali modo, cogitationes et affectiones exprimeret vitiosas, ab eis cito liberaretur, dummodo cum tali confessione continuaret orationem, et custodiam sensuum, quia dæmon non potest sustinere humilitatem confessionis puræ, cum sit superbus, et immundus, et omnis humilitatis et munditiæ inimicus. Et ideo non est melior et facilior via ad evadendum tentationes luxuriæ et superbiæ, quam omnes cogitationes vitiosas, cum suis circumstantiis concurrentibus in carne vel mente, sæpe et clare detegere confessori, et toties exprimere, quoties renovantur.

(a) *Cæt. edit.* quamdam.

CAPUT XIII.

De motibus carnis.

Quando tentatio carnis confessioni sit obnoxia.

Sciendum est, quod motus carnis, qui non provenit ex cogitatione impudica, absque voluntate et sine causa, scilicet visus vel auditus, sine aliqua causa extrinseca inhonesta, sine dubio provenit ex nimia repletione prius facta in cibo et potu. Quidam tamen putant, quod proveniat ex nimia vigilia : quod potest esse, maxime quando constat eis, quod non provenit eis ex aliqua causa prædicta : et ideo oportet hominem esse parcum in diæta quoad qualitatem et quantitatem, quando de talibus molestatur contra voluntatem et displicentiam suam. Nam intra corpus oritur causa, quia, secundum Hieronymum, « venter et genitalia proxima sunt. » Et hoc intelligo, quando non sunt a causa exteriori. Et tunc oportet cavere ipsum ab aspectibus, collocutione et approximatione personarum, in quarum præsentia sentit se sensualiter delectari ; alioquin ille, qui videtur motus naturalis, fieret vitiosus. Et quamvis sit securum non confiteri tales motus procedentes sine causa vitiosa, quorum intemperantia videtur causa, dum tamen per ipsos non turbetur amor et desiderium puritatis in corde, et corporalis castitas non maculetur in corpore : si vero procedunt a causa vitiosa, confitendi sunt, et causæ locus et tempus, et mora contracta in eis, et vices motuum, sicut supra de circumstantiis peccatorum dictum est. Non enim sufficit generaliter dicere culpam de motibus; sed debes dicere sic :

« Dum essem in ecclesia, vel oratione, vel missa, vel sermone, cogitavi talem actum turpem, aut habui memoriam alicujus personæ, in cujus aspectu jam habui vanam complacentiam, aut inordinatum amorem, aut aspexi in ecclesia talem personam cum complacentia impudica, cujus causa habui motus carnis impudicos toties, et per tantam moram. » Et si dixisti illi personæ tibi gratiosæ aliqua verba prolixe, aut fecisti aliquod servitium malitiose, ut scilicet haberes complacentiam libidinosam, et motus carnales per majorem moram, totum confiteri debes, nisi de ipsius præsentia delectationem non habuisses.

CAPUT XIV.

De periculo familiaritatis dominarum.

Quoniam multi videntur negligere, ut agnoscant affectiones suas vitiosas, et per consequens non curant confiteri, cum tamen diligenter sint perscrutandæ, et cum vitiis orientibus ex ipsis exprimendæ, ideo prætermittere non intendo : quia multi affi- ciuntur nimis ad seipsos, quidam ad alias personas, quidam ad honores, quidam ad divitias temporales. Et quia hæc sunt sicut murus inter Deum, et animam, ideo nullus hominum habens aliquid de prædictis, potest in via Dei proficere, nec habere puram orationem, et maxime quando est carnalis affectio ad personam. Et de hac intendo modo loqui. Nam talis affectio multos spirituales, sub specie amicitiæ spiritualis, a statu orationis impedit et impedivit. Hæc est inquietudo mentis pestifera, orationem mentis et oris inficiens, et dispergens, et affectus contrarios orationi in mente generat et exercet. Nam sicut oratio pura mentem purificat, et illuminat, lætificat, et fortificat, et impinguat, sic carnalis affectio, et immunda, mentem inficit, et obscurat, contristat, debilitat, et desiccat, et corpus ejusdem maledictionibus implicatur. Et quoniam spiritualibus loquor, propter quos illa scribo, noverint ipsi quod licet carnalis affectio sit omnibus periculosa et damnosa, ipsis tamen magis perniciosa, maxime quando conversantur cum persona quæ spiritualis videtur. Nam quamvis horum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, et malum occultum bono colore depictum. Quæ quidem familiaritas, quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motivum, et utriusque puritas maculatur; non tamen de hoc statim perpendunt, quia sagittarius ille a principio non mittit sagittas venenatas, sed solum aliqualiter vulnerantes, et amorem augmentantes. Ad tantum vero in brevi deveniunt, ut jam non velut angelos, sicut incœperant, se invicem alloquantur et videant, sed tanquam carne vestitos se mutuo intueantur, et saucient mentes quibusdam commendationibus, ac verbis blanditoriis et adulatoriis, quæ videntur ex prima devotione procedere ; exinde unus incipit alterius appetere præsentiam corporalem, quia forma vel species corporum, in utriusque mente concepta, incitat eos ad volendum præsentiam corporalem, quasi insit eis præsentia mentalis, sicque spiritualis devotio paulatim convertitur in corporalem et carnalem, et sic ipsorum mentes, quæ solebant in oratione cum Deo absque intermedio loqui, tunc inter se, et Deum, alter alterius ponit corporalem effigiem, quam velant et obtenebrant, ponentes sibi ipsis faciem Dei cum facie creaturæ. Et non minus horrendum est, cum ii proprium errorem percipere et emendare deberent, potius in nutrimentum erroris, totum illud judicant ex maxima charitate procedere, cujus merito, puto, et sibi invicem mentientes referunt, quod in oratione unus alteri præsentatur, quo oratio reddatur delectabilis, ac si pro se invicem orare cogantur gratia et virtute divina, ac per hoc consolationem simpliciter sensualem, quam habent in illa præsentatione de ipsis facta in oratione præ-

Variæ et noxiæ inclinationes hominum.

Spiritualis cautela.

dicta, æstimant, et affirmant, ac asserunt, esse spiritualem gratiam et divinam. Quales autem illusiones recipiant a sagittario supradicto specialiter mulieres, quæ citius fidem adhibent illusioni mentali, esset horribile, et quasi impossibile declarare. Sentiunt namque in oratione prædicta, et præsentatione mentali, calorem quemdam ignitum a sagittario illo jactum, quem credunt et dicunt esse ignem charitatis a Spiritu sancto immissum, volentem conjungere spiritum unius spiritui alterius vinculo charitatis, cum tamen sit ignis libidinosi amoris, prout frequentia exempla manifestant, et inde deliberant se, tanquam spiritualiter unitos, posse securius, prolixius et sæpius simul loqui, atque in hoc tempus non perdere, sed lucrari. Proinde modos mirabiles et insolitos, et cautelas adinveniunt, quibus procurant simul colloqui et frequenter, allegantes unus alteri causas utilitate et necessitate depictas, cum tamen in veritate nihil aliud sit causa, nisi onus cui ratio succumbit. Sic itaque carnali concupiscentia excæcati, tempus, quod olim in oratione consueverant expendere, ac spiritualiter occupare, tunc in hujusmodi familiaritatibus et colloquiis perdunt, et sic (quod dolendum est) allocutiones divinas pro carnalibus commutantes, amodo igitur (nisi mora serotina cogente, aut alia inevitabili causa) non possunt ab invicem discedere, et tunc inviti et tristes discedunt. Hæc autem tristitia est certissimum indicium, quod carnis vinculo sunt alligati: et per hoc visitationes et consolationes divinæ a carnalibus et diabolicis discernuntur. Denique quamvis se multis exponant periculis, et multa mala incurrant, dum eorum obtenebratis conscientiis judicant quædam sibi tanquam spiritualibus esse licita, quæ fieri nequeunt absque periculo et peccato; putavi tamen melius esse non multa, de hoc, calamo exarare. Hæc tamen tacere non valeo, quin aliqualiter referam, maxime quia non longe a temporibus istis similia contigerunt. Tandem spirituales prædicti quandoque se deduci permittunt, ut se invicem familiariter tangant sub specie charitatis, reserantes sibi invicem immensum cordis amorem, quod impudenter charitatem appellant. Sed in hac reseratione amoris est summum periculum, quia ex hoc fabricantur sagittæ, quæ mentes eorum vulnerant mortaliter, ac venenant. Et quod super omnia videtur mihi horrendum, Deo, Angelis, hominibus et dæmonibus fuerunt jam aliquæ, spirituales nomine, spiritu luxurioso imbutæ, quæ in excusationem suæ libidinis præsumpserunt dicere, se habuisse in illis actibus impudicis magna sentimenta de Deo: quod nihil aliud judico, nisi quoddam incitamentum et inductivum ad similia securius iterandum, et pejora perpetrandum. Dic mihi, qui talibus credis et adhæres: si isti sunt vere spirituales, ut asseris, quid aliud loqui, aut facere deberent, nisi quod a Spiritu sancto procedere potest, vel procedit? Ab illo autem nihil procedit noxium, sed solum quod est utile et honestum. Quid enim ad Spiritum sanctum de talibus osculis? aut qualem honorem inde consequitur Deus? et quæ utilitas, aut quæ necessitas tibi ad salutem, vel alteri, ut hos tactus facias, vel patiaris? Quæ conventio spiritus ad libidinem carnis? Quæ igitur præsumptio tua, ut hanc contumeliam inferas Spiritui sancto, scilicet attribuendo sibi tuæ impudicitiæ fœtorem, quem vix dæmones patiuntur? Quæ, inquam, temeritas tua, mulier hypocrita, a facie Dei projecta, ut dicas delectationem carnis libidininosam esse gratiam et consolationem divinam? Recede ergo, fera pessima, de finibus meis, quia dæmones nequeunt tuam præsentiam sustinere. Hæc itaque, fratres carissimi, non incongrue huic operi sunt inserta, ut sciat unusquisque quod hæc venenosa affectio, sub colore spiritus acquisita, summe impedit puritatem confessionis, et cordis munditiam, ut sic hanc fugiat tanquam vitiosam rubiginem, quæ vix potest aboleri de mente, si

alicui fuerit applicata, præcipue quia tales personæ, quandiu sunt hac sagitta percussæ, quasi nunquam pure et integre confitentur, eo quod ipsum morbum despicabilem in persona spirituali verecundantur toties detegere plene et integre confessori, quia verentur exprimere aliquas circumstantias tali affectioni annexas, quas vel tacent, vel imperfecte exprimunt, utentes verbis operientibus dictum morbum, sicut sunt occupatio mentis quasi continua circa personam dilectam, et in oratione, et cunctis actibus suis, et imaginationes turpes de ipsa vana complacentia cordis, in memoria et aspectu mentali ipsius, et negligentia in evitando ejus præsentiam et colloquium, et alia quæ experiuntur ipsi : propterea sæpe mutant confessorem, aut vellent mutare, si possent. Sicque tristes sunt et acediosi frequenter, tam ratione affectionis fluctuantis in mente, quam ratione confessionis imperfectæ, de qua ipsimet non contentantur, seu quod pejus est, cum ipsi deberent quærere medicos spirituales cautos, et peritos, ac expertos, qui scirent illam ægritudinem et causas ejus agnoscere, et congruum remedium adhibere, non solum non faciunt, sed potius, si semel ad aliquem talem pervenerint, ipsum ex tunc fugiunt, nec revertuntur ad ipsum. Quærunt ergo confessores idiotas et simplices, qui nec morbum intelligunt, nec causas ejus agnoscunt, et ideo nec sciunt congruam adhibere medelam. Tantum de hac materia dixisse sufficiat, ut per hoc confidenter animentur per viam puram et immaculatam incedere, et fugere periculosam pestem, familiaritatem mulierum spiritualium, quæ non melius, quam fugiendo vitatur. Satis enim posset quis hac sagitta percussus se jejuniis, vigiliis ac disciplinis affligere, et orare : quod si non fugiat personam, et omnem occasionem despiciat, nunquam curabitur ab illo morbo, sed magis augebitur illud vulnus. Propter quod sequamur consilium beati

Familiaritas fœminarum spiritualium maxime vitanda.

Hieronymi dicentis [1] : « Feminam quam vides bene conversantem, mente dilige, non frequentia corporali : quia initium libidinis est in visitatione mulierum, et mundus cum mulieribus non melius vincitur, quam fugiendo, quia cæteris vitiis et morbis quis potest resistere, huic tamen non potest, nisi per fugam. » Et alibi : « Si mulier potuit vincere eum, qui jam erat in paradiso, non est mirum, si eos impediat, qui nondum ad paradisum pervenerunt. » Et iterum [2] : « Solus cum sola non sedeat in secreto, absque arbitro et teste. » Et idem [3] : « Ne sub eodem tecto solus cum muliere manseris, nec in præterita castitate confidas, quia nec tu Samsone fortior, nec Salomone sapientior. » Si forte dicas : Jam corpus emortuum est, dico tibi, quoniam diabolus vivit, cujus flatus prunas extinctas ardere facit. Idem dicit : « Omnes virgines Christi, et puellas, aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora. » Item beatus Augustinus dicit : « Sermo brevis, et rigidus cum mulieribus est habendus; nec tamen, quia sanctiores fuerint, ideo minus cavendæ. Quæ enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt, et sub prætextu blandi sermonis, immiscent se vitiis impiissimæ libidinis. Crede mihi, Episcopus sum, in Christo loquor, non mentior. Cedros Libani, id est, contemplationis altissimæ homines, et gregum arietes, id est magnos prælatos Ecclesiæ sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Hieronymi et Ambrosii. » Sic ait Bernardus [4] : « Quotidie conversari vis cum muliere, et continens putari? Esto quod sis, maculam tamen suspicionis portas. Scandalum mihi es, tolle materiam, et causam scandali, quia [5] *Væ homini illi per quem scandalum venit.* »

[1] Hieron., *ad Ocean.*, *de vit. Cleric.* — [2] Id., *ad Nepotian.*, epist. II. — [3] Ibid., paulo ante. — [4] Bern., *in Cant.*, hom. LXV. — [5] *Matth.*, XVIII, 7.

CAPUT XV.

De verbis vitiosis.

Sciendum, quod verba vitiosa et gravia distincte sunt confitenda secundum differentias suas, cum circumstantiis et occasionibus earumdem.

De peccatis linguæ. 1. De murmuratione[1], quæ fit quando narratur defectus personæ absentis, si confiteri habes, dic utrum vere, vel false, et propter quam causam, scilicet propter odium, vel vindictam. Si induxisti, vel inducere cogitasti aliquem ad hoc, vel despexisti ex hoc, si alicui ex hoc nocuisti, vel alicui audienti generasti odium de illo, de quo dixisti, vel aliquid male accidit, aut accidere desiderasti. Non ergo sufficit dicere: « Multotiens murmuravi, et de multis, » nisi ista explices. Non tamen dicas defectum, de quo murmurasti, si est verus; nec nomen personæ; sed dicatur qualitas personæ aggravans (*a*) peccatum, sicut si de patre tuo, de sancto viro, de prælato, et propter quam causam. Et si defectus est falsus, confitere defectum et personam cui falsum imposuisti; et debes revocare coram illis, quibus propalasti, maxime si defectus esset gravis. Sunt tamen quidam, qui ut minus displiceant confessori, exprimunt personam cui fecerunt injuriam, vel de qua murmuraverunt, quando ipsa persona mala reputatur, quasi ab omnibus, vel præ omnibus odiosa, ut per hoc judicentur minus peccasse. Sed hoc est vitiose dictum, quia debent in cordibus suis reputare, et per confessionem ostendere seipsos esse pejores, quam illa persona sit, quam in sui excusationem nominare præsumunt. Quidam adhuc pejus faciunt, qui ut placeant confessori, personam exprimunt de qua murmuraverunt, vel offenderunt, auferendo rem, vel impediendo ejus bonum, quia sciunt illam personam displicibilem confessori. Isti gravius peccant sic confitendo, quam sit peccatum confessum, quia contra charitatem proximi dupliciter peccant, quia faciunt confessorem de peccato gaudere quod confitentur, et injuriam inferunt alteri: et sic non dolent de peccato confesso, sed potius gaudent putantes per hoc captare benevolentiam de detractione, quod gravius est, licet detractio sit quasi quoddam spirituale homicidium occultum. Sicut quando aliquis audit aliquem laudari de aliqua virtute et sufficientia, conatur auferre de corde laudantis, aut cujuslibet audientis, illam bonam opinionem, quæ habetur de illo, negando illud, et potius defectum istius declarando, aut hypocritam appellando, quia dicit, quod quidquid facit, pro humana laude facit. Hoc autem vitium committitur propter invidiam, aut vanam gloriam. Nam detractor quærit laudari super alios, et potissime super illum cui detrahit, aut timet minus reputari, quam ille qui laudatur : et inde oritur grave peccatum, quia affectat mortem, aut expulsionem, aut tribulationem, aut casum illius de cujus laude tristatur, et statim sunt dispositi ad audiendum hoc de ipso cum gaudio. Quod vitium nonnullos spirituales pulsat, qui nondum Paracletum receperunt. Quidam autem ore non murmurant, nec detrahunt, ne et ipsi despiciantur, aut de ipsis murmuretur; appetunt tamen illud fieri ab aliis. Et omnia talia, cum motivis et causis, sunt integre confitenda.

2. De duplicitate, quæ mendacium dicitur, quæ est quando lingua et intentio non concordat, quia facit intelligi et credi quod non est. Tales quandoque sunt duplicitates proditoriæ, sicut in Juda, quando dixit[2]: *Ave, Rabbi:* isti mel in ore gerunt, et retro pungere quærunt : nam post osculum fecit capi Christum.

3. De simulatione, quæ est in verbis, signis et operibus exterioribus, cujus contrarium est in mente : hoc est proprium hypocritarum. Est autem simulatio, falsitas veritate depicta; vel est vitium verbis et actibus Varia hypocritarum simulatio.

[1] Sub hoc nomine murmurationis intellige detractionem. — [2] *Matth.*, XXVI, 49.

(*a*) *Cæt. edit.* aggravantis.

virtuosis opertum. Simulatio in verbis est quando te dicis insipientem et vitiosum, ut per hoc humilis reputeris, et humilia præeligis, ut non credatur, quod virtuosus et sufficiens reputari velis; si autem non virtuosus reputeris, tunc turbaris. Est ergo humilitas in verbo, superbia in mente. Simulatio in opere est, quando fit actus virtuosus, ut solum fama acquiratur. Simulatio in signo est, quando prætenditur honestas in sensibus, et cor plenum est inhonestate, nec trahitur quis ab opere malo, nisi quia caret opportunitate quam vellet. Sic quidam religiosi de die, quando videntur, ut reputentur sancti et honesti, sensus suos valde componunt, et maxime in officio et choro inclinationes profundas et similia faciendo, sed de nocte nulla signa devotionis ostendunt, dum non sentiunt se videri. Sic quidam se macerant abstinendo, ut spirituales appareant et judicentur. Aliqui exterius apparent patientes subridendo, qui tamen pleni ira et tristitia dolent de injuria eis facta : et sic omnis hypocrita est simulator, duplex et falsus, et per consequens inimicus et proditor veritatis. Et ideo, quia huic vitio multa sunt annexa alia, cum diligenti examinatione debent in confessione evomere virus suum.

4. Mendacia sunt secundum species suas confitenda, quia quædam sunt aliis noxia, et hæc sunt graviora non noxiis; quædam deliberate prolata, graviora a casu prolatis; quædam jocosa ad gaudium provocantia, quæ tamen a viris perfectis sunt arcenda. Qui vero dicunt mendacium per quamdam inadvertentiam, sicut narrantes historias, aut multum, aut prolixe loquentes, debent confiteri quæ noscunt falsa. Qui vero in prædicationibus narrant miracula non vera, aut historias derisivas, seu fabulas, aut textum Scripturæ sacræ trahunt indebite, ut coaptent verba, male faciunt, et debent confiteri, quia tot veritates sunt in Scriptura, quæ possunt dici, quod non oportet taliter facere, quoniam mendaciis non eget Deus.

Adulatio. 5. Adulatoria, ut sunt verba blanditoria ad complacendum, vel ut commendetur, vel ut benevolus fiat, vel servitium recipiat, sunt confitenda tanquam mendacia, exprimendo intentionem quam habuit in prædictis, et potissime qui adulantur gestibus corporis, et actibus manuum et oculorum, ut ostendant affectionem et compassionem ad aliquem, quia omnes tales sunt mendaces et falsi.

CAPUT XVI.

Eruditio utilis ad omnia supradicta.

Ut autem scias melius confiteri, studeas saltem semel in die examinare quomodo tempus expendisti, et discurre per singulas horas, cogitando loca in quibus fuisti, cum quibus personis, quid cogitasti, quid dixisti, quid audivisti, quid fecisti, ut cognoscas relaxationes linguæ, cordis, et sensuum, in quibus et quotiens offendisti, aut dedisti aliis materiam offendendi; et sic ordina in mente tua, sicut ea fueris memor commisisse; quia melius explicabis omnia quorum fueris memor: et illa pluries pertracta, et ordinate repete in mente tua, nec te pigeat in tali examinatione exercere, quia pax et lætitia mentis, quam inde consequeris, superexcedit omne gaudium mundanum. Quod si absque difficultate magna, et cum magna tranquillitate animi, istum modum volueris observare, stude in paucis delinquere, ut pauca possis recolere et confiteri.

Confessorem eligas compassivum, probatum in tentationibus, et in via continentiæ se exercentem, cui sæpe confitearis, et aperias omnes defectus clare et lucide, et stimulos quibus molestaris. Sit ille discretus, charitativus, humilis et intelligens, sic quod possis ad ipsum confidenter recurrere, et sciat tibi remedium adhibere. Aliter autem, si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Qualis debeat esse confessor.

Ad ista melius obtinenda, necessaria est tibi sollicitudo, quæ est via primaria ad cordis munditiam, et tutela ad custodiam. Unde,

si es religiosus, si pacem quæris, hinc minime egredieris. Versus :

Cella quasi cœlum tibi sit (a), qua cœlica cernas.
Hic legito (b), hic ores, mediteris, crimina plangas.
Pax est in cella, foris autem plurima bella.

Si autem es sæcularis, fuge consortium, quantum potes, nisi pro evidenti utilitate, aut necessitate. Expedit etiam, ut portes in corde propositum tibi cavendi pro posse ab omni offensa Dei, et proximi, et debes te armare cum oratione dicendo [1] : *Deus, in adjutorium meum intende*, etc., quia, sine auxilio Dei, impossibile est te a quantumcumque minimo peccato liberari. Et quamvis Deus permittat, quantumcumque ipsum rogaveris in oratione, ut in aliqua peccata incidas, non tamen propter hoc desistas a bono proposito bene operandi : quia hoc Deus permittit, ut cognoscas te infirmum, et continue divino auxilio te indigere, nihilque boni per te ipsum posse perficere, quantumcumque cupias et proponas. Propter quod [2] *oportet semper orare, et non deficere.* Ille autem semper orat, qui non cessat bene facere, et mala vitare desiderat. Si autem ab incœpto opere bono destiteris, eo quod in oratione non exaudiris, tunc est signum quod spiritualis ædificii, quod est conscientiæ puritas, cares principio, cui est annexa cognitio propriæ vilitatis, ad quod consequitur virtus humilitatis, quæ mentem in bono confirmat, et facit hominem contentari de omnibus judiciis et permissionibus divinis circa omnes creaturas et se. Dum enim in veritate teipsum agnoscis, omnibus compateris, nullum odis, nulli inimicaris, plus gaudes de passionibus et pœnis corporalibus, quam de consolationibus carnalibus, quia te vides ista meruisse, et esse utilia, hæc autem esse periculosa. Sic ergo omnia præter peccatum diligas; nihil te, præter Deum, afficiat; nihil te, nisi culpa, contristet. Et quoniam contritio et accusatio sui ipsius acquiritur per mentis munditiam in solitudine et mentali oratione, necesse est, quisquis ad hanc puritatem pervenire affectat, solitudinem veluti matrem orationis et munditiæ amplectatur, et ibi in lectione et sui cordis scrutatione se quotidie sic exerceat, quod omni otiositate vitata, omnique humana verecundia postposita et despecta, ad veram, et puram, et integram, et plenam confessionem nunc se præparet et disponat.

CAPUT XVII.

De modo cognoscendi seipsum.

Postremo qui vult ad sui perfectam cognitionem cito et faciliter pervenire, ac perfecte pacem conscientiæ possidere, primo cor suum spoliet omni amore et affectione sensuali a quacumque persona et re temporali, sic quod inter Deum, et cor tuum, nullum sit medium, et nihil diligas extra Deum, nec præter Deum : et tunc talis affectio non erit medium impediens, sed adjuvans, et cooperans. Secundo exuat cor suum ab amore inordinato ad seipsum, videlicet, quod non sit fur et latro honoris et laudis, appetendo aliquid de his quæ debentur soli Deo simpliciter. Nihil etiam terrenum appetat, nisi pro Dei servitio et utilitate animæ suæ vel proximi, et abneget propriam voluntatem, cupiat alienum velle potius quam suum perficere, nec a voluntate Dei ac ejus permissione animus suus discordet. Tertio ad suæ conscientiæ stimulum frequenter se exerceat, memorando præterita delicta, seipsum arguendo de negligentia, concupiscentia et nequitia. De negligentia quidem se arguat, si cor suum non bene custodivit, si tempus inutiliter expendit, si opera sua in finem debitum non reduxit. Adhuc, si fuit negligens in oratione, in lectione, et boni operis executione : quorum unum non sufficit sine altero. Adhuc, si fuit negligens ad agendum pœnitentiam de commissis, ad resistendum tentationibus a Deo permissis, ad proficiendum in bonis sibi impensis. De concupiscentia autem se reprehendat, cogitando si

[1] *Psal.* LXIX, 2. — [2] *Luc.*, XVIII, 1.

(a) *Cæt. edit.* sit tibi. — (b) legas.

in se vivit aut vixit concupiscentia et voluptas, appetendo dulcia, mollia, et cibaria sapida, vestimenta deliciosa, et oblectamenta luxuriosa : quæ omnia in primo motu sunt fugienda. Item, si vivit in se vel vixit concupiscentia curiositatis, appetendo scire occulta Dei, aut creaturarum videre pulchra, habere pretiosa, et similia, quæ omnia procedunt ex avaritia. Item, si in se vivit aut vixit concupiscentia vanitatis, appetendo humanum favorem, vel honorem, laudem, et propriam gloriam. Hæc, et omnia quæ faciunt hominem vanum, sunt fugienda a quocumque, et maxime religioso, qui debet ambulare in veritate coram Deo et hominibus, in cunctis bonis operibus suis; et ordinare cor, verba et opera in laudem Dei, et ædificationem proximi, et utilitatem sui, nihil extra Deum ullatenus appetendo. De nequitia vero se arguat, cogitando si in se vivat aut vixit iracundia in verbo, in animo, vel in exteriori signo, et si aliquem ad iracundiam provocavit. Hoc autem vitium non potest corrigi, nisi per spiritum veritatis, ut scilicet homo consideret quid meruit per peccatum mortale; ac per hoc bonitatem Dei attendat, et patientiam quæ ipsum sustinuit usque nunc, nec adhuc eum damnare vult, cum juste possit, ac poterit, quoties mortaliter peccaverit. Cum ergo veritas ingreditur animam, et ibi permanet, omne cor impatiens et furiosum efficitur humile et mansuetum, et omne cor durum et impium efficitur pium et compassivum. Hæc autem virtus ingreditur solummodo in cor mundatum. Item cogitet si in se vivit aut vixit nequitia invidiæ, quæ de bono alterius contristatur, et de malo jucundatur : quod vitium directe contradicit Spiritui sancto : et ideo ex invidia oritur peccatum in Spiritum sanctum, quod dicitur invidentia fraternæ gratiæ, contra quod scriptum est in Matthæo[1] : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Et ideo[2] *hoc peccatum non remittitur in hoc sæculo nec in futuro.* Item cogitet si in eo est vel fuit nequitia acediæ quæ consurgit ex tædio boni, aut ex otiositate nimia, aut ex timore, vel dolore alicujus mali. Et ex hoc oriuntur pessima, videlicet suspiciones, malignæ cogitationes, blasphemiæ, diffidentia de Deo, et finalis desperatio. Ad hanc sæpissime deveniunt insolentiæ dediti, et qui se negligunt in bonis exercere, et tempus suum utiliter expendere, nec non qui nimis est ambitiosus appetendo excessive honorem : talis, qui appetit supra meritum suæ sufficientiæ, nunquam habet quod appetit; sed quod pejus est, justo Dei judicio tanto magis ad ima trahuntur, quanto magis seipsos elevaverunt, et procuraverunt per alios trahi sursum. Qui ergo hoc vitium vitare desiderat, studeat otium evitare, ac mentis et corporis superare pigritiam, eorumque occasiones præcidere, quæ sunt amor quietis, et immoderantia victus. Propter has duas causas, peccata pessima sunt perpetrata : ex his occasionaliter venit ira Dei super Sodomam et Gomorrham. Idcirco sancti patres, fugientes de sæculo ad desertum, contra illud vitium acediæ, quæ inficit et dissipat omne bonum, statim armis temperantiæ, et occupationis, et continentiæ, ut otiositatem radicem omnis mali inciderent, se principaliter muniebant.

[1] *Matth.*, xx, 15. — [2] *Matth.*, xii, 32.

CAPUT XVIII.

De peccatorum origine.

Omnium vitiorum capitalium unum est initium, scilicet ingratitudo. Duplex est enim radix, scilicet timor male humilians, et amor male inflammans. Triplex fomentum est, concupiscentia carnis et oculorum, et superbia vitæ. Septiforme caput est, superbia, ira, invidia, acedia, avaritia, gula, luxuria : inter quæ sunt quinque peccata spiritualia, et duo carnalia. Cum tamen peccatum mortale non sit aliud quam recessus a Deo per ipsius contemptum in se vel in suo præcepto, contemptus autem Dei sit superbia, igitur necesse est ut omnis peccati *De ingratitudine sive elatione.*

mortalis culpa sumat initium a superbia. Quia vero nullus contemnit Deum, vel suum præceptum, nisi quia aliquid ab ipso timet perdere, aut vellet acquirere, ideo oportet, quod omne actuale peccatum trahat originem ab hac duplici radice, aut amoris, aut timoris. Omnis autem timor habet ortum ab amore, quia nullus timet perdere nisi quod amat : ideo amor et timor ab eodem foventur. Et quia amor inordinatus est respectu boni temporalis, et illud est interius excellentia, et exterius pecunia, inferius lascivia carnis; ideo tria sunt fomenta vitiorum capitalium et actualium, ad quæ dum anima inordinate fertur, omnia peccata actualia ordiuntur. Et quia hoc fit secundum septiformem modum, ideo sunt septem peccata capitalia, ex quibus generatur universitas peccatorum.

CAPUT XIX.

De peccato in Spiritum sanctum.

Quamvis omne peccatum sit contra Deum trinum et unum, appropriatur tamen aliquod peccatum in Patrem, aliquod in Filium, aliquod in Spiritum sanctum. Peccatum autem in Spiritum sanctum est irremissibile in hoc sæculo, et in futuro, non quia hoc sæculo non possit remitti, sed quia non dimittitur nisi raro, aut vix in hoc sæculo quantum ad culpam, et modicum in futuro quantum ad pœnam. Hujus autem peccati sunt sex differentiæ : invidia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ, desperatio, præsumptio, obstinatio, finalis impœnitentia. Primum est contra charitatem Dei, in quantum dolet quod Dominus Deus est bonus, qui ex bonitate sua dat gratiam, et etiam est contra charitatem proximi. Secundum est contra veritatem fidei, quæ est fundamentum nostræ salutis. Tertium est contra misericordiam Dei, quia credit se plus peccasse, quam Deus possit parcere. Quartum est contra justitiam Dei, quia tantum præsumit de misericordia Dei, quod credit se non debere puniri de peccatis, ac per hoc se relaxat ad peccandum, et pœnitere non curat. Quintum est contra gratiam pœnitentialem, quæ facit resilire a peccatis commissis. Sextum est contra gratiam pœnitentialem, quæ facit præcavere a committendis, secundum quod ipsa finalis impœnitentia dicitur propositum non pœnitendi : sic enim est species peccati in Spiritum sanctum. Secundum autem quod dicit continuationem peccati usque in finem, sic est sequela omnium mortalium, quæ in hac vita non remittitur, et maxime omnium specierum peccati in Spiritum sanctum. Et sic omne peccatum initium sumit a superbia, et finem habet a finali impœnitentia, in quam qui devenit, punitur in gehenna, a qua finali impœnitentia nullus peccans mortaliter potest liberari, nisi interveniat gratia mediatoris Christi.

Peccati in Spiritum sanctum sex differentiæ.

CAPUT XX.

Peccati descriptio.

Cum omne peccatum dicat recessum voluntatis a primo principio, in quantum ipsa voluntas nata est agi ab ipso, et secundum ipsum, et propter ipsum, ideo omne peccatum est inordinatio mentis, vel voluntatis, circa quam nata sunt esse virtus et vitium. Peccatum igitur actuale, secundum Augustinum, est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, vel actualis inordinatio voluntatis. Inordinatio autem ista, aut est tanta quod ordinem exterminat justitiæ, et sic dicitur peccatum mortale, quod natum est auferre vitam ab anima, separando ipsam a Deo, per quem vivificatur anima justi ; aut est tam modica, quod ordinem istum non perimit, sed aliquantulum perturbat, et sic dicitur veniale peccatum, quia de ipso cito possumus veniam obtinere, pro eo quod ipsum non tollit gratiam, non incurritur inimicitia Dei. Ordo autem justitiæ est, ut bonum æternum præferatur temporali, et bonum honestum utili, et Dei

Peccatum mortale, et veniale.

voluntas propriæ, et judicium rationis præsit sensualitati humanæ. Et quia lex Dei præcipit hoc, et vetat oppositum, ideo quando præfertur temporale æterno, utile honesto, sensualitas rationi, voluntas propria divinæ, tunc committitur peccatum mortale. De quo dicit Ambrosius, quod est prævaricatio legis Dei, et cœlestium inobedientia mandatorum. Hæc autem committitur, quando omittitur quod lex præcipit, sive fit quod lex vetat. Ex quo oritur duplex genus peccati, scilicet delictum, et commissum. Quando vero bonum temporale plus debito diligitur, sed non præfertur æterno, et quando honesto præfertur utile, et naturalis voluntas plus debito amatur, sic tamen quod non præfertur divinæ, et quando caro concupiscit, sed non (*a*) præfertur judicio rationis rectæ, tunc est tantum peccatum veniale, quia licet hoc sit præter legem Dei, non tamen est directe contra eam. Sensualis autem appetitus non præfertur rectæ rationi, nisi (*b*) quando ratio ei consentit : ideo peccatum mortale non committitur sine consensu. Si autem sensualitas inordinate moveatur, cum ista inordinatio ad malum declinet, et in hoc ratio non consentiat, non est aliquod peccatum, quia nec aliquo modo lædit ordinem justitiæ. Et quia in statu innocentiæ non movebatur sensualitas, nisi secundum motum rationis, ideo stante hoc non poterat ibi esse veniale peccatum. Nunc autem quia rationi repuguat sensualitas, velimus, nolimus, ideo necesse habemus committere veniale peccatum aliquod per primos motus. Et licet particulariter ac singillatim possint devitari, omnia tamen nullo modo possunt caveri, quia sicut peccata sunt, ita et pœnæ peccati originalis, vel actualis. Et ideo merito dicuntur venialia, quia hoc ipso digna sunt venia. Verum quia ratio his consentire non compellitur, si post consensum delectationis consentiatur in opus, tunc est plenus consensus, ac per hoc est peccati consummatio, quæ pervenit usque ad supremam portionem rationis, ex qua pendet plenitudo consensus. Quia vero non solum consensus in opus, verum etiam in delectationem est in quo inferior pars sequitur sensualitatem, ideo si in delectationem sensualem ratio sensualitati consentiat, et succumbat, propterea fit subversio ordinis recti et justitiæ, propter quod committitur peccatum mortale, quamvis minus grave, quia non solum imputatur inferiori parti rationis, sed etiam superiori, quæ (*c*) debuit compescere et cohibere inferiorem, ne consentiat.

CAPUT XXI.

Confessio sive humiliatio sui ipsius.

Ecce descripsi cor mundum, et conscientiam puram, vir ego (*d*) immundus et maculatus, multum me ostendere sciens, et meipsum nesciens, alienos defectus dijudicans, et meos non inspiciens, vitia et occasiones vitiorum vobis aperiens, et ipsa vitia in meipso corrigere negligens, festucam in oculo alieno perspiciens, et in meo trabem non considerans, alienæ vitæ dux esse præsumens, et moderamina vitæ propriæ non tenens, omnium mores discutiens, et meos non deserens, erga me ipsum cæcus permanens, et circa alios oculatus existens, fraterna tamen charitate coactus, quia omnium fratrum animos sincere amplector, eo maxime quo eos sentio perfectam cordis affectare munditiam, mundumque cor sollicite ac studiose perquirere, quo ipsam attingere valeatis (ut supra scriptum est), vestra charitativa dilectio humiliter et benigne suscipiat, ubi sicut in speculo et exemplo verissimo viam et januam, per quam ingreditur anima in atrium domus Domini, quod est conscientiæ puritas, diligentissime speculetur, firmiter attendentes, quod ad dictum atrium nullus unquam in hac vita pervenit, nisi modo prædicto seipsum agnoscere studeat secundum notitiam sibi datam a Domino, suamque conscientiam mundam et

Recognitio modestissima Auctoris.

(*a*) *Cæt. edit.* et caro concupiscit, non. — (*b*) si. — — (*c*) qua. — (*d*) ergo.

immaculatam servare, et hoc per confessionem puram, veram et integram superius memoratam. Ipse namque modus confitendi super humilitate perfecta fundatur, procedens ex filioli Dei timore, qui non patitur in corde habitare peccatum, nec circumstantias peccati, quibus putet Deum esse offensum, dummodo statim evomat per confessionem, secundum sui possibilitatem et notitiam habitam de peccato. Et hujusmodi sollicitudo servandi cor mundum, et conscientiam puram, est signum congruum et evidens, quod quis inter electos Dei filios computatur. Unde talis anima secure potest dicere[1]: *Domine, dilexi decorum domus tuæ*, id est, munditiam animæ meæ, *et locum habitationis gloriæ tuæ,* id est, puritatem conscientiæ meæ. Et ratio : Quia[2] *in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, et[3] *in justitia apparebo* purus et mundus *in conspectu tuo*, et *satiabor cum apparuerit gloria tua*. Ad quam nos perducat ipse Deus, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Psal.* XXV, 8. — [2] *Psal.* XXIX, 8. — [3] *Psal.* XVI, 15.

OPUSCULUM

DE

SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI [1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Convivia septem animæ, totidemque convivæ, ferculorum quoque et ministrorum varietas, cum distinctione et explanatione mirabili donorum et operationum Spiritus sancti hoc opusculo demonstrantur. Quod in duas partes distributum est : in quarum prima de donis Spiritus in genere, in secunda vero de eisdem in specie agitur. De hac autem materia quamvis serm. II et III in *Hexaemeron*, et lib. III Sent., d. XXXIV, necnon supra, hoc eodem tomo, *Breviloq.* p. 296 et seq. et *Centiloq.* p. 414, sect. 45, et infra, (tom. seq.) opusculo quod *Diæta salutis* inscribitur, titul. VI, et aliis locis, sæpe Auctor tractet ; hic tamen de Spiritus sancti donis copiosiori manu scribit, et quæ ad hanc rem maxime pertinent ex Sacræ Scripturæ thesauro depromit. Sanctorum quoque Patrum et aliorum scriptorum doctrinas ad id frequenter inculcat : in quo, ut in cæteris ejus libris, singularis Auctoris pietas cum summa eruditione conjuncta facile cernitur.

PARS I

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI IN GENERE (*a*)

CAPUT PRIMUM.

Quod Verbum incarnatum misit nobis Spiritum sanctum septem donorum largitorem.

Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum [2]. Sanctus Jacobus apostolus a veritate paterni Verbi illuminatus, et a charitate Spiritus sancti inflammatus, in verbis istis describit nobis Patrem æternum, ut est fontana et perfecta cognitio divinarum personarum in habitudine ad creaturas : quibus communicavit *datum optimum* in Filii datione in natura humana, ut patet in Isaia, qui dicit [3] immensum parvulum datum nobis, scilicet in incarnatione : cum quo nobis [4] *omnia bona pariter venerunt.* Propter quod Apostolus non dixit simpliciter *datum optimum*,

[1] *Cf.* Edit. Argentin., an. 1495, part. 1; edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, part. 1, p. 237; edit. Ven., an. 1611, tom. I, p. 13; edit. Lugd., an. 1647, tom. I, p. 235; edit. Ven., an. 1754, tom. V, p. 253. — [2] *Jac.*, I, 17. — [3] *Isa.*, IX, 6. — [4] *Sap.*, VII, 11.

(*a*) *Titulus iste*, Pars 1, de septem donis Spiritus sancti in genere, *deest cæteris editionibus.*

sed : *Omne donum optimum* : *Omnia* enim [1] *per ipsum facta sunt*. Communicavit eis donum perfectum in Spiritus sancti liberali missione, ut patet in *Joanne* [2]; in quo omnia dona largiuntur, ut patet apud Paulum [3]. Propter quod apostolus Jacobus non dixit simpliciter *donum perfectum*, sed : *Omne donum perfectum*. *Hæc* enim *omnia operatur idem Spiritus*, ut sic per Verbi incarnati et dati illuminationem, et Spiritus sancti spirati et donati inflammationem, reducamur ad luminosi et amorosi Patris veram cognitionem et fervidam dilectionem, et ex his ad ejus perfectam unionem. Ista enim unio est finis largitionis luminum, ut per eam reducamur ad Patris deificam simplicitatem, et perfectam unitatem. Unde Dionysius, in principio *Angelicæ Hierarchiæ* [4], assumens verbum propositum, dicit sic : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*. Sed et omnis a Patre luminis notæ apparitionis processus in nos bonitatis dono veniens, rursus ut vivifica virtus, extensive nos adimplet, et convertit ad congregantis Patris unitatem et deificam simplicitatem. Etenim [5] *ex ipso*, *et per ipsum*, *et in ipso sunt omnia*, ut ait sacer Dionysius. Ita exponens commentator Lincolniensis (*a*), ibidem dicit : « Sumus enim nos primo per varios variarum rerum amores distracti, divisi et multiplicati, et ex ipsa distractione contracti, corrugati et multiplicati. Ideo luminum, sive donorum divinorum apparitio in nos proveniens, velut vivifica virtus, ordine converso quo in nos venit, recedendo secum ad suam originem unde venit, ab hujusmodi contractione, corrugatione et multiplicatione nos extendit, dilatat, et majorat, et avertens nos a multitudine prius amatorum, convertit nos ad Patris congregantis unitatem et deificam simplicitatem. » Sequitur : « Sua simplicitas autem est deifica, quia spiritum ei soli adhærentem, ut Salvator ait [6], jam unit sibi, et conformat, et deiformem efficit, et licet non substantialiter, participatione tamen ipsius, deum facit, secundum quod ait Psalmista [7] : *Ego dixi : Dii estis*. Et sic spiritus adhærens Deo puro amore fit magnus, expansus, et simplex, et unitus, quia a dispersione congregatus. » Hæc ille. Verbum igitur paternum dicitur *datum optimum* : *In quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei sunt absconditi*, secundum Apostolum [8]. Quod Verbum in natura humana nobis datum, noster frater efficitur; quem fratrem sponsa ferventer desideravit, dicens [9] : *Quis mihi det te fratrem meum*, etc. Spiritus autem sanctus *donum perfectum* dicitur, quia a Patre et Filio ut donabilis spiratur, ut dicit Augustinus [10]. Qualiter Verbum datum optimum mittit nobis donum perfectum suum, ut ipse testatur, dicens [11] : *Ignem veni mittere in terram*. Quod verbum Ambrosius exponens de missione Spiritus sancti, qui est ignis amorosus, illuminans intellectum, et pariter inflammans affectum, dicit [12]: « Venit Dominus ignem mittere in terram, non utique bonorum consumptorem, sed bonæ voluntatis auctorem, scilicet Spiritum sanctum : qui aurea vasa dominicæ domus, id est, animæ potentias capaces divinitatis, meliorat, donis et virtutibus adornando et perficiendo ; fœnum vero consumit et stipulam, id est, tam magna, quam minora offendicula, per ignem charitatis expellendo. » Et Bernardus dicit [13] : « Spiritus sanctus profecto monet memoriam, docet intelligentiam, et movet voluntatem. » Et in alio sermone [14] : « Nec minimam paleam peccati intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere ; sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit illud Spiritus suavis et dulcis. » Hæc ille. Qui sol infiniti et amorosi ardoris, scilicet Spiritus sanctus, tripliciter exurit montes, id est, elevatas mentes, scilicet memoriam, intellectum et voluntatem, in quibus consistit imago Dei; et ideo capaces sunt Dei, ut dicit Augustinus [15], *de Trinitate*, in tantum, ut Pater in memoria audiatur, et Verbum, sive Filius in intelligentia videatur, et Spiritus sanctus in voluntate amplexetur. Dicit enim Richardus : « Sic Deus auditur per memoriam, videtur per intelligentiam, deosculatur per affectum, amplectitur per applausum. Vel si melius placet, inquit Richardus [16], auditur Deus per revelationem, videtur per contemplationem ; sed deosculatur per devotionem, et astringitur per dulcedinis suæ infusionem; » ut infra plenius patebit

[1] *Joan.*, I, 3. — [2] Ibid., XIV, 26. — [3] I *Cor.*, VII, 7; XII, 7, 11. — [4] Dion. Areop., *de Cœl. Hier.*, c. I, in princ. — [5] *Rom.*, XI, 36. — [6] I *Cor.*, VI, 17. — [7] *Psal.* LXXXI, 6. — [8] *Coloss.*, II, 3. — [9] *Cant.*, VIII, 1. —

(*a*) *Cœt. edit.* Linconiensis, et sic deinceps.

[10] Aug., *de Trinit.*, lib. XV, c. XVII, XVIII et XIX. — [11] *Luc.*, XII, 49. — [12] Ambros., *in Luc.*, XII, lib. VII. — [13] Bern., *in fest. Pentec.*, serm. I, circa med. — [14] Ibid., serm. II, prope fin. — [15] Aug., *de Trinit.*, lib. XI, c. XI; lib. XIV, c. IV. — [16] Richard., *de Contempt.*, lib. IV, c. XV.

dono quinto, scilicet consilii. Non autem solum sol iste divinus *exurit montes*, ut dicitur in *Ecclesiastico* [1]; sed et igneos radios exsufflat, et refulgens radiis suis excæcat oculos. Igneos radios ardentissimæ charitatis exsufflat septem, quando nobis inspirat radios suos septem donorum, qui et illuminant, et inflammant mentes humanas, quia Spiritus sanctus datur in eis, in tantum, ut oculos cæcorum illuminent, et oculos videntium obducant : ut patet quando apostoli, a Spiritu sancto inspirati, septem donis ejus ita lucebant et ardebant, ut pene totum mundum illuminarent et inflammarent signis et doctrinis, et quosdam propter nimiam refulgentiam obcæcarent, non valentes tantum fulgorem vel refulgentiam sustinere. Quare clamabant, dicentes [2] : *Isti ebrii sunt*, vel *musto pleni sunt*.

Dona Spiritus sancti sunt radii ignei.

Ista septem dona privilegiata sanctitate dicuntur radii ignei, quia Spiritus sanctus per ea, quasi ad modum ignis amorosi, humiliat alta, per donum timoris; liquefacit dura, per donum pietatis; illuminat obscura, per donum scientiæ; consolidat mollita, per donum fortitudinis; restringit fluida, vel dirigit deviantia, per donum consilii; clarificat metalla, per donum intellectus; ignit frigida, per donum sapientiæ. Spiritus sanctus igitur per dona sua nobis donat lumen veræ cognitionis, et fervorem sancti amoris. Quæ duo maxima dona et bona sunt, quæ nobis hic dantur ad felicitatem æternam prægustandam, et in futura vita feliciter consummandam. De quibus duobus bonis commentator Dionysii Hugo dicit sic [3] : « Duo sunt, cognitio et amor : unum pertinet ad illuminationem; alterum vero ad refectionem. Cognitio veritatis illuminat; amor bonitatis satiat. In his beatitudo constat : cognoscere verum, et amare bonum. Duo, inquit Hugo, prædicta apud nos sunt magna bona : et non inveniuntur apud nos majora alia his, neque ad gaudium, neque ad felicitatem nostram magis operantia, quam lumen et dulcedo : nam si illuminaris, magnum bonum est, sed non plenum; si satiaris, et non illuminaris, magnum bonum est, sed non perfectum. Refectio jucundum facit, quod intus est. Illuminatio jucundum facit et exhibet, quod foris est. Videtur quidem refectio magis necessaria esse; utrumque tamen ad plenum gaudium exigitur. » Hæc ille. Sed quia hæc duo bona magna, et summe nobis necessaria, scilicet refectio et cognitio, a Spiritu sancto in septem donis ejus conferuntur, ut dicit Gregorius [4]; ideo diligenter investigandum est nobis, qualiter hæc duo in illis bonis inveniantur et obtineantur, ut nos per ipsa mentaliter illuminemur ad cognoscendum cœlestia, et spiritualiter reficiamur ad perfecte consequendum illa. Dicit namque Gregorius, ibidem exponens illud Job [5] : *Ibant filii ejus septem, et faciebant convivium per domos unusquisque in die suo* : « Dies, inquit, uniuscujusque filii, id est doni, sive virtutis, in mente Deo concepti, est illuminatio. Qui filii per domos convivia faciunt, dum virtutes, sive dona singula, juxta donum proprium mente pascunt. » Hæc ille. Igitur juxta septem filios sunt septem dies spirituales, sive illuminationes, et quælibet dies habet suum convivium. Igitur sicut septem sunt dies, ita et septem convivia erunt, sive septem mentis refectiones, nos præparantia et nos habilitantia ad illud grande *convivium*, quod verus Assuerus *septem diebus jussit* [6] *præparari cunctis principibus, et pueris suis*.

CAPUT II.

Quod sint septem Spiritus sancti dona, et quare in septenario numero.

Viso quod *Datum optimum*, scilicet Verbum incarnatum, misit nobis *Donum perfectum*, scilicet Spiritum sanctum, qui ut sol amoroso ardore *exurens montes*, id est elevatas mentes, igneos radios septem donorum inspirando exsufflat, ut [7] *tanquam scintillæ* igneæ *in arundineto* mentis *discurrant*, ut et in operationem foras erumpant, et proximos, verbis et exemplis tangendo, igne amoris accendant; ideo modo videndum est de istis septem donis, sive radiis, qualiter in nobis recipiantur, et operentur. Et sunt quædam de donis istis præmittenda in generali, et postea de quolibet dicetur in speciali. Circa primum quinque sunt videnda, propter majorem notitiam aliorum infra dicendorum : primo videndum est quot sint dona Spiritus sancti, vel quid dicantur; secundo, qualiter hæc dona ab aliis habitibus distinguantur; tertio, quæ utilitates in his donis conferantur; quarto, qui et quales istorum donorum capaces efficiantur, et qualiter obtinean-

[1] *Eccli.*, XLIII, 4. — [2] *Act. Apost.*, II, 13. — [3] Hug. de S. Victor., in *Cœl. Hierarch.*, lib. VII, c. VII, longe post med. — [4] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVI. — [5] *Job*, I, 4. — [6] *Esth.*, I, 5. — [7] *Sap.*, III, 7.

tur, quinto qualiter dona descendendo et ascendendo ordinentur.

Primo igitur videndum est quot sint dona Spiritus sancti. Circa quod est sciendum, quod Lincolniensis commentator Dionysii exponens verbum illud, *Omne datum optimum, et omne donum perfectum*, dicit esse differentiam inter dationem, et inter *datum bonum*, et inter *donum perfectum*. Nam *datio* est dantis actio, et quandoque sumitur pro re data quacumque, quæ potest dari. Et hæc datio bona extendit se tam ad dona, data bona, quam ad donum perfectum. Et hæc datio, vel donatio, convenit toti Trinitati, quæ est infinitæ liberalitatis, dans omnia omnibus, secundum cujuslibet capacitatem, et gradum essentiæ suæ. Si enim natura non deficit in necessariis, ut dicitur [1] in libro *de Cœlo et Mundo*, et *de Anima*, multo minus Dominus non deficit in necessariis. Qui enim omnia bona creavit, omnia bona regit. Sed talis datio proprie non dicitur donum, prout nunc loquimur de donis; donum tamen est. Datum vero bonum, inquit Lincolniensis, dicitur, quod nos bonificat, ut omnia quæ nobis a dante conferuntur, quibus boni efficimur. Sunt autem data bona fortunæ : et omnia talia tam exteriora, quam interiora bona : et cum eis bene utimur, nos perficiunt perfectione prima. *Donum* autem *perfectum*, inquit Lincolniensis, sumitur pro bonis gratuitis nos in bene esse perficientibus. Unde, in caput III. *Angelicæ Hierarchiæ*, dicit sic : « Licet perfecti simus quantum ad speciem humanam, a natura tamen perfectio quantum ad bene esse deficit nobis. » Unius enim cujusque rei creatæ plena perfectio est non esse impeditæ operationis, propter quam creata est; nec remissæ virtutis, a qua procedit. Natura enim operans otiosa est, et in tantum deficiens, in quantum ab operatione propria otiatur; cum vero ea non impedite nec remisse operatur, non est quod ei ultra ad plenitudinem adjiciatur. Ad talem autem perfectionis plenitudinem homo mortalis pervenire non potest, nisi supernaturalibus luminibus, sive donis, adjuvetur. Unde Hugo dicit [2] : « Rationalis creatura, quæ sola ad imaginem Conditoris facta legitur, data accepit optima, dum conderetur ad infima; et data accepit perfecta, dum sublimaretur ad summa. Neque enim melius alteri naturæ datum est (*a*) eo, quod primum accepit per creationem, scilicet imaginem Dei : neque perfectius accepit eo, quod postmodum esse meruit per gratiam, scilicet Dei templum, Dei filius, ut per amoris vinculum Deo inseparabiliter colligetur, et sic fieri beatam : quod meruit per gratiam. Igitur dona perfecta gratuita perficiunt dona optima naturalia, ut sic spiritus humanus, per habitus donorum deiformium, reducatur ad plenam perfectionem, et operetur operationes non impeditas, prout possibile est in corpore corruptibili. Et sic dona ista videntur esse habitus quidam gratuiti, vel gradus quidam; et non habitus diversi luminis divini et gratuiti, secundum quosdam a Spiritu sancto mentibus humanis infusi, quibus disponantur ut habiles fiant, et dispositi ad sequendum instinctus Spiritus sancti : qui instinctus sunt memoriæ admonitio, intellectus illuminatio, voluntatis motio. Et licet ratio et synderesis sint quidam instinctus in homine, inclinantes eum ad aliquem sibi connaturalem finem consequendum per potentias ejus, ad id (*b*) tamen quod consequantur finem ultimum supernaturalem non sufficiunt, quia in corpore corruptibili habent operationes multipliciter impeditas. Et ideo indigent virtute superioris agentis ad consecutionem talis finis. Unde Philosophus, in libro *de Bona Fortuna*, dicit : « His, qui moventur per instinctum divinum, non expedit consiliari secundum rationem humanam, quia id, quod intendunt, consequuntur a meliori principio, quam sit ratio humana, scilicet per instinctum divinum. » Ad cujus instinctus consecutionem dona ejus nos habilitant et præparant, quæ ab ipso liberalissime donantur. Sunt autem hæc privilegiata dona septem; quæ dicuntur privilegiata, eo quod in eis donatur Spiritus sanctus appropriate loquendo, et quod secundum Prophetam fulserunt in Christo, ut patet in Isaia, qui dicit [3] ea super florem qui ascendit de radice Jesse requievisse, ubi enumerat ea, dicens : *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* In hac autem enumeratione, descendendo procedit a summo, et combinando per mediam copulam, ut simul ostendatur donorum distinctio et connexio,

Dationem, datum optimum, et donum perfectum differre.

Cur dona Spiritus sancti in septenario numero.

[1] Arist., *de Cœl. et Mund.*, lib. I, text. 32, et lib. II, text. 50 et 59; *de Anima*, lib. III, text. 45. — [2] Hug. de S. Vict., *in Cœl. Hier.*, lib. I, non longe a princ. — [3] *Isa.*, XI, 1 et seq.

(*a*) *Cæt. edit. add.* ab. — (*b*) *Cæt. edit. non habent* ad id.

origo et ordo. Sunt autem hæc dona tantum septem, quia, sicut dicit Gregorius [1] : « Per septenarium significatur universitas, ut sicut mundus septem diebus est perfectus, sic et minor mundus homo septem donis Spiritus sancti perficiatur. » Sunt enim septem dona propter septem expeditiones hominis, tam in vita activa, quam in vita contemplativa, necessaria. Nam Anselmus dicit [2], quod quinque dona inferiora respiciunt vitam activam, et duo alia respiciunt vitam contemplativam. Superiora sunt, donum sapientiæ et intellectus, ut infra patebit. Et sic septem dona sunt septem radii spirituales, tam splendidi, quam igniti, procedentes a sole ardentissimæ charitatis : quibus sapientia ædificavit sibi domum et manerium, quasi septem columnis excisis, quibus fulcitur, et adornatur, et perficitur. In qua sapientia dulcissima convivia spiritualia ministrat inhabitantibus. Unde dicitur [3] : *Sapientia immolavit sibi victimas, et miscuit sibi vinum, et proposuit mensam suam;* cujus copiam et dulcedinem nemo scit, nisi qui accipit per experientiam, vel per revelationem, ut dicit Augustinus [4], vel per prædestinationem, ut ait Haymo [5].

CAPUT III.

Septem Spiritus sancti dona qualiter ab aliis habitibus et donis distinguantur.

Secundo videndum est qualiter hæc septem dona Spiritus sancti ab aliis habitibus et donis distinguantur. De quo notandum est, quod commentator Dionysii Hugo super principium *Angelicæ Hierarchiæ*, dicit sic [6] : « Gratia divina illuminatio est, et ipsa dona gratiæ lumina sunt, illuminantia eos qui se participiant : et omnis gratia ab uno fonte descendit; et omnis illuminatio ab uno lumine : et multi sunt radii, et unum lumen. Et spargit se unum lumen, ut multos illuminet; et lucent illuminati multi, et non videtur nisi unum lumen; et fiunt multi unum in lumine uno. » Hæc ille. Ex quo apparet, quod gratia est lumen, multos habens radios, vel gradus diversarum virtutum, et ornamentorum spiritualium. In ipsa enim gratia gratum faciente datur Spiritus sanctus, qui est

Gratia gratum faciens.

donum perfectum perficiens animam, ut efficiatur filia Patris æterni, sponsa Christi, et templum Spiritus sancti. Ideo merito vocatur gratia gratum faciens. Sine enim ipsa nullus potest mereri, nec in bono proficere, nec ad æternam vitam pervenire. Ideo necesse est ut per varios radios gratiæ habeat anima varia exercitia virtutum, donorum, beatitudinum, fructuum spiritualium, et spiritualia dona sensuum, ut et vita spiritualis ex ipsis perfecta manifestetur. Gratia igitur, cum sit origo et forma omnium habituum, et gaudiorum (*a*) virtualium, ramificatur in habitus vel gradus virtutum moralium, quibus vires appetitivæ perficiuntur ad obediendum rationi, qua reguntur, ut in omnibus actibus suis recte, et delectabiliter, et perfecte omnia operentur. Sunt autem quatuor virtutes morales, quæ dicuntur cardinales, quia, ut ostium vertitur in cardinibus, sic vita humana vertitur et regitur in his virtutibus, quæ sunt : prudentia, quæ rectificat rationalem; fortitudo, rectificat irascibilem; temperantia, rectificat concupiscibilem; justitia, rectificat omnes vires, quia comprehendit totius animæ rectitudinem, cum ipsa rectitudo dicatur voluntatis. Et dicit Augustinus [7], quod prudentia necessaria est in eligendis, fortitudo in tolerandis, temperantia in utendis, justitia in distribuendis. Et Augustinus dicit [8], quod prudentiæ succedit contemplatio, fortitudini firma adhæsio, temperantiæ dilectionis mensura respectu creaturarum, vel creaturæ, quia dilectionis divinæ mensura est sine mensura, ut dicit Bernardus [9]. Justitiæ succedit ordinatio debita ad Deum et proximum. Ramificatur etiam gratia gratum faciens in habitus vel gradus virtutum intellectualium, quibus ratio perficitur, quæ est virtutum moralium motiva et directiva, ne per immoderantiam illarum impediantur virtutes intellectuales mentis contemplativæ, tendentes in cognitionem divinarum veritatum, quibus mens illuminatur, vel etiam reficitur. Et sunt tres, ut dicit Philosophus [10]. Sapientia regit affectum; intelligentia, intellectum; prudentia regit utrumque. Prudentia enim spiritus regit cogitationes et affectiones. Sapientia regit affectum, dum ei sapere facit unumquodque prout est, cœlestia ut cœlestia, terrena ut terrena. Unde Bernar-

Quatuor virtutes cardinales.

[1] Greg., *in Ezech.*, hom. 1. — [2] Anselm, *de Similit.*, c. CXXXI. — [3] *Prov.*, IX, 2. — [4] Aug., *in Apoc.*, hom. II. — [5] Haym., *in Apoc.*, II. — [6] Hug. de S. Vict., *in Cœl. Hier.*, lib. II, c. I, paul. a princ. — [7] Aug., *de Trinit.*, lib. IV, c. IX. — [8] Id., *de Music.*, lib. VI, c. XVI. — [9] Bern., *de dilig. Deo*, circa princ. — [10] Arist., *Ethic.*, lib. VI, c. I, III et VII.

(*a*) *Cæt. edit.* gaudium.

dus [1] : « Invenisti sapientiam, si tibi singula horum sapiunt prout sunt. » Igitur [2] *quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram,* ait Apostolus [3]. Intelligentia regit intellectum, dum ipsum introducit per omnia velamina usque ad intimas quidditates rerum. Dicitur enim in libro *de Spiritu et Anima* [4], quod intelligentia est, qua de divinis quantum possibile est cognoscitur ad cœlestia arcana penetranda. Prudentia vero regit utrumque, quia, ut dicit Philosophus [5], prudentia est recta ratio agibilis utriusque. Ramificatur etiam gratia gratum faciens, et proficit in habitus et gradus virtutum theologicarum, quæ sunt perfectiones et virtutes prædictæ, eo quod per virtutes theologicas anima perfectius in Deum fertur, et ei immediatius conjungitur. Sunt autem tres virtutes theologicæ, scilicet fides, spes, et charitas. Fides Deum quærit, et scrutatur. Spes Deum sapit, et de tentione assecuratur. Charitas Deum tenet, et amplexatur. Unde in *Canticis* dicit amica [5] : *Inveni, quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam :* ubi dicit Bernardus : « Quis te non teneat, Domine Jesu, qui tenentem spe fortificas, perfectione decoras, perseverantia conducis, remuneratione perducis ? » Ramificatur etiam gratia hæc in habitus vel gradus septem donorum Spiritus sancti, qui vires animæ disponunt ad hoc, quod bene et prompte subdantur motionibus Spiritus sancti, qui in eis donatur, et quasi superhumano modo operatur : quod tamen perfecte fieri non potest, nisi per dona ista vires mentis sanentur et reparentur. Dicit namque Hugo, in tractatu suo *de Quinque septenis*, circa principium sic [6] : « Sunt septem vitia capitalia, sive principalia, ex quibus universa mala oriuntur : quæ sunt fontes abyssi tenebrosæ, de quibus flumina Babylonis exeunt : quæ vastant universam naturæ integritatem, et generant quosdam animæ languores, interioris hominis quasi vastatores. Quorum quidam hominem spoliant ; quidam spoliatum flagellant ; quidam flagellatum ejiciunt ; quidam ejectum seducunt ; quidam seductum servituti subjiciunt. Superbia enim aufert homini Deum. Invidia aufert ei proximum. Ira aufert ei seipsum. Tristitia spoliatum flagellat. Avaritia flagellatum ejicit. Gula ejectum seducit. Luxuria seductum servituti subjicit, dum spiritum humanum fœdæ carni servire compellit, ut jam infirmus spiritus cum Psalmista clamet [7] : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Ascendi in altum maris, et tempestas demersit me.* » Hæc ille. Sed ecce Spiritus sanctus, qui est *fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam*, ut dicit Dominus [8], septem flumina tam splendida veritate, quam ignea charitate, et vivida veritate effudit in orbem terrarum. Hæc autem flumina septem sunt dona Spiritus sancti, quibus Deus totum regnum animæ purgat, et fecundat, et omnes vires mentis sanat, ornat, et consummat, in tantum ut quilibet credens fiat fons *de cujus ventre fluent aquæ vivæ,* sicut dicit Scriptura, ut ait Dominus [9]. Nam per donum timoris Domini Spiritus sanctus superbiam ab homine expellit, et Deum humiliter introducit. Per donum pietatis, invidiam turpiter conculcat, et proximum ad se dulciter invitat. Per donum scientiæ, iram totaliter sedat, et totum hominem intra se prudenter pacificat et quietat. Et per donum fortitudinis acediam velociter opprimit, et vigorem mentis vehementer ad operandum impellit. Per donum consilii, avaritiam potenter extinguit, et thesauros cœlestes sapienter conquirit. Per donum intelligentiæ, seu intellectus, gulam violenter reprimit, et cœlestibus deliciis mentem spiritualiter reficit. Per donum sapientiæ, luxuriam viriliter despicit, et totum hominem castitati et libertati restituit. Omnia prædicta infra in singulis donis patebunt. Et Hugo, in fine prædicti libri, concludit dicens [10] : « Spiritus ergo sapientiæ cor sua dulcedine tangens, et foris concupiscentiæ ardorem temperat, et sopita concupiscentia intus spiritualem creat : quatenus dum mens tota ad internum gaudium colligitur, plene ac perfecte homo ad imaginem Dei reformetur. Sapientia namque a *sapore* dicitur. Cum igitur mens internæ dulcedinis gustu tacta se per desiderium intus colligit, nec foris jam enormiter in carnis voluptate dissolvitur, totum intus possidet in quo delectatur. Gustato enim spiritu, desipit omnis caro. » Hæc ille. Est tamen sciendum, quod, sicut dicit Gregorius [11], dona ad perfectionem plenam non perveniunt, nisi fide, spe et charitate fiat omne quod agunt,

Virtutes theologicæ.

[1] Bern., de eo quod scriptum est : *Beatus homo qui invenit sapientiam,* serm., post med. — [2] *Coloss.*, III, 2. — [3] *de Spir. et Anim.*, c. XI, apud Aug., Append. tom. VI. — [4] Arist., *Ethic.*, lib. VI, c. V. — [5] *Cant.*, III. 4. — [6] Hug. de S. Vict., *de quin. Sept.*, c. II; *Excerpt. seu Allegor. in Matth.*, lib. II, c. XVI et XVII. — [7] *Psal.* LXVIII, 3 et seq. — [8] *Joan.*, IV, 14. — [9] *Joan.*, VII, 38. — [10] Hug. de S. Vict., lib. proxime cit., c. IV. — [11] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XIII.

quia sibi invicem cooperantur. Ecce sanctissima dona nos habilitant et disponunt ad summi boni capacitatem, familiaritatem et fruitionem. Sed quia dicit Augustinus, pertractans illud Psalmi [1] : *Lætetur cor quærentium Dominum, quærite faciem ejus semper* [2] : « Qui semper quæritur, nunquam invenitur. » Quo modo igitur lætabitur cor quærentium Dominum, et non magis tristabitur? Et respondet Augustinus quod Dominus incomprehensibilis est, et hoc cognoscere invenire est. Bene dicit igitur, quod sine fine quærendus, qui sine fine est diligendus. *Satiabimur* tamen [3], *cum apparuerit gloria* ejus. Ideo gratia ejus gratum faciens ramificare, et proficere debet usque ad gradus et excellentias perfectionum, secundum quas homo operatur quasi divino modo perfectissimos actus, quadam excellentia; quia vero fini magis appropinquant, recto vocabulo nuncupantur ex nomine *beatitudinum*. Sunt autem septem beatitudines, quas Salvator enumerat [4] : licet secundum aliquem modum possent dici octo. Et sunt hæc : scilicet paupertas spiritus, mititas, luctus, esuries, justitia, misericordia, cordis munditia, et pax. Numerus istarum beatitudinum et ordo accipitur ex integritate perfectionis hominis.

Octo beatitudines, et earum ordo.

Primo, ad integritatem perfectionis necessario requiruntur tria : primo, perfectus recessus a malo; secundo, perfectus processus in bono; tertio, perfectus status in optimo. Sane malum aut procedit ex tumore superbiæ, aut ex rancore malitiæ, aut ex languore concupiscentiæ : sed paupertas spiritus elongat a malo tumoris : et est prima beatitudo, quia dicit Glossa [5] : « Sicut initium sapientiæ est timor Domini, sic paupertas spiritus est principium beatitudinis. » Et facit duo, scilicet rerum abdicationem, et spiritus contritionem, sive humiliationem. Mititas elongat a malo rancoris. Luctus elongat a malo libidinis, et languoris concupiscibilis. Secundo, ad processum in bono pertinent duæ beatitudines, scilicet esuries justitiæ, et affectus misericordiæ. Tertio, ad statum optimum pertinet limpida cognitio, et tranquilla refectio. Munditia cordis valet ad videndum; pax ultima beatitudo mentis valet ad perfecte fruendum. Sunt et aliæ rationes hujus numeri et ordinis, ut infra patebit. De hac pace dicit beatus Augustinus sic [6] : « Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles armat, discordes sedat, inimicos concordat. Cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. Hanc qui accipit, teneat; qui perdit, repetat; qui amiserit, exquirat, quoniam qui in eadem non fuerit, vel erit inventus, a Patre abdicatur, a Filio exhæredatur, et nihilominus a Spiritu sancto alienus efficitur, nec ad hæreditatem Domini pervenit, qui testamentum pacis observare noluit. » Hæc Augustinus. Hac agitur pace habita, quid sequitur, nisi superabundans delectatio spiritualis, quæ consequitur opera perfecta? Dicit enim Origenes super *Cantica* : « De natura boni operis est, quod ad ipsius multiplicationem multiplicatur delectatio, et quasi quoddam condimentum cibi spiritualis est hilaritas bene operantis. » Et Gregorius, in *Moralibus*, dicit [7] : « Comedere animæ, est bonis operibus satiari. Bonum enim operatum fert secum dulcedinem in gustu, et gaudium in corde. Cum igitur in beatitudinibus prædictis sint operationes perfectissimæ, necesse est, ut dulcedines dulcissimas generent in habente illas. Ad has beatitudines igitur, propter suam plenitudinem et perfectionem, duodecim fructus spiritus et quinque sensus spirituales consequuntur : qui non dicunt novos habitus, sed status delectationum et consolationum, quibus consolantur spiritus justorum virorum. Continetur autem numerus istorum fructuum in duodenario, propter insinuandam superabundantiam delectationum. Est enim numerus duodenarius abundans, in quo insinuatur spiritualium charismatum exuberantia, quibus fruitur, et delectatur anima sancta. Fructus autem sunt hi [8] : *Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, et castitas* : qui dicunt delectationes consequentes opera perfecta. Per sensus autem spirituales, qui dicunt perceptiones vel experientias mentales, percipit anima spiritualia fructuum oblectamenta. Sed notandum est quod, sicut dicitur in libro *de Spiritu et Anima* [9], duo sunt sensus in homine, unus exterior, alter interior : et uterque suum bonum habet, quo reficitur. Sensus exterior reficitur contemplatione humanitatis;

Fructus spiritus qui sunt.

[1] *Psal.* CIV, 3, 4. — [2] Aug., *de Trinit.*, lib. XV, c. II.— [3] *Psal.* XVI, 15.— [4] *Matth.*, V, 3-11.— [5] Gloss. *in Matth.*, V.— [6] August., *de Temp.*, serm. CLXVII, al. XCVII, append. tom. V. — [7] Greg., *Moral.*, lib. XII, c. VIII, statim a princ. — [8] *Galat*, V, 22-23. — [9] *De Spir. et Anim.*, c. IX, apud Aug., Append. tom. VI.

sed sensus interior, contemplatione divinitatis. Propterea Deus factus est homo, ut totum hominem beatificaret, et tota conversio hominis, et dilectio esset ad ipsum. Hoc enim totum bonum hominis erat, ut sive egrederetur, sive ingrederetur, in suo factore pascua inveniret. Constat enim homo ex carne et anima. Et in carne sunt quinque sensus, scilicet visus, auditus, olfactus, gustus, et tactus, quos tamen non movet absque animæ societate. Ita anima simili modo habet quinque sensus spirituales; quia spirituales res, non corporalibus sensibus, sed spiritualibus rimandæ sunt. » Et sequitur ibidem : « Unde divina vox in Deuteronomio [1] : *Videte quod ego sum Dominus solus* : ecce visus spiritualis. Et in Apocalypsi [2] : *Qui habet aures audiendi, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiæ* : ecce auditus spiritualis. Et in Psalmo [3] : *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus* : ecce gustus spiritualis. Et Apostolus dicit [4] : *Bonus odor Christi sumus* : ecce odor Christi spiritualis, vel olfactus. Et in Evangelio, fide mulierem se tetigisse, magis quam corpore, ostendit dicens [5] : *Quis me tetigit?* ecce tactus spiritualis. » Et sequitur : « Sic cum omni cautela observandum est, quid ad corporis sensus, et quid ad animæ dignitatem pertineat. » Hæc ille. Hos sensus spirituales, et eorum experientiam videtur Augustinus habuisse, qui ait sic [6] : « Quid amo, cum Deum meum amo? certe non exteriora; sed amo quamdam lucem, et quamdam vocem, et quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum interioris hominis mei : ubi fulget animæ meæ lumen, quod non capit locus; ubi sonat verbum, quod non capit tempus; ubi olet odor, quem non spargit flatus; ubi cibus, quem non minuit edacitas; ubi hæret amplexus, quem non divellit societas. Hæc amo, cum Deum meum amo. » Hæc Augustinus. Ex his aliqualiter apparet, vel apparere potest, distinctio et differentia prædictorum habituum, vel magis graduum et intensionum perfectionalium. De his sensibus spiritualibus plenius dicitur in tractatu *de Itineribus æternitatis*, cap. 6.

Quinque sensus spirituales in anima.

CAPUT IV.

Quæ utilitas in septem Spiritus sancti donis conferatur?

Tertio videndum est, quæ utilitas in istis septem donis Spiritus sancti conferatur. Circa quod notandum est, quod Spiritus sanctus per sua dona primo sibi domum mentalem in jucundum habitaculum et in sanctum manerium præparat. Nam donum sapientiæ virtutibus ædificat mentis domum. Donum intellectus mentis domum contemplatione illuminat. Donum consilii domum mentis gubernat prudentia. Donum fortitudinis mentis domum stabilit et defensat patientia. Donum scientiæ mentis domum multipliciter ditat, et cibat divinis veritatibus. Donum pietatis mentis domum divino cultu perornat. Donum timoris mentis domum mundam conservat, et omne peccatum ab ea totaliter expellit, et extirpat : quia *timor Domini expellit peccatum*, ut dicitur in *Ecclesiastico* [7]. Hæc possunt elici ex verbis Bedæ in una homilia super *Matth.*, cap. XII, ubi dicit : « Sapientia domum ædificat. Intellectus gubernacula invenit. Consilium bona a malis discernere facit. Fortitudo in patientia animam possidet. Scientia divitiæ Dei et salutis acquiruntur. In pietate prosperitas præsentis vitæ et futuræ consistit : ad omnia enim utilis est. Timore humilitas conservatur, et omne peccatum expellitur. Et sic mens humana Deo in habitaculum sanctum præparatur. » In quo habitaculo, quantum familiaritatem Dominus cum mente humana habeat, et quot consolationes ei exhibeat, infra patebit. Secundo dona Spiritus sancti totam familiam domus mentalis, sive vires animæ, ad expedite ministrandum Deo, et faciliter obediendum disponunt et habilitant, ut docet Beda, super *Matthæum*, exponens illud verbum [8] : *Mulier habuit septem viros* : « Spiritus sapientiæ negligentiam, scilicet ministerii, a pigro repellit. Spiritus intellectus diligentiam ministrandi rationabiliter quærit. Spiritus consilii providentiam divinam prudenter invenit. Spiritus fortitudinis impedimenta ministrandi fortiter retundit. Spiritus scientiæ oblivionem diu esse non sinit lubricam. Spiritus pietatis humanam fragilitatem circa ministerium clementer indulget. Spiritus timoris Dei improvidam ignorantiam ardenter decoquit, et mentem pia sollicitudine ad satisfaciendum Deo impellit. Quia *qui Deum timet, nihil negligit*, ait Sapiens [9]. » Et Gregorius dicit [10] : « Deum timere, est nulla quæ facienda sunt, præterire. Et sic tota familia mentis ser-

[1] *Deut.*, XXXII, 39. — [2] *Apoc.*, II, 7. — [3] *Psal.* XXXIII, 9. — [4] II *Cor.*, II, 15. — [5] *Luc.*, VIII, 45. — [6] Aug., *Confess.*, lib. X, c. VI. — [7] *Eccli.*, I, 27. — [8] *Matth.*, XXII, 28. — [9] *Eccle.*, VII, 19. — [10] Greg., *Moral.*, lib. I, c. III.

viet universorum Domino, cui servire regnare est, ait Apostolus et Gregorius. Sed necesse est scire hic, quæ sit ista familia mentis, et quæ sit dignitas, ordo, et operatio eorum. De quo notandum est, quod in libro *de Spiritu et Anima* [1] dicitur, quod « nobilis creatura est anima. Civitas namque Dei est, de qua, secundum Psalmistam [2], tam *gloriosa dicta sunt*, quia ad imaginem et similitudinem Dei facta sit. » Sequitur : « Sed quia nulla est civitas absque populo, ideo disposuit in ea conditor noster populum triplicis gradus, id est, sapientes ad consulendum, milites ad pugnandum, artifices ad ministrandum. » Et sequitur ibidem : « Cives hujus civitatis sunt naturales et ingeniti animæ vigores, tanquam indigenæ : quorum distincti sunt gradus, alii sunt superiores, alii medii, et alii inferiores. Superiores quidem sunt sensus intellectuales; medii, rationales; infimi sunt animales. » Et tantum de familia hac sufficiat, quantum ad præsens propositum. Sed de ordine istius familiæ, et operatione, infra require, capite quinto secundæ partis. Tertio Spiritus sanctus, per dona prædicta, totam familiam animæ, sive mentis, vires erudit, et munit contra tentamenta et defectus naturales, vel contractos, quibus secundum dispensationem divinam quandoque exercentur, ne otiosi in delectabili tranquillitate donorum tepescant, et inde habeantur ut ingrati, et non cognoscant. Unde Gregorius dicit sic [3] : « Nonnunquam dum mens nostra tanti muneris plenitudine donorum atque ubertate fulcitur, et continua securitate in his perfruitur, unde sibi hæc sunt, obliviscitur; et quasi se putat habere, quod nunquam sibi consideravit abesse. Unde fit quod eadem gratia donorum quandoque utiliter se subtrahat, ut menti præsumenti, quantum in se infirmetur, ostendat. » Sequitur : « Tunc enim vere cognoscimus bona nostra unde sint, quando hæc quasi amittendo sentimus, quia a nobis servari non possunt. » Et dicit ibidem quod contra singula tentamenta Spiritus sanctus erudit et munit mentem in septem virtutibus sive donis, quæ pro eodem accipit, ut patet ibidem.

Unde contra stultitiam humanam, vel mundanam, dat sapientiam divinam; contra hebetudinem humanam, dat donum intellectus; contra præcipitationem periculosam, dat donum consilii; contra timorem, ut est passio, dat donum fortitudinis; contra totam ignorantiam, dat donum luminosæ scientiæ; contra cordis duritiam, dat donum benignæ pietatis; et contra pertinacem superbiam, dat donum humilis timoris.

Et infra dicit : « Mira autem hoc nobiscum agitur dispensatione, ut mens nostra culpæ nonnunquam pulsatione feriatur. Nam homo magnarum virium se esse crederet, si nullum unquam virium suarum defectum intra mentis arcanum sentiret. Nam unde se pertimescit enormiter cadere, inde accipit fortiter stare. » Et, ut dicit Gregorius ibidem : « Tentatio talis excitat, ut se mens in certamine cautius accingat. » Quarto Spiritus sanctus per dona omnes vires mentis, et totam familiam animæ habilitat, et disponit, ut ad cœlestia per gradus ascendant, ubi est vera patria animæ. Unde Gregorius exponens illud [4], *Septem graduum erat ascensus civitatis*, ait [5] : « Sunt multi, qui jam per septem gradus, id est per spiritus septiformem gratiam, aditum vitæ cœlestis inveniunt, ut hi qui per timorem Dei sunt humiles. » Unde dicitur in Job [6] : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria*, » scilicet cœlesti. Per pietatis studium sunt misericordes, quia in *Matthæo* dicitur [7] :*Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur*, etc. Per scientiam sunt discreti, sunt discernentes inter malum et bonum, et qualiter salventur. Quam scientiam dat Spiritus sanctus, ut dicit Anselmus [8]. Per fortitudinem sunt liberi vel animosi, ut nulli vitio subjiciantur, quia [9] *fortitudo et decor indumentum ejus.* Decor autem vitium vincit. Per consilium, sunt cauti : unde in *Ecclesiastico* dicitur [10] : *Sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.* Per intellectum sunt providi, quia intellectus cum dono superaddito penetrat omnia velamina usque ad arcana cœlestia : de hoc infra. Per sapientiam sunt maturi, juxta illud [11] : *Quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Et hæc amicos Dei constituit. De hac sapientia dicit Alanus [12], libro *de Planctu naturæ*, sic : « Sapientia est fructus internæ delectationis, deliciosus animæ paradisus. Hæc cum in cœlestem terrenum, id est in mortalem cadit hominem, in Deum deificæ mutationis

[1] *De Spir. et Anim.*, c. XXXVII. — [2] *Psal.* LXXXVI, 3. — [3] Greg., *Moral.*, lib. II, c. XXXVII. — [4] *Ezech.*, XL, 20. — [5] Greg., *in Ezech.*, hom. XVII. — [6] *Job*, XXII, 29. — [7] *Matth.*, V, 7. — [8] Anselm., *de Similit.*, c. CXXX. — [9] *Prov.*, XXXI, 25. — [10] *Eccli.*, XXXII, 24. — [11] *Sap.*, VIII, 1. — [12] Alan. de Insulis.

auctoritate convertit. » Sunt et aliæ multæ utilitates, ut in singulis donis patebit.

CAPUT V.

Qui et quales donorum Spiritus sancti capaces efficiantur, et qualiter ea obtineantur.

Quarto videndum est, qui, et quales, et qualiter istorum septem donorum sive radiorum capaces efficiantur, quæ tam liberaliter fidelibus exhibentur. De quo notandum est, quod Dionysius, *de Divinis Nominibus*, secundum commentum abbatis Vercellensis dicit sic [1] : « Cum divinitas supersubstantialiter sit bona et suam bonitatem ad universitatem extendat, cujus rei qualecumque indicium in sole corporeo ostenditur, qui non præmissa electione, sed ex principali naturæ suæ proprietate, per seipsum, quantum in se est, circumquaque cuncta illuminat luminis sui capacia, et sibi exposita, et hoc secundum singulorum illuminandorum proportionem : sic merito divina bonitas incomparabiliter super solem, non minus super obscuram imaginem, quam super claram, non minus super cæcam, quam videntem, ut alibi exemplificat, ex proprietate naturæ suæ omnibus creaturis suis proportionaliter immittit radios suæ universalis bonitatis, per quos subsistit, vivit, et operatur unaquæque creatura, prout sibi competit. Propter quod Spiritus sanctus, cum sit summæ liberalitatis, radios suorum donorum omnibus exhibet liberaliter, qui ab uno lumine procedentes, exhibentur diversimode diversis, secundum cujuslibet capacitatem. Unde Bernardus quasi admirando clamat [2] : « Vere multiplex spiritus in virtute, qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat a calore ejus, id est, radiis beatificis ejus. Siquidem conceditur hominibus ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem. Ad usum quidem vitæ præsentis conceditur bonis et malis, dignis pariter et indignis, communia bona abundantissime tribuens, ita ut videatur hic discretionis limen non tenere. Ingratus est vel cæcus, qui in his beneficium Spiritus sancti non agnoscit. Ad miraculum datur in signis et prodigiis, in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operatur. Ipse enim antiqua miracula suscitat, ut ex præsentibus fidem astruat præteritorum, quæ quandoque datur sine gratia gratum faciente. Tertio infunditur ad salutem, cum in toto corde nostro revertimur ad Dominum Deum nostrum. Porro ad auxilium datur, cum in omni colluctatione adjuvat infirmitatem nostram. Datur etiam ad consolationem, cum testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Ea enim inspiratio, ad consolationem nostram est. Datur etiam ad fervorem, cum in cordibus nostris seu perfectorum vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solum in spe gloriæ filiorum Dei, sed et in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem. Pauci sunt, qui hoc spiritu repleantur. » Hæc ille. Isti actus ita excellentes sunt actus donorum, ut ex supradictis patere potest, excellentiæ quorum non omnibus conveniunt. Istorum autem donorum et actuum tam excellentium, et radiorum tam splendentium, non sunt capaces mundi amatores ; quia in eis datur Spiritus sanctus, quem mundus non potest accipere. Nam Dominus dicit [3] : *Spiritum veritatis mundus non potest accipere.* Cujus rationem reddit ibidem, dicens : *Quia non vidit eum, neque scit eum.* Quod verbum Augustinus in originali exponens dicit [4] : « Sicut injustitia justa esse non potest, ita mundus, id est amatores mundi, non possunt accipere Spiritum sanctum. » Quod declarat per oppositionem, quæ est inter gratiam et peccatum. Nam peccatum, quod est in amatoribus mundi, opponitur gratiæ sive charitati, quæ est in donis Spiritus sancti. Unde Joannes in Canonica dicit [5] : *Qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quia omne quod est in mundo, est concupiscentia oculorum, et concupiscentia carnis, et superbia vitæ,* quæ donis Spiritus sancti opponuntur. Secundo probat hoc per indispositionem intellectus mundanorum hominum ad videndum, dicens : « Mundana dilectio non habet invisibiles oculos, per quos Spiritus sanctus videri potest, quia Dominus dixit : *Mundus non videt eum*, scilicet Spiritum sanctum, *neque scit eum.* Cujus ratio est, quia [6] *animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt*, ut dicit Paulus : quia [7] *oculos suos statuerunt declinare in terram*, sicut dicit Propheta. Et [8] *Spiritus sanctus aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu,* ut dicit Sapiens. Unde

Multiplicem affectum causal Spiritus sanctus in homine.

[1] Dion., *de Div. Nom.*, c. IV, ante med. — [2] Bern., *de Pentec.*, serm. II. — [3] *Joan.*, XIV, 17. — [4] Aug., *in Joan.*, tract. LXXIV. — [5] I *Joan.*, II, 15 et seq. — [6] I *Cor.*, II, 14. — [7] *Psal.* XVI, 11. — [8] *Sap.*, I, 5.

cæci sunt, et duces cæcorum. Tertio Gregorius idem declarat in *Moralibus*, ex defectu affectus mundanorum hominum ad diligendum Deum, dicens [1] : « Spiritum sanctum mundus non potest accipere, quia ad diligendum invisibilia non assurgit. Quia sæculares mentes, quanto se foris per desideria dilatant, tanto ad receptionem Spiritus sancti sinum cordis augustant, et quandoque claudunt; » quia, sicut dicit Apostolus [2], *qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui vero secundum spiritum sunt, quæ spiritus sunt, sapiunt,* non quæ carnis. Spiritus enim sanctus odit sordes peccati, nec habitare potest in corpore subdito peccatis, sed in mentibus puris. Ideo modo videndum est, qui sint capaces Spiritus sancti, et donorum ejus, non ex suis meritis, sed ex largitate dantis Spiritus. Qui igitur e converso mundi mala odiunt vilipendendo et contemnendo, Hierusalem ascendunt, mundum fugiendo, et se elongando; in templo cordis Spiritum sanctum quærunt, fideliter orando; sedent unanimes in domo cordis, humiliter quiescendo, et Paracletum desiderando; præstolantur adventum Spiritus sancti, inspirationes ejus studiose observando : hi sunt, qui capaces ejus sunt. Nam, sicut dicit Bernardus [3] : « Bonum quod in nobis spiritus bonus operatur ad faciendum, profecto monet memoriam, docet rationem, et movet voluntatem. In his enim tribus, tota consistit anima nostra, ut in imagine Dei. Memoriæ suggerit bonum in cogitationibus suis, atque ignaviam nostram torporemque repellit. » Sequitur : « Propterea quoties hujusmodi suggestiones boni senseris in corde tuo, da honorem Deo, et age reverentiam Spiritui sancto, cujus vox sonat in auribus tuis. Ipse namque est, qui loquitur justitiam. Unde et Psalmista ait [4] : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* » Docet et rationem : « Multi siquidem, ait Bernardus, bene monentur ut bene faciant, sed minime sciunt quid agendum sit, nisi adsit denuo gratia Spiritus sancti, et quam inspirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua sit in nobis gratia Dei, sed operetur, prout ratio inspirat et dictat. Sed quia [5] *scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi*, propterea non solum moneri et doceri oportet, verum et moveri et affici ad bonum operandum necesse est. » Et sequitur ibidem [6] : « Operatur autem sic Spiritus sanctus in nobis remissionem peccatorum : facit sollicitum ambulare cum Deo; scrutatur profunda pectorum nostrorum, discretor cogitationum, et intentionum cordis. Qui nec minimam paleam intra cordis quod possidet habitaculum, patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit Spiritus dulcis et suavis, qui nostram voluntatem erigat, et dirigat ad suam, ut eam veraciter intelligere, et ferventer diligere, et efficaciter implere possimus. *Hæc autem* [7] *omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Unde Bernardus ibidem dicit [8] : « Spiritus sanctus qui a Patre Filioque procedit, tanquam firmissimum et indissolubile vinculum Trinitatis, et tanquam donum in quo omnia dona donantur, et de quo testatur Scriptura, quia procedit, et spirat, inhabitat, implet, atque glorificat; procedere dicitur a Patre et Filio, ut donum ad creaturam. Unde procedendo prædestinat; inspirando, vocat quos prædestinavit; inhabitando, justificat quos vocavit; replendo, accumulat meritis quos justificavit; et glorificando, ditat præmiis, quos accumulavit meritis. » Hæc Bernardus. Igitur capaces Spiritus sancti, et donorum ejus, sunt prædicti. Nihilominus tamen liberaliter se exhibet omnibus, ut ostendit Bernardus, dicens [9] : « Venit Dominus ad nos, accelerat, appropiat (*a*), adest, respicit, alloquitur. Venit, affectu et studio miserendi. Accelerat, subveniendi zelo. Appropiat, humiliando semetipsum. Adest præsentibus; prospicit in futuros. Loquitur, docens et suadens de regno Dei. Sed mundani et carnales, neque cognoscunt, neque sciunt eum, quia malitia eorum excæcavit eos. Boni vero cognoscunt eum, dicentes [10] : *O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in nobis !*

Qui sunt capaces Spiritus sancti, et donorum ejus.

CAPUT VI.

Qualiter dona ascendendo et descendendo ordinentur.

Quinto videndum est de istorum donorum ordine. In eis namque sunt quidam gradus scalares per quos ascenditur. Necesse autem est nos ascendere et descendere, ut dicit Bernar-

[1] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XIX. — [2] *Rom.*, VIII, 5. — [3] Bern., *de Pentec.*, serm. I, circa med. — [4] *Psal.* LXXXIV, 9. — [5] *Jac.*, IV, 17. — [6] Bern., *in Pentec.*, serm. II, prope fin. — [7] I *Cor.*, XII, 11. — [8] Bern., *in Pentec.*, serm. III. — [9] Bern, *in Cant.*, serm. LVII, in princ. — [10] *Sap.*, XII, 1.

(*a*) *Ita Edit. Lugd. — Cæt. edit.* approprint, *mend*

dus in una epistola. Et Augustinus dicit [1] : « Semper ambula, semper profice, noli in via deficere, noli retroire, noli deviare. Remanet, qui non proficit; retrocedit, qui ad ea revolvitur, unde jam recesserat; deviat, qui apostatat. » Et ideo videndum est in istis donis Spiritus sancti, qualiter sit ambulandum proficiendo de virtute in virtutem; qualiter ascendendum sit, Deum contemplando; et qualiter descendendum, proximo subveniendo. Isaias enim loquens de flore Jesu, qui ascendit de radice Jesse, dicit [2], quod repletus fuit istis donis. Et enumerando ea, incœpit a summo dono, scilicet dono sapientiæ, et descendit per media, usque ad infimum, scilicet donum timoris Domini. Et rationem istius ordinis assignat Jacobus, cum dicit [3] : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Sunt alii multi, ut Augustinus [4], *de Doctrina christiana*, et Gregorius [5], *super Ezechielem*, et Anselmus [6], qui enumerando dona prædicta, docent incipere ab infimo dono, scilicet timoris Domini, et per media ascendere usque ad summum, scilicet donum sapientiæ. Est igitur in eis quasi ascensus et descensus scalaris, ut in scala Jacob. Descensum de supremis ad media, et de mediis ad infima, Dionysius magis naturalem et rationabilem ostendit in ordinatione omnium hierarchiarum, tam angelicarum, quam ecclesiasticarum, quam etiam mentium humanarum. Dicit enim Dionysius in *Angelica Hierarchia*, secundum commentum Vercellensis, sic [7] : « Addam et hoc non inconvenienter, quod secundum seipsam unaquæque mens, tam cœlestis quam humana, spirituales habet et primas et medias, et ultimas ordinationes et virtutes; » et in his omnibus docet descendere a superioribus ad inferiora, communicando eis, quæ receperunt. Nam idem Dionysius dicit [8] : « Oportet divina prius participare, quam distribuere : quia qui præsumunt abusive docere divina, antequam recte conversentur, adhuc immundi, omnino a docendi officio sunt extranei. Sicut enim solares radii primarias et propinquiores materias capaciores celerius illustrant et adimplent, et per illas ad inferiores materias lumina deferunt : sic officium docendi divina alios, non præsumant suscipere, nisi qui habitum divinæ scientiæ et veritatis obtinuerunt, tanquam ex Dei inspiratione et judicio, ad hoc officium assumpti. » Unde sanctus Ambrosius, in libro *de Virginibus*, dicit [9] : « Cursus ad superiora est tutus; descensus ad inferiora est periculosus. » Gregorius vero, *super Ezechielem*, loquens de cœlestibus gradibus donorum et ordinum, dicit [10] : « Isaias loquens de cœlestibus, magis descendendo, quam ascendendo, dona numeravit a supremo, hoc est, a dono sapientiæ incipiendo. Sed nos, inquit Gregorius, qui a terrenis ad cœlestia tendimus, eosdem gradus ascendendo numeramus, et incipiendo ab infimo, scilicet timoris Domini, usque ad donum sapidæ sapientiæ. » Rationem hujus ascensionis reddit Gregorius in *Moralibus*, dicens [11] : « Nemo infima deserens, repente fit summus : quia ad obtinendum perfectionis meritum, dum quotidie mens in altum ducitur, ad hoc proculdubio, velut ascensionis cujusdam gradibus, pervenitur. » Hæc ille. Quare *ascensiones* [12] *in corde* nostro *disponere* debemus *in hac valle lacrymarum*, ut ad donum sapientiæ pertingamus, in quo secundum Apostolum [13] gustatur *Verbum Dei, et divitiæ sæculi venturi.* Et non solum est nobis ascendendum ad Deum contemplandum; sed etiam nobis est descendendum ad proximum sublevandum, et instruendum de his, quæ sursum sunt. Unde Dionysius dicit sic [14] : « Divinis et spiritualibus viris radius intellectualis rerum spiritualium immediate lucens, et eorum mentes spiritali suavitate perfundens, ad alios minus, velut non spirituales, non similiter procedit : sed ab ipsis spiritualibus sicut occulti intelligibilis contemplatoribus sub ænigmatibus cooperitur, ne ab immundis contaminetur et imperfectis, per quæ ænigmata inferiores et infirmiores sursum aguntur, secundum singulorum capacitatem vel facultatem. » Hæc ille. Est igitur nobis in hac scala ascendendum et descendendum, ab infimo dono timoris, usque ad summum donum sapientiæ, per gradus disponentes ascensiones in corde, ut eamus *de virtute in virtutem*, donec *videatur Dominus Deus in Sion.* Primus igitur gradus ascendendi, est timoris amorosi in omnibus continuatio; secundus, pietatis viscerosæ

Septem gradus ascensionis, sunt

[1] Aug., *de verb. Apost.*, serm. XV, al. CLXIX, n. 18. — [2] *Isa.*, XI, 2. — [3] *Jac.*, I, 17. — [4] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. II, c. VII. — [5] Greg., *in Evang.*, hom. XIX, ante med. — [6] Anselm., *de Simitit.*, c. CXXX. — [7] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. X. — [8] Dion., *de Eccles. Hier.*, c. IV. — [9] Ambr., *de Virginib.*, lib. III. — [10] Greg., *in Ezech.*, hom. XIX. — [11] Id., *Moral.*, lib XXII, c. XIV. — [12] *Psal.* LXXXIII, 6. — [13] *Hebr.*, VI, 5. — [14] Dion., *de Eccles. Hier.*, c. V.

septem dona Spiritus sancti. ad Deum et proximum sancta liquefactio; tertius, scientiæ omnium beneficiorum Dei grata recognitio; quartus, fortis omnium operationum bonarum executio; quintus, consulta a Deo omnium eligendorum, et tuta electio; Sextus intellectus, omnium veritatum necessariarum limpida contemplatio; et septimus, sapientialis cœlestium deliciarum prægustatio.

Nec desunt quidem angeli in scala hac ascendentes et descendentes. Ad cujus evidentiam notandum est, quid sit angelus iste, de quo Richardus dicit sic [1] : « Angelus sane nuntius dicitur, et proculdubio nuntius est, non quilibet, sed divinus nuntius est, per quem divinæ voluntatis beneplacitum cognoscimus. Nuntius est, per quem ad æternorum cognitionem illuminamur, per quem ad æternorum desiderium inflammamur. » Et sequitur : « Vultis audire qualem nuntium apostolus Joannes nobis promittat, cum dicit [2]: *Unctio*, inquam, *ejus docebit nos de omnibus*. Sed quæ est unctio ista, nisi Spiritus sanctus, scilicet divina inspiratio? Hic est ille nuntius, quem diu quærebamus. Hæc est legatio vere potens, vere sufficiens, animum humanum omnem veritatem docens, et ad omnia divinæ voluntatis beneplacita inclinans. Et ideo Richardus dicit [3] : « Summe amorosa anima, sciens nuntios dilecti sui audire, clamat cum Propheta [4] : *Manda, remanda.* » Et postea dicit sic : « Nuntius inter nos medius discurrat, qui me de singulis instruat; doceat me non solum super statu meo, sed et de statu tuo me doceat, quo modo apud te sit, et quid tibi de me placuerit. » Et sequitur : « Quotidie, ni fallor, vos qui lectioni vel meditationi insistitis, ejus nuntios suscipitis, mandata cognoscitis. Quoties ex abditis Scripturarum recessibus novos intellectus eruimus, quid aliud quam quosdam dilecti nostri nuntios accipimus? Huic sane negotio subservit omnis sacra lectio, sagaxque meditatio. Alii itaque legentibus, aliique meditantibus, divinorum secretorum nuntii occurrunt, qui dilecti nostri mandata ad nos perferant, et de singulis instruant. Et sæpe fit ut in una eademque Scriptura, dum multipliciter exponitur, multa nobis in unum loquatur, moraliter nos docens, quid dilectus noster facere nos velit; allegorice nos admonens, quid pro nobis per seipsum fecerit; anagogice proponens, quid adhuc de nobis facere disponit, et in hunc modum mandat et remandat. De hoc nota bene, dono tertio, capitulo tertio. Dum igitur quotidianis usibus novos sensus novosque intellectus quæritant, quid aliud quam, *Manda, remanda*, per affectum clamant? » Hæc ille. Sed qui sunt nuntii falsi, ut carnis, mundi, vel diaboli, solerter discernendum est. *Ex fructibus* enim [6] *eorum cognoscetis eos*. Similiter amatrix anima nuntios amorosos sibi inspiratos dilecto remittit, secundum dona Spiritus sancti, ut profunda suspiria, alta desideria, contemplationes limpidas, affectiones ecstaticas, orationes vel invitationes fervidas, expectationes sitibundas, et cogitationes languidas, dicens eis illud Canticorum [7] : *Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo*; ubi dicit Glossa : « Præ magnitudine amoris, omnia temporalia sunt mihi fastidio. » Hæc ille.

[1] Richard., *de Contempl.*, lib. V, c. XIV. — [2] I *Joan.*, II, 27. — [3] Richard., *de Contempl.*, lib. IV, c. XIII. — [4] *Isa.*, XXVIII, 10. — [5] Richard., lib. cit., c. XIV. — [6] *Matth.*, VII, 16. — [7] *Cant.*, II, 5.

PARS II [a]

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI IN SPECIALI

SECTIO I. [a]

DE DONO TIMORIS.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit timor, et qualiter secundum inordinatos amores multiplicatur, et deordinatur.

His itaque in generali præmissis, modo de singulis donis in speciali videamus. Quorum primum, scilicet infimus gradus ascendendi ad gustum sapientiæ, est timor Domini. De quo Anselmus dicit sic [1]: « Horum donorum primum est timor Dei, veluti aliorum quoddam fundamentum. Hunc namque Spiritus sanctus in campo mentis supponit, aliaque dona in suo ordine, veluti in ædificationem superimponit. Prius enim metuere facit, ne pro peccatis suis a Deo separetur, et post in pœnis inferni cum diabolo torqueatur. » De qua tortura Hugo, in libro suo *de Anima*, dicit sic: « Terreat te timor judicii terribilis, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis mordens, sulphur fœtens, flamma tartarea, et tandem omnia mala, ut tandem clames : In æternum non peccabo. » Et sic patet, quod donum timoris est primum in ascendendo.

Timor est fundamentum aliorum donorum.

Sed ad majorem notitiam hujus doni, scilicet timoris, sunt quatuor notanda. Primo, quid sit timor, et qualiter secundum inordinatos amores multiplicatur et deordinatur. Secundo, quis timor a regno animæ per charitatem perfectam expellatur, et quem secum compatiatur. Tertio, qualiter a timore Dei in anima dies clara oriatur. Quarto, qualiter a dono timoris animæ convivium præparetur.

Primo igitur videndum est quid sit timor, et qualiter secundum diversos amores multiplicatur, quia ex amore oritur. « Timor, sicut dicit Augustinus, *de Civitate Dei* [2], est amor fugiens quidquid ei adversatur. » Et cum hoc concordat Glossa Augustini super *Joannem*, ubi dicit [3]: « Timor est fuga, ne perdat homo quod amat. » Igitur timor oritur ex amore. Nam quandiu amorem ordinatum habuit in paradiso, tamdiu sine timore inordinato fuit in seipso, et quam cito amorem inordinatum admisit, tam cito timor inordinatus affuit pœna peccati; quare se abscondit, dicens [4]: *Domine, audivi vocem tuam, et timui.* Quare timuit, nisi quia per inordinatum amorem præcepti Domini transgressor fuit? Quanto ergo homo a falso et inordinato amore recedit, et ad veram charitatem accedit, tanto inordinatum timorem evadit. Ideo notandum est, quod Hugo [5], et Glossa super Psalmum (*b*) XVIII, dicunt, quod quinque sunt timores, scilicet timor naturalis, timor mundialis, timor servilis, timor initialis, et timor filialis. Timor naturalis est passio quæ oritur ex amore naturali, in quo quilibet timet naturaliter nocumentum naturæ suæ; passionibus autem nec meremur nec demeremur, quia non subjacent libero arbitrio, nisi quando quis rationabiliter se habet circa eas. Isto timore Christus timuit mori, sed non nisi quantum voluit, nobis in exemplum vel documentum. Unde si quando est malitia in timore naturali, non est nisi ex defectu rationis et voluntatis. Et licet iste timor non sit a Spiritu sancto, tamen cum ipso stare potest in homine.

Timor naturalis

Secundus timor dicitur mundanus, quo quis timet nimis de amissione vitæ præsentis, vel rerum ad hanc vitam pertinentium. Unde qui nimis diligit mundum, vel res temporales, vel amicos, nimis timet ab eis separari. Et hic timor nascitur ex nimio inordinato amore utriusque, et semper est malus, quia, ut dicit Joannes [6]: *Qui diligit mundum, inimicus Dei constituitur; quia* [7] *non est charitas Patris in eo.* Et ideo hic timor quandoque est peccatum mortale, ut

Timor mundanus.

[1] Anselm., *de Simili.*, c. CXXX. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. VII. — [3] Gloss. *in Joan.*, XX, ex Aug., *in Psal.* LXII, et *in Joan.*, tract. IV. — [4] *Gen.*, III, 10. — [5] Hug., *de Sacram.*, lib. II, p. XI, c. X. — [6] Imo *Jac.*, IV, 4. — [7] I *Joan.*, II, 15.

(*a*) *Titulus iste*, Pars II, *deest cæteris editionibus, itemque* Sectio I. — (*b*) *Cæt. edit.* Psalmo.

quando quis magis vult amittere vitam æternam, quam corporalem, vel temporalem, thesauros cœlestes, quam mundanos; et quandoque est veniale, quando isto timore facit homo quod non debet, et quandoque omittit quod facere debet, ut per hoc effugiat pœnam temporalem : sed per hoc non mutat voluntatem in bonum, ut dicit Hieronymus super Matthæum; quare hic timor non est donum Spiritus sancti, quia non mutat malitiam voluntatis, licet actu omittit propter timorem temporalem.

Servilis. Tertius timor dicitur servilis, quo quis magis timet pœnam quam culpam : qui secundum essentiam dicitur esse a Deo, non tamen sub ratione qua servilis est, quia principalius timet pœnam quam culpam, nec mutat voluntatem in bonum, licet criminis impendat executionem. De hoc timore dicit Augustinus, exponendo illud Psalmi [1], *Confige timore tuo carnes meas* [2] : « Timor legis servilis pædagogus novæ præcessit; qui ad Christum ducit, sed carnem crucifigit : ideo quia vivit peccandi voluntas, et sequeretur opus, si non sequeretur pœnalitas. » Nec iste timor est donum Spiritus sancti, quia potest esse sine charitate; imo nec potest esse cum charitate gratuita.

Initialis. Quartus timor dicitur initialis, quia est incipientium, et initium sapientiæ : et dicitur esse donum Spiritus sancti, tamen sub imperfecto esse. Non enim differt a timore filiali, nisi ut imperfecta charitas a perfecta. Unde Joannes dicit [3] : *Perfecta charitas foras mittit timorem,* ubi dicit Glossa : « Timorem illum emittit, qui dicitur initium sapientiæ. » Illo enim timore, se cohibet homo a peccato principaliter propter Deum; secundario vero, propter pœnam æternam. De timore isto Bernardus dicit sic [4] : « Non immerito hic timor dicitur initium sapientiæ, qui sæpe se insipientiæ primus opponit. Hic enim timor quidam ingressus est ad sapientiam. Plane domus Dei est, porta cœli, et tanquam ingressus gloriæ. » Et sequitur : « In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, et retinendam, et recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. » Et sequitur : « Non est enim locus, quo admittas superbiam, repletus timore Domini. » Et sic de cæteris vitiis sentiendum est : quæ necesse est omnia a plenitudine timoris excludi : tunc Deum si plene, si perfecte timueris, dabit saporem charitatis. Hunc tamen timorem initialem perfecta charitas foras mittit, vel forte, secundum quosdam, ipsum perficit, cum jam sapientiam ingressus fuerit. Quod sentit Bernardus, libro *de Diligendo Deo*, parum ante finem, ut infra patebit capite sequenti.

Quintus dicitur timor filialis, et est unum de septem donis Spiritus sancti, sub esse perfecto doni : per ipsum enim anima redditur bene mobilis ab inspirationibus Spiritus sancti, et quasi per talem timorem se Spiritui sancto omnino subjicit, et in nullo repugnat, prout possibile est in via. Unde Gilbertus Porretanus dicit [5] : « Quid timor ille filialis nisi amor esse conatur, qui jam nescit officium timoris, et pene timor esse desiit? » Hunc timorem sibi charitas perfecte collaterat indivisibiliter. Et sic patet, quid sit timor; plenius tamen dicetur infra de hoc timore. Filialis.

CAPUT II.

Quis timor a regno animæ per charitatem perfectam expellatur, et quem secum compatiatur.

Secundo videndum est, quis timor a charitate perfecta foras expellatur, et quem timorem secum patiatur, cum in prima Joannis dicatur [6], quod charitas perfecta foras mittat timorem, tanquam inutilem in officio suo. Et hujus reddit rationem, dicens idem : Hæc enim charitas nihil pœnale habet, *timor* autem *pœnam habet.* Sed necesse est, primo videre quæ sit perfecta charitas, quæ non compatitur secum timorem, sed foras emittit eum. De quo sciendum quod duplex est perfectio charitatis : prima est necessitatis et sufficientiæ; secunda est privilegiatæ sanctitatis et excellentiæ. Et has perfectiones tangit Prosper, *de Vita contemplativa*, dicens [7] : « Perfecti sunt illi, qui perfecte Deum diligunt; qui volendo quod vult Dominus, nullis peccatis, quibus offenditur Dominus, acquiescunt, et semper ad virtutes diligendas et habendas se extendunt. » Perfectionem necessitatis tangit cum dicit : *Qui vult quod Deus :* quam habent, quicumque tenent charitatem. De hac charitate dicit Dominus [8] : *Perfectus eris et absque macula coram Domino.* « Absque macula scilicet criminali, » dicit Glossa. Et hæc perfectio charitatis bene compatitur secum aliquos timores, ut supra di- Duplex perfectio charitatis.

[1] *Psal.* CXVIII, 120. — [2] Aug., *in Psal.* CXVIII, *Enarr.* XXV. — [3] I *Joan.*, IV, 18. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. XXII. — [5] Gilb. Porret., *super Cant.*, serm. XIX, post med. — [6] I *Joan.*, IV, 18. — [7] Prosp., *de Vit. contempl.*, lib. III, c. XV. — [8] *Deuter.*, XVIII, 13.

ctum est. Perfectio vero excellentiæ charitatis tangitur, cum dicitur: *Qui semper ad virtutes diligendas, et habendas se extendunt*. Quare Bernardus in epistola quadam dicit : « Indefessum studium proficiendi, et jugis conatus ad perfectionem, reputatur perfectio. » Et hæc charitas foras mittit omnem timorem, qui *pœnam habet*, ut dicit Joannes. Sed qualiter hoc intelligendum sit, ostendit Gilbertus Porretanus, *super Cantica*, ubi dicit [1] : « Charitas proximi caret livore; sed charitas Christi caret timore. Hæc enim nihil pœnale habet; sed timor pœnam habet. Igitur in charitate Christi non erit timor. » Quod probat sic : « Quid enim timebit charitas veteres offensas, quia [2] *multitudinem peccatorum operit charitas*, ut dicit Perus. Quid infirmitatem propriæ conscientiæ timebit, ne decidat? quia [3] *fortis ut mors dilectio* est, ut habetur in *Canticis*. Quid temporales pro Christo timebit molestias finibiles, cum nec quidem etiam si æternæ fuerint, diffatigari aut evanescere poterit dilectio consummata, id est perfecta? Non ideo amat charitas, ne pereat; sed magis vult foris in æternum perire pœnaliter, quam privari usu amoris interni æternaliter. *Si* enim [4] *dederit homo omnem substantiam pro charitate, quasi nihil despiciet eam*, scilicet substantiam. » Et sequitur infra : « Dedignatur charitas timoris commercium, cogi nesciens, quæ nescit compesci. Ideo *charitas perfecta foras mittit timorem*, velut inutilem et supervacuum in officio charitatis; sed non timorem illum, qui castus permanet in sæculum sæculi. » Et post hæc ostendit ibidem Gilbertus, quis timor manet cum charitate, ubi dicit: « Est enim timor quem foras mittit charitas, ut servilis. Et est timor quem foras mittit veritas, ut initialis. Et est timor, quem intromittit et charitas, et veritas, ut filialis. Primus est cautus; secundus castus, sed non permanens in sæculum sæculi. Primus veretur pœnam; secundus offensam. Tertius totus liber, quædam humilis et secura reverentia est. Et primus quidem timet offensam, sed propter pœnam; secundus propter offensam, sed propter ipsam; tertius, quod metuat non habet. Quid enim metuat completa felicitas, et consummata charitas? Timor hic de plantario oritur charitatis. » Sequitur : « Non audeo dicere quod charitas est, nec tamen audeo negare. Quid enim non amor conatur, qui jam nescit affectum timoris? Quo modo non amor est, qui jam pene timor esse desiit? Quid timor ille est, nisi quædam votiva subjectio, obedientia non coacta, et ultro reverentia impensa? Aut quo modo erit amor, qui offendere non metuit, nec valet? Timor ergo non videtur, qui nihil nec peccati nec periculi metuit. » Sed e contra inquit Gilbertus ibidem : « Quo modo non erit timor, qui offendere non audet? Certe timor est, qui nihil audacter et temere præsumit. Quid est igitur timor ille, nisi reverentia quædam humilis ex jure conditionis, et quasi necessitate impensa, sed necessitatis nihil passa? Est enim necessitas obsequendi jure conditionis; sed necessitatem ignorat libertas dilectionis. Quid timor ille, ubi temeritatis et negligentiæ magis privatio est, quam necessitatis coactio? » Sequitur : « Vides qualiter timor iste approximat ad charitatem : pene illa est, sed non plene est. Causis enim distant timor et amor; sed obsequio et affectu libero cognati. Primus itaque timor metuit puniri; secundus privari; et tertius neutrum. Primum perfecta charitas exterminat; secundum ad tempus tolerat; tertium sibi indivise tolerat. Unde charitas nunquam erit sine timore casto, qui est sine omni pœna, quia manet in sæculum sæculi. » Hæc ille. Quidam enim dicunt, ut Bernardus [5], quod timor filialis augetur augmentata charitate, et charitate perfecta perficietur, et ideo habebit in patria eumdem actum omnino quem habet modo; et illi adducunt auctoritatem Augustini, *de Civitate Dei*, ubi dicit [6]: « Timor ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit in futuro sæculo, non erit timor exterrens a malo quod accidere potest, sed tenens se in bono quod adimi non potest; et ita alium actum habebit quam modo. Ratio hujus est, quia ubi boni adepti amor immutabilis est, profecto si dici potest, mali cavendi timor securus est. » Hæc ille.

Quis timor manet cum charitate

CAPUT III.

Qualiter a timore Dei in anima dies clara oriatur.

Tertio videndum est, qualiter a dono timoris Domini, dies spiritualis in mente humana oriatur. Circa quod notandum est, quod Hugo dicit [7], quod sicut oculus corporalis habet diem et noctem suam, ita quoque oculus cordis habet diem suam et noctem suam. Sed alii sunt dies exteriores, et alii interiores. Nam dies exteriores

[1] Gilb. Porret., loc. supra cit. — [2] I *Petr.*, IV, 8. — [3] *Cant.*, VIII, 6 — [4] Ibid., 7. — [5] Bern., *de dilig. Deo*, circa fin.— [6] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XIV, c. IX. — [7] Hug., *de trib. Diæt.*, circa fin.

transeunt, nec ad momentum stare possunt, sed continue ad mortem vel occasum tendunt. Homo enim [1] *nunquam in eodem statu permanet,* dicit Job, et Propheta dicit [2] : *Dies hominis fœnum, et tanquam flos agri*, etc. Dies vero interiores in æternum permanent, si volumus, qui sunt quasi quidam gradus vitæ spiritualis, per quos homo tendit ad vitam æternam. De quibus Psalmista ait [3] : *Nuntiate de die in diem salutare ejus* : donec par radios Salutaris incarnati, transformemur a claritate in claritatem, usque in diem æternitatis ejus. Et ideo Hugo dicit [4], quod interiores dies magis amare debemus, ubi lucem nullæ tenebræ sequuntur, ubi æterni Solis splendore illuminantur oculi interiores mundi cordis, ut valeat homo operari opera lucis, tanquam filius lucis, quia in mundo nox sicut dies illuminabitur per præsentiam Solis æterni, qui noctem luminosam in anima facit, dum omnes species creatas sua claritate occultat, quas (*a*) in diem convertit, dum radiosas veritates menti ostendit. Et ideo pluries fit, quod quando nox est corpori, dies est menti; et quando est dies corpori, pluries est nox menti. Cujus ratio est, sicut dicitur in libro *de Spiritu et Anima* [5], quia quando sensus exteriores vigilant, sensus interiores dormiunt, sicut (*b*) experientia docet. Hanc diem timor Domini inchoat tanquam mane, tanquam meridiem deducit, tanquam vesperam consummat. Unde Hugo dicit [6], quod primus dies noster interior est timor Domini permanens in sæculum sæculi. Cujus ratio est, quia [7] *timor Domini initium est sapientiæ*, ut dicitur in *Ecclesiastico*. Et hic a sapientia nunquam recedit; sed cum ea quotidie crescit, et proficit usque in perfectum diem. Ultimo formam timoris filialis inducit secundum quosdam. Unde Hugo, *de Arca Noe*, dicit [8] : « Sapientia Dei in cordibus sanctorum tanquam in paradiso invisibili per timorem seminatur, per gratiam rigatur, jam mane diei spiritualis oritur, per dolorem moritur, per fidem radicatur, per devotionem germinat, per compunctionem oritur, per desiderium crescit, per charitatem roboratur, ut sit quasi lux meridiana, lucens et fervens; per fidem viret, per circumspectionem frondet et expandit ramos, per disciplinam floret, per virtutem fructificat, per patientiam maturescit, per mortem capitur, per contemplationem cibat; et tunc dies timoris vesperacit, quando a labore quiescitur et spiritualiter homo reficitur. » Et iste est cibus de quo Psalmista ait [9] : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem.* In omnibus istis radiis sapientialibus timor Domini permanet in sæculum sæculi, et ut radix sapientiæ discurrit, et circuit sollicite circumspiciens, ne aliquæ tenebræ peccatorum lateant, vel se istis radiosis luminibus immisceant, quæ diem mentis obscurent, vel oculis Dei displiceant, ut sunt tenebræ concupiscentiarum, quæ frequenter claritatem diei spiritualis impugnant et obnubilant. Unde Richardus dicit : « Quis in ullo unquam prælio victor extitit, ubi spiritus adversus carnem, et caro adversus spiritum concupiscit? Quis unquam tam numerosum exercitum concupiscentiarum suarum debellavit, si sine timore pugnavit? Quia timor Domini maxime confortat cor contra concupiscentias. » Et sanctus Bernardus in sermone quodam dicit : « Repletus timore Domini, non habet locum ubi admittat peccati tenebras, propter quod dies mentis sicut lux meridiana clara permanet in sæculum sæculi : ideo vesperam non habet diem terminantem, sed consummantem. Igitur [10] *qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra.* Qui ambulat in die tali, scilicet timoris Domini, non offendit. Et est dies primus [11], quia *initium sapientiæ est timor Domini.*

CAPUT IV.

Qualiter a dono timoris, animæ convivium præparetur.

Quarto, quia Gregorius in *Moralibus* dicit [12], quod « donum timoris Domini in die suo convivium facit in mente humana, quia dum premit mentem ne superbiat, de futuris illam cibo spei confortat; » ideo videndum est, qualiter illud donum convivium menti præparet. De quo notandum est, quod nisi donum timoris convivium spirituale in anima facere posset, Psalmista quasi admirando non clamaret dicens [13]: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine; quam abscondisti timentibus te!* Non quod illa multitudo dulcedinis totaliter abscondita sit a

[1] *Job*, XIV, 2. — [2] *Psal.* CII, 15. — [3] *Psal.* XCV, 2. — [4] Hug., loc. cit. — [5] *de Spir. et Anim.*, c. IX. — [6] Hug., loc. cit. — [7] *Eccli.*, I, 16. — [8] Hug., *de Arc. Noe*, lib. II, cap. ult. — [9] *Psal.* XV, 11. — [10] *Eccli.*, II, 10. — [11] Ibid., I, 16. — [12] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVI, circa med. — [13] *Psal.* XXX, 20.

(*a*) *Cæt. edit.* quam. — (*b*) *Cæt. edit. add.* hæc. —

timentibus eum, sed quod ipsa est in eis abscondita a non timentibus Deum. Multa enim manifestantur bonis, quæ tamen absconduntur a malis. Unde Gregorius in *Moralibus*, exponens illud Job [1]: *Auris verba dijudicat, et fauces comedentis saporem*, dicit sic [2]: « In his verbis Job de electis et reprobis aliquid innuere videtur : quia verba sapientiæ, quæ reprobi audiunt quasi exterius, electi non solum audiunt, sed et gustant interius, ut in corde sapiat eis, quod reproborum cordibus non sapit, sed solum auribus sonat. » Sequitur : « Aliud namque est nominatim cibum audire solum modo, aliud vero degustare. Electi itaque cibum sapientiæ sic audiunt, ut gustent, quia hoc, quod audiunt, eis per amorem medullitus sapit; reprobi vero, qualiter sapiat, ignorant. Quia aliud est aliquid scire, aliud vero quod cognoscitur faucibus intelligentiæ degustare. » Hæc ille. Ex his patere potest, quod timentes Deum, tanquam solliciti de voluntate Domini cognoscenda et facienda, non solum attendunt ad illud quod commune et publicum est, sed et ad illud quod intimo secreto mentis absconditum est, aspiciunt, et gustare per experientiam illud quærunt, quod per timorem Domini sapere didicerunt. Quod autem timor Domini dulcem saporem in mente causet, ostendit Bernardus *super Cantica*, ubi dicit [3] : « Timor Domini bene dicitur initium sapientiæ, quia tunc primum Deus animæ sapit, cum eam ad timendum, non tantum ad sciendum instruit : quia timor sapor est. Porro sapor sapientem facit, sicut scientia scientem. Times Dei justitiam, times potentiam; et sapit tibi justus et potens Deus. Sapientia enim a *sapore* dicitur. Igitur timor, initium sapientiæ, saporem sapidum in intimo mentis secreto multipliciter immittit, et ita multipliciter reficit totam mentis familiam; sed et totum regnum animæ justificat, pacificat et lætificat : quæ tria perficiunt (a) convivium timoris Domini, quod non in exterioribus animæ celebratur, quia [4] *regnum Dei intra nos est*, ut dicit Dominus. Et Maximus exponens illud [5], *Appropinquabit in vos regnum Dei*, dicit sic : « Regnum Dei est potentia ejus in omnibus; actu vero est in his qui respuunt carnalem vitam, et respiciunt solam spiritualem : qui dicere possunt illud Apostoli [6] : *Vivo ego jam non ego, vivit autem in me Christus*. Quod verbum exponens Vercellensis in *Prologo super Cantica*, dicit : « Sicut anima sobria me regit naturaliter, et disponit ad omnem actum interiorem et exteriorem, sic virtus Christi, cui actu vivo, gratuite me vivificat, et ad omnia disponit. » Ex quo igitur regnum Dei intra nos est, ut dicit Dominus, planum est quod convivium, quod in illo regno celebratur, non consistit in istis corporalibus, et in voluptatibus carnalibus, quibus efficimur bestiales, ut dicitur primo *Ethicorum* [7]; sed consistit in bonis spiritualibus nos perficientibus. Unde Apostolus [8] : *Regnum Dei non est esca et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto*. Ecce tria, quæ necessaria sunt in convivio spirituali. Primum est justitia, convivantes in omnibus rectificans. Secundum est pax, convivantes in omnibus concordans. Tertium est gaudium, convivantes in omnibus lætificans. Hæc tria ex timore Domini oriuntur. Nam justitia ex timore Domini oritur : sed ex justitia pax nascitur : de pace vero gaudium generatur, quod est dulcissima mentis refectio, et spiritualis convivii perfectio. Primum igitur, scilicet justitia, convivantes rectificans in convivio spirituali Dei et animæ, ex dono timoris Domini oritur, quia, sicut dicitur in *Ecclesiastico* [9], *qui sine timore est, non potest justificari*. Quomodo autem erit jucunda societas, ubi deest justitiæ æqualitas? Dicit enim Augustinus [10] : « Remota justitia, quid sunt regna, nisi latrocinia ? » Et sicut patet in *Ethicis* [11], sicut justitia continet omnem virtutem, ita injustitia continet omnem malitiam sive iniquitatem : ubi autem abundat iniquitas, quomodo erit vera amicitia et societas ? ergo nec regni, nec convivi tranquilla jucunditas. Manebit autem justitia, quia [12] *timor Domini expellit peccatum*, vel injustitiam, cum ex eo oriatur justitia, ut dictum est. De talibus conviviis potest dici [13] : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. De hac saturitate justitiæ dicit Bernardus [14] : « Saturabuntur, quia implebit Dominus concupiscibile nostrum fonte justitiæ, ut omnino desideremus eam justitiam, per quam quidquid anima respuere debet, respuet; et quidquid concupiscere debet, concupiscet. Et tunc totum regnum mentis justificabitur, et in-

[1] *Job*, XII, 11. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XII, c. IV. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. XXIII. — [4] *Luc.*, XVII, 21. — [5] *Luc.*, X, 9. — [6] *Galat.*, II, 20. — [7] Arist., *Ethic.*, lib. I, c. V. — [8] *Rom.*, XIV, 17. — [9] *Eccli.*, I, 28. — [10] Aug., *de Civit. Dei*, lib. IV, c. IV. — [11] Arist., *Ethic.*, lib. V, c. 1. — [12] *Eccli.*, I, 27. — [13] *Matth.*, V, 6. — [14] Bern., *De omnib. Sanct.*, serm. IV, post med.

(a) *Cæt. edit.* percipiunt.

colæ ejus, et Dominus rex justitiæ regnabit in illo, et ipsi cum eo, quia [1] *justitia et judicium præparatio sedis* ejus est. Secundo pax convivantes concordans et quietans in convivio spirituali ex justitia nascitur, ut dicit Cæsarius [2]. Nam ex justitia regum, oritur pax populorum. Et Augustinus dicit [3] : « Duæ sunt amicæ, justitia et pax : ipsæ se osculantur; et si justitiam amicam pacis non amaveris, nec ipsa pax te amabit, nec ad te veniet. » Nisi igitur pax adsit, non erunt convivia, sed dissidia. Vera autem pax est ubi nihil repugnat, et *beati pacifici* sunt, qui motus animi componunt, et rationi subjiciunt, ait Glossa [4]. Sed nota, quod Bernardus in quibusdam dictis ostendit triplicem gradum pacis, dicens : « Est homo pacificus bona pro malis (*a*) reddens, et quantum in se est, nemini vult nocere. Hic parvulus est, et faciliter scandalizatur, quia in eo, ut incipiente, lex carnis adhuc repugnat legi mentis, et Glossa dicit [5] : « Quo modo pacifici aliis erimus, si nec nobis possumus esse pacifici? Pax enim a nobis incipit. » Item est alius patiens, non reddens mala pro malis; sed potens est sustinere nocentem. Et hic [6] *in patientia possidet animam* suam, ut ait Evangelium, ubi dicit Glossa [7] : « Patientia radix et custos est omnium virtutum. Vera enim patientia est aliena mala æquanimiter perpeti, et contra eum, qui mala irrogat, nullo dolore moveri. Ideo animas nostras possidemus, quæ corpus possident, cum ipsas ad patiendum ratione regimus. » Hæc dicit Glossa. Item est tertio pacificus bona pro malis reddens, et in promptu habet prodesse nocenti. Et sic solus veram pacem habet, et multos lucrifacit Christo. De hac pace dicit Augustinus [8] in libro de verbis Domini sic : « Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est quæ bella compescit, iras comprimit, discordes sedat, et inimicos concordat, cunctis est placida. Et qui in eadem pace non erit inventus, a Patre abdicatur, a Filio exhæredatur, a Spiritu sancto alienus efficitur, » etc. ut supra. Hæc Augustinus. Hanc pacem perficit timor Domini. Unde Sapiens [9] : *Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem et salutis fructum.* Tertio gaudium in Spiritu sancto convivantes reficiens, et lætificans in convivio spirituali, ex utroque prædictorum, scilicet ex justitia et pace generatur. Unde Bernardus in quibusdam dictis suis dicit [10] : « Justitiam, quam Deo exhibes, et pacem, quam proximo debes, noli contemnere : sic enim procedentibus erit gaudium spirituale, non gaudium sæculare; non gaudium cujus [11] *extrema luctus occupat*, sed in quod magis tristitia vertitur. Et hoc gaudium nemo tollet a te, donec intres in gaudium Domini tui. De hoc gaudio dicit Bernardus in Epistola quadam [12] : « Illud revera verum est gaudium, et solum, quod non de creatura, sed de Creatore nascitur et concipitur; quod cum possederis, nemo tollet a te; cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, et omnis suavitas dolor est, et omne dulce amarum, et omne decorum fœdum, et omne aliud quod delectare possit molestum. » Hæc omnia Bernardus. Istud gaudiosum convivium per Spiritum sanctum in timore Domini paulatim inchoatur, proficiendo continuatur, et beatitudine æterna consummatur, ubi anima cum Deo suo beatificatur. Primo istud gaudiosum convivium, quod in regno Dei et animæ per donum timoris Domini celebratur, paulatim et sapienter initiatur, et continuatur, et feliciter consummatur. Unde in *Ecclesiastico* [13] : *Initium sapientiæ est timor Domini, et gloria, et gloriatio, lætitia, et corona exultationis.* Ecce quatuor dulcia fercula mentalis convivii. Sed primo timor Domini gustum mentis ad manducandum in sapientia præparat, quia, sicut dicit Bernardus *super Cantica* [14], « Timor Domini bene dicitur initium sapientiæ, quia tunc primum Deus animæ sapit, cum eam ad timendum allicit (*b*). » Tunc enim menti maxime divina beneficia sapiunt, quia jam amaritudo peccati ab ore mentis per timorem expulsa est. Unde tunc gloria laudabilis famæ interior valde sapit animæ, et similiter gloriatio laudabilis famæ exterior multum delectat. Similiter lætitia consolationis interioris hominis reficit, et exultatio exterioris hominis similiter afficit et delectat. Secundo illud jucundum convivium mentis delectabiliter in perpetuum in timore Domini continuatur. Unde in *Ecclesiastico* dicitur [15] : *Timor Domini de-*

Pacis triplex gradus.

[1] *Psal.* LXXXVIII, 15. — [2] *Cæsar. Arel.*, hom. XII, in illud *Luc.*, XVII, *Regnum Dei intra vos est.*— [3] Aug., *in Psal.* LXXXIV, n. 12.— [4] Gloss. *in Matth.*, V.— [5] Gloss. *in Matth.*, VII. — [6] *Luc.*, XXI, 19. — [7] Gloss. *in Luc.*, XXI, ex Greg., *in Evang.*, hom. XXV, circa med. — [8] Aug., *de Temp.*, serm. CLXVII, al. XCVII, in Append. tom. V. — [9] *Eccli.*, I, 22. — [10] Bern., *Flor.*, verbo *Justitia.* — [11] *Prov.*, XIV, 13. — [12] Bern. epist. CXIV, statim a princ.— [13] *Eccli.*, I, 11.— [14] Bern., *in Cant.*, serm. XXIX, post med.— [15] *Eccli.*, I, 12.

(*a*) *Cæt. edit.* nobis. — (*b*) *Cæt. edit.* ea ad timendum afficit.

lectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium in longitudinem dierum, id est, in æternum, quia timor Domini permanet in sæculum sæculi. Ecce utriusque hominis experimentalis delectationis perpetuatio. Tertio illud delectabile convivium mentis quantum ad interiorem vitam, et exteriorem, in timore Domini feliciter consummatur. Unde in *Ecclesiastico*[1] *: Timenti Deum bene erit in extremis,* scilicet hominis, quando perficitur et consummatur; *et in die defunctionis benedicetur,* quantum ad vitam exteriorem, quæ tunc cum benedictione terminatur. *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum,* ait Psalmista[2]. De perfecta consummatione istius sancti timoris dicit Joannes Cassianus, *de Institutione monachorum,* sic[3]: « Principium nostræ salutis nostræque sapientiæ, secundum Scripturas, timor Domini est. De timore enim Domini nascitur compunctio salutaris; de compunctione cordis procedit abrenuntiatio, id est, contemptus omnium facultatum; de abrenuntiatione humilitas procreatur; de humilitate mortificatio voluptatum generatur; de voluptatum mortificatione extirpantur atque marcescunt universa vitia; de vitiorum expulsione virtutes fructificant atque succrescunt; de virtutum pullulatione puritas cordis acquiritur; per cordis puritatem apostolicæ charitatis perfectio possidetur. Hæc fuit sententia Beati Antonii. » Hæc ille. *Timete* ergo[4] *Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum,* ait Psalmista. Hæc de dono timoris sufficiant.

SECTIO II. [(a)]

DE DONO PIETATIS.

CAPUT PRIMUM.

Quid donum pietatis dicatur (b), et qualiter a pietate naturali et acquisita distinguatur.

Secundo dicendum est de dono pietatis, quod immediate sequitur donum timoris in ascendendo : quod ostendit Anselmus[5] in libro *de Similitudinibus*, ubi dicit sic : « Huic denique dono timoris Spiritus sanctus superimponit pietatem, cum menti sic timenti suiipsius aspirat compassionem, pieque recolere facit, quam misera erit, si a Deo separata, in inferno, cum diabolo torta fuerit : ideo rationabiliter a dono timoris, ascendit ad donum pietatis. » Cum quo et Augustinus concordat, dicens : « Cor contritum et humiliatum sacrifica Deo, unde ascendatur ad pietatem, ut non resistatur voluntati ejus, sed obediatur. » Hunc ordinem multi tenent, ut supra patet.

De hoc autem dono pietatis sunt tria notanda : primo, quid donum pietatis dicatur (c), et qualiter a pietate naturali et acquisita distinguatur; secundo, qualiter per donum pietatis dies spiritualis oriatur, proficiat, et perficiatur; tertio, qualiter per donum pietatis menti convivium præparetur. Primo igitur videndum est, quid donum pietatis dicatur. De quo notandum est, quod, sicut dicit Hugo in libro *de Claustro animæ*, « pietas est ex benignæ mentis dulcedine, grata omnibus, auxiliatrix affectio infusa, et divini cultus devotio religiosa. » Ex quo patet, quod donum pietatis est dulcis radius a Sole infinitæ pietatis mentibus inspiratus, quo mens in seipsa illuminatur, quia radius solaris in seipso efficitur (d) et reficitur, quia a fonte dulcedinis ad Deum, ut ad patrem colendum, sursum habilitatur, et inferius ad proximo subveniendum pie inclinatur. Et quia affectio pietatis inclinans ad aliquid est multiplex : quædam enim est innata, quædam acquisita, quædam infusa, ut ostendit Hugo in tractatu, qui incipit , *Carissime* : ideo de illis aliquid dicendum est.

Donum pietatis quid dicatur.

Primo ergo sciendum est, quod pietas innata est quædam affectio inclinans ad aliquid, ut ad filios parentes, et e converso, et ad patriam, et cætera hujusmodi. Et hæc est passio naturalis : nam hæc pietas etiam in brutis invenitur. Unde Solinus, in libro *de Mirabilibus mundi*, et Isidorus, in *Etymologiis*[6], dicunt : « Eximia ciconiæ inest pietas. Nam quantum temporis parentes impendunt fœtibus educandis, tantum temporis pulli impendunt parentibus in senectute educandis : quod et de corvis narratur. » Unde hæc pietas non est donum Spiritus sancti, licet ab eo detur, quia hæc cum illis nascitur. Ista autem, quæ est donum Spiritus sancti, a Deo inspiratur, ut dicit Augustinus.

Item est quædam pietas acquisita, de qua dicit Gregorius in *Moralibus* sic[7] : « Sunt non-

[1] *Eccli.*, I, 13. — [2] *Psal.* CXXVII, 4. — [3] Cassian., *de Instit. Monach.*, c. XLIII. — [4] *Psal.* XXXIII, 10. — [5] Imo Eadmer., *de Similit.*, c. CXXX, al. CXXXI, in Append. Oper. Anselm. — [6] Isid., *Etymol.*, lib. XII, c. VII. — [7] Greg., *Moral.*, lib. XXI, c. XIV.

(a) *Cæt. edit. deest titulus*, Sectio II. — (b) Cæt. edit. *dicitur*. — (c) *Cæt. edit.* dicitur. — (d) afficitur.

nulli, qui pietatis suæ viscera tendere ad incognitos nesciunt, sed solum ad eos quos per assiduitatem notitiæ didicerunt, quorum miserentur : apud quos plus familiaritas, quam natura valet, dum quibusdam necessaria, non quia homines sunt, sed quia noti sunt, largiuntur. » Sed ista pietas etiam non est donum Spiritus sancti, de quo modo loquimur; sed est virtus ex quadam familiari notitia contracta, unde ad extraneos et inimicos non extenditur. Hæc autem, quæ est donum Spiritus sancti, a Deo datur, et ad inimicos extenditur. Unde apud *Matthæum* dicitur [1] (*a*) : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt.*

Item est alia pietas menti a fonte pietatis infusa, de qua dicit Bernardus in Epistola quadam sic : « O clementissima pietas, quæ non desinit sua largiri beneficia, non sòlum his ubi nullum meritum invenitur, sed et his ubi totum videtur contrarium ! » De hac pietate, et ejus utilitate dicit Ambrosius, *super Psalmum Beati immaculati in via* [2] : « Pietas grata est Deo, Dominum conciliat, necessarios et parentes fovet : est Dei cultura, merces parentum, filiorum stipendium. Pietas, inquam, justorum tribunal, egenorum portus, miserorum refugium, vel suffragium, indulgentia peccatorum. » Hæc ille. Hæc est perfecta pietas, quæ et antequam flectatur precibus, novit condescendere fatigatis, ait Cassiodorus [3] in epistola. Et hæc pietas est donum Spiritus sancti; quæ, sicut dicit Apostolus [4], *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ :* ubi dicit Glossa : « Omnis summa disciplinæ, et consummatio, consistit in pietate et misericordia. » Pietas ut sæpius respicit necessitatem spiritualem; unde quædam Glossa dicit : *Exerce te ad pietatem*, id est, ad fidem puram, et veritatem rectam. » Hæc est pietas; misericordia vero, quæ est secundus actus pietatis, respicit necessitatem spiritualem et corporalem. Unde Augustinus, in libro *de Opere Monachorum*, dicit [5] : « Multo misericordius operatur erga animas infirmorum, qui bonæ famæ servorum Dei consulit, quam qui erga corpora ægrotantium sollicitus panem esurientibus tribuit. » Opera hujus misericordiæ sunt quatuordecim, videlicet septem corporalia, et septem spiritualia. Corporalia sunt hæc : visitatio infirmorum, potatio sitientium, cibatio esurientium, redemptio captivorum, vestitio nudorum, collectio peregrinorum, et sepultura mortuorum. Prima sex sunt in Evangelio, aliud in Tobia. Opera misericordiæ spiritualia sunt hæc : delinquenti ignoscere, peccantem corripere, ignorantem docere, titubanti consulere, mœstum consolari, pro salute proximi orare, et injurias sustinere, ut alter mitigetur. Et sic patet, quid est pietas.

Opera misericordiæ quot et quæ.

[1] *Matth.*, V, 44. — [2] Ambros., *in Psal.* CXVIII. — [3] Cassiod., lib. IV, epist. XXVI. — [4] 1 *Tim.*, IV, 8. — (*a*) *Cæt. edit.* Unde Matthæus dicit. — (*b*) latio.

CAPUT II.

Qualiter per donum pietatis dies spiritualis oriatur, proficiat, et perficiatur.

Secundo videndum est, qualiter per donum pietatis in regno animæ dies spiritualis oriatur, proficiat, et consummetur. De quo notandum est, quod, sicut dicit Gregorius in *Moralibus*, « dies uniuscujusque doni est sua illuminatio. » Ipsa enim dona, lumina sunt. Cujus ratio est. quia ille donatur in eis, qui est sol infiniti splendoris et ardoris, scilicet Spiritus sanctus. Cum igitur elevatio (*b*) solis corporalis super terrram faciat diem corporalem, in qua oportet operari opera corporalia corpori necessaria, cur non multo magis præsentia Solis æterni, scilicet Spiritus sanctus, in mente humana causat diem spiritualem, in qua oportet operari opera spiritualia necessaria spiritui, et sicut opera pietatis, etiam aliorum habituum ? Omnia enim opera nostra mortua sunt sine pietate, prout est cultus Dei. Quare Apostolus dicit, exhortando Timotheum [6] : *Exerce teipsum ad pietatem. Nam corproalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas vero ad omnia utilis est.* Cujus rationem reddit Hugo de sancto Victore, dicens : « Visibilis actio est quasi quoddam corpus; devotio vero quasi spiritus ejus, quia devotio charitatis actionem vivificat, sicut anima corpus. » Unde omnis actio, quæ sine devotione est, mortua est, quia, sicut postea dicit, « licet quod vivit moriatur, tamen vita non moritur. Actio quidem transit; sed pietas actionis, licet fiat in tempore, non tamen finitur cum tempore. » Hæc ille. *Opera* enim [7] *illorum sequuntur illos.* Ex quo patet, quod sententia Apostoli vera est : quia pietas omnibus prodest, quæ est ex benignæ mentis dulcedine grata, auxiliatrix omnibus, affectio infusa, ut dictum est.

Præsentia Spiritus Sancti causat diem spiritualem in anima

[5] Aug., *de Oper. Monach.*, c. XXII. — [6] 1 *Tim.*, IV, 7, 8. — [7] *Apoc.*, XIV, 13.

Sed sciendum, quod sicut in die exteriori tres horæ distinguuntur, scilicet mane, quod est initium diei; meridies, quæ est diei medium; et vespera, quæ facit diei et laboris terminum: sic in die spirituali pietatis distinguuntur tres horæ, id est, mane quod (a) est initium pietatis lucentis circa subjectum proprium; meridies, qui (a) est fervor pietatis lucentis ad divinum cultum; et vespera, quæ est inclinatio pietatis lucentis ad proximum: in qua hora completur terminus laboris, et fit initium quietis. Primo igitur donum pietatis oriens ex Sole æterno, velut quoddam mane et initium diei spiritualis, in mente diem inchoat, quia, ut dicitur in *Ecclesiastico* [1], *pie agentibus dabit Dominus sapientiam.* Sapientia autem est [2] *lumen* pietatis *inextinguibile.* Quanto autem pietas magis operatur, tanto lumen sapientiæ magis ei datur, quo crescit et proficit usque ad perfectum diem. Sic et operatio impietatis lumen pietatis in mente minuit, et tenebras gignit. Unde in *Proverbio* dicitur [3]: *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem. Via autem impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Hoc igitur donum pietatis mane suæ diei inchoat, dum nova luce mentem irradians, ad suiipsius compassionem inclinat. Dicit enim Anselmus [4], in libro *de Similitudinibus:* « Spiritus sanctus pietatem menti inspirat, dum eam sibi compati, pieque recolere facit, quam misera erit si a Deo separata fuerit. » Ex qua inspiratione mens illuminata omnes operationes pio desiderio in fontem pietatis intendit, et omnem impietatem excludit. Tunc pietatis donum in mente [5] *sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat*, et ad horam meridianam proficiendo properat, in qua divinum cultum ferventer et perfecte exercet.

In die pietatis distinguuntur tres horæ.

Mane diei pietatis.

Secundo donum pietatis facit horam meridianam diei spiritualis in anima: quia, sicut dicit Augustinus, *de Civitate Dei* [6], «pietas proprie est cultus, qui debetur soli Deo, tanquam excellentior et perfectior. » Sed nota quid sit iste cultus. Ad quod respondet Augustinus, in libro *de Verbis Domini* [7]: « Colimus Deum, et Deus colit nos. Colimus Deum adorando, et ut culmen nostrum invocando; colit nos Deus amando tanquam agricola, quia agricultura ejus in nobis est, eo quod non cessat verbo suo extirpare mala semina de cordibus nostris, et aperire cor nostrum, tanquam sermonis aratro plantare semina præceptorum, et expectare pietatis fructum. » Sed ad quid est pietatis fructus? Respondet: *Ad omnia utilis est.*

Sed notandum quod duplex est cultus, scilicet cultus interior, et exterior. Interior cultus est quo quis se offert Deo tanquam principio suæ creationis, et fini suæ beatificationis; et hoc, quantum potest, secundum omnia quæ ab ipso recepit. Quod recta ratio dictat, et natura ad hoc inclinat. Ratio dictat, quia inferius debet subesse superiori a quo dependet, et a quo multipliciter deficit; ideo indiget ejus influentia, quam consequitur natura rationalis suum superius colendo, ut dictum est. Similiter natura ad hoc inclinat: quod satis ostendit natura rationalis, cujus desiderium non quiescit plene, nisi in suo superiori. Unde Augustinus, in libro *Confessionum* primo, dicit [8]: « Domine, inquietum est cor meum, donec veniat ad te. Cujus ratio est, quia Dominus est animæ patria, ut dicitur in libro *de Spiritu et Anima.* Simile dicit Isaac in libro *de Contemptu mundi* [9], in principio. Cultus exterior consistit in oblationibus, sacrificiis, adorationibus, et similibus, quæ sunt signa protestantia interiorem cultum, qui soli Deo debetur. Unde Augustinus, in libro *de Civitate Dei*, dicit [10], quod hic cultus soli Deo debetur, quia videmus in omni republica observari, quod rectorem suum aliquo singulari signo honorat, quem quicumque alteri exhiberet, incurreret crimen læsæ majestatis. Unde lege divina pœna mortis statuitur his, qui divinum honorem aliis exhibent [11]: *Qui immolat diis occidetur, præterquam Domino soli.*

Cultus duplex.

Et tamen sciendum, quod aliquis cultus potest exhiberi aliquibus creaturis sine peccato, ut reliquiis sanctorum, sanctæ Cruci, et imaginibus Christi, et hujusmodi. Unde Damascenus, loquens de adoratione imaginum, dicit [12], quod in veteri testamento non fuit assuetus usus imaginum. Cujus ratio est, quia Dominus invisibilis, incorporalis, et incircumscriptus, adhuc carnem non assumpserat; incarnato autem Christo, decuit (b) habere imagines, primo ad reme-

Adoratio imaginum.

[1] *Eccli.*, XLIII, 37. — [2] *Sap.*, VII, 10. — [3] *Prov.*, IV, 18, 19.— [4] Imo Eadm., loc. cit.— [5] II *Reg.*, XXIII, 4.— [6] Aug., *de Civit. Dei*, lib. I, c. I. — [7] Id., *de verb. Dom.*, serm. LIX, al. LXXXVII, n. 1.— [8] Aug., *Confess.*, lib. I, c. I. — [9] Isaac Syrus, *de Cont. Mundi*, c. I. — [10] Aug., *de Civit. Dei*, lib. I, c. IV. — [11] *Exod.*, XXII, 20. — [12] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. IV, c. XVII.

(a) *Cæt. edit.* quæ.— (b) *Al.* docuit, *mendose.*

morationem actuum Christi et martyrum, ut simplices litteras nescientes, triumphos Christi et martyrum vitam in picturis, quasi in libris, legerent. Et Damascenus, ad confirmationem sui dicti, adducit exemplum Christi, de quo refertur, quod Abagaro (*a*) Edessenorum rege mittente pictorem, ut imaginem Domini depingeret, quo non potente propter resplendentem claritatem faciei Christi, Dominus vestimento apposito faciei suæ similitudinem propriæ faciei mirabiliter impressit, et sic suam imaginem desideranti regi transmisit. Imaginibus igitur et reliquiis debetur aliqua reverentia sibi competens; soli autem Deo debetur latria. Quando igitur pietas, quæ est cultus Dei, facit mentem nostram colere Dominum ut principium nostræ creationis, et finem nostræ beatificationis, tam per operationes interiores, quam per operationes exteriores, fit mens humana sicut lux meridiana clara, quando absque nubibus rutilat.

Tertio donum pietatis diem spiritualem in anima consummat, et labores ejus terminat, dum mentem ad misericordiam proximi compatiendo inclinat. Hoc enim donum pietatis alium diem a prædicta die timoris facit in anima, ut dicit Gregorius in *Moralibus* [1], et eamdem per misericordiam consummat. Et quia jam donum pietatis in homine diem spiritualem initiavit, illuminando eum per inclinationem et veram compassionem quantum ad seipsum, et secundo lumen meridiani fervoris menti influxit, dum eam illuminat et inflammat ad exercendum divinum cultum : ideo tertio pietatis lumen vespertinum diei spiritualis in mente terminat, dum eam clementer per misericordiam inclinat ad proximum. Dicit enim Joannes [2] : *Qui diligit fratrem suum, in lumine est, et scandalum in eo non est*, scilicet tenebrarum. Illud tamen lumen dicitur vespertinum respectu luminis meridiani. Unde Lincolniensis, *super Angelicam Hierarchiam*, cognitionem quæ habetur a creaturis de Deo, vocat cognitionem vespertinam, ideo quia lumen pietatis, quod inclinat ad divinum cultum, purius et melius videtur, quam quod inclinat ad proximum. Quare et Bernardus dicit [3] : « Porro in aliud tendere, quam in Dominum, licet propter Dominum, non otium Mariæ, sed negotium Marthæ est, quæ adhuc sollicita est, et turbatur erga plurima, cum unum sit necessarium. Et ideo non potest terrenorum actuum anima vel tenui pulvere conspergi. » Sic igitur donum pietatis causat mane, meridiem, et vesperam in die sua, *Factum est* ergo *vespere et mane dies secundus*, ut habetur in *Genesi* [4].

CAPUT III.

Qualiter per donum pietatis menti convivium præparetur.

Tertio videndum est, qualiter per donum pietatis, in regno Dei et animæ, convivium spirituale animæ et omnibus viribus ejus præparetur. Dicit enim Gregorius in *Moralibus* [5] : « Pietas in die suo convivium facit, et menti exhibet, quia cordis viscera misericordiæ operibus replet. Opus autem bonum est cibus animæ, » ut dicit Gregorius. Et idem dicit [6] : « Comedere animæ est bonis operibus satiari. » Hæc ille. Primo igitur donum pietatis prudentissime a convivio suo impietatem et omnem familiam illius expellit, quia omnia fercula mentis inficit, et insipida facit. Nam, ut ait Augustinus in sermone quodam, etiam justitia, quæ est virtus specialis, et dulce ferculum piæ mentis, sine pietate crudelitas est. In crudelitate autem nulla dulcedo est ; sed amaritudo impietatis in ea regnat : quare cibaria animæ nullo igne charitatis decoquit, sed cruda et insipida relinquit. Unde Seneca, in libro *de Moribus*, dicit : « Respice crudelitatem, et matrem ejus iram, cum omni familia sua. » Hæc enim humanæ naturæ maxime inimica est, pietas autem amica est, ait Tullius, libro tertio *de Officiis*; ideo ipsa est dulce condimentum humanorum actuum. Quare per oleum significatur, ut ait Richardus [7], in tractatu *de Gemino Paschate*. Et sic donum pietatis, impietatem a convivio suo omnino expellit.

Pietas impietatem expellit a convivio suo.

Secundo donum pietatis non solum invitat omnes vires mentis, tanquam incolas regni, ad suum convivium, sed exteriores et laborantes, dicens [8] : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* Similiter et pia mater pietatis omnes vires et virtutes suas ad operationes et ad officia dulciter inclinat, et inter se concordat, et ad concordiam morum et ad amicitiam mutuam vehementer invitat, et

[1] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVI. — [2] I *Joan.*, II, 10. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. XL, circa med. — [4] *Gen.*, I, 8. — [5] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVI. — [6] Ibid., lib. XXI, c. VIII. — [7] Richard., *de gemin. Pasch.*, circa med. — [8] *Matth.*, XI, 28.

(*a*) *Al.* Agabaro.

ad cultum Dei tanquam ad officium proprium, maxime instigat. Quod bene ostendit Hugo, dicens sic [1] : « Invitat pietas desperatum : trahit charitas invitum : misericordia pacificat iratum : hilaritas reddit securum : affabilitas familiarem facit : familiaritas secretum aperit : apertio secreti amicitiam parit : morum concordia amicitiam custodit : humilitas Deo proximum facit. » Hæc ille. Et si pietas omnes convivantes inter se concordat, et ad exteriores inclinat, et eos Deo approximat, eum colendo humiliter, et obediendo viriliter : sola enim humilitas Dominum perfecte colit : sunt et aliæ familiæ pietatis, quarum quædam ministrant in choro, humiliter psallendo; quædam in refectorio, dulciter ministrando; quædam in dormitorio, somnum quietæ contemplationis procurando ; quædam in coquina, mentis opera bona, tanquam cibaria dulcia, igne charitatis decoquendo; quædam in infirmaria, debiles pie reficiendo ; quædam in capitulo, misericorditer et compassive corripiendo. Et sic pietas omnes ministrantes sua dulcedine reficit et consolatur. Quod et dici potest de tota familia animæ; alioquin pietas non esset utilis ad omnia.

Tertio donum pietatis omnes incolas et convivantes regni Dei et animæ, quod in nobis est, ut dicit Dominus, multipliciter reficit, dum eis diversa fercula spiritualia apponit. Sed prænotandum est, quod, sicut dicit Augustinus [2] libro decimo *de Civitate Dei*, pietas est cultus Deo debitus principaliter. Cujus ratio est, quia homo efficitur debitor alicujus diversimode : vel secundum ejus excellentiam, vel secundum beneficia accepta : et secundum utrumque istorum est homo debitor Dei, quia Deus primum et summum locum obtinet, quia est excellentissimus, et principium nobis essendi, causandi, conservandi, gubernandi, et beatificandi. Ideo pietas est summæ originis pius sensus, et devotus affectus, et fidelis famulatus sive cultus per fidem, spem, et charitatem. Istis enim colitur Deus, ut dicit Augustinus [3], dum per fidem, spem et charitatem in Deum tenditur : ad quod pietatis donum inclinat et habilitat. Et in hoc cultu divino pietas fercula dulcia et multifaria menti apponit et propinat. Nam in fide tot dulcia fercula menti exhibentur, et pascua virentia ostenduntur, quot saporosæ virtutes et veritates in ea continentur, quæ sunt miræ. Unde Bernardus dicit sic [4] : « Hi scilicet cultores Dei pro fidei magnitudine digni inveniuntur, qui in omnem plenitudinem Dei inducuntur, nec est in omnibus apothecis sapientiæ aliquid omnino, a quo Deus scientiarum Dominus arcendos censeat cupidos veritatis, non conscios vanitatis. Magna enim fides, magna meretur. » Sequitur : « Istiusmodi magnis spiritibus magnus occurrit Sponsus, emittens lucem et veritatem suam, eosque adducit et deducit in montem sanctum suum, et in tabernacula sua. Regem in decore suo videbunt præeuntem se ad speciosa deserti, ad flores rosarum, ad lilia convallium, ad amœna hortorum, ad irrigua fontium, ad delicias cellariorum, et odoramenta aromatum, postremo ad ipsa secreta cubilis, ubi sunt thesauri sapientiæ et scientiæ penes Sponsum absconditi. Hæc vitæ pascua præparata sunt in refectionem animarum fidelium. Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis. » Hæc Bernardus. Hæc pascua dulcissima fides menti ostendit. Quid enim non invenit fides? « Fides attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, » ait Bernardus [5] *super Cantica*. Et Augustinus, *de Verbis Apostoli*, dicit [6] : « Nullæ majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujusmodi substantia major est, quam fides catholica, quæ peccatores salvat, cæcos illuminat, mortuos vivificat, » et cætera multa quæ ibi enumerantur, quæ omnia mentem reficiunt. Secundo pietas in cultu divino, qui fit per spem, non ut est passio, sed ut est virtus theologica, mentem ad convivium introducit, et ibi multa fercula sapida ei proponit, et convivantibus. Proprium enim objectum spei est beatitudo æterna, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ut ait Boetius, *de Consolatione* [7]. Sed sperare beatitudinem æternam, sive Deum, est appropinquare illi, quia sperans propinquius se habet ad Deum, vel beatitudinem, quam desperans, ut patet. Quare magis attingit Deum, innitens ejus auxilio ad consequendum bonum speratum, quam fides, dicens [8] : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Unde et beatus Augustinus, libro *de*

Objectum spei proprium.

[1] Hug., *de Claustro Anim.*, lib. III, c. v. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. X, c. I. — [3] Id., *Enchirid.*, c. III. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. XXXII, post med. — [5] Bern., *in Cant.*, serm. XXVIII, post med., et LXXVI, ante med. — [6] Aug., *de verb. Apost.*, serm. I, al. CCCLXXXIV, n. 3. — [7] Boet., *de Consol. Phil.*, lib. III, pros. 2, non longe a princ. — [8] *Psal.* LXXII, 28.

Trinitate, attribuit spei quoddam frui, ubi dicit [1] : « Quoddam est frui, quod est spei, et non rei; ex quo spes immediatius attingit Deum quam fides, et sic magis propinquat Deo. » Quanto autem mens per spem magis appropinquat, tanto suaviores odores Dei sentit. Quod ostendit Bernardus, dicens [2] : « Licet Dominus suavis sit universis, maxime autem domesticis, quanto ei quis familiarius, pro vitæ meritis et puritate mentis, appropiat, tanto eum recentiorum aromatum arbitror, et unctionis suavioris sentire fragrantiam. Porro hujusmodi non capit intelligentia, nisi quantum attingit experientia. » Et ibidem ostendit piæ spei plures odores esse diversas virtutes, dicens : « Videsne aliquos magis ad pœnitentiam animari spe indulgentiæ, imo omnino, Domine Jesu, propter mansuetudinem quæ prædicatur in te, curremus post te in odorem unguentorum tuorum, audientes, quod non spernas pauperem, non horrescas peccatorem, nec horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non clamantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non crucifixores tuos. In odorem istorum unguentorum piissimorum curremus, donec regeneremur in spem vivam. « Hæc spes immortalitate plena est. Et sicut dicit Gregorius [3], « spes illa in æternitatem animam erigit, et idcirco nulla mala, quæ exterius tolerat, sentit. » Tertio pietas in cultu divino, qui fit in charitate, dulcia cibaria a fide convivantibus indicata (*a*), et a spe præparata jam gustare facit. Ratio hujus est, quia charitas perfectius attingit Deum, quam fides vel spes. Licet enim mens Deum attingat aliqualiter in lumine fidei sub spe, vel ratione visionis ænigmaticæ, hæc tamen non est perfecta attingentia, nisi Deus qui est præsens menti per modum sic visi, fiat præsens sub ratione sperati et amati. Spes enim præsupponit fidem, quia [4] *accedentem ad Deum oportet credere, quia est*. Et ideo spes aliqualiter magis attingit Deum quam fides, ut supra dictum est. Sed nec hæc attingentia, seu præsentia spei perfecta est, nisi Deus attingatur, et præsens fiat per modum amati et amplexus, quæ debentur volitivæ potentiæ, cui proprie convenit habere, et possidere, ut patet per Augustinum, ubi dicit sic [5] : « Appetitus quo inhiatur rei cognoscendæ fit amor cognitæ, dum tenet atque amplectitur placidam prolem, id est, notitiam, gignentique conjungit. » Et idem Augustinus dicit [6], quod quidam Deum cognoscunt, et tamen eum propter hoc non habent. Ubi præscindit cognitionem ab habere. Multum enim differt, cibum cognoscere, habere, et gustare. Gustus autem non est in cognitione, sed in amore. Hujus ratio est, quia dicit Hugo, *super Angelicæ Hierarchiæ* [7] : « Amor acutus est, et transit omnia, et penetrat, donec ad amatum, et in ipsum veniat; nec quiescit, donec amatum teneat, et dicat : Non dimittam ipsum, donec introducam eum ad omnia intima mentis meæ, ubi esurio et sitio ipsum; » ut dicitur in *Cantico* (*b*). Quod exponens Bernardus dicit : « Quis te non teneat, Domine, qui tenentem te spe fortificas, perfectione decoras, perseverantia conducis, remuneratione perducis, ut scilicet reficias? » Sequitur : « Ego autem non dimittam te, nisi benedixeris mihi; et nunquam dimittam te, quia non benedicis, nisi tenentes te. » Hæc ille. Igitur tenetur in cultu charitatis, quia [8] *Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. In quo Dominus manet, dulci charitate reficitur, quia, sicut dicit Richardus, « amor, sive charitas, est dulcedo saporis intimi; et quanto quis ardentius amat, tanto dulcius gustat. » Igitur in charitate est dulcior refectio. Iste gustus amorosus totam familiam convivii mentalis primo ab impuritate mundat, virtutibus adornat, dulcedine cibat, dilectione inebriat, lumine serenat, gaudio exhilarat. Ista Rabanus in sermone quodam declarat, dicens : « Amor est ignis in meditatione, purificans mentem a sordibus vitiorum omnium; est lux in oratione, mentem irradians claritate; est mel in gratiarum actione, mentem dulcorans in dilectione divinorum beneficiorum; est vinum in contemplatione, mentem inebrians jucunda dilectione; est sol in beatitudine, mentem clarificans serenissima illuminatione; est vita, mentem exhilarans ineffabili gaudio, perenni jubilatione. » Hic cultus charitatis fidem et spem format et conformat, et totum convivium mentis et consummat et perficit. Unde Cassiodorus, *super Psalmos*, dicit : « Charitas est mors

[1] Aug., *de Trinit.*, lib. X, c. XI, n. 17.— [2] Bern., *in Cant.*, serm. II, non longe a princ. — [3] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XXI.— [4] *Hebr.*, XI, 5.— [5] Aug., *de Trin.*, lib. IX, c. XII, n. 18.— [6] Id., *ad Dard.*, epist. LVII, al. CLXXXVII, n. 21 — [7] Hug., *in Cœl. Hier.*, c. VII.— [8] *Joan.*, IV, 16.

(*a*) *Cœt. edit.* fidei... judicata. — (*b*) Item *Cantica*.

criminum, virtus pugnantium, palma victorum, concordia mentium, societas electorum: quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium bonorum servit. » Ad quod convivium nos conducat, qui est benedictus in æternum.

SECTIO III. [a]

DE DONO SCIENTIÆ.

CAPUT PRIMUM.

Quæ scientia donum Spiritus sancti dicatur.

Tertio dicendum est de dono scientiæ, quod immediate sequitur donum pietatis: quia, sicut dicit Gregorius in *Moralibus* [1], « nulla est scientia, si utilitatem pietatis non habet. » Et Anselmus dicit [2]: « Post donum pietatis, Spiritus sanctus scientiam superimponit pietati, cum mens sic timet sibi, et compatitur, ut quo valeat modo salvari, scrutatur, eique Spiritus sanctus hujus rei cognitionem largitur. » Hunc etiam ordinem donorum tenet Augustinus [3], *de Doctrina Christiana.* De hoc autem dono scientiæ sunt tria notanda: primo, quæ scientia donum Spiritus sancti dicatur; secundo, qualiter per donum scientiæ in anima dies oriatur; tertio, quo modo per donum scientiæ menti convivium præparetur.

Circa primum nota, quod Bernardus, *super Cantica*, in quodam sermone dicit: « Scientia quædam est sæcularis, quæ inebriat non charitate, sed curiositate; implet, sed non nutrit; inflat, et non ædificat; ingurgitat, et non confortat. Et talis scientia non est donum Spiritus sancti. Est alia scientia de qua Augustinus dicit [4]: « Est scientia quæ non est rerum vanarum, nec rerum curiosarum, sed de his, quibus fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: » et hæc dicitur donum Spiritus sancti. Et hoc donum gratuitum est lumen supernaturale, cujus actus est bene judicare, secundum regulas legis æternæ, de agibilibus per nos, quorum non est determinata via quoad nos, qualiter fieri debeant, eo quod non semper uniformiter fienda sunt. Unde per donum scientiæ, innotescit homini rectum judicium de creaturis, quod non est in eis verum bonum: et hoc fit per lumen supernaturale, scilicet per principia fidei, quæ sunt articuli fidei. Ideo, ex consequenti, ad donum scientiæ pertinet resolvere hominis actiones ad fidei articulos, ut ad principia. Et notandum est, quod donum scientiæ principaliter respicit speculationem, scilicet in quantum homo scit quid fide tenere debeat. Secundo, se extendit ad operationem, quia per scientiam credibilium, et eorum quæ ad credibilia consequuntur, dirigitur in agendis. Unde illi donum scientiæ habent, qui ex infusione gratiæ certum judicium habent circa credenda, sic quod in nullo deviant a rectitudine justitiæ. Et hæc est scientia sanctorum, de qua dicitur [5]: *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et dedit illi scientiam sanctorum.* Ex his patet, quod donum scientiæ est habitus infusus, in quo homo habet certum judicium circa credenda et agenda. Igitur, sicut dicit Hieronymus in *Prologo super Biblia*, « Discamus in terris, quorum scientia remanebit nobis in cœlis. » Valde enim indignum esset, quod tantum laborarem circa scientiam et virtutes, si desinerent esse in morte. Unde Hieronymus ibidem dicit [6], quod sacra Scriptura est habitaculum regni cœlestis. Evacuabitur tamen imperfectio ejus.

CAPUT II.

Qualiter per donum scientiæ dies in anima oriatur.

Secundo videndum est, qualiter per donum scientiæ in anima dies oriatur. De quo notandum est, quod cum donum scientiæ sit habitus luminosus, a Spiritu sancto animæ infusus, qui omnia scrutatur, et omnem veritatem docet, quo habitu anima habet rectum et certum judicium circa credenda et agenda, ut supra dictum est, hujusmodi non possunt fieri sine lumine. Lumen autem facit diem, sicut dicit Hugo in libro *de tribus Diætis.* Planum est, quod donum scientiæ causat diem spiritualem in anima, quæ secundum majorem et minorem illuminationem causat mane, meridiem, et vespertinam horam. Mane hujus diei causat donum scientiæ, dum se extendit ad lumen scientiarum acquisitarum per studium et doctrinam: quæ scientiæ, licet sint quædam lumina, tamen sunt obscura, quia,

Donum scientiæ causat diem in anima tribus horis distinctam.

[1] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XV. — [2] Anselm., *de Similit.*, c. CXXX. — [3] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. II, c. VII. — [4] Aug., *de Trinit.*, lib. XIV, c. I. — [5] *Sap.*, X, 10. — [6] Hieron., *ad Paulin.*, epis. CIII, circa fin.

(a) *Cæt. edit. deest tit.* Sectio III.

sicut dicit Hugo[1] in *Prologo super librum Angelicæ Hierarchiæ*, « philosophis vel sapientibus mundi datum est veritates aliquas invenire propter nos, quibus consummatio servabatur. Unde invenerunt veritatem illam, quam oportuit suscipere filios vitæ, ad obsequium summæ veritatis. Illis labor appositus est, nobis autem fructus servabuntur. Ipsi arcana sapientiæ non noverant, quia conditorium thesaurorum, scilicet incarnatum Jesum non noverant; sed naturali documento solo utentes, lippienti acie lumen nubilum et ambiguum adduxerunt: propterea erraverunt et evanuerunt, cum mente transire vellent ea quæ eis concessa sola fuerant nosse. » Etiam hæc scientia assimilatur auroræ, quæ est mane et initium diei. Aurora enim est lux nova tenebris permixta, ut dicit Richardus[2]. Sic et scientiæ humanæ tenebris permixtæ sunt, donec donum scientiæ faciat nos circa eas juste sentire, et recte judicare.

Secundo donum scientiæ extendens se ad lumen sacræ Scripturæ, et ad credibilia, causat in anima horam meridianam diei spiritualis. Nam lumen horæ meridianæ clarius illuminat, et vehementius inflammat, ut patet ad sensum. Sic lumen sacræ Scripturæ super omnes scientias mentem clarius illuminat, et vehementius inflammat. Unde Gregorius dicit sic[3] : « Quamvis omnem scientiam atque doctrinam Scriptura sacra sine aliqua comparatione transcendat, ut taceam quod vera prædicat, quod ad cœlestem patriam vocat, quod a terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis invitat, quod dictis obscurioribus exercet fortes, et parvulis humili sermone blanditur, quod nec clausa est ut pavesci debeat, nec sic patet ut vilescat, quod usu fastidium tollit, et tanto amplius diligitur quanto amplius meditatur, quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, sublimibus vero sententiis levat, quod aliquo modo cum legentibus crescit, quod ab avidis lectoribus quasi recognoscitur, et cum doctis semper nova reperitur : ut ergo de rerum pondere taceam, scientias tamen omnes atque doctrinas, ipso etiam locutionis suæ more transcendit. » Hæc ille. Sic ergo donum scientiæ per lumen sacræ Scripturæ animam illuminat et inflammat ad modum lucis meridianæ, ut dicatur de ea illud Isaiæ[4] : *Sicut lux meridiana clara est.*

Tertio donum scientiæ, se extendens ad lumen scientiæ moralis et ad agibilia, facit horam vespertinam in die spirituali animæ, quæ est hora quietis et terminus laboris : *Exibit enim*[5] *homo mane ad operationem suam usque ad vesperam*, ait Psalmista; sic donum scientiæ, notificans homini rectum judicium circa credenda et agenda, ipsum quietat, dum eum in veritate stabilitat. Sed et laborem minuit, et quasi terminat, dum eum gaudenter operari facit, quia finis laboris quietem æternam ei pie ostendit. Unde Dionysius dicit[6] : « Fides divina est stabilis collocatio credentium, collocans eos in veritate, et confirmans in transmutabili identitate. » Sequitur : « Et credentem in veritate, teste Scriptura, nihil moveat a lætitia quæ est secundum veram fidem, sed habeat in ea permanentiam immobilis identitatis. » Et parum infra dicit : « Ita igitur principes et duces nostræ sapientiæ, scilicet apostoli et eorum discipuli, pro veritate quotidie lætantur, et moriuntur, testificantibus omnibus verbo et opere veritatem, sicut conveniens est. » Et sic vespere, et mane dies tertius perficitur.

CAPUT III.

Quo modo per donum scientiæ menti convivium præparetur.

Tertio videndum est, quo modo per donum scientiæ menti humanæ convivium præparatur in die suo, et de diversitate ferculorum illius. Circa quod sciendum est, quod Augustinus, in libro *de Vita Beata*, dicit[7], quod sicut scientia est cibus animæ, ita vitia sunt fames animæ et sterilitas. Et illa fames causat quoddam jejunium spirituale in anima, quod donum scientiæ expellit ab anima. Unde Gregorius in *Moralibus* dicit[8] : « Scientia in die suo convivium facit, quia in ventre mentis ignorantiæ jejunium superat. » Ex quo patet, quod ignorantia et vitia causant in anima jejunium spirituale, quæ quamvis sit incorruptibilis, tamen multum debilitatur, eo quod interius nullis veritatibus cibatur, et ex consequenti nec appetitus veris bonis satiatur; quia incognita amare non possumus, ut dicit Beda, *super Lucam*, cap. VIII. Igitur, sicut consulit Augustinus in libro de *Vera Religione*[9], « omissis nugis theatricis et

Quæ fames et quis cibus animæ sit.

[1] Hug., *in Cœl. Hier.*, lib. III, c. I, ante med. — [2] Richard., *de Contempl.*, lib. V, c. VI. — [3] Greg., *Moral.*, lib. XX, c. I. — [4] *Isa.*, XVIII, 4. — [5] *Psal.* CIII, 23. — [6] Dion., *de Div. Nom.*, c. VII, circa fin. — [7] Aug., *de Vit. beat.*, disput. 1. diei. — [8] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVI. — [9] Aug., *de ver. Relig.*, c. LI.

poeticis, divinarum scripturarum consideratione et tractatione pascamus animum atque potemus, vanæ curiositatis fame ac siti fessum, et æstuantem, et inanibus phantasmatibus, tanquam pictis epulis, frustra refici satiarique cupientem, cum talia animam non satient. »

Secundo donum scientiæ provocat animæ appetitum per manifestationem dulcissimarum veritatum. Nam sicut dicit Augustinus *super Joannem* [1], « veritas panis est, et mentem reficit, nec tamen deficit. » Et quanto donum scientiæ dulces veritates magis manifestat, tanto appetitum magis provocat; quia quanto alimenta spiritualia plus sumuntur, tanto plus appetuntur, ait Gregorius. Alioquin, sicut dicit Hugo, libro *de Vanitate Mundi*, « frustra in nobis divinæ cognitionis abundantia crescit, nisi in nobis divinæ dilectionis flamma augescat. » Sed dilectio, sive charitas, est cibus dulcissime reficiens mentem. Unde Bernardus, in libro *de Gradibus Humilitatis*, dicit [2] : « Dulcis cibus et suavis est charitas, quæ fessos allevat, debiles roborat, mœstos lætificat, jugum denique veritatis facit suave, et onus leve, in illo scilicet convivio mentali. »

Tertio donum scientiæ convivantes multipliciter reficit per ferculorum diversorum deliciosam exhibitionem, quæ in scientia sacræ theologiæ occulta ostendit, et convivantes illuminando gustare facit. Unde Gregorius in *Moralibus* [3], exponens illud Job [4] : *Tunc super Omnipotentem deliciis afflues*, dicit : « Super Omnipotentem deliciis affluere, est in amore illius sacræ Scripturæ epulis satiari : in quibus nimirum tot delicias invenimus, quot ad profectum nostrum intelligentiæ diversitates accipimus : ut modo nos nuda pascat historia, modo sub textu litteræ velata nos reficiat medullitus allegoria, modo ad altiora suspendat contemplatio anagogiæ, in præsentis vitæ tenebris, jam de lumine æternitatis intermicans. » In his verbis Gregorius innuit, triplicem mensam esse sacræ Scripturæ, in quibus animæ studiosæ, mediante dono scientiæ, diversimode et dulciter reficiuntur; prima est mensa historiæ; secunda est mensa allegoriæ; tertia est anagogiæ. In mensa historiæ, simplices cibantur ferculis grossioribus; in mensa allegoriæ, cibantur doctores ferculis subtilioribus; in mensa anagogiæ, perfectiores cibantur ferculis dulcioribus. In mensa historiæ, simplices cibantur ferculis grossioribus, fidem roborantibus, dum simplices legunt in sacra Scriptura, quod aqua in vinum mutatur, Lazarus suscitatur, leprosus mundatur, cæcus illuminatur, et hujusmodi. Tunc turba simplicium pascitur, quando fides exemplis roboratur. Unde Alexander Nechan, *super Cantica*, dicit [5] : « Ecce nobis recumbentibus ad mensam sacræ Scripturæ, proponuntur poma miræ fragrantiæ. Arbor siquidem propaginis, cujus radix erat protoplastus, decorata multitudine ramorum, qui sursum intenduntur (*a*), protulit poma, id est, exempla comestibilis et commendabilis saporis, per quæ intellige bona opera, seu prophetarum vaticinia, quorum delicioso odore sancta Mater Ecclesia quotidie recreatur. » Hæc ille. In mensa secunda allegoriæ reficiuntur subtiliores, ut doctores et similes, subtilioribus et dulcioribus ferculis, dum eis panis verus de cœlo promittitur [6] et datur [7], *habens in se omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis* : ex cujus manducatione resurrectio nobis promittitur, vita æterna speratur, janua cælestis aperitur, mensa æternæ refectionis præparatur, corpus Christi hic vere manducatur, in quo nobis divinitas propinatur. Unde Hugo, in primo capite super librum *Angelicæ hierarchiæ*, dicit [8] : « Carnem assumptam Jesus nobis in edulium proposuit, ut per cibum carnis ad gustum invitaret divinitatis. » Ex his autem confortatur anima, et surgit in spem vivam. De qua spe Gregorius in *Moralibus* dicit [9] : « Spes in æternitatem (*b*) animum erigit, et idcirco nulla exterius adversa, quæ tolerat, sentit, quod non est modica refectio mentis. » In mensa tertia, scilicet anagogiæ, spiritales et perfectiores pascuntur ferculis dulcissimis et sapidissimis. Cujus ratio potest esse talis : « Anagogia, ut dicit Hugo [10], est ascensio, sive elevatio mentis in contemplationem supernorum. Ideo ascendendo transcendit narrationem mensæ historicæ, sed contemplando transit ultra velamina mensæ allegoricæ. » Plena autem elevatio, et pura contemplatio, in mente miram et dulcem generat delectationem et refectionem. Unde Grego-

[1] Aug., *in Joan.*, tract. XLI. — [2] Bern., *de duod. Grad. Humilit.*, non longe a princ. — [3] Greg., *Moral.*, lib. XVI, c. IX, in princ. — [4] *Job*, XXII, 26. — [5] Alex. Nech., *super Cant.*, c. V. — [6] *Joan.*, VI, 52. — [7] *Sap.*, XVI, 20. — [8] Hug., *in Cœl. Hierarch.*, lib. II, ad c. II. — [9] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XIII. — [10] Hug., *in Cœl. Hier.*, lib. I.

(*a*) *Cœt. edit.* tenduntur. — (*b*) *Al.* æternitate.

rius dicit sic [1] : « Contemplatio amabilis et mirabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsam animam rapit, id est, cœlestia aperit, terrena autem debere esse contemptui ostendit, spiritualia oculis mentis patefacit, corporalia abscondit, ut talis contemplatrix dicat illud Cantici [2] : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* » Sequitur : « Vigilanti etenim corde dormit, per hoc quod interius contemplando proficit, et ab inquieto opere foris quiescit. » Sequitur : « Neque adhuc omnipotens Deus in sua claritate conspicitur; sed quædam ab illa anima speculantur, unde refecta proficiat, et post ad visionis gloriam pertingat. » Hæc ille. Quare contemplatrix anima desiderans claram dilecti visionem, et plenam refectionem, confortata petit jam trahi de istis mensis ad illam gloriosam mensam et epulationem cœlestis convivii, dicens illud [3] : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Bernardus, exponens hæc verba, dicit sic [4] : « Primo adverte, quam eleganter sponsa amorem spiritus ab amore carnis discernat affectu, dum dilectum exprimere magis jam volens affectione, quam nomine, non simpliciter dicit, *quem diligo,* sed inquit, *quem diligit anima mea*, spiritualem designans amorem, non carnalem. *Indica mihi* igitur, *ubi pascas*, etc. Antequam adimplebis me lætitia cum vultu tuo, vultum tuum requiro : vultus autem tuus vera meridies est. » Hæc ille. Hic meridies anagogiæ clarior est in splendore, et ferventior in calore : in splendore clarior, dum Pater per Verbum infiniti splendoris se perfecte manifestat; et in calore ferventior, dum per amorem suum spiratum, qui est infiniti ardoris sive charitatis, se ad gustandum, amplexandum et habendum liberalissime in anagogia communicat. Sed Bernardus ibidem dicit : « Verumtamen quantumlibet hic meridies viæ incalescat, et radios suos multiplicet, per omnia mortalis hujus vitæ curricula, sitque nobiscum usque ad consummationem sæculi, non tamen ad lumen perveniet meridianum patriæ. Nam hic pastus, sed non ad saturitatem : nec cubare licet, sed vigilare oportet, propter timores nocturnos : nec hic clara lux, nec plena refectio, nec tuta mansio. Igitur *indica mihi ubi pascas, ubi cubes in* vera *meridie*, scilicet in claritate lucis, et fervore charitatis tuæ infinitæ. » Hæc ille. De hac meridie dicit Bernardus ibidem, quod admirando exclamat, dicens : « O vera meridies, plenitudo fervoris et lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, paludum desiccatio, fœtorum depulsio! O perenne solstitium, quando jam non inclinabitur dies! O lumen meridianum! O vernalis temperies! O æstiva venustas! O autumnalis ubertas! O quies et feriatio hiemalis! Hunc locum inquit, tantæ claritatis, et pacis, et plenitudinis, *indica mihi*, ut ego te in lumine tuo per mentis excessum merear contemplari, pascentem uberius, quiescentem securius. Hæc est mensa veri Salomonis, in qua Regina Saba [5] *ultra non habuit spiritum* humanum, tota absorpta in spiritu divino. »

CAPUT IV.

De mensa divinæ Scripturæ, sive scientiæ, et de ferculis quæ in ea apponuntur.

De hac mensa divinæ Scripturæ, sive scientiæ, Hugo loquens, dicit idem, sed per alia verba, quæ forte magis sapiunt; unde dicit sic [6] : « Sicut homo exterior in refectorio materiali ad horam cibo potuque reficitur, sic homo interior in refectorio sanctæ meditationis diversorum exemplorum ferculis saginatur, et vino compunctionis potatur. Sequitur : « In hoc ergo refectorio tres ponuntur mensæ, id est tres intellectus divinæ Scripturæ, videlicet mensa historialis, mysterialis, et moralis. Prima mensa ponitur simplicibus, secunda doctoribus, tertia utrisque communiter. In prima ponitur cibus grossior; in secunda, cibus subtilior; in tertia, cibus dulcior. Prima saporem continet exemplorum; secunda continet dilectionem mysteriorum; tertia, dulcedinem morum. In prima Christus panem fregit; in secunda, figuris ministrat vinum; in tertia, docet verum. In prima, pascit miraculis; in secunda, figuris; in tertia, verbis. Refectio miraculorum corroborat fidem; impletio figurarum confortat spem; doctrina morum adauget charitatem. Cum enim mortui suscitantur, leprosi mundantur, cæci illuminantur, tunc simpliciorum turba pascitur. Sed fides inde succrescit, dum Deus hoc fecisse creditur. Dum vero resurrectio Christi creditur, tunc nostra resurrectio speratur. Dum semen seminantis,

[1] Greg., *in Ezech.*, hom. XIV, post med. — [2] *Cant.*, V, 2. — [3] *Cant.*, I, 6. — [4] Bern., *in Cant.*, serm. XXXIII. — [5] III *Reg.*, X, 5. — [6] Hug., *de Claust. Anim.*, lib. III, c. VIII.

quibus terris congruat, assignatur, quid aliud fit, quam quod, in mentibus hominum, verbi Dei amor ordinatur? Ponuntur itaque mensæ, ponuntur et panes. Ad primam mensam Moyses offert [1] panem conspersum, tanquam cibum grossiorem, oleo devotionis conspersum in superficie, quia lex nullum ad perfectum duxit. Dabatur tamen populo Dei exeunti de Ægypto ille panis, ad aliqualem devotionem ejus et alleviationem. Ad secundam mensam, Ruth [2] obtulit panem intinctum in aceto dominicæ passionis, qui habet virtutem patienter sustinendi omnia adversa. Unde Augustinus, in libro *de Conflictu vitiorum et virtutum*, dicit [3] : « Si passio Redemptoris nostri ad memoriam reducatur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur : parva enim omnia reputamus, si suæ passioni comparemus, quæ patimur. » Simile dicit Isidorus [4], *de summo Bono.* Ad tertiam mensam, scilicet anagogiæ, Christus dat panem supersubstantialem, seipsum in corpore et sanguine suo, ut, sicut dicit Hugo, per cibum carnis invitet ad gustum divinitatis, ut homo manducet panem angelorum, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Ideo maxime reficit. Unde Vercellensis, *super Cantica*, dicit : « Nihil est, quod ita gratam mentibus præstet refectionem, sicut panis supersubstantialis, id est, Eucharistiæ. Et sic convivantes in prima mensa ad exeundum de Ægypto alleviantur. In secunda mensa, ad sustinendum patienter pericula viæ animantur. In tertia mensa, convivantes sic reficiuntur, ut in æternum non moriantur. Post appositionem panum, ponuntur diversa genera pulmentorum. Nam tres pueri [5] afferunt legumina. Paulus [6] infirmis (*a*) ministrat olera. Moyses affert diversa ferculorum genera, *mel* scilicet [7] *de petra, oleumque de saxis durissimis, butyrum de armento, et lac de ovibus, cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan, et hircos cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberent meracissimum.* Post appositionem pulmentorum, ponuntur diversa fercula carnium. Nam Abel offert [8] agnum; Abraham [9] arietem; Josue [10] vaccam; Moyses [11] volatilia pennata, et rex evangelicus [12] altilia occisa, per quæ signantur patres novi Testamenti. Quidam dum gratiam pinguedinis internæ dulcedinis percipiunt, a terrenis desideriis ad sublimia contemplationis suæ penna sublevantur, ait Gregorius. Post appositionem carnium ponuntur diversa fercula piscium. Nam apostoli afferunt [13] pisces de mari; Tobias affert [14] pisces de fluvio; pisces de stagno in *Levitico*, ubi dicitur [15] : *Omne quod habet pinnulas et squamas, tam in mari quam in fluminibus et stagnis, comedetis :* ubi dicit Gregorius [16] in Glossa : « Pisces, qui habent pinnulas, solent saltare super aquas; et signant animas quæ elevantur ultra illa fluxibilia per contemplationem. » Et etiam aliqui sunt in activa vita, et illi sunt comedendi, et Ecclesiæ incorporandi, vel trajiciendi, quia sunt mundi. Sed Hugo dicit : « Pisces de mari sunt sæculares, qui sunt adhuc in hoc mari magno. Pisces vero de flumine, sunt doctores, qui fluunt scientia ad alios inquieti; sed pisces de stagno sunt claustrales quieti, qui omnes in flumine baptismi mundati sunt, et ideo comedendi sunt, id est, in corpus Ecclesiæ trajiciendi sunt. Cum prædictis ferculis, donum scientiæ tot vina ministrat potanda, quot proposuit fercula reficientia. Et hujus ratio est, quia donum scientiæ, ut est donum Spiritus sancti, illuminat ad veritates sacræ Scripturæ cognoscendas, et ad cognitas diligendas. Cognitio autem cibat; sed dilectio potat. Cognitio cibat multipliciter : quia, sicut dicit Gregorius [17] in *Moralibus*, in Scripturæ sacræ verbis tot delicias invenimus, quot ad profectum nostrum intelligentiæ diversitates accipimus. Sed sicut in nobis crescit cognitio, ita in nobis debet augeri et dilectio. Alioquin, sicut Hugo dicit in libro *de Vanitate Mundi*, frustra in nobis divinæ cognitionis abundantia crescit, nisi in nobis divinæ dilectionis flamma augescat, quæ animos inebriat, et pascit. Hic est notandum, quod, sicut dicit Gregorius in *Moralibus* [18], Scriptura sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus est : cibus est in locis obscurioribus, qui quasi exponendo frangitur, et masticando glutitur; potus vero est Scriptura in locis apertioribus, qui ita absorbetur, sicut invenitur. Ex his patet, quod in isto convivio non sufficiunt

[1] *Levit.*, VII, 12. — [2] *Ruth.*, II, 14. — [3] Aug., *de Conflict. vit. et virt.*, c. IX. — [4] Isid., *de Contempt. Mundi*, c. *De pat. in adv.* — [5] *Dan.*, I, 12. — [6] *Rom.*, XIV, 2. — [7] *Deuter.*, XXXII, 13. — [8] *Gen.*, IV, 4. — [9] *Gen.*, XXII, 13. — [10] *Jos.*, VIII, 31. — [11] *Psal.* LXXVII, 27. — [12] *Matth.*, XXII, 4. — [13] *Joan.*, XXI, 11. — [14] *Tob.*, VI, 2. — [15] *Levit.*, XI, 9. — [16] Greg., *Moral.*, lib. V, c. VIII. — [17] Greg., *Moral.*, lib. XVI, c. IX, in princ. — [18] Ibid., lib. I, c. VIII.

(*a*) *Cæt. edit.* infernus.

vina præcipua Assueri, nec vina condita Sponsæ, nec vina mera Psalmistæ, etc.; sed quot erunt fercula, tot erunt in convivio illo vina : quia, sicut dicit Origenes *super Cantica*, « non est plena refectio, nec omnimoda refectionis delectatio, nisi cum cibo potus jungitur. » Hæc ille. De ista refectione spirituali, sive convivio, Richardus de sancto Victore dicit : « O qualis refectio, ubi dapifer est Christus, pincerna vero Spiritus sanctus! Christus enim ministrat in cibo; unde David[1] : *Mittit crystallum suam sicut buccellas*. Spiritus sanctus ministrat in potu; unde David ibidem dicit : *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ vivæ*, quia vivificant. » Hæc ille. Ratio hujus appropriationis potest esse talis. Augustinus, *de Trinitate*, dicit[2], quod verbum perfectum est notitia cum amore. Cum igitur Verbum æternum sit notitia manifestans Patrem, et cum hoc notificet omnem veritatem, *illuminat* enim[3] *omnem hominem venientem in hunc mundum*; veritas autem est dulcis refectio mentium, ut dicit Augustinus *super Joannem*[4] : patet quod refectio appropriatur Filio. Sed cum in notitia sit amor, qui appropriatur Spiritui sancto, et amor sit vinum spirituale, potans, et reficiens, et inebrians mentem, patet quod potare vino spirituali, et inebriare, appropriatur Spiritui sancto. Quod autem amor, sive charitas, sit quoddam optimum vinum spirituale, ostendit Hugo, *de Arca Noe*, ubi dicit[5] : « Charitas sive amor similis est vino, quia habet effectus vini. Vinum namque eos, quos inebriaverit, reddit hilares, audaces, fortes, obliviosos, et quodam modo insensibiles; sic charitas sive amor, mundando conscientiam, mentem exhilarat, secundum Psalmistam[6]. Deinde audacem reddit, quando per munditiam conscientiæ fiduciam præstat. Deinde vires auget, quia, sicut testatur Scriptura[7], *fortis est ut leo, qui confidit in Domino*. Oblivionem quoque generat, quia dum totam intentionem ad desiderium æternorum trahit, omnium transeuntium memoriam ab anima funditus evellit, et insensibilem reddit; quia dum mentem per internam dulcedinem medullitus replet, quidquid exterius amari infertur, contemnit, quasi non sentiat. » Hæc ille. De hac ebrietate, dono septimo, cap. VII. Supra posita exempla nemo contemnat, quia donum scientiæ in omnibus sensibilibus divinos radios lucere manifestat. Unde Dionysius dicit[8] : « Non solum sensibilia signa Scripturarum, sed et totus iste mundus sensibilis, secundum quamlibet sui partem, est quasi propositio signans divina invisibilia, juxta illud[9] : *Invisibilia Dei*, etc. Hi autem radii non revelantur immundis, sed solum amatoribus sanctitatis, qui studendo veræ sapientiæ in sanctis signis rerum materialium, abolita omni inepta et phantastica expositione, per intelligentiam puræ veritatis, et amorem veræ bonitatis, per donum scientiæ transeunt ad contemplationem simplicis et puræ veritatis. Ad quam nos perducat, qui est Deus benedictus in æternum. Amen. » Hæc ille.

SECTIO IV. [a]

DE DONO FORTITUDINIS.

CAPUT PRIMUM.

Quæ fortitudo donum Spiritus sancti dicatur.

Quartum donum Spiritus sancti est donum fortitudinis, quod immediate sequitur donum scientiæ. Quod Anselmus ostendit in libro *de Similitudinibus*, dicens[10] : « Spiritus sanctus donum fortitudinis superimponit dono scientiæ. Cujus ratio est : dum enim mens pavida timens, atque donum pietatis compatiens, et jam quid agere debeat dono scientiæ sciens, oportet ut dono Spiritus sancti sit fortis ad operandum quæ dicit, et quibus se salvari posse confidat. » Quia, sicut dicit Hugo[11], *super Angelicam Hierarchiam*, « perfectum non facit agnitio, seu cognitio veritatis in mente, nisi subsequatur habitus veritatis in operatione. » Et Veritas dicit[12] : *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis.* Ideo fortitudinis donum sequitur donum scientiæ. Circa hoc donum fortitudinis sunt notanda tria : primo, quæ fortitudo donum Spiritus sancti dicatur; secundo, qualiter per hoc donum dies spiritualis in anima oriatur; tertio, quale convivium per hoc donum animæ præparetur.

Circa primum sciendum, quod duplex est fortitudo, una quæ est virtus, alia quæ est donum Spiritus sancti. De fortitudine quæ est vir- Duplex est fortitudo.

[1] *Psal.* CXLVII, 17. — [2] Aug., *de Trinit.*, lib. IX, c. X. — [3] *Joan.*, I, 8. — [4] Aug., *in Joan.*, tract. IV. — [5] Hug., *de Arc. Moral.*, lib. IV, c. VIII. — [6] *Psal.* CIII, 15. — [7] *Prov.*, XXVIII, 1. — [8] Dion., *ad Timoth.*, epist. — [9] *Rom.*, I, 20. — [10] Imo Eadmer., *de Similit.*, c. CXXX, inter Oper. Anselmi. — [11] Hug., *in Cœl. Hier.*, c. VII. — [12] *Joan.*, XIII, 17.

(a) *Cæt. edit. deest tit.* Sectio. IV.

tus, multa dicit Philosophus in *Ethicis* [1], inter quæ dicit, quod fortis est qui non timet terribilia, et sustinet ut oportet boni gratia. Et Paulinus, in epistola *ad Hieronymum*, dicit : « Qui vere fortis est, nec temere audet, nec inconsulte timet. » Et hæc fortitudo se habet respectu ardui, et mali pœnæ, secundum dictamen naturalium principiorum. Et tali fortitudine sustinet homo pericula et læsiones propter bonum virtutis. Unde Augustinus narrat [2], quod multi utilitatem reipublicæ propriæ vitæ præponebant. Et Tullius, *de Officiis*, dicit, quod duo erant præcepta Platonis volentibus reipublicæ prodesse : primum, utilitatem civium sic tueantur, ut, quæcumque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum; secundum præceptum fuit, ut totum corpus reipublicæ curent principaliter, ne dum aliquam partem tueantur, reliquas deserant : et ideo hæc fortitudo ordinat hominem ad finem, qui est infra limites naturæ, ut patet.

Quæ fortitudo est donum Spiritus sancti. Est alia fortitudo, quæ est donum Spiritus sancti, quæ se habet respectu illius pœnæ secundum dictamen supernaturalium principiorum legis æternæ, sequendo Spiritus sancti specialem inspirationem, vel instinctum, quo moventur aliqui ad ultro se offerendum ad sustinentiam pœnæ prædictæ. Ex quo patet, quod donum fortitudinis est habitus existens, sicut in subjecto, in voluntate, in quantum negotiatur circa ardua, quo voluntas habilitatur ad volendum mortem sustinere pro defensione seu promotione veritatis fidei vel morum, secundum dictamen legis æternæ, sequendo Spiritus sancti motivam inspirationem. Ex consequenti tamen, per ipsum donum fortitudinis bene se habet voluntas respectu cujuslibet alterius arduæ pœnæ, et melius quam per aliquam moralem veritatem. Et ideo per istam fortitudinem sancti fecerunt opera fortitudinis superhumano modo, sustinendo talia cum gaudio et exultatione, ut patet in *Apostolorum Actis*, ubi dicitur [3] : *Ibant apostoli gaudentes*, etc. Et ista fortitudo ordinat et disponit ad finem supernaturalem. De hac fortitudine dicit Gregorius in quadam homilia sic [4] : « Fortes facti sunt Sancti, tortores domant, spiritum roborant, virtutibus coruscant, terrena despiciunt, cœlestia appetunt, occidi possunt, flecti autem nequeunt; nec sustinere flagella per infirmitatem metuunt, nec læsi unquam a veritate conticescunt. » Hæc etiam fortitudo instigationes ad malum fortiter retundit et repellit, sicut dicit Augustinus *super Marcum*, et Gregorius in homilia [5] : « Apostoli mundi hujus potestatibus contrarie non præsumerent, nisi eos sancti Spiritus fortitudo solidasset; » exemplificando de Petro, qui magna auctoritate respondit [6] : *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*, jam Spiritu sancto confortatus.

CAPUT II.

Qualiter per hoc donum dies spiritualis in anima oriatur.

Secundo videndum est, qualiter per donum fortitudinis dies spiritualis in mente humana oriatur. De quo sciendum est, quod cum isto dono, sicut cum aliis donis prædictis, Spiritus sanctus sit et habeatur, qui ad modum ignis illuminat et inflammat, ut dictum est : ideo animam, quam inhabitat, illuminat, dum impetum irascibilis, et concupiscibilis, et aliarum passionum obumbrantium convivium animæ fortiter reprimit, et tenebras vitiorum viriliter expellit, et ornatum virtutum omnium custodit, et omnes partes mentis confractis vectibus divino Soli patenter aperit, et dicit [7] : *Elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ, fortis, et potens in prælio*, qui [8] *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. De hac fortitudine dicit Ambrosius, *de Officiis* [9] : « Non mediocris virtus animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, et justitiam custodit, et quæ implacabili prælio adversus omnia vitia decertat. Invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, avaritiam fugat tanquam labem quamdam, quæ virtutem effeminat, et sic mentem obtenebrat. » Sed necesse est videre, quæ sint portæ animæ, per quas divini radii animam ingrediuntur, et qualiter per donum fortitudinis aperiantur.

De primo notandum est, quod tres portæ mentis sunt tres potentiæ, scilicet memoria, intelligentia, et voluntas, secundum quas homo ad imaginem et similitudinem Dei creatus est, quæ potentiæ convenienter dicuntur portæ æternales, quia æternitatis sunt capaces, eo quod imago Deo in eis consistit, ut dicit Augustinus, *de Trinitate* [10]. Has portas Spiritus sanctus per — Tres animæ potentiæ sunt tres portæ mentis.

[1] Arist., *Ethic.*, lib. III, c. VII et IX. — [2] Aug., *de Civit. Dei*, lib. V, c. XVII. — [3] *Act. Apost.*, V, 41. — [4] Greg., *in Evang.*, hom. XXVII, circa med. — [5] Ibid., hom. XXX, post med. — [6] *Act. Apost.*, V, 29. — [7] *Psal.* XXIII, 7, 8. — [8] *Joan.*, I, 8. — [9] Ambros., *de Offic.*, lib. I, c. XXXIX. — [10] Aug., *de Trinit.*, lib. IX et seq.

donum fortitudinis aperit, dum eas per fortes conatus ad æterna convertit, jam a temporalibus aliqualiter elevatas. Unde, appropriate loquendo secundum appropriationem Augustini, *de Trinitate:* primo per donum fortitudinis, porta memorialis aperitur Patri æterno, dum forti conatu a temporalibus abstractam et elevatam, et divinis beneficiis gratificatam, in Patre incipit jam delectari, et gratias agere de Filii consubstantialis datione, et de Spiritus sancti missione, et de omnibus aliis beneficiis, ut dicat illud Psalmi [1]: *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Quod exponens Gregorius, *super Job,* dicit [2]: « Qui de temporalium amissione non lugeo, de temporalium abundantia consolari non possum, quasi de umbra; sed cum memor fui Dei, delectatus sum, quia auctor mei, quem adhuc videre non valeo, sola memoria delectat, quod sine lumine esse non poterat. » Sequitur: « *Exercitatus sum* continua meditationis meæ apertione divino Soli : *et defecit spiritus meus*, scilicet superbiæ tenebrantis et cæcantis : et divinus illuxit, quia quanto Spiritus sancti virtus in nobis fortificatur et proficit, tanto noster spiritus deficit. Et tunc in Deo plene proficimus, cum a nobis plene defecerimus, » ait Gregorius [3].

Secundo, per donum fortitudinis porta intellectualis aperitur Verbo æterno sive Filio, dum eam forti conatu a clamore et sollicitudine temporalium constrictam abstrahit, et ad auditionem Verbi Dei convertit, et instructionem, et fidei ejus receptionem, et præceptorum ejus observationem: quia, sicut dicit Augustinus [4], « Sapientia, quæ est Filius Dei, non cessat loqui occulta inspiratione ad intellectualem creaturam, ut ad se convertatur, et sic salvetur. » Et valde necesse est, ut se homo ad lumen sapientiæ convertat; quia, sicut dicit Augustinus [5], *de Libero Arbitrio,* « avertentes se a lumine ad umbram carnalitatis, continue obtenebrantur, in tantum quod non possunt videre etiam quod summe bonum est, et malum reputant quod etiam in se bonum est. » Sicut ergo isti obtenebrantur et sunt in nocte, ita illi illuminantur et in die sunt; quia [6] *sol refulget in clypeos aureos,* id est, in puros animos, et ideo fortitudo gentium cæcarum, id est, irrationalium virium, dissipata est.

Tertio, per donum fortitudinis porta voluntatis aperitur Spiritui sancto, id est, amatori æterno, quia, sicut dicit Augustinus, libro *de Moribus Ecclesiæ* [7] : « Fortitudo est amor omnia propter Deum facile perferens. » Ille ergo fortis amor aperit voluntatem Spiritui sancto, dum eam omnem carnalitatem fortiter vincere facit, ita ut etiam seipsam (*a*) contemnat, et omnes delectationes hujus vitæ fortiter extinguat. Ex tunc enim nihil resistit Spiritui sancto. Unde Gregorius in *Moralibus* dicit sic [8] : « Justorum fortitudo est carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationes vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum superare. » Confractis igitur istis vectibus ferreis voluntatis et amoris per donum fortitudinis, æternus Sol ingrediens, et [9] *tripliciter exurens montes* mentis, *igneos radios exsufflat.* Sol iste divinus tripliciter exurit montes secundum tres horas diei fortitudinis, scilicet mane, meridie, et vespere, quæ accipiuntur secundum tres gradus fortitudinis. Primo enim donum fortitudinis facit mane diei spiritualis, quando se extendit ad gradum fortitudinis politicæ. Politica autem fortitudo, ut dicit Macrobius *de Somno Scipionis* [10], est mentem supra metum periculi erigere, et nihil nisi turpia formidare. Quod utique perfectius facit fortitudo ut donum est, ut patet ex *Actibus* in apostolis, ubi dicitur [11], quod *gaudentes ibant a conspectu concilii.* Gaudium autem causat serenitatem mentis, id est, lucem. De hoc potest exponi illud Psalmi [12] : *Mane astabo tibi,* etc. Secundo donum fortitudinis facit meridiem diei spiritualis, quando se extendit ad gradum fortitudinis, prout est virtus purgatoria. Fortitudo autem purgatoria, ut dicit Macrobius ibidem, est animam non terreri corpore patiente. Quod utique perfectius facit fortitudo ut donum est, ut patet per sanctum Andream, qui toto corde gaudens desiderabat pœnam crucis. Et Agatha quasi ad epulas invitata [13], etc. Ili cum sponsa [14] desiderabant Christum sequi ad cubitum (*b*) crucis in meridie, id est, in fervore charitatis. Tertio donum fortitudinis facit horam vespertinam diei spiritualis, quando se extendit ad gradum fortitudinis, prout est purgati animi virtus. Fortitudo autem

Tres sunt gradus fortitudinis.

[1] *Psal.* LXXVI, 4. — [2] Greg., *Moral.*, lib. XVIII, c. XXIV. — [3] Ibid., lib. XXII, c. XIV. — [4] Aug., *de Gen. ad litt.*, lib. I, c. V. — [5] Id., *de Lib. Arb.*, lib. II, c. XVI. — [6] I *Mach.*, VI, 39. — [7] Aug., *de Morib. Eccl.*, c. XV.— [8] Greg., *Moral.*, lib. VII, c. VIII, in princ. — [9] *Eccli.*, XLIII, 4. — [10] Macrob., *in Somn. Scip.*, c. VIII. — [11] *Act. Apost.*, V, 41. — [12] *Psal.* V, 5. — [13] Off. S. Agath., Resp. II. — [14] *Cant.*, I, 6.

(*a*) *Cæt. edit.* seipsum. — (*b*) *Leg.* cubile.

purgati animi, ut dicit Macrobius ibidem, est passiones non vincere, sed omnino ignorare: quod utique perfectius facit fortitudo, ut donum est, ut patet in illis, qui possunt dicere cum beato Job[1]: *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea*: quod ostendit fortitudinis consummationem. *Factum est* igitur[2] *vespere et mane dies quartus.*

CAPUT III.

Quale convivium per hoc donum animæ præparetur.

Tertio videndum est quomodo donum fortitudinis menti humanæ in die suo convivium spirituale præparet, et convivantes disponat ad omnem veritatem. De quo notandum est, quod sicut Gregorius in *Moralibus* dicit[3], « fortitudo in die suo convivium facit, dum adversa non metuit, trepidanti menti cibos confidentiæ apponit. Necessitatem hujus refectionis ostendit Glossa super *Matthæum*, quæ videtur accepta de libro Augustini *de Sermone Domini in monte*, ubi dicitur: « Quia nondum Dei visione fruimur, cibus in via est nobis necessarius ut quandoque ad patriam veniamus; et ideo panem petimus ad quem nemo pervenit sine Spiritu sancto in dono fortitudinis, quia ubi fortitudo, ibi est esuries justitiæ. Æternus enim cibus animæ plenitudo est justitiæ; et quotidianus, cum quotidie illam esurientes implemus. » Hæc ille. Igitur videmus qualiter donum fortitudinis in mentali convivio operetur, et reficiat vires convivantes. De quo sciendum est, quod sicut dicit Tullius

Fortitudinis quatuor partes. primo libro *Rhetoricæ*, fortitudinis, ut est virtus humana, quatuor sunt partes, scilicet fidentia, magnificentia, patientia, et perseverantia. Fidentia, sive fiducia, convivantes, de convivio inchoato usque in finem, certa spe assecurat. Magnificentia vero in convivio, ut decet, administrat. Perseverantia convivantes ad stabilem mansionem invitat. Patientia autem convivantes confortat et quietat.

Fidentia. Fidentia igitur, ut est virtus humana, convivantes de convivio hic assecurat, hic inchoat amicabiliter, et de fine consummando hic temporaliter et delectabiliter assecurat. Unde Tullius ubi supra dicit: « Fidentia est certa spes animi, perducendi in finem rem inchoatam. » Sed fidentia, ut est ex dono fortitudinis, quod est donum Spiritus sancti, convivantes, de convivio temporaliter inchoato, assecurat de fine consummando feliciter, et possidendo æternaliter. De hac fidentia Petrus dicit[4]: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam, regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam et immarcessibilem, conservatam in cœlis*, etc. Hæc fidentia convivantes dulciter reficit, quia[5] *secura mens est quasi juge convivium.* Hæc confidentia expellit a convivantibus omnem diffidentiam; Psalmus[6]: *Qui confidunt in Domino sicut mons*, etc.

Magnificentia vero, ut est virtus humana, et in convivio magnifice ministrat, et splendide, ut decet. Unde Tullius dicit ibidem: « Magnificentia est magnarum rerum splendida administratio. » Sed magnificentia, ut est ex dono fortitudinis, convivantes magnifice ditat, et consolatur, et exaltat. Unde Psalmista dicit[7]: *Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.* Gregorius in *Moralibus* dicit[8]: « Deus hominem magnificat, quia largitate rationis ditat, quia infusione gratiæ visitat, quia honore collatæ virtutis exaltat. » Quibus anima maxime reficitur, quia magno animo et rationali nihil est magnum, nec satiat eum nisi solus Deus, qui est immensus. Unde Macrobius dicit: « Nihil est magnum præter animum magnum, nec tibi magno aliquid est magnum. » Hæc igitur virtus, quæ hominem sic magnificat, excludit vitium oppositum, scilicet parvificentiam, quod a magnificentia debita et recta facit deficere. Unde opes et sumptus convivii non possunt mensurari, quod in tam excellenti et solemni convivio fieri non licet. Magnificentia.

Patientia autem convivantes confortat, ut est virtus humana, ne propter difficultatem imminentium periculorum hujus vitæ frangantur. Unde Tullius ibidem dicit: « Patientia est, causa honestatis ac utilitatis, arduarum rerum voluntaria ac diuturna perpessio. » Sed patientia, ut est ex dono fortitudinis, convivantes non solum facit adversa voluntarie sufferre, sed et ut victores sine murmure gaudenter pertransire, ut apostoli faciebant. Unde Cassiodorus, *super Psalmos*, dicit[9]: « Patientia vincit adversa, non colluctando, sed sufferendo; non Patientia

[1] *Job*, XXVII, 5. — [2] *Gen.*, I, 19. — [3] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVI. — [4] I *Petr.*, I, 4. — [5] *Prov.*, XV, 15. — [6] *Psal.* CXXIV, 1. — [7] *Psal.* CXXV, 3. — [8] Greg., *Moral.*, lib. VIII, c. VII. — [9] Cassiod., *in Psal.* XXII.

murmurando, sed gratias agendo. Ipsa est, quæ fæces totius voluptatis abstergit; ipsa est, quæ limpidas animas Deo reddit. Hæc virtus expellit vitia opposita a convivio, quæ tranquillas mentes confundunt, ut impatientiam, discordiam, rixam, seditiones, et cætera talia quæ mentis convivium molestant, et perturbant. » Et hæc patientia perfectius animam reficit, quia perfectum opus habet. Unde Dominus dicit [1] : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Ubi Gregorius dicit [2] : « Quid est animas possidere, nisi perfecte in omnibus vivere, cunctisque mentis motibus quasi ex arce veritatis dominari ? » Quod utique valde animam consolatur et reficit.

Perseverantia. Perseverantia, ut est virtus humana, convivas fortiter et stabilitat in bono, et conservat in permanentia, usque ad convivii plenam consummationem, ut fit in via. Tullius, ubi supra, dicit : « Perseverantia est in ratione bene constituta stabilis et perpetua permanentia. » Sed perseverantia, ut est ex dono fortitudinis, convivantes in convivio non solum perseverare facit usque ad convivii temporalis terminum; sed et introducit in convivium sine termino æternum, ubi est refectio mentis excellentissima et satietas, quia tunc [3] : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua,* ait Psalmista. Unde sanctus Bernardus in epistola dicit [4] : « Absque perseverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Ipsa enim est nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. » Sequitur : « Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est enim cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino [5] : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* » Hæc ille. In hac perseverantia est refectio dulcissima : nam idem verbum Domini, scilicet, *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*, exponens Augustinus in libro *de Verbis Domini*, dicit [6] : « Cum perveneris ad tres panes perseverando, hoc est ad cibum et ad intelligentiam Trinitatis, habes unde vivas, et unde pascas. Nec timeas ne finias : non enim panis ille finietur; sed omnem indigentiam tuam finiet. » Ergo et omnem famem affligentem a te expellet. Ex his igitur patere potest, qualiter quatuor partes fortitudinis perficiantur (*a*), ut sunt virtutes humanæ, per donum fortitudinis, quia habitus supernaturales perficiunt naturales, ut dicit Dionysius [7].

SECTIO V. [(b)]

DE DONO CONSILII.

CAPUT PRIMUM.

Quid consilium sit, et quid donum consilii dicatur.

Quintum donum Spiritus sancti, quod facit diem spiritualem in anima et convivium, est donum consilii, quod immediate sequitur donum fortitudinis, ut Gregorius ostendit in *Moralibus*, ubi dicit [8] : « Valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur. » Et Anselmus [9], in libro *de Similitudinibus*, dicit : « Post donum fortitudinis, Spiritus sanctus donum consilii superædificat : quia cum mens jam fortis ad operandum, quæ pie timendo scit esse facienda, suo experimento didicit (*c*) ex Spiritu sancto, quid de omnibus consulere debeat. » Ex quo concludit quod post donum fortitudinis, sequitur immediate donum consilii. Ad majorem autem notitiam istius doni consilii, sunt quinque notanda : primo, quid consilium sit, et quid donum consilii dicatur; secundo, necessitas istius doni consilii declaratur; tertio, differentia inter consilia divina, et propria, assignatur; quarto, qualiter dies spiritualis ex dono consilii in anima oriatur; quinto, qualiter convivium per donum consilii in anima præparetur.

Primo, quid sit consilium, et quid donum consilii dicatur, videndum est. Et quia proprium rationali creaturæ est, quod per inquisitionem rationis moveatur ad aliquid agendum, vel non agendum, quæ quidem inquisitio consilium dicitur humanum : unde Damascenus dicit [10] : « Consilium est appetitus inquisitionis, a ratione directus, de his quæ a nobis sunt facienda vel non facienda. » Et Aristoteles in epistola ad Alexandrum dicit, quod consilium

[1] *Luc.*, XXI, 19. — [2] Greg., *Moral.*, lib. V, c. XIII. — [3] *Psal.* XVI, 15. — [4] Bern., *Epist.* XXVI. — [5] *Matth.*, X, 22. — [6] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XXIX, al. CV, n. 4. — [7] Dion., *de Cœl. Hier.* — [8] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVI. — [9] Imo Eadmer., inter Oper., *de Similit.*, c. CXXX, al. CXXXI. — [10] Damasc., *de Fid. Orthod.*, lib. I, c. XXII, circa med.

(*a*) *Cæt. edit.* perficiuntur. — (*b*) *Cæt. edit. deest tit.* Sectio V. — (*c*) Ita Edit. Migne; *Cæt. edit.* sui exp. ducit.

est oculus et cautio futurorum. Sed quia inquisitio et ratio humana per se non sufficiunt comprehendere singularia omnia et contingentia quæ occurrere possunt in nostris actionibus, quæ requiruntur ad consecutionem beatitudinis nostræ, quia [1] *cogitationes mortalium sunt timidæ, et incertæ providentiæ nostræ*, ut dicitur in libro Sapientiæ; ideo indigemus inquisitione certiori, et directione nobiliori, scilicet divina. Tam inquisitio autem, quam directio, nobis in dono consilii a Spiritu sancto confertur, qui [2] *omnium est artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens*; ideo talis inquisitio et directio, a Spiritu sancto donata, consilium dicitur, quod est donum Spiritus sancti. Sed non debet movere nos quod donum consilii est respectu ejusdem objecti, respectu cujus est donum scientiæ : quia hoc verum est materialiter, non formaliter. Utrumque enim donum est respectu agibilium per nos, sed differenter : quia actus doni scientiæ est de talibus prædictis bene judicare, secundum regulas legis æternæ; sed actus doni consilii est secundum regulas legis æternæ bene invenire quæ ardua sunt per nos agenda, et quæ fugienda, ad obtinenda ea quæ conferunt ad vitam æternam, et non præcipitanter agere. Quia, sicut dicit Gregorius in *Moralibus* [3] : « Spiritus sanctus dat contra præcipitationem consilium, cui opponitur præcipitatio. » Unde Sapiens dicit [4] : *Sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.* Ex his igitur patere potest, quod donum consilii est habitus a Deo infusus, ex quo secundum consilium Spiritus sancti movemur ad operationes bonas, quarum non est determinata via qualiter sit agendum, eo quod non uniformiter semper fiendæ sunt. De talibus enim consiliamur, sicut dicit Philosophus [5] in Ethicis.

Quid sit donum consilii.

CAPUT II.

Quæ sit doni consilii necessitas.

Secundo videndum est, quæ sit necessitas hujus doni, scilicet consilii. De hoc nota Gregorium in *Moralibus*, ubi dicit [6] : « Qui sine consilio vivunt, se præcipitationi et fortunæ tradunt præcipites (a); vitam suam negligunt, dum transitoria inconsulte appetunt, dum æterna non intelligunt, vel intellecta contemnunt, dum exilium et miseriam suam non cognoscunt, quia cæci : ideo nec consilium habere sciunt, et ideo merito tales in insipientia sua peribunt. Sed e contra, inquit Gregorius [7], electorum mentes dum cuncta transitoria nulla esse conspiciunt, ea ad quæ sunt conditæ exquirunt. Cumque eorum satisfactioni nihil extra Deum sufficit, ipsa inquisitionis sive consilii exercitatione illorum cogitatione fatigata, in conditoris sui specie et contemplatione requiescere quærunt. Sequitur : « Unusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus, mente tamen extra mundum surgit, ærumnam exilii, quam tolerat, deplorat, et ad sublimem patriam incessabilibus se amoris stimulis excitat. Unde invenit salubre consilium, temporale hoc despicere, quod percurrit, et quo magis crescit consilii scientia, ut peritura deserat, eo augetur dolor, quod necdum ad mansura sive æterna contingat. Et ideo solerti consilio infigit mentem, et caute se in omni actione circumspiciendo considerat. Et ne ex re, quæ agitur, repentinus finis et adversus surripiat, hunc prius molliter posito pede cogitationis palpat, et pensat : ne in his quæ agenda sunt, præcipitatio impellat; ne prava per concupiscentiam aperto bello superent; ne recta per inanem gloriam insidiando supplantent. » Sequitur : « Et mens electi cujuslibet, quo magis per consilium vivere nititur, ex angusti itineris dolore fatigatur. » Hæc ille. Ratio istius ultimi dicti est, quia consilia Dei sunt perfectissima : valent enim ad vitandum omne malum, et ad consequendum omne bonum perfectissime, et ideo ducunt per itinera arctissima. *Arcta est* enim [8] *via quæ ducit ad patriam* (b), ut Christus dicit. Arctæ autem viæ ut plurimum sunt rectiores et breviores, quam latæ. Perfecti autem viri stimulis amoris agitati vehementius amplectuntur, ut perfectius et citius inveniatur quod amatur, et creditur, et quæritur. Istis consiliis optimis anima devota fuit a Spiritu sancto inspirata et instructa, quando post inquisitionem Dei, in lectulo corporalis commodi, et non inventi (c), dixit [9] : *Surgam, circumibo* (d) *civitatem, et per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* Origenes alloquens animam illam, ait : « O te dementem et vesanam, quæ omnia moventem immota quæsi-

[1] *Sap.*, IX, 14. — [2] *Sap.*, VII, 21, 23. — [3] Greg., *Moral.*, lib. II, c. VII, ante med. — [4] *Eccli.*, XXXII, 24. — [5] Arist., *Ethic.*, lib. III, c. III. — [6] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XL. — [7] Ibid. — [8] *Matth.*, VII, 14. — [9] *Cant.*, III, 2.

(a) *Cat. edit.* præcipitantes. — (b) Vulg. *vitam.* — (c) *Al.* invento. — (d) Vulg. *circuibo.*

visti in lectulo; omnia illuminantem radiis immensi luminis quærebas in tenebris: quæ immensum et incomprehensibilem quæsisti ductu rationis, et invenire voluisti et tenere. Non bono consilio usa es: vide quid facias. » Sequitur: « Dixit ergo: *Surgam*: » ubi dicit Origenes: « Jam nunc video, quia meliori consilio usa es, quod commodum lectuli (a) vis postponere, tenebras noctis evadere, delicta et commissa punire, et ab eis vis dividi, a quibus Deus non potest aliqualiter inveniri. » Sequitur: *Circumibo civitatem*, id est, Ecclesiam militantem inquirendo a spiritualibus viris et doctoribus de quæsito et non invento, licet [1] *gloriosa dicta sint de civitate Dei*, testante Psalmista: igitur *quæram per plateas*, id est, per præcepta, quæ sunt via omnibus credentibus communis et lata. *Quæram per vicos*; Glossa: « Id est, in his qui sunt viri spirituales; qui, gradiendo ad cœlestia, arctam viam consiliorum tenent. Unde et Bernardus dicit: « In vicis ambulamus, qui corpus arctamus, qui pœnas hic luimus, qui munditiæ et continentiæ vacamus. » Et Vercellensis, *super Cantica*, dicit: « Optimum est consilium, surgere ad sponsum quærendum, et efficaciter inveniendum in plateis præceptorum, et in vicis spiritualibus consiliorum. Unde in eis instructa, et excitata ab angelis invenit quem diligebat et quæsivit, dicens [2]: *Inveni quem diligit anima mea. Surge igitur* [3], *et ad consilium ingredere civitatem: ibi tibi dicetur, quid te oporteat facere.*

CAPUT III.

Quæ differentia inter consilia divina, et ea quæ ex propria voluntate liberi arbitrii oriuntur.

Tertio videndum est, quæ sit differentia inter consilia a Spiritu sancto inspirata per donum consilii, et inter consilia exorta ex propria voluntate liberi arbitrii. Prius autem videndum de consiliis propriis ex voluntate propria surgentibus, ut ex hoc facilius cognoscantur consilia divina ex inspiratione Spiritus sancti procedentia. Primo igitur notandum est, quod Bernardus [4], in sermone *de Lepra Naaman*, dicit sic: « In corde est duplex lepra, scilicet propria voluntas, et proprium consilium. Et lepra utraque nimis est pessima. » Et prius hic videndum est, quid sit propria voluntas. De hoc dicit Bernardus in eodem sermone: « Voluntatem propriam dico, quæ non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum: quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum et proximi, sed propter nosipsos facimus, non intendentes placere Deo et prodesse fratribus vel proximo, sed satisfacere propriis animorum motibus, tunc propria voluntas mala est. Sic et [5] *loquens ex proprio mendax est*, ait Joannes. » Et sequitur: « Huic contraria est recta fronte charitas. Quid enim odit Deus, aut quid punit, præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem? Nam voluntas illa propria dicitur, cui assentimur, et cui se liberum inclinat arbitrium. Hæc autem desideria et concupiscentiæ, quæ invitos tenent, non voluntas, sed corruptio voluntatis est. » Et idem, *super Cantica*, dicit [6]: « Grande malum propria voluntas, qua fit ut bona tua tibi bona non sint. Etenim si *in die jejunii mei invenitur propria voluntas mea, non tale jejunium elegit Dominus*. » Ex illa voluntate propria oritur proprium consilium, de quo dicit Bernardus in eodem sermone, scilicet *de Lepra Naaman*, sic [8]: « Lepra proprii consilii eo perniciosior est, quo magis occulta; quanto plus abundat, tanto quis sibi sapientior videtur esse. Hæc est illorum qui [9] *zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*, sequentes errorem suum, et obstinati in eo, ita ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, sibi placentes, et magni in oculis suis [10], *ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere.* Et quæ major superbia, quam ut unus homo totius congregationis judicio judicium suum præferat, tanquam si ipse solus habeat spiritum Dei? Erant nunc qui se faciunt religiosiores aliis, qui [11] *non sunt sicut cæteri hominum*: ecce arioli et idololatræ facti sunt. » Ecce consilia propria.

Voluntas propria quid sit.

Sed nunc de consiliis divinis videamus, quæ et qualia sunt. De quo primo sciendum est, quod Deus summe sapiens et summe bonus omnibus consulentibus eum de omnibus liquide respondet, et se affabilem et amicum verum

Consilia Dei quæ et qualia.

[1] *Psal.* LXXXVI, 3. — [2] *Cant.*, III, 4. — [3] *Act.*, IX, 7. — [4] Bern., *de Resurr. Dom.*, serm. III, ante med. — [5] *Joan.*, VIII, 44. — [6] Bern., *sup. Cant.*, serm. LXXI, circa fin. — [7] *Isa.*, LVIII, 3, v. — [8] Bern., *de Resurr. Dom.*, serm. III. — [9] *Rom.*, X, 2. — [10] Ibid., 3. — [11] *Luc.*, XVIII, 12.

(a) Ita edit. Lugd. — Cæt. edit. lectulis.

ostendit. Unde Augustinus, libro *Confessionum*, parum ultra medium, dicit[1] : « Domine, omnibus consulentibus te, simulque audientibus et diversa consulentibus, tu liquide respondes, sed non liquide omnes audiunt. Omnes unde volunt, consulunt te; sed non semper quod volunt, audiunt. » Sequitur : « Optimus minister tuus est, qui non magis meretur hoc a te audire, quod ipse voluerit; sed potius hoc velle, quod a te audierit. » Hæc Augustinus. Ratio hujus est, quia ipse solus scit quid nobis necessarium est, et quid nobis expedit, et ideo magis debemus sequi consilia sua, quam nostra, tanquam optima. Dicit enim Augustinus *contra Faustum*[2], quod consilium Dei est super omne consilium creaturæ, et ejus consilium omnibus consiliis præferimus, sicut et fidem evangelicam omnibus hæreticorum disputationibus anteponimus. » Consilia enim divina valent ad omnia mala declinanda, et omnia bona consequenda, sicut in consiliis evangelicis patet, et ideo sunt sollicite audienda et studiose observanda.

Consilia divina qualiter audienda.

Sed quæris, qualiter consilia divina audienda? Respondeo, quod sunt consilia a Christo dicta; sunt consilia a sanctis doctoribus scripta; et sunt consilia a Spiritu sancto inspirata. Consilia a Christo dicta nemo potest audire, nisi sit ex Deo. Unde Dominus dicit[3] : *Qui ex Deo est, verba Dei audit : propter hoc vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Ex Deo autem sunt, qui quantum ad intellectum sunt aliquibus luminibus divinis illuminati, et quantum ad affectum aliquibus affectionibus divinis calefacti, et a Patre tracti. Consilia a sanctis doctoribus scripta nemo potest audire, nisi cui Christus aperit sensum, scilicet interiorem. Unde in *Luca* dicitur[4] : *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Habet enim anima sensus interiores, ut dictum est, sicut et exteriores. Et illos sensus Dominus aperit per experientiam, quæ est intelligentiæ magistra[5], ut dicit Hugo. Unde et Bernardus[6] exponens dictum verbum, scilicet *Aperuit illis sensum*, dicit sic : « Cum enim Scripturarum interiorem sensum, et veritatem miraculorum et sacramentorum Dei cœpimus, non solum intelligere, sed et quadam, ut ita dicam, experientiæ manu palpare et tractare, quod non fit nisi quodam conscientiæ sensu; tunc aperuit nobis sensum, ut Scripturas intelligamus. » Consilia autem a Spiritu sancto inspirata, nemo audire potest, nisi habeat aures interiores. Unde Dominus dicit[7] : *Qui habet aures, audiendi, audiat quid Spiritus dicat.* De hoc Gregorius dicit, *super Ezechielem*[8] : « Non aures corporis, sed mentis quærit Dominus. » Et Haymo, exponens illud ibidem verbum, dicit : « Carnis auris ad audiendum tantum consistit; cordis vero auris auditu simul vel intellectu viget. » Sed Richardus[9] : « Aures audiendi habet, qui habet sensum intelligendi et affectum diligendi, vel promerendi ea quæ consuluntur et promittuntur, » ut supra dictum est. Item consilia a Spiritu sancto inspirata sunt occulta; sed tamen suæ evidentiæ habent plura testimonia. Quod S. Bernardus ostendit in epistola ad Comitem, in qua dicit sic[10] : « Cum mors animæ peccatum sit, vita ejus sine dubio justitia fidei est, quoniam[11] *justus ex fide vivit.* Justus autem quis est, nisi qui amanti se Deo vicem rependit amoris? Quod non fit, nisi revelante Spiritu sancto per fidem homini æternum Dei propositum super salute sua futura. Quæ sane revelatio non est aliud, quam infusio gratiæ spiritualis, per quam dum facta carnis mortificantur, homo ad regnum præparatur, simul accipiens in uno spiritu, et unde se præsumat amatum, et unde redamet, ne gratis amatus sit. Ecce testimonium unum. » Sequitur : « Hoc itaque est illud sacrum secretumque consilium, quod a Patre Filius in Spiritu sancto accipiens, suis, quos novit per eumdem Spiritum justificandos, communicat, et communicando justificat : quando id quisque accipit in sui justificatione, ut incipiat et ipse cognoscere, sicut et cognitus est, cum videlicet datur et ipsi in testimonium præsentire aliquid de sua futura beatitudine quemadmodum ab æterno latuit in prædestinante, et plenius appariturum in beatificante. De qua tamen percepta jam sumet ex parte notitia, interim quidem glorietur in spe, nondum tamen in plena securitate. » Sequitur : « Quam miserandi sunt, qui ad tam jucundum consilium justorum, nullum adhuc tenent suæ vocationis testimonium! » Sequitur : « O infelices amatores sæculi, male securi, quantum dis-

[1] Aug., *Confess.*, lib. X, c. XXVI. — [2] Aug., *cont. Faust.*, lib. XXVI, c. VI. — [3] *Joan.*, VIII, 47. — [4] *Luc.*, XXIV, 45. — [5] Hug., *in lib. de Cælest. Hier.*, VI. — [6] Imo Guillelm. abb. S. Theod., *de Nat. et dign. amor. Div.*, c. X, post med., inter Oper. S. Bern. — [7] *Matth.*, XIII, 9; *Apoc.*, II, 7, 11, 17, 29. — [8] Greg., *in Ezech.*, hom., XIV, non longe a princ. — [9] Richard., *Expos. in Apoc.*, c. V, longe post med. — [10] Bern., *Epist.* CVII. — [11] *Rom.*, I, 17.

tat vestrum consilium a consilio justorum! Procul dubio inter consilium utrorumque magnum chaos firmatum est. Nam quomodo justus longe se facit a consilio et concilio malignantium, ita [1] *nec resurgent* omnino *impii in judicio, neque peccatores in concilio* (*a*) *justorum.* » Hæc Bernardus ibidem. His subtiliter et fideliter intellectis, apparet aliqualiter differentia inter consilia humana et divina.

CAPUT IV.

Qualiter ex dono consilii dies spiritualis in anima oriatur.

Quarto videndum est, qualiter per donum consilii dies spiritualis in anima oriatur. Circa quod notandum est, quod Dionysius dicit [2], quod magnus iste sol est evidens divinæ bonitatis imago, totus splendens, semper lucens, et omnia luminis sui capacia illuminat, quantum in se est, et mensurat dies et horas totius nostri temporis. Sic sol divinus Spiritus sanctus, septem radiis donorum tam fulgidis quam fervidis, causat diversos dies et horas spirituales in anima, ut dicit Gregorius [3] in *Moralibus*, ubi dicit, quod donum consilii facit alium diem, quam alia dona. Et exemplificat de omnibus. Quæ sit dies consilii. Dies enim consilii est illuminatio quædam mentis, quæ convivantes faciat cautos, ne in aliquo periculo præcipitentur, et ut omnia prudenter et ordinate operentur. Unde consilium dicitur oculus et cautio futurorum, ubi supra. Qui ambulat in hac die, non offendit. Mane autem hujus diei oritur ab æterno radio, et proposito divinæ voluntatis, se menti humanæ manifestantis per radios inspirationis : ex quibus mens inspirata exurgit, ad conformandum se voluntati divinæ, secundum quod inspiratur a Spiritu sancto, et dirigitur a sapientia increata, quæ [4] *attingit a fine usque ad finem fortiter, suaviterque disponit omnia.* A consilio istius mirabilis consiliarii, et voluntate, nunquam recedendum est. Unde in *Ecclesiastico* dicitur [5] : *Fili, audi et accipe consilium meum, et ne abjicias* illud. *Fili,* inquit Sapientia, *audi consilium meum,* quantum ad intellectum; *accipe,* quantum ad affectum; *et ne abjicias*, quantum ad effectum, ut dicas cum Psalmista [6] : *Mane astabo tibi,* ad consilia tua sollicite inquirenda : *Et videbo*, veraciter intelligendo (*b*) : ex his quod tibi placeat vel displiceat, fideliter exequendo. Sed quæ est voluntas Dei, cui jubemur conformare nostram voluntatem? Respondet Cæsarius in epistola *ad Donatum*, ubi dicit sic : « Voluntas Dei est, quam Christus fecit et docuit : humilitas in conversatione, stabilitas in fide, in verbis modestia, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facienti non nocere, et illatam tolerare posse, pacem cum omnibus tenere, Crucifixo fortiter assistere, charitati ejus inseparabiliter adhærere, Christo nihil præponere, quia nec ille nobis quidquam præposuit. » *Mane* igitur *astabo tibi, et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* — Quæ est voluntas Dei.

Meridies consilii. Meridies autem hujus diei clara et fervida procedit ex dono consilii, prout intellectum veritate illuminat, et affectum charitate inflammat ad inquirendum et observandum præclarissima præcepta Domini Jesu. In quibus convivantes maxime inflammantur et illuminantur, quia [7] *præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, ait Psalmista. In istorum præceptorum et consiliorum observantia sancta Trinitas mentes amicabiliter visitat, et dulciter inhabitat. Unde dicit Dominus [8] : *Qui diligit me, sermones meos servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Veniet ad nos Pater visitando memoriam, et excitando ad operandum; Verbum Patris, illuminando intellectum, seu intelligentiam, ad clare contemplandum; Spiritus sanctus, voluntatem inflammando ad dulciter amandum. Mansionem autem faciunt apud nos : cujus rationem assignat Gregorius in *Homiliis*, dicens [9] : « In quorumdam corda venit Deus, et mansionem non facit, quia sic Deum recipiunt, ut tamen tempore tentationis ab eo recedant. In quorumdam vero corda venit, et mansionem facit, quia sic eos amor divinus penetrat, ut et tempore tentationis non recedant ab amore. Ille enim vere amat, cujus mentem delectatio prava ex consensu non superat. *Qui* autem [10] *in charitate manet, in Deo manet, et Deus in eo.* De hac mansione in *Proverbiis* dicitur [11] : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Tunc [12] *in meridiano exurit* terram *Sol* divinus.

[1] *Psal.* I, 5. — [2] Dion., *de Div. Nom.*, c. IV. — [3] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVI. — [4] *Sap.*, VIII, 1. — [5] *Eccli.*, VI, 24. — [6] *Psal.* V, 4. — [7] *Psal.* XVIII, 9. — [8] *Joan.*, XIV, 23. — [9] Greg., *in Evang.*, hom. XXX, non longe a princ. — [10] I *Joan.*, IV, 16. — [11] *Prov.*, VIII, 31. — [12] *Eccli.*, XLIII, 4.

(*a*) Cæt. edit. *consilio.* — (*b*) Suppl. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

Quæ sit vespera consilii.

Vespera vero hujus diei spiritualis consummativa donum consilii causat in anima, dum eam inclinat ad inquirendum et servandum divina et perfecta consilia, a Domino tradita in evangelica historia. De quibus consiliis Gregorius in *Moralibus* dicit [1] : « Quidam præcepta legis generalis virtute perfectionis suæ transcendunt : qui nequaquam hoc solum, quod cunctis divina vox præcepit, implere contenti sunt; sed præstantiore desiderio plus exhibere appetunt, quam in præceptis generalibus audire potuerunt. Quibus Dominica voce dicitur [2] : *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis,* » etc. « Tales, inquit Gregorius ibidem, cum Christo regnant, et judicabunt, et non judicabuntur. » Sequitur : « Paucis enim dicitur, et non generaliter omnibus, illud quod adolescenti diviti dicebatur [3] : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, et sequere me.* Paucis dicitur, quia non omnibus tanta perfectio donatur : ex quo per observationem consiliorum quasi in vespera diei spiritualis consummatur. Ratio hujus est, quia per hæc consilia perfectissima, gradatim ascenditur usque ad summos apices virtutum consummantium, ut simus [4] *perfecti, sicut et pater noster cœlestis perfectus est.* Et quanto hæc consilia sunt perfectiora, tanto luminiosora, et diem spiritualem mentis magis perficientia, vel consummantia. De gradibus istorum consiliorum, et perfectione eorum, Chrysostomus loquens, ubi Dominus tradit hæc consilia perfectissima, dicit sic [5] : « Vide quot gradus ascendit Dominus, et qualiter nos in ipsum virtutis verticem statuit, cum ostendit, quod primus gradus est non incipere injuriam a quacumque occasione, vel contra quemcumque; secundus est quibuslibet malis nullo modo vindicari; tertius gradus est non facere vexanti quæ quis ab eo passus est; quartus est exponere seipsum ad patiendum mala illata; quintus, amplius præbere (*a*) quam ille vult, qui fecit mala; sextus, non odio habere eum, qui talia mala infert; septimus, diligere eum, qui hæc mala operatur; octavus, benefacere ei, qui tantis malis offendit; nonus, orare pro illo, qui in malitia sic obstinatus est. » Et ad ista principalia reducuntur alia consilia evangelica. Sequitur : « Et quia magnum erat consilium, præclarum præmium subdit dicens, quod tales similes erunt Deo. » Unde Dominus dicit : *Ut sitis filii patris vestri, et perfecti, sicut et pater vester cœlestis perfectus est.* Et Augustinus, in libro *de Sermone Domini in monte*, dicit [6] : « Ex illa regula intelligendum est, quod hic dicitur, de qua Joannes dicit [7] : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri,* non natura, sed præceptorum et consiliorum observantia. »

CAPUT V.

Qualiter convivium per donum consilii in anima præparetur, et de tribus consiliariis qui dicuntur principales inter convivantes, quæ sunt tres animæ potentiæ.

Quinto videndum est, qualiter Spiritus sanctus per donum consilii in die suo, et illuminatione sua, convivium spirituale initiet in mente, et perficiat. Circa quæ duo sunt videnda : primo, qualiter familia mentis et convivantes secundum dignitatem suam ordinentur, et in convivio locentur; secundo est videndum, ubi donum consilii convivium suum celebret, et quæ fercula ministrentur.

In convivio consilii qualiter familia mentis et convivantes ordinentur.

De primis, scilicet, qualiter familia mentis et convivantes in convivio secundum dignitatem ordinentur et locentur, sciendum est, quod sicut dicitur in libro *de Spiritu et Anima* [8], ut supra dictum est : « Nobilis creatura est anima. Civitas namque Dei est, de qua tam gloriosa dicta sunt, scilicet quod ad imaginem et similitudinem Dei facta est. Et quia nulla est civitas absque populo, disposuit in ea conditor noster populum triplicis gradus, id est, sapientes ad consulendum, milites ad pugnandum, artifices ad ministrandum et operandum. » Sequitur : « Cives hujus civitatis sunt naturales et ingeniti animæ vigores, tanquam indigenæ. Quorum distincti sunt gradus : alii superiores, alii medii, alii inferiores. Superiores sunt intellectuales sensus; medii, rationales; infimi, animales. Quorum hujusmodi differentia est : animales sive sensuales, vel sensibiles, appetunt visibilia; rationales discernunt et discretionis oculo aspernantur mala, et eligunt bona; intellectuales vero pertrahunt ea ad divina. » Sequitur : « Intellectuales ergo sensus sunt tanquam animæ consiliarii, dicentes ei [9] : *Deum time, et mandata*

[1] Greg., *Moral.*, lib. XXVI, c. XX, post med. — [2] *Matth.*, XIX, 28. — [3] Ibid., 21. — [4] *Matth.*, V, 48. — [5] Chrysost., *in Matth.*, hom. XVIII, n. 4. — [6] Aug., *de serm. Dom. in Monte*, lib. I, c. XXIII, n. 78. — [7] *Joan.*, I, 12. — [8] *de Spir. et Anim.*, c. XXXVII, inter Oper. S. Aug. — [9] *Eccle.*, XII, 13. — (*a*) *Cœt. edit.* se tribuere.

ejus observa. Hoc enim est omnis homo, id est totus. Rationales sunt milites, qui hostes, puta concupiscentias (*a*) impugnant per arma justitiæ. Animales sive sensibiles sensus, sunt tanquam rustici et artifices, qui corporalibus rudimentis insistunt, et corpori necessaria ministrant, ut infra patet. » Sequitur : « Hanc triplicem vim animæ, id est, intellectualem, rationalem, et sensualem, vocant partes animæ non integrales, sed virtuales, quia potentiæ ejus sunt. » Hæc omnia prædicta sunt in libro *de Spiritu et Anima.* Inter familiam intellectualem possunt locari et ordinari habitus infusi, ut fides, et spes, et charitas ; qui multum ornant convivium mentis. Inter familiam rationalem locantur, vel possunt locari habitus acquisiti, ut prudentia, temperantia, fortitudo et justitia ; qui viriliter repellunt vitia. Inter familiam sensualem locantur habitus innati, vel etiam passiones aliquæ, ut amor et odium, dolor et gaudium, et sensus interiores et exteriores, secundum aliquem modum; quos donum consilii mediate vel immediate modificat, ut infra patebit. Et sic patere potest ordo et dignitas hujus familiæ; sed de ministerio eorum infra dicetur.

Donum consilii ubi convivium celebret.

Secundo videndum est, ubi donum consilii convivium suum celebret, quæ fercula in illo ministrentur. De quo sciendum est, quod convivium consilii nusquam convenientius celebratur, et quietius, quam in tabernaculo fœderis, sive in secreto mentis, ubi consilia in silentio tractantur, in veritate masticantur, et in amore incorporantur, et in operis executione consummantur. Hoc satis expresse innuitur in libro *Numerorum,* ubi scribitur [1], quod Moyses in rebus dubiis, ad consulendum Dominum, relictis turbis, crebro revertebatur et intrabat tabernaculum, ubi Dominum consuluit, et consilium recepit : quod postea populo proposuit, et sic fieri jussit. Hoc verbum exponens Gregorius in *Moralibus,* dicit sic [2] : « Ad tabernaculum redire et intrare, est postpositis exterioribus tumultibus secretum mentis intrare. Ibi enim Dominus consulitur ; et quod foris agendum est publice, intellectu intus silenter auditur. Et tunc vocem Dei, quasi per occultam inspirationem, audiunt, dum in meditatione mentis se a carnalibus sensibus abstrahunt. » Hæc ille. Primo igitur ingrediantur consiliarii, scilicet sensus intellectuales, tanquam superiores et digniores, ut memoria, intellectus et voluntas, relictis foris turbis tumultuantibus, a Domino in silentio audiant consilia, et in veritate intelligant, et in charitate operando perficiant. Et primo memoria ab omnibus evacuata et purgata, ingrediatur tabernaculum, id est, mentis secretum, et dicat cum Psalmista [3] : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* De hac auditione dicit Richardus [4] : « Sic Deus auditur per revelationem, donec voce ejus paulatim invalescente, tota perstrepentium turba et tumultuatio sopiatur, solaque ipsius vox audiatur, donec omnis illa tumultuantium turba dispareat, solusque cum sola remaneat. » Hæc ille. Tunc adductæ (*b*) [5] *in solitudinem loquitur ad cor ejus,* ut dicit Oseas. Sed quid loquitur? Dicit Psalmista [6] : *Loquetur pacem in plebem suam.* Sed quare magis pacem, quam omnia alia? Respondeo, quia ubi pax non habetur, nec dulcedo divinorum consiliorum gustatur, nec vox ejus auditur, nec convivium in mente cum Deo habetur, quia [7] *in pace factus est locus ejus,* secundum Psalmistam. Unde Leo Papa in uno sermone dicit [8] : « Vera pax est a Dei voluntate non dividi, et in his quæ solius Dei sunt, delectari. Quando enim sensualitas nulla parte resistit voluntati, et voluntas nulla parte contradicit rationi, et ratio regulatur lumine fidei; tunc est serenitas mentis, et tunc est in nobis [9] *regnum Dei,* ut dicit Dominus. Ideo pax rationabiliter præmittitur. *Regnum* autem [10] *Dei non est esca et potus* corporalis, *sed justitia, pax, et gaudium in Spiritu sancto,* ait Apostolus : justitia rectificans judicia rationis, pax tranquillans imperia facultatis, gaudium adimplens desiderium voluntatis. Non est autem delectabilior refectio, quam voluntatis oblectatio. De hac refectione memoriæ, tanquam expertus, dixit David in Psalmo [11] : *Memor fui Dei et delectatus sum,* et sequitur : *Et defecit spiritus meus,* id est humanus, dicit Gregorius [12], et factus quasi divinus. Quia quanto in nobis quotidie spiritus divinus proficit, tanto noster in nobis deficit : propter quod tandem memoria nostra plena Deo deiformis fit. Secundo intelligentia ingrediatur tabernaculum mentis, et suum secretum jam ab omnibus phantasmati-

[1] *Num.,* XX, 6, etc. — [2] Greg., *Moral.,* lib. III, c. XII. — [3] *Psal.* LXXXIV, 9. — [4] Richardus, *de Contempl.,* lib. IV, c. XV. — [5] *Ose.,* II, 14. — [6] *Psal.* LXXXIV, 9. — [7] *Psal.* LXXV, 3. — [8] Leo, *de Nativ. Dom.,* serm. IX, circa med. — [9] *Luc.,* XVII, 21. — [10] *Rom.,* XIV, 7. — [11] *Psal.* LXXVI, 4. — [12] Greg., *Moral.,* lib. XXII, c. XIV, non longe a princ.— (*a*) *Cœt. edit.* hostes concupiscentiarum. — (*b*) adductam.

bus et impedimentis abstracta, ut veritatem consiliorum discutiat, et inter consilia discernat a quo spiritu procedant. Nam Richardus dicit [1] : « Sicut Deus memoria auditur per revelationem, ita intelligentia videtur per contemplationem : ex qua visione illuminatur, ut consilia discernat a quo spiritu procedant. » Nam, sicut dicit Bernardus in sermone *Magistri gentium* [2] : « Spirituum diversa sunt genera : ideo necessaria est nobis eorum discretio, præsertim cum ab Apostolo [3] didicerimus, non omni spiritui esse credendum. « Videri enim potest, inquit Bernardus, minus eruditis, et qui habent parum exercitatos sensus, omnem cogitationem vel consilium non alterius, quam ipsius spiritus humani esse sermonem, quod falsum esse ostendit certa fidei veritas. Quod et probatur testimonio scripturarum divinarum. *Audiam*, inquit Propheta, non quid ego loquar, sed *quid loquatur in me Dominus Deus.* Similiter ait [4], quod *immissiones fiunt per angelos malos.* Probat etiam Scriptura esse spiritum carnis, et spiritum hujus mundi. » Sequitur : « Igitur quisquis ex his tribus spiritibus loquatur spiritui nostro, non credamus eis, quia sanguinem sitiunt animarum et mortem, a sermonibus tamen eorum cognoscimus eos : nam spiritus carnis suggerit mollia; spiritus autem mundi suggerit vana; spiritus vero malignus suggerit amara, ut rixas, iras et hujusmodi. Si autem spiritus suggestio sit de corpore castigando, de corde humiliando, de servanda veritate, et de exhibenda charitate, cum hæc in corde versantur, sine dubio spiritus divinus est qui loquitur et suggerit hæc. Ut igitur intelligentia hæc consilia caute discutiat, et prudenter discernat, ingrediatur tabernaculum, sive mentis secretum, ubi Dominum consulat super omnibus dubiis, quæ oriuntur circa convivium, et convivantes, et refectionem eorum. Sollicitudo enim istorum incumbit intelligentiæ, quæ habet regere illos, et totum regnum animæ. Unde Gregorius, in *Moralibus* [5], dicit, quod boni rectores quotidie, cum se cognoscunt res dubias nescire discernere, ad secretum mentis velut ad quoddam tabernaculum revertuntur, ibique lege divina perspecta, quasi coram posita arca Domini, consulunt Dominum, et quod prius intus tacentes audiunt, hoc foras postmodum agentes innotescunt, scilicet consilia et veritates reficientes totam familiam mentis. Quia, sicut dicit Augustinus [6] *super Joannem* : « Veritas panis est, qui mentes reficit, nec tamen deficit; sed mentes mutat, quia verificat. Quot ergo veritates in tabernaculo suo, et quot consilia intelligentia percipit a Spiritu sancto, tot dulcia fercula convivantibus in voluntate manducanda proponit. Tertio voluntas libera, a phantasmatibus, et distractionibus, et curis sæcularibus abstracta et absoluta, ingrediatur tabernaculum, sive secretum suum, quia Richardus dicit [7] : « Sicut in memoria auditur Deus per recordationem, et in intelligentia videtur per contemplationem, sic in voluntate amplexatur per dilectionem, quæ licet sit posterior in ordine, est tamen principalior per ingenitam libertatem. » Hæc voluntas affectione experimentali præcipiens divina consilia a Patre in memoria dicta, et intelligentia examinata et verificata, et ipsi voluntati efficaciter impressa, clamat cum sponsa, dicens illud Cantici [8] : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* In quibus verbis exprimit anima divinorum consiliorum certam auditionem, quia dilectus locutus est; et auditorum consiliorum efficacem impressionem, quia liquefacta est. Hanc auctoritatem exponens Origenes dicit : « Divinæ consolationis, ut audio, felicissimus effectus est liquefactio. Liquefit enim anima, dum devotione mollescit, ut Dilectus in ea suaviter cubet, ut nihil duri in ea inveniat, quod ejus consiliis resistat. Liquefit, dum in devotione calescit, ut Dilectus in ea divini caloris persentiens moderamen sine moderamine, eo ineffabilem et delectabilem inveniat, quo caliditas hæc, quamvis occultissima, suavissima tamen secundum contactum, delectationem spiritualem generat. Liquefit, dum amore perefluit, ut Dilectus dominium plenum habeat in ea, quo ad ipsum solum tunc omnis motus, omnis virtus, omnis impetus ipsius habet terminum. Siquidem humidum male terminabile est termino proprio. Unde fluida mens non nisi in æternitate sistit. » Quare Origenes dicit ibidem : « Qui sancto desiderio intus æstuat, eo ad quodlibet bonum habilis invenitur, quo nihil duri in corde portat, quod non fervore æstuantis desiderii in Deum liquefiat. » Sic igitur tres isti consiliarii, id est, tres potentiæ,

[1] Richard., *de Contempl.*, lib. IV, c. XV. — [2] Bern., serm. *de Sept. Spiritibus*, qui incipit : *Mag. Gentium.* — [3] I *Joan.*, IV, 1. — [4] *Psal.* LXXVII, 49. — [5] Greg., *Moral.*, lib. XXIII, c. XII, circa med. — [6] Aug., *in Joan.*, tract. XLII. — [7] Richard., loc. cit. — [8] *Cant.*, V, 6.

a Trinitate salutaribus consiliis instructi, purgati, illuminati et perfecti, totam familiam mentis et convivantes hierarchice purgant, illuminant et perficiunt, et in æternitatem dirigunt, ut statim patet.

CAPUT VI.

Convivantes medii, qui sunt vigores animæ naturales, sensus animæ rationales, et virtutes morales, quomodo a superioribus, memoria scilicet, intellectu et voluntate purgentur, illuminentur et perficiantur.

Postquam igitur dictum est de consiliariis, qui dicuntur principales inter convivantes, qualiter in secreto tabernaculo mentis a divinis consiliis per dona Spiritus sancti sunt purgati, illuminati et perfecti; videndum est modo qualiter medii, scilicet vigores animæ naturales, et sensus animæ rationales, et milites, sive virtutes morales viriliter expugnantes et repellentes omnia vitia a convivio animæ, a superioribus purgentur, illuminentur et perficiantur. Ille enim est debitus ordo, ut superiores perficiant medios, et medii inferiores, secundum ordinem cœlestis hierarchiæ, quem sequitur ecclesiastica hierarchia et humana. Dicit enim Hugo sic [1]: « Sunt superiores et sublimes, et ipsi appropinquantes divinitati, immediate ab ipsa accipientes purgationem, ut mundi sint, et illuminationem, ut clari sint, et perfectionem, ut sint sancti; et ab illis rursum, secundum ordinem divinæ dispositionis, et hi qui sequuntur in ordine et subjecti sunt, purgantur, illuminantur, et perficiuntur. » Hæc ille. Hi ergo consiliarii tres, id est, memoria, intellectus et voluntas, dono consilii a Spiritu sancto purgati, illuminati et perfecti, medios inter convivantes, tanquam eis inferiores, scilicet vigores animæ naturales, id est, sensus rationales, milites, sive virtutes morales, purgant, illuminant et perficiunt, ad similitudinem angelicæ hierarchiæ. Primus enim consiliarius, scilicet memoria, consulit omnia quæ sunt ad vitiorum convivantium purgationem, et virtualem exercitationem, dum per rememorationem omnia vitia commissa ad præsentiam mentis eorum revocat, ut ea per pœnitentiam deleat, et totaliter extirpet. Nam, sicut dicit Hugo [2]: « Nisi præcedat purgatio, non sequitur illuminatio; nec sequitur perfectio, nisi præcedat illuminatio. » Ut igitur mens cum tota familia sua purgetur, pœnitendo dicat illud Isaiæ [3]: *Recogitabo mihi* (a) *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, donec dicere possit, quod sequitur [4]: *Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Dum* (b) *sic vivitur, pater notam faciet filiis veritatem suam*: quia ad receptionem lucis non requiritur, nisi purgatio recipientis. Unde alius commentator, scilicet Linconiensis, dicit [5]: « Necessaria est rationali creaturæ primo purgatio, quia impura non suscipiunt illuminationem; sed tenebrosa non possunt habere operis perfectionem, quia ambulant in tenebris, et nesciunt ubi corruant, aut quo vadant. Sensus igitur rationales, et milites, aut (c) virtutes morales, primo purgentur, ut postea illuminentur, et post operationis perfectionem consequantur. Secundus igitur consiliarius, scilicet intellectus, in tabernaculo consilii illuminatus videns, quod illuminatio necessaria est ad operis perfectionem, consulit omnibus convivantibus accedere ad illuminationem, dicens [6]: *Accedite ad Deum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.* Acceditur ad Deum similitudine, et receditur a Deo dissimilitudine, ut dicit Augustinus. Similitudine autem facies honoratur imagine divina; dissimilitudine vero, facies confunditur imagine pecorina. Unde Psalmista dicit [7]: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Ecce carentes intellectu pecoribus comparantur; sed intelligentes *dii* appellantur. Unde Psalmista intelligentibus loquens, ait [8]: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Omnes igitur convivantes illuminat. Quid autem est illuminari, ait Linconiensis, nisi tam per virtutes speculativas, quam operativas, in finem ultimum recte dirigi? Unde David in Psalmo dicit [9]: *Dabo tibi intellectum*, quantum ad speculationem; *et instruam te*, quantum ad operationem; sequitur: *In via qua gradieris, firmabo super te oculos meos*, quantum ad directionem in finem. Tertius igitur consiliarius, scilicet voluntas, tanquam excellentior consulit, et jubet omnia fieri, quæ sunt necessaria ad convivantium operativam perfectionem, dicens [10]: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Operari cibum qui perit, est affici sæcularibus

[1] Hug., *in Cœl. Hierarch.*, c. II. — [2] Ibid., c. III. — [3] *Isa.*, XXXVIII, 15. — [4] Ibid., 17, 16, 19. — [5] Lincoln., c. III. — [6] *Psal.* XXXIII, 6. — [7] *Psal.* XXXI, 9. — [8] *Psal.* LXXXI, 6. — [9] *Psal.* XXXI, 8. — [10] *Joan.*, VI, 27.

(a) Vulg. *tibi.* — (b) *Domine, si.* — (c) *Cæt. edit.* ut.

rebus, et non operari propter permanentia, sed propter pereuntia quæcumque. Et quamvis quandoque in usu operis sit temporalitas, tamen in intentione debet esse æternitas, ut dicit Beda *super Lucam. Operamini* igitur quidquid memoria purgata, et a Deo inspirata, et a Deo illuminata, faciendum dictaverit, et a voluntate charitatem impellente fieri imperatur; quia tunc a nobis non nisi bonum procedit. Dicit namque Augustinus *super Joannem*: « Bonum et rectum est omne quod agimus, si nec memoriam oblivio decipiat, nec error intellectum excæcet, nec iniquitas voluntatem subvertat : ab his est omne quod agimus. Hoc consilium et mandatum in tabernaculo mentis a Deo acceptum, voluntas, ut alter Moyses, et omnibus suo imperio subjectis indicit, et injungit, et sensibus rationalibus, militibus pugnantibus, sive virtutibus moralibus, et omni familiæ eorum, sive speciebus, quæ multæ sunt valde. Qui jam omnes a superioribus purgati, illuminati, et quasi perfecti in suis operibus secundum legem charitatis voluntati obtemperantes viriliter operantur, omnia vitia a convivantibus extirpando, fortiter virtutibus insistendo, et Deo, tanquam regi suo et patrifamilias, humiliter obediendo. Et tunc et ipsi idonei sunt ad purgandum, et illuminandum, et perficiendum inferiores sibi, ut supra dictum est.

CAPUT VII.

Convivantes inferiores, utpote sensus animales et corporales, tam exteriores quam interiores, quomodo a convivantibus mediis illuminentur, purgentur et perficiantur.

Quid sit purgare et illuminare sensus exteriores.

Dicto de convivantibus rationalibus, qui quasi medium gradum tenent in convivio, et qualiter sint purgati, illuminati et perfecti; videndum est, qualiter et isti sibi inferiores illuminent, purgent et perficiant, utpote sensus animales et corporales, tam inferiores, ut imaginationes, etc., quam exteriores, ut visum, auditum, etc., qui sunt tanquam artifices et rustici, necessaria corpori administrantes, ut dicitur libro *de Spiritu et Anima*. [1]. Quos rationales convivantes, milites purgant, dum in eis motus illicitos concupiscentiæ mortificant, vel exterminant, quantum potest fieri in corpore corruptibili, dicentes eis illud Apostoli [2] : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*, id est, secundum corruptionem vestram. *Si autem spiritu* rationali *facta carnis mortificaveritis, vivetis*. Similiter illos quasi illuminant, dum eos a sua præcipitatione retrahunt et impediunt, et eos dono consilii obedire compellunt, dicentes eis illud Apostoli [3] : *Debitores sumus spiritus, non carnis* (a), id est, debemus magis obedire spiritui, quam carni. Similiter illos quasi perficiunt, dum eos vitam illam, quam in futura habituri sunt, docent hic inchoare, et prælibare, et imitari. De his Bernardus [4], libro *de Amore Dei*, dicit sic : « Quidam in sanctitate vitæ, et hominis interioris glorificatione, et contemplatione, et quadam fruitione divinitatis, jam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur et imitari, ut et de corporum suorum glorificatione, quam post plene percepturi sunt, in hac vita nonnihil percipiant. » Sequitur : « Accepta enim gratia, qua, habitantes in unum, seipsis in Deo, et Deo in seipsis fruuntur, ipsius carnis sic sentiunt vicisse omnes contradictiones, ut universa carnis substantia non sit eis nisi instrumentum boni operis. Nam etsi ipsius miseriis et infirmitatibus contabescunt, sed ex hoc ipso in interiori homine fortius convalescunt; quia [5] *quando infirmor, tunc fortior sum et potens* (b), ait Apostolus. » Sequitur : « Sensus enim quamdam novam percipiunt, et prope spiritualem gratiam. Oculi enim fiunt simplices, ut certa experientia docet, et aures obtemperantes. Aliquando in fervore orationis tanta odoris ignota quædam fragrantia conspirat, quæ sola experientia percipitur, quia ignota; et tanta est gustus in gustando suavitas, quæ etiam non potest nisi per experientiam sciri, id est, per mutuum contactum spiritualis charitatis : quo incentivum tantum fit, ut videantur sibi inter seipsos spiritualis cujusdam voluptatis gerere paradisum. Vultus etiam et totius corporis compositione, vitæ et morum et actuum decore, mutuæ etiam servitutis, et etiam devotis exhibitionibus et piis susceptionibus, sive cujusdam gratiæ beneplacito, sibi invicem conveniunt et convivunt, ut sit vere eis [6] *cor unum et anima una*. Nimirum futuram corporum suorum gloriam jam hic

[1] *De Spir. et Anim.*, c. XXXVII, apud Aug. — [2] *Rom.*, VIII, 13. — [3] Ibid., 12.— [4] Imo Guliel. abb. S. Theod., *de Nat. et Dign. Amor. Div.*, c. XIV.— [5] II *Cor.*, XII, 10. — [6] *Act.*, IV, 32.

(a) Vulg. *sumus non carni*. — (b) Item *Dum infirmor, tunc potens sum.*

initiant, ex puritate conscientiæ et mutuæ conversationis gratia perfecte eam habituri in futura et perenni vita. » Hæc Bernardus[1]. Ecce donum consilii reficit convivantes supremos, scilicet consiliarios, sacris contemplationibus, dum eos in tabernaculo, id est, in secreto mentis facit divina consilia audire. Item reficit convivantes medios, scilicet sensus rationales, milites et cives morales, sacris veritatibus, dum facit eos consilia divina in tabernaculo vere intelligere. Item reficit convivantes infimos, scilicet artifices, rusticos et ministrantes, ut sensus animales, interiores et exteriores, in regno vel in civitate animæ laborantes, deiformibus operationibus, dum eos facit divina consilia operando adimplere, quod perfectorum est. Sequimini igitur consilium Dei, quia, sicut dicit Augustinus[2] : « Consilium Dei est super omne consilium creaturæ, » ut et mundanis videatur stultitia, ut ostendit Gregorius in *Moralibus*[3] : non quod sit defectus in consiliis, sed quia sunt tantæ perfectionis, quod mundus ea non potest intelligere, neque cognoscere. Quod non est mirum, cum nec ipsum consiliarium cognoscere possit, scilicet Spiritum sanctum, ut dicit Dominus.

SECTIO VI. [(a)]

DE DONO INTELLECTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quare donum intellectus præcedentia dona sequatur.

Sextum donum Spiritus sancti, quod facit diem et convivium spirituale in anima, est donum intellectus. De quo sunt quinque notanda : primum, quare donum intellectus præcedentia dona sequatur; secundo, quid donum intellectus sit, vel quid dicatur; tertio, quæ hujus doni sit necessitas, vel quæ utilitas in eo conferatur; quarto, qualiter ex eo dies spiritualis in anima oriatur; quinto, qualiter convivium animæ ex eo præparetur.

Primo igitur videndum est, qualiter donum intellectus præcedentia dona sequatur. De quo sciendum est, quod Anselmus dicit[4], istum ordinem esse rationabilem. Cujus rationem ibidem assignat, dicens : « Quinque dona Spiritus sancti præcedentia pertinent ad vitam activam; hæc autem duo, scilicet intellectus et sapientia, pertinent ad vitam contemplativam : quæ duo Spiritus sanctus prædictis quinque superimponit, ut ædificium perfecte compleatur. Sed vita activa præcedit contemplativam, tanquam disponens potentias contemplativas ad actus suos, ne in operationibus suis impediantur. Unde Gregorius in *Moralibus* dicit[5] : « Qui arcem contemplationis ascendere desiderant, prius necesse est ut in opere actionis perfecte se exerceant. » Igitur in ordine ascensionis ab infimo dono, scilicet timoris, ad summum donum, scilicet sapientiam, quinque dona prædicta præcedere debent donum intellectus et sapientiæ. Unde Anselmus ibidem dicit sic[6] : « Postquam Spiritus sanctus mentem facit paventem per donum timoris, sibique compatientem per donum pietatis, et ea, quæ sunt facienda, manifestat per donum scientiæ, et illa fortiter exequitur per donum fortitudinis, et de ipsis suo exemplo facit aliis consulere per donum consilii : post Spiritus sanctus accendit mentem ad intelligendum, cur hæc et illa fieri debeant, et ultimo a solo Deo remunerationem quærat (*b*) istorum. » Sed quare donum intellectus immediate sequatur donum consilii, hujus ratio est : nam cum consilium sit affectuum inquisitivum et rationis directivum, ut dictum est supra, intellectus autem sit lumen, ut dicitur in libro *de Spiritu et Anima*, et Philosophus *de Anima*[7], vocat intellectum agentem, lumen quod penetrat usque ad intima, scilicet ad essentias rerum et quidditates : ideo nunquam est perfecta veritatis inquisitio, neque perfecta inventio, ubi non fuerit intellectualis illuminatio : unde consilium sine intellectu, manet sine affectu. Est et alia ratio, quam Augustinus ponit in libro *de Doctrina Christiana*, parum post principium[8], ubi loquens de septem donis, dicit de dono intellectus sic : « Post quintum gradum, scilicet donum consilii, per quod anima levatur ab appetitu sordium inferiorum, ascendit in sextum gradum, scilicet donum intellectus, ubi jam ipsum oculum purgat, quo videri potest Deus ab his, qui huic sæculo moriuntur : qui in tantum vident, in quantum moriuntur sæculo. Illis (*c*) enim non

[1] Imo Guliel. — [2] Aug., *Cont. Faust.*, lib. XXVI, c. VII. — [3] Greg., *Moral.*, lib. X, c. XVI; lib. XXVII, c. XVIII. — [4] Imo Eadmer., inter Oper. Anselm., *de Similit.*, c. CXXXII. — [5] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XVII. — [6] Imo Eadm., ubi sup. — [7] Arist., *de Anim.*, lib. III, text. 18. — [8] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. II, c. VII.

(*a*) *Cæt. edit. deest tit.* Sectio VI. — (*b*) *Edit. Migne* homo... exigere debeat. — (*c*) *Cæt. edit.* Ab illis.

solum certior, sed et jucundior species (a) lucis incipit apparere, in ænigmate tamen. *Quandiu* enim [1] *in hac vita sumus, peregrinamur a Domino,* quamvis [2] *conversationem habeamus in cœlis.* » Ulterius igitur introducit ad sapientiam.

CAPUT II.

Quid donum intellectus sit, vel dicatur.

Secundo videndum est, quid sit donum intellectus, et quare sic nominetur (b). De quo sciendum est, quod nomen intellectus importat quamdam intimam cognitionem. Dicitur enim intelligere quasi *intus legere.* Et hoc patet consideranti differentiam inter cognitionem intellectus et sensus. Nam cognitio sensitiva occupatur circa sensibiles qualitates exteriores. Cognitio autem intellectiva, tanquam excellentior et subtilior, penetrat usque ad quidditates et rerum essentias interiores, quia objectum intellectus est quod quid est, ut dicitur [3] *de Anima.* Unde cognitio humana incipit a sensu, tanquam ab exteriori : quæ non perficitur, nisi perveniatur ad intellectum, qui vere cognoscit quod est res. Dicitur enim in libro *de Spiritu et Anima* [4], quod quidquid sensus recepit exterius, imaginatio repræsentat interius, ratio investigat, intellectus dijudicat, intelligentia comprehendit, et ad contemplationem adducit, quæ memoria conservat. Sed advertendum est, quod intellectus quandoque accipitur ut est vis animæ naturalis. Et sic de intellectu loquitur auctor libri *De Spiritu et Anima*, qui dicit [5], quod intellectus est vis animæ, qua (c) invisibilia percipit. Cui concordare videtur Philosophus, *de Anima*, et hic intellectus ut plurimum cæcutiens est. Unde Psalmus dicit [6] : *Nescierunt neque intellexerunt.* Item intellectus quandoque accipitur ut est virtus intellectualis, sive ut est habitus principiorum naturalium, quæ subsunt lumini intellectus, ut patet in *Ethicis.* Sed neuter istorum est donum Spiritus sancti, licet uterque sit a Spiritu sancto. Sed quia homo ordinatur ad beatitudinem, sicut ad finem supernaturalem, ut apparet ex ejus imagine; ideo oportet ponere intellectum, sive lumen aliquod, ut est habitus supernaturalis principiorum supernaturalium, quæ sunt articuli fidei, et ex consequenti quarumdam operationum, per quæ ordinantur ad fidem; quia [8] *fides per dilectionem operatur,* ut dicit Apostolus. Et hoc lumen supernaturale, et superadditum intellectui, et datum homini, vocatur donum intellectus, quod nominat quamdam excellentiam cognitionis, penetrantis usque ad intimas rerum intelligendarum essentias et veritates : quæ non fit ita complete ex virtute luminis naturalis intellectus, sicut ex virtute luminis supernaturalis superadditi intellectui naturali. De quo intellectu dicitur in libro *de Spiritu et Anima* [9], quod intelligentia est vis animæ, quæ immediate supponitur Deo. Cernit siquidem ipsum summum verum et vere incommutabilem. Sic anima percipit corpora sensu; imaginatione, corporum similitudines; ratione, corporearum rerum naturas; intellectu, spiritum creatum; intelligentia, spiritum increatum. Vel, sicut dicitur in eodem libro [10], « intellectus est ea vis animæ, qua de divinis, quantum homini possibile est, cognoscitur, ad cœlestia arcana penetranda, quæ penetrari non possunt, nisi per spiritum ejus, qui etiam profunda Dei scrutatur. » Unde Apostolus dicit [11] : *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

Cognitionis sensitivæ et intellectivæ discrimen.

CAPUT III.

Quæ hujus doni sit necessitas, vel quæ utilitas in eo conferatur.

Ad quid sit necessarium donum intellectus.

Tertio videndum est, quæ sit necessitas sive utilitas doni intellectus. De quo sciendum est, quod cum veritates necessariæ ad salutem sint nobis absconditæ, et quasi velatæ, tam in rerum naturis, quam in sacris Scripturis, quam in divinis sacramentis et figuris, in tantum ut intellectus humanus, sine adjutorio supernaturalis luminis, non possit ad eas apprehendendas plene pertingere : planum est, quod necesse fuit, ut Spiritus sanctus intellectui humano superadderet aliquod lumen supernaturale, quo velamina dictarum veritatum penetraret, et veritates absconditas apprehenderet, et eas sic nobis manifestaret. Quod utique Spiritus sanctus facit, dum nobis donum intellectus inspirat. Hoc enim donum intellectus primo facit nos penetrare velamina, sive tenebras mentis nostræ, donec ad notitiam propriam perveniamus,

[1] II *Cor.*, v, 6. — [2] *Philip.*, III, 20. — [3] Arist., *de Anim.*, lib. III, text. 37. — [4] *De Spir. et Anim.*, c. XI. — [5] Ibid. — [6] *Psal.* LXXXI, 5. — [7] Arist., *Esthic.*, lib. VI, c. VI. — [8] *Galat.*, v, 6. — [9] *De Spir. et Anim.*, c. XI. — [10] Ibid., c, XXXVII. — [11] I *Cor.*, II, 10.— (a) *Ita Edit. Bened.; al.* spiritus.— (b) *Al.* nominatur. — (c) *Al.* quia.

et imaginem sanctæ Trinitatis nobis concreatam cognoscamus, cum Dominus dicat [1] : *Regnum Dei intra vos est*, id est, in imagine sua. Primo igitur donum intellectus facit nos ad interiora nostra ingredi, dum menti inspirat ut seipsam primo cognoscere discat, et in hoc diligenter se exerceat, donec se videre, quid sit, incipiat. Dicit enim Richardus sic [2] : « Hoc exercitio cordis oculus mundatur, ingenium acuitur, intelligentia dilatatur. Nihil recte æstimat, qui seipsum ignorat. Nescit quod sub pedibus ejus mundana gloria jaceat, qui conditionis suæ dignitatem non pensat. Nescit omnino quid de spiritu angelico, quid de spiritu divino sentire debeat, qui spiritum suum prius non cogitat. » Sequitur : « Si non idoneus es intrare ad teipsum, quomodo ad illa rimanda idoneus eris, quæ sunt supra teipsum? » In hoc exercitio homo per donum intellectus incipit aliqualiter videre, quod factus est ad imaginem Dei, ut docet Augustinus, *de Trinitate*. Et auctor in libro *de Spiritu et Anima* [3] : « Tanta dignitas hominis esse cognoscitur, ut non solum jubentis sermone, sicut alia opera sex dierum sunt facta, sed et consilio sanctæ Trinitatis, et opere divinæ majestatis creatus sit homo : ut ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum deberet suo Creatori, non solum propter primæ conditionis privilegium acceptum, sed et quod [4] *ad imaginem et similitudinem suam Deus creavit eum.* » Nam, sicut dicitur in eodem libro *de Spiritu et Anima* : « Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est unus Deus, non tres dii, sed tres personæ, ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non sunt tres animæ, sed una in uno corpore, et tres vires. Et sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre et Filio procedit Spiritus sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, sed ex intellectu et voluntate procedit memoria. » Multæ aliæ similitudines ponuntur ibidem. Ex eo autem, quod anima est imago Dei, est capax Dei, ut dicit Augustinus, *de Trinitate* [5]. Item per donum intellectus potest homo cognoscere, quod est factus ad similitudinem Dei. Unde in libro *de Anima et Spiritu* dicitur sic [6] : « Creata est anima a Deo, vita a vita, simplex a simplici, immortalis ab immortali : ut non sit longe a Creatore suo, cui appropinquare videtur simplicitate essentiæ. Quia creata est anima magna a magno, recta a recto : eo magna, quo capax æternorum; eo recta, quo est appetens æternorum vel supernorum; eo beata, quo Deo unita. » Sequitur : « Anima namque, quam Dei pietas respicit, humilitas subjicit, pœnitentia reducit, justitia deducit, obedientia conducit, perseverantia perducit, devotio introducit, puritas jungit, charitas unit. » Et ibidem dicitur [7] : « Quis major honor esse potuit homini, quam quod ad similitudinem sui Conditoris crearetur, et eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus et Conditor? De quo in Psalmo legitur [8] : *Dominus regnavit, decorem indutus est,* quasi omnium virtutum splendore, et totius bonitatis decore ornatus. » Sequitur : « Et quod majus dedecus homini, aut infelicior miseria, quam ut hac similitudinis gloria sui Conditoris amissa, ad informem et irrationalem jumentorum similitudinem dilabatur? » Sequitur : « Quapropter quisque diligentius attendat primæ suæ conditionis excellentiam : ut venerandam sanctæ Trinitatis in se ipso imaginem agnoscat, honoremque divinæ similitudinis, ad quam creatus est, nobilitate morum, et exercitatione virtutum, et dignitate meritorum habere contendat. Unde [9] *quando apparebit, similes ei erimus* vel apparebimus, qui nos condidit et reformavit. » Hæc ille. Similiter per donum intellectus, homo regnum Dei in se invenit, cum Dominus dicat [10] : *Regnum Dei intra vos est.* Ubi dicit Glossa Gregorii : « *Regnum Dei nobis insitum est*, dicit forsitan inditam animabus nostris lætitiam per Spiritum sanctum. Ea enim est velut imago et arrha perennis lætitiæ, qua in futuro sæculo animæ Sanctorum gaudent. » De hoc require supra, in capite *de Dono timoris* [11]. *Quærite* ergo [12], *et invenietis*, et [13] *nolite fieri sicut equus et mulus*, *quibus non est intellectus*, ait Psalmus.

CAPUT IV.

Veritates divinæ in sacra Scriptura absconditæ manifestantur per donum intellectus.

Post hoc Spiritus sanctus, per donum intellectus, facit nos penetrare velamina sacrarum scripturarum, introducens nos ad claram contemplationem puræ veritatis. Quod autem veri-

[1] *Luc.*, XVII, 21. — [2] Richard., *de Contempl.*, lib. III, c. VI.— [3] *De Spir. et Anim.*, c. XXXV.— [4] *Gen.*, I, 26. — [5] Aug., *de Trinit.*, lib. X, c. VIII, non longe a princ. — [6] *De Spir. et Anim.*, c. XXXVI. — [7] Ibid., XXXV, post med. — [8] *Psal.* XCII, 1. — [9] I *Joan.*, III, 2. — [10] *Luc.*, XVII, 21.— [11] Vid. sup., *de dono tim.*, c. IV. — [12] *Luc.*, XI, 9. — [13] *Psal.* XXXI, 8.

tates theologicæ et divinæ quæ sunt nobis necessariæ ad salutem, sint velatæ et absconditæ in sacra Scriptura, ostendit obscuritas prophetarum, vel prophetiarum, multiplicitas figurarum, et diversitas expositionum. Quandoque enim exponuntur historice, quandoque tropologice, quandoque allegorice, quandoque anagogice, ut supra patet in capitulo *de dono scientiæ*. Sed Spiritus sanctus per donum intellectus, facit nos penetrare omnia velamina occultantia nobis veritates Scripturarum necessarias nobis ad salutem, donec intremus ad veritatis puras illuminationes et contemplationes in Scripturis absconditas. «Puræ autem veritatis illuminationes, ut dicit Hugo [1], sunt, quando veritas sine imaginibus et figuris per semetipsam percipitur. » Richardus, *super Apocalypsi*, et Haymo dicunt, quod excellentior cognitio est, cum spiritus humanus per internam inspirationem suaviter tactus, nullis rerum visibilium formis ad cœlestium contemplationem erigitur, sicut vidit David propheta. Sed Haymo dicit ibidem : « Est quædam visio intellectualis, quæ non fit per corporales res, nec per similitudines; sed ipsa veritas in mente manifestatur videntibus : quod proprie electorum est. » Et notandum, quod donum intellectus quandoque in tantum penetrat omnia veritatis velamina, et in tantum introducit mentem ad sua interiora, ut audiat ibi [2] *verba, quæ non licet homini loqui*, quia nec forte proprie poterunt dici per os carnis : quia cum sint verba intellectualia, nihil corporale habentia, nec imaginem, nec similitudinem, ideo per os carnis non exeunt. Et ideo [3] illa *nemo scit, nisi qui accipit*, ut in *Apocalypsi*. Quod exponens Augustinus [4] ibidem dicit, quod *nemo scit, nisi qui accipit* per revelationem, vel per experientiam. Cum his concordare videtur Commentator *super Angelicam Hierarchiam* [5], loquens de proprietatibus seraphicis, ubi dicit sic : « Ille qui hæc verba dicebat, usque ad tertium cœlum pervenerat, et intravit paradisum Dei, ubi verba omnino secreta et proxima silentio audivit, ad quæ auris humana non contigerat, quæ nemo audiret, donec sciret : intus enim audiebantur, ibique dicebantur; et non poterant exire foras, ubi erat homo; et propterea ab eo qui intus erat, et valde intus, introrsus audiri poterant. Sed his qui foris erant, dici non debuerant. Ne autem illi, qui foris erant, derelinquerentur, si ab eo, qui intus erat, non vocarentur; nata sunt verba de verbis, sicut verba de Verbo nata fuerant. De verbis, quæ intus servari debuerunt, verba, quæ foris proferri potuerunt; de immensis magna, de occultis obscura, de impenetrabilibus profunda : quæ a nobis audita sunt in Scripturis, utrum intellecta nescio. *Unctio* tamen [6] *spiritus docet nos de omnibus,* dicit Joannes. Item Spiritus sanctus, per donum intellectus, non solum facit nos penetrare omnia velamina veritatis incarnatæ, sed et veritatis increatæ. Velamina autem veritatis incarnatæ sunt omnes infirmitates et defectus, quos pro nobis assumpsit in natura humana, ut defectus passibilitatis, famis, sitis, et mortalitatis, etc. : quæ donum intellectus omnia facit penetrari usque ad inventionem nudæ veritatis; quia ipsa Veritas incarnata dicit [7] : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Spiritus veritatis dicitur, quia a veritate procedit : et ideo docet omnem veritatem, quia docet eum [8], *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi*. Nam quia ab alio procedit, ipsum manifestat. Unde Dominus dicit ibidem [9] : *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur : quia de meo accipiet*, ex quo docebit vos omnem veritatem necessariam, quam audivit. Docere autem, est ipsum intellectum ad suum objectum, quod est veritas, applicare, ex quo sequitur veritatem cognoscere.

Sed sciendum, quod triplex veritas est : nam est veritas cognitionis, veritas operationis, et veritas dilectionis. Per veritatem cognitionis, Spiritus sanctus ostendit nobis fidem Christi et doctrinam esse verissimam. Per veritatem operationis Christi, docet nos operationem perfectissimam. Per veritatem dilectionis Christi, ostendit nobis charitatem maximam. Ad has veritates possunt reduci aliæ veritates necessariæ. Item Spiritus sanctus, per donum intellectus, non solum facit nos penetrare omnia velamina veritatis incarnatæ, sed et velamina veritatis increatæ. Unde dicit Jesus [10] : *Ille*, scilicet Spiritus sanctus, *me clarificabit*. Quod verbum exponens Augustinus dicit [11] : « Spiritus sanctus clarificat Filium, non ita quod de non claro faciat clarum; sed eum clarificat in nobis, quando nobis eum manifestat, ut clarum clare cogno-

[1] Hug., *de Cœl. Hierarch.*, c. VII. — [2] II *Cor.*, XII, 4. — [3] *Apoc.*, II, 17. — [4] Aug., *in Apoc.*, hom. II, circa fin. — [5] Hug., *de Cœl. Hier.*, c. VII. — [6] I *Joan.*, II, 27. — [7] I *Joan.*, XVI, 13. — [8] *Coloss.*, II, 3. — [9] *Joan.*, XVI, 13. — [10] Ibid., 14. — [11] August., *in Joan.*, tract. CX.

scamus. Sed quia Spiritus sanctus procedit ab utroque, scilicet Patre et Filio, ideo utrumque nobis revelat. Hæc autem revelatio fit, quando Spiritus sanctus, per donum intellectus, mentem nostram a terrenis elevat, et purgat, et inflammat. Affectus enim terrenus et animalis impedit intellectum, ne spiritualia intelligat : quia[1] *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, ait Apostolus. Ideo talibus non fiunt revelationes. Spiritus sanctus intellectum, voluntatem, memoriam, et totam familiam mentis ab inferioribus abstrahens, impellit ad Dominum quærendum et habendum. Unde Bernardus dicit[2] : « Spiritus sanctus profecto monet memoriam, docet intelligentiam, movet voluntatem. » Et ibidem[3] : « Nec minimam paleam peccati intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit illud spiritus dulcis et suavis. » Igitur mente purgata et mundata per internam monitionem, excitat memoriam ad paternæ allocutionis auditionem, quia Deus per memoriam auditur, ut dicit Richardus. Item dicit Bernardus ibidem[4] : « Spiritus sanctus docet intellectum, et illuminat, scilicet ad divini verbi intellectionem. » Quia, sicut dicit Richardus[5] ubi supra, Deus per intelligentiam videtur. Item dicit Bernardus ibidem, quod Spiritus sanctus movet voluntatem, scilicet ad sanctæ Trinitatis perfectam dilectionem, quia, dicit Richardus ubi supra : « Deus per voluntatem vel affectum amplexatur, et sic habetur. » Sed et Filius revelat Patrem; unde dicit Apostolus[6] : *Usque in hodiernum diem, idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum, quod in Christo evacuatur*, dum nobis Patrem revelat. Unde dicit Dominus[7] : *Ego clarificavi te, Pater*. Quod exponens Augustinus dicit[8] : « Filius clarificavit Patrem, non quod de minus claro fecerit magis clarum, cum essentialiter fuerit æternaliter clarus : sed Filius in nobis clarificatus, eum in nobis clarificat, dum ipsum Verbum paternum manifestat nobis Patrem.» Unde dicit Verbum[9] : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi*. Quod Augustinus, *de Trinitate*[10], exponens dicit : « Si Verbum nostrum temporale et transitorium, quod nos proferimus, et se ostendit, et eum qui loquitur; quanto magis Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, se nobis ostendit, et Patrem sicuti est, quia idem cum Patre est, et seipsum ostendit nobis? » Unde dicit Dominus[11] : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem*. Sed et Pater clarificavit Filium, ut in miraculorum operatione, in passione, resurrectione, et in cœlum ascensione, et in multis aliis, ut Filius clarificet Patrem, ut supra patuit. Unde Joannes dicit[12] : *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*.

CAPUT V.

Veritates divinorum sacramentorum dono intellectus penetrantur.

Post hæc videndum est, qualiter Spiritus sanctus, per donum intellectus, faciat (a) nos penetrare velamina veritatum divinorum sacramentorum : habent namque sacramenta velamina quædam, quibus luciformes margaritas abscondunt, ne pedibus porcorum immundæ multitudinis conculcentur, et ne derideant vel contemnant eas, sicut et Dominus dicit[13] : *Nolite ponere margaritas*, etc. De istis velaminibus conqueritur sanctus Bernardus, dicens sic[14] : « Mihi apponitur veritas, sed in sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, et nudo grano; me oportet interim quodam sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, palea litteræ, fidei velamine. Et hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitiis spiritus quantulumcumque accipiant condimentum, quod fit per donum intellectus. » Unde sequitur : « Denique absque Spiritu sacramentum ad judicium sumitur, et caro non prodest quidquam, littera occidit, et fides mortua est : sed Spiritus sanctus est, qui vivificat, ut vivam in eis. At quantalibet sane abundantia spiritus noster pinguescat, non tamen pari jucunditate sumitur cortex sacramenti, et adeps frumenti, fides et spes, memoria et præsentia, æternitas et tempus, vultus et speculum, imago Dei et forma servi. Nempe in omnibus fides mihi est locuples, intellectus pauper. » Hinc Bernardus ostendit, quod intellectus humanus est pauper et quasi cæcutiens, sine adjutorio divino, in cognitione tam absconditarum veritatum sacramentalium; sed adjutorio Spiritus sancti, qui donat veritates theologicas

[1] I *Cor.*, II, 14. — [2] Bern., *de Pentec.*, serm. I, circa med. — [3] Ibid., serm. II. — [4] Ibid., serm. I. — [5] Richard., *de Contempl.*, lib. III, c. XI. — [6] II *Cor.*, III, 14. — [7] *Joan.*, XVII, 4. — [8] Aug., *in Joan.*, tract. CV. — [9] *Joan.*, XVII, 6. — [10] Aug., *de Trinit.*, lib. VII, c. III. — [11] *Joan.*, XIV, 9. — [12] *Joan.*, XVII, 1. — [13] *Matth.*, VII, 6. — [14] Bern., *in Cant.*, serm. XXXIII, ante med. — (a) *Al.* facit.

dirigentes, et ad plenum perficientes donum intellectus et cætera dona, fit dives et fortis ad penetrandum velamina, et ad inveniendum veritates absconditas. Unde Gregorius in *Moralibus* dicit sic [1] : « Ad perfectionem plenam dona non perveniunt, nisi fide, et spe, et charitate fiat omne quod agunt. Nam Christus est ostium, per quod intratur ad notitiam sanctæ Trinitatis. » Unde Augustinus [2], exponens illud Joannis, *Ego sum via*, dicit : « Verbum assumens humanitatem, factum est via. Ambula per hominem, et pervenies ad Deum. » Et dicit ipse Dominus [3] : *Ego sum ostium ovium*, etc. Hoc ostium fides aperit. Unde in Isaia dicitur [4] : *Nisi credideritis, non intelligetis* (a). Igitur fides intellectum adjuvat. Spes autem intellectum introducit. Unde dicit Apostolus [5] : *Habemus spem firmam, et incedentem usque ad interiora velamina*, scilicet puræ veritatis. Sed charitas invenit et unit, quia [6] *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Cujus ratio est, quia, sicut dicit Hugo [7], « amor sive charitas suo acumine omnia penetrat, donec ad Dilectum veniat. » Sic igitur donum intellectus in fide, spe et charitate penetrat omnia velamina sacramentalia, superius a Bernardo enumerata, ut dicat illud Canticorum [8] : *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam eum*, donec introducam eum ad certissimam veritatem, et intimam.

CAPUT VI.

Quomodo per donum intellectus dies spiritualis in anima oriatur.

Quarto videndum est, qualiter per donum intellectus dies in anima spiritualis oriatur. De quo sciendum est, quod sicut absentia lucis solaris causat noctem et tenebras in terra, et sicut præsentia ejus causat diem, sive lumen, ut videantur sensibilia, sic absentia doni intellectus in anima causat tenebras. Unde Psalmista [9] : *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*; et ejusdem doni præsentia causat in anima diem spiritualem, qua videntur intelligibilia. Unde Gregorius in *Moralibus*, exponens illud Job [10] : *Unusquisque in die suo*, dicit sic : « Sicut ignorantiæ obscuritas sine dubitatione nox cor-

Per donum intellectus oritur dies in anima.

[1] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XIII. — [2] Aug., *de verb. Dom.*, serm. LV, al. CXLI, n. 4. — [3] *Joan.*, X, 7. — [4] *Isa.*, VII, 9, juxta LXX. — [5] *Hebr.*, VI, 19. — [6] I *Joan.*, IV, 16. — [7] Hug., *in Cæl. Hier.*, c. VII. — [8] *Cant.*, III, 4. —

(a) Vulg. *Si non credideritis, non permanebitis.*

dis dicitur, sic intellectus dies vocatur. » Ratio hujus est, quia intellectus suo lumine penetrat omnia velamina obumbrantia veritatis radios, tam naturarum, quam scripturarum et sacramentorum, ut supra patet, planum est quod lumen illud doni intellectus, proficit et crescit usque in perfectum diem, quo spiritualia contemplantur, in quo die, mane, meridies, et vespera distinguuntur.

Mane diei doni intellectus.

Primo igitur, mane hujus luminosæ diei in mente humana oritur, quando per donum intellectus ad nostra interiora revocati per lumen compunctionis, omnes tenebras peccatorum de lectulo conscientiæ abstergimus, ut dicamus cum Psalmista [11] : *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, scilicet conscientiæ, ut post hoc ad claritatem meridianæ horæ per contemplationem mane surgamus. De mane illius diei loquens Gregorius in *Moralibus*, exponens illud Job [12] : *Consurgensque diluculo offerebat holocausta*, dicit sic [13] : « Diluculo namque consurgimus, cum compunctionis luce perfusi, humanitatis nostræ noctem deserimus, et ad veri luminis radios mentis oculos aperimus. » Sequitur : « *Offerebat holocausta.* Holocaustum totum incensum dicitur, quod offerre est totam mentem igne compunctionis incendere, ut in ara amoris tota ardeat, et quasi delicta propriæ cogitationis exurat. De mane illo dicit Psalmista [14] : *Mane astabo tibi, et videbo.*

Meridies hujus diei.

Secundo, post mane hujus diei luminosæ, horæ meridianæ claritas fervida oritur in mente ex dono intellectus, quod pariter illuminat et inflammat in sacra Scriptura ad modum horæ meridianæ, dum eloquium Domini vehementer ignitum, quod est [15] *penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem spiritus et animæ*, secundum Apostolum, manifestat. De claritate hujus meridiei, et radiis hujus, Richardus dicit sic [16] : « Jucunda sane admodum plaga est meridiana a nimietate lucis et fervore diei, eo quod dulce sit valde et delectabile aspectui, contemplari beatorum spirituum ordines, hilarescentes in claritate et charitate. » Et sequitur infra : « In meridie illa, scilicet lucis et fervoris Scripturæ, contemplantur præmia meritorum beatorum, gaudia civium supernorum, et arcana divinorum secretorum, et cætera hujusmodi. Propter

[9] *Psal.* LXXXI, 5. — [10] *Job*, I, 4. — [11] *Psal.* VI, 7. — [12] *Job*, I, 5. — [13] Greg, *Moral.*, lib. I, c. XIX. — [14] *Psal.* V, 5. — [15] *Hebr.*, IV, 12. — [16] Richard., *de Contempl.*, lib. III, c. VII.

quod dicit Dominus [1] : *Scrutamini Scripturas.* Quod verbum Chrysostomus exponens dicit : « Salvator Scripturas vocat ostium. Hæ enim cognitionem Dei aperiunt, hæ oves custodiunt, hæ lupos supervenire non permittunt, hæreticis introitum præcludentes. » Hæc ille. De fervore autem horæ meridianæ, scilicet Scripturæ sacræ, in qua nobiscum Deus loquitur per Verbum suum proprium, tamen incarnatum, quantus sit ostendit Ecclesia, quæ ex ardentissimo fervore tacendo clamat dicens [2] : *Osculetur me osculo oris sui.* Hunc fervorem advertere possumus, si verba pensemus. Nam Bernardus, exponens hæc verba, dicit [3] : « Securus suscipio mediatorem Dei Filium, quem agnosco fratrem meum. Minime mihi jam suspectus erit : frater enim et caro mea est : puto eum spernere me jam non posse : os de ossibus meis, et caro de carne mea. Igitur loquatur mihi osculo oris sui. Quid mihi hæc ora prophetarum semiverba loquuntur? Ipse potius [4] *speciosus forma præ filiis hominum* me osculetur, osculo oris sui alloquendo. Non audio jam Moysen [5], *impeditioris linguæ* est. Isaiæ [6] *labia* immunda sunt. Hieremias [7] *nescit loqui, quia puer* est. Non in eis jam loquatur mihi, quoniam [8] *tenebrosa aqua in nubibus aeris;* et prophetæ omnes elingues sunt. Sed ipse loquatur mihi, cujus gratiosa præsentia, et admiranda fluenta doctrinæ, fiant in me [9] *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Cujus utique sermo vivus et efficax mihi osculum est : non quidem conjunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animorum; sed plane infusio gaudiorum, revelatio secretorum, mira quædam et quodam modo indiscreta connexio superni luminis, et illuminatæ mentis. *Adhærens* quippe [10] *Deo, unus spiritus est.* » Hæc ille. Ideo sponsa in *Canticis* dixit [11] : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est,* mihi spiritus fervorem tantum infundendo, vel influendo, ut tota fervida sit, ait Vercellensis ibidem. Igitur [12] *quasi lux meridiana est.*

Vespera hujus diei. Tertio, post horam claræ et fervidæ meridiei, hora vespertina succedit, in qua labor quotidianus terminatur, somnus contemplationis inchoatur, deliciæ nocturnales celebrantur. Labor quotidianus terminatur, quia sole declinante, virtus debilitatur operantium. Unde dixerunt Domino discipuli, simulanti se longius ire [13] : *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies :* quia virtus est debilitata, et ideo a labore quiescendum est. Quare et in Psalmo dicitur [14] : *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam.* Secundo in hora vespertina, per donum intellectus, somnus contemplationis inchoatur; unde dicit anima contemplativa [15] : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Quod exponens Vercellensis dicit sic : « Ego, quod sum per naturam, dormio; dormitio autem suspendit usum sensuum exteriorum, et intendit et quasi invigilat circa exercitium sensuum interiorum, quod incomparabiliter nobilius est, quam exercitium sensuum exteriorum : quod perfecte haberi non potest, nisi sensus exteriores obdormiant. » Unde in libro *de Spiritu et Anima* dicitur [16] : « Cum sensus exterior carnalis suo bono utitur, interior sensus quasi obdormit. » Et Gregorius dicit [17] : « Vigilanti etenim corde dormit per hoc, quod interius contemplando proficit, et ab inquieto opere foris quiescit. » Tertio, in hora vespertina deliciæ spirituales, post labores diurnos, a Deo ministrantur per donum intellectus : tunc ex Jacob reverso (*a*) de agro ad vesperam fit Israel, quia « post sudationes boni operis, pervenitur ad lucem contemplationis [18] : » ut dicit Hugo Unde in *Job* dicitur [19], *Quasi meridianus fulgor, consurget tibi ad vesperam.* Quod exponens Gregorius in *Moralibus* ait [20] : « Consurget, quia quanta sibi claritas meridiana maneat, cum jam occumbere cœperit, post agnoscet, quia scriptum est [21] : *Timenti Deum bene erit in extremis.* » Hæc ille. Fulgor namque meridianus illuminat, et inflammat : illuminatio pertinet ad cognitionem; inflammatio, ad refectionem : nam in charitate refectio est. Quæ duo maxime faciunt ad delicias spirituales et vespertinas, ut patet per Hugonem [22], ut supra dictum est. *Factum est* igitur [23] *vespere et mane dies sextus,* per donum intellectus.

[1] *Joan.*, v, 39. — [2] *Cant.*, I, 1. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. II, post med. — [4] *Psal.* XLIV, 3. — [5] *Exod.*, IV, 10. — [6] *Isa.*, VI, 5. — [7] *Jerem.*, I, 6. — [8] *Psal.* XVII, 12. — [9] *Joan.*, IV, 14. — [10] I *Cor.*, VI, 17. — [11] *Cant.*, v, 6. — [12] *Isa.*, XVIII, 4. — [13] *Luc.*, XXIV, 29. — [14] *Psal.* CIII, 23. — [15] *Cant.*, v, 2. — [16] *De Spir. et Anim.*, c. IX. — [17] Greg., *in Ezech.* hom. XIV, post med. — [18] Hug., *de Claust. Anim.*, lib. IV, c. XLIII. — [19] *Job*, XI, 17. — [20] Greg., *Moral.*, lib. X, c. XI, circa med. — [21] *Eccli.*, I, 13. — [22] Hug., *de Cœl. Hier.*, c. VII. — [23] *Gen.*, I, 31.

(*a*) *Cæt. edit.* reversa.

CAPUT VII.

Quomodo per donum intellectus convivium spirituale menti præparetur.

Quinto videndum est, qualiter Spiritus sanctus per donum intellectus in die sua, id est, in illuminatione sua convivium spirituale menti præparet. De quo sciendum est, quod Gregorius in *Moralibus* dicit sic [1] : « Intellectus in die suo convivium præparat, vel parat, quia in eo quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras ejus illustrat. » Ergo in penetratione auditorum inventa veritate mens reficitur. Et ratio hujus est, quia menti non sufficit gustare velamina veritatum, testas, vel umbram quidditatum, ut supra dictum est; sed nucleum, id est veritatem puram et quidditatem nudam. Veritas pura est, quando per seipsam videtur, non per subjectam imaginem, vel figuram, dicit Hugo [2]. Et hic intellectus vere reficit. Unde Linconiensis, super principium *Mysticæ Theologiæ*, dicit sic : « Intellectum Scripturæ historicum, allegoricum et moralem habent multi : sed interior homo, quærens videre Deum incircumvelate et vere, non est his contentus; sed transcendens, ascendit cum sacris contemplativis ad summitatem anagogicorum intellectuum. In quibus tamen non videtur Deus sine symbolis, donec tandem ab omnibus absolvatur, et cum Moyse caliginem ignorantiæ ingrediatur, in qua mens summe reficitur, ut patet per Moysen jejunantem a cibo corporali quadraginta diebus, ut legitur in *Exodo*. » Cum igitur donum intellectus, secundum Gregorium, penetret omnia velamina veritatis divinæ, tam in scripturis, quam in doctrina, tam in figuris, quam in sacramentis, et usque ad intimam et nudam veritatem intelligendam et degustandam quadam intellectuali experientia pertingat, quod perfectissimorum est, ut dicit Bernardus *super Cantica*, ideo donum intellectus dulcissime mentem reficit. De hoc gustu experientiæ Bernardus [3] loquens in libro *de Amore Dei*, dicit : « Gustus experientiæ Scripturarum, et sacramentorum Dei, qui est in Christo, facit nobis sensum, ut intelligamus Scripturas. Unde Dominus post resurrectionem aperuit discipulis sensum, ut intelligerent Scripturas. » Et sequitur ibidem : « Cum Scripturarum interiorem sensum, et veritatem mysteriorum Dei, et sacramentorum, cœperimus non solum intelligere, sed et quadam, ut ita dicam, experientiæ manu palpare et tractare, quod non fit nisi quodam conscientiæ sensu, et experientiæ disciplina intelligentis et scientis bonitatem Dei et veritatem, quam potenti bonitate, et quam efficaci veritate (a) in filiis gratiæ opus ipsius gratiæ operatur : tunc intellectus cum sapientia operatur quod suum est, et exequitur; tunc sapientia unctione sua docet (b) de omnibus necessariis, sapore suo intellectui jam communicato, ut per claritatem cognitionis illuminetur, et per dulcedinem cognitionis reficiatur : » utrumque enim necessarium est ad convivium spirituale, ut supra dictum est. Sed tam perfecta cognitio, quam perfecta refectio, principaliter in uno consistit, quod solum *est necessarium*, ut dicit Dominus [4] : ideo donum intellectus multa transcendendo et penetrando, ad illud perfectum et necessarium unum tendit, et intrat. Quia, sicut dicit Richardus in tractatu suo *de Violenta Charitate* [5] : « Unum solum est, in quo mens humana requiescit, reficitur, et satiatur. » Sed et Hugo idem probat, sic dicens [6] : « Multa in hoc mundo sunt, et hæc omnia cor hominis satiare non possunt, ut probat experientia. Unum autem est bonum, et hoc solum cum percipitur, satietas invenitur : ergo non in multitudine, sed in unico est satietas : unum ergo est necessarium bonum, quod nobis præparavit Deus. Sic ergo in mensa Dei, nonnisi unum ferculum nobis apponitur. Sed noli (inquit) contemnere; satietas enim multa est. *Satiabor*, inquit Propheta [7], *cum apparuerit gloria tua*. Noli igitur timere, cum audis *unum*. Unum quidem est bonum; sed in illo bono omne bonum est. Unam refectionem, unum cibum, unum ferculum, unum panem præparavit nobis Deus. Sed ne despicias. Audi quid scriptum est [8] : *Panem*, inquit, *habentem omnem saporem, et omne delectamentum suavitatis*. » Et sequitur : « Ipsa vere simplex et una dominica refectio singularis dicitur : quia cum aliena et extranea delectatione et dulcedine non percipitur. Dicitur domestica, quia amicis tantum et familiaribus præparatur. Dicitur et vivifica, quia

[1] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVI. — [2] Hug., *in Cœl. Hier.*, c. VII. — [3] Imo Guillel. abb. S. Theod., *de Nat. et Dignit. div. Amor.*, c. X, post med.— [4] *Luc.*, X, 42. — [5] Richard., *de quat. grad. viol. Charit.*, ante med. — [6] Hug., *in Cœl. Hier.*, c. VII. — [7] *Psal.* XVI, 15. — [8] *Sap.*, XVI, 20.

(a) *Cæt. edit.* veritatis. — (b) *Item* docens.

unum secum efficit omnes, quibus se sumendam, et percipiendam præbet. » Hæc ille. Igitur quia hæc refectio, ut dicit Dionysius [1], est simplex et una, et ideo in spiritu, et non in carne percipitur; ideo spiritum humanum confortat contra infirmitates spirituales. Item, quia omnem delectationem extraneam excludit, ideo spiritum verificat, quia ubi est simplicitas, ibi est veritas. Item quia tantum amicis datur, ideo spiritum gratificat, quia charitas est radix amicitiæ, ut satis patet in *Joanne* [2]. Item, quia vivificat, ideo spiritum Deo conformat et concordat, et ex hoc concordare facit cum seipso, et cum proximo. Unde Origenes, *super Canticis*, dicit : « Concordia hic inchoat, quæ in futura gloria inter electos cœlestis patriæ semper durat. Hic enim bonis conformat, in pugna superat, consolatione inebriat, Deo associat, amorem et amicitiam augmentat : hic inchoat, quod in cœlo consummat. » Hæc ille. Cum his concordat illud Psalmistæ [3] : *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus*, etc. In eo quod dicit : *Parasti in conspectu meo mensam*, etc., innuit in intelligentia cum pespicuitate mensam esse reficientem. In eo quod dicit: *Adversus eos qui tribulant me*, innuit quod hæc refectio convivantes confortat, et inediam sive famem spiritualem, quæ virtutes convivantium debilitat, extirpat. In eo vero quod dicit : *Impinguasti in oleo caput meum*, innuit, quod gratiosa dulcedine et delectatione caput animæ, id est mentem, nutrit et decorat. Sed in eo quod dicit : *Calix meus inebrians quam præclarus est*, innuit spiritualem et sobriam spiritus ebrietatem, quæ mere induc't ad oblivionem sui, et ex hoc ad veram concordiam, et ad unitivam societatem et associationem Dei. *Cibat* igitur [4] sapientia mentem *pane vitæ et intellectus*, quem loco pascuæ collocavit divinarum scripturarum, ubi dicit Glossa : « Id est, in intelligentia divini sermonis, quæ meditantes saginat in intellectu divinarum scripturarum. » Quarum pascuarum experientiam habuit Gregorius, quando dixit [5] : « Liber, qui viscera intellectualia replevit dulcedine in ore sancti, mel factus est, quia intelligentes de Deo sciunt suaviter loqui, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare : in ejus quippe ore Scriptura dulcis est, cujus vitæ viscera mandatis illius replentur. Quare suavis est ei ad loquendum, cui interius in intellectu impressa ad vivendum fuerat. » *Ex abundantia* enim [6] *cordis os loquitur*, ait Dominus.

SECTIO VII. [a]

DE DONO SAPIENTIÆ.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit sapientia, et quid donum sapientiæ dicatur.

Septimum donum Spiritus sancti, quod facit diem et convivium spirituale in anima, est donum sapientiæ, quæ est lux [7] *descendens a patre luminum*, et radians in animam, facit eam deiformem, et donum Dei. Illustrat enim intellectivam, inflammat affectivam, roborat operativam. Facit intellectivam speciosam, affectivam amœnam, operativam robustam. Hoc autem donum immediate sequitur donum intellectus. Unde Augustinus, *de Doctrina Christiana*, dicit [8], quod a timore usque ad sapientiam, quæ septima est in donis et ultima, per gradus tenditur, et pervenitur. Et reddit rationem ibidem dicens : « Hæc sapientia ultima et summa est, quia hac habita animus pacatus tranquillusque perfruitur, » et delectatur in ea : ergo ultima est, in qua est consummatio. Similem rationem assignat Anselmus [9], dicens : « Spiritus sanctus menti inspirat ad postremum sapientiam, quam aliis donis superaccumulat, ut quod recte intelligit, scilicet in dono intellectus, sibi sit sapidum atque dulcissimum in dono sapientiæ, soloque rectitudinis amore sequatur, quod (*b*) intelligit esse sequendum. » Non enim perfectum facit cognitio veritatis, nisi etiam sequatur gustus experimentalis, quia experientia est magistra intelligentiæ, ait Hugo [10]. Et addit Anselmus ibidem dicens : « In isto ædificio sic composito donorum Spiritus sanctus residet, totamque familiam domus interioris, id est, omnes animæ sensus, regit, et ad suum obsequium disponit, scilicet ascendendo ad Dominum, et descendendo ad proximum, ut cum Psalmista

[1] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. VII. — [2] *Joan.*, XV, 13. — [3] *Psal.* XXII, 5, 6. — [4] *Eccli.*, XV, 3. — [5] Greg., *in Ezech.*, hom. X, ante med. — [6] *Matth.*, XII, 34; *Luc.*, VI, 45. — [7] *Jac.*, I, 17. — [8] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. II, c. VII, n. 11. — [9] Imo Eadmer. Anselm., *de Similit.*, CCXXXII. — [10] Hug., *in Cœl. Hier.*, c. VII.

(*a*) *Cæt. edit. deest tit.* Sectio VII. — (*b*) *Cæt. edit.* quo.

dicat [1] : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ, ibi me collocavit.*

Ad hujus doni majorem notitiam, sunt quinque per ordinem notanda : primo quid sit sapientia, et quid donum sapientiæ dicatur; secundo, quæ sit necessitas ejus, et quæ utilitas in eo conferatur; tertio, qualiter donum sapientiæ a Deo petatur, et obtineatur; quarto, quomodo dies spiritualis ex dono isto oriatur; quinto, quale convivium menti ex eo præparetur. Primo igitur videndum est quid sit sapientia, et quid donum sapientiæ dicatur. De quo notandum, quod omissa sapientia carnis, quæ [2] *inimica est Deo*, et sapientia mundi hujus, quæ [3] *stultitia apud Deum*, quarum utraque secundum Jacobum Apostolum in Epistola sua, est *terrena, animalis, et diabolica.* (*Sapientia mundi stultitia est apud Deum* : ratio est, quia pejus meliori præponit. Stultus utique esset, qui cuprum eligeret pro auro : sic isti faciunt. Nam bona temporalia præponunt æternis, sicut divitias, honores, favorem mundi, et laudem ejus : unde merito *diabolica* vocatur hæc sapientia. Nam sicut Diabolus semper studet ad perditionem hominis, sic tales ad perditionem propriam student. Nec dicuntur sapientiæ nisi abusive, quia non sunt scientiæ sapidæ, sed stultæ et insipidæ. Nulla utique illarum est donum Spiritus sancti.) Est et alia sapientia vera et increata, de qua dicitur in libro *Sapientiæ* [5], quod ipsa *est candor lucis æternæ, et speculum sine macula divinæ majestatis, et imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest, et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se tranfert, amicos Dei et prophetas constituit,* scilicet per internam locutionem, quia, sicut dicit Augustinus [6] : « Sapientia increata, quæ est Filius Dei, non cessat loqui occulta inspiratione et revelatione ad intellectualem creaturam, ut ad se convertatur, et sic formetur, cum ipsa omnia formet et innovet. » Sed nec ista sapientia est donum de quo nunc est sermo, sed largissima omnium donorum datrix est. Est alia sapientia creata, et hæc est duplex : quia quædam est per studium humanum acquisita, et est virtus intellectualis, de qua loquitur Philosophus in *Metaphysica* sua, quæ potest dici sapientia aliqualiter, cum in ea sapor quidam inveniatur. Habet enim philosophia admirabiles delectationes, ut dicitur in *Ethicis*, licet sapor ille non sit oleo gratiæ conditus. Potest etiam illa sapientia per rationis inquisitionem aliqualiter rectum judicium circa aliquas res divinas habere, licet incomplete, sicut ostendit Hugo, ubi dicit sic [7] : « Philosophis datum fuit propter nos, quibus consummatio servabatur, et inchoatio parabatur, ut invenirent veritatem illam quam oportuit suscipere filios vitæ ad obsequium summæ veritatis, cujus labor ipsis appositus est, nobis autem fructus servatur. Novissime autem theologiam quamdam pro ratione divinorum, et scrutatione invisibilium, quasi consummaturi sapientiam addixerunt, et ibi corruere cœperant in mendacia figmentorum, et ideo defecerunt et evanuerunt. » Hæc ille. Unde nec illa sapientia est donum Spiritus sancti, de quo nunc loquimur, quamvis ab eo detur.

Est igitur alia sapientia, quæ *desursum est*, sicut dicit Jacobus apostolus in Epistola sua. *Desursum* est, quia *a Patre luminum* est creata. Et hæc est vera sapientia, quia ipsa (*a*) est veri splendoris et boni saporis. Splendor dirigit intellectum ad veri cognitionem, et sapor eripit affectum ad boni saporosam dilectionem. Igitur [8] *quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram,* ait Apostolus. Objectum ergo doni sapientiæ principale est Deus, non sub ratione veri absolute, sed sub ratione veri in relatione ad rationem boni, ut est excitativum voluntatis, ad ejus saporosam dilectionem. Actus autem sapientiæ est contemplari Deum, non quocumque modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suavitate et affectu. Unde Augustinus dicit [9] : « Ubi nulla est dilectio, scilicet gratuita, quis ullam dicet esse sapientiam? » Et Bernardus dicit [10] : « Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni diffinierit : quare sapientia a sapore denominatur. » Unde et Isidorus in *Etymologiis* dicit [11] : « Sapiens dictus est a *sapore* : quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscendum sapores rerum atque causarum aptus est. » Ex his igitur apparet, quod donum sapientiæ est habitus supernaturalis, animæ a Spiritu sancto infusus, ad Deum cognoscendum, et saporose diligendum.

[1] *Psal.* XXII, 1. — [2] *Rom.*, VIII, 7. — [3] I *Cor.*, III, 19. — [4] *Jac.*, III, 15. — [5] *Sap.*, VII, 16, 17. — [6] Aug., *de Gen. ad. litt.*, lib. I, c. V. — [7] Hug., *in Cœl. Hier.*, c. I. — [8] *Coloss.*, III, 2. — [9] Aug., *de Trinit.*, lib. XV, c. XVII. — [10] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXV, circa med. — [11] Isid., *Etymol.*, lib. X, verbo *Sapiens*.

(*a*) *Cæt. edit.* ipse.

CAPUT II.

Quæ sit necessitas, et utilitas hujus doni.

Secundo videndum est, quæ sit necessitas et utilitas doni sapientiæ. De quo notandum est, quod dicit Bernardus [1]: « Sicut corpus habet suos quinque sensus, quibus animæ conjungitur, vita mediante, sic anima habet suos quinque sensus spirituales, quibus Deo conjungitur mediante charitate. » Sequitur : « Per sensus corporis veterascimus, et huic sæculo conformamur; per sensum vero mentis renovamur in agnitionem Dei in novitate vitæ secundum voluntatem Dei et beneplacitum Dei. » Unde dicit Apostolus [2] : *Nolite conformari huic sæculo; sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Et iterum Bernardus dicit : « Sicut omnes sensus corporales, ut visus, auditus, olfactus, etc., sine sensu gustus infirmantur et hebetantur in operationibus suis, sic omnes sensus spirituales infirmantur et languescunt in operibus suis sine gustu spirituali, vel sapientiali, qui gustabilia spiritualia sapida facit. » Quod Bernardus bene ostendit, dum *super Cantica* dicit [4] : « Hunc saporem perdidimus ab ipso pene exordio generis nostri. Ex quo enim cordis palatum, sensu carnis prævalescente, infecit virus serpentis antiqui, cœpit animæ non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare, scilicet concupiscentiæ, et sensus hominis prompti facti sunt ad malum. Et ideo multa bona fiunt, quæ non sapiunt facientibus, quia sapor carnalis, seu mali, non est totaliter exterminatus. Sed nunc assidue sapientia vincit malitiam in mentibus quas intraverit, saporem mali, quem malitia invexit, sapore meliori exterminans. Intrans enim sapientia, dum sensum carnis infirmat et infatuat, intellectum purificat, et cordis palatum sanat et reparat : sanato palato jam sapit bonum, sapit et ipsa sapientia, qua est in bonis nullum melius. » Hæc ille. Sensu autem gustus reparato per sapientiam, omnes sensus spirituales convalescunt et vegetantur: unde Bernardus [5] dicit : « Gustum autem qui fit in sapientia, quædam sequitur saporis dulcedo, quam in interiori suo sentiens anima, modo quodam singulari, quæ suscipit cuncta discernit et dijudicat, seque et omnes sensus vegetat et confortat, scilicet interiores. » Hæc ille. Hic enim gustus saporosæ sapientiæ sensum visus interiorem clarificat ad Deum sapide contemplandum. Unde Sapiens [6] : *Est enim in sapientia spiritus intelligentiæ, omnia prospiciens,* et cætera ibi scripta. Sensum auditus excitat ad verbum Dei dulciter audiendum. Unde dicit Sapiens [7]: *Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie.* Et infra : *Qui me invenerit, inveniet vitam.* Sensum olfactus interiorem incitat ad dilectum suum suaviter odorandum. Unde dicitur [8] : *In plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.* Sensum tactus interiorem fortificat ad dilectum inseparabiliter tenendum, ut dicit Sapiens [9] : *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam : et qui tenuerit eam, beatus.* Gustu igitur spiritualis animæ per sapientiam reformato, omnes sensus spirituales animæ reformantur et vegetantur. Quod etiam Augustinus in *Confessionibus* ostendit, ubi dicit [10], quod omnes sensus sui interiores per amorosæ sapientiæ saporem ferebantur in summum appetibile. Et exemplificat ibi, ut infra patebit. De hujusmodi sapientia dicit Jacobus [11] : *Sapientia quæ desursum est, primum quidem pudica est,* quia vitat corruptelas peccati; *pacifica et modesta* est, in omnibus tenens medium; *suadibilis est, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, judicans sine* (*a*) *simulatione : fructus autem justitiæ in pace seminantur facientibus pacem.* Igitur donum sapientiæ non solum docet secundum rectum judicium contemplari divina; sed etiam docet regulare (*b*) humanos actus excellentiori modo, quam sapientia quæ est virtus intellectualis. Cujus rationem assignat Augustinus, *de Trinitate*, dicens [12] : « Superior pars rationis sapientiæ deputatur; inferior autem, scientiæ. Superior autem ratio, ut ipse in eodem libro [13] dicit, intendit rationibus supernis, scilicet divinis, conspiciendis, et consulendis : conspiciendis quidem, secundum quod divina in seipsis contemplatur; consulendis autem, secundum quod per divina judicat de humanis, per divinas regulas dirigens actus humanos, ut homo non solum assimiletur Deo secundum

Quare multa bona non sapiunt facientibus.

[1] Imo Guliel. abb. S. Theod., *de Nat. et dignit. div. Amor.*, c. VII, post med. — [2] *Rom.*, XII, 2. — [3] Imo Guliel., ubi sup., c. X. — [4] Bern., *in Cant.*, ubi sup. — [5] Imo Guliel., lib. cit., c. X. — [6] *Sap.*, VII, 23. — [7] *Prov.*, VIII, 34, 35. — [8] *Eccli.*, XXIV, 20. — [9] *Prov.*, III, 18. — [10] Aug., *Confess.*, lib. X, c. VI. — [11] *Jac.*, III, 17, 18. — [12] Aug., *de Trinit.*, lib. XII, c. XIV. — [13] Ibid., c. III.

(*a*) Vulg. *non judicans, sine.* — (*b*) *Cæt. edit.* regulari.

imaginem, sed etiam secundum operationes, prout potest. Unde Augustinus, *de sermone Domini in monte*, dicit [1] : « Sapientia est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, et suscipiens similitudinem Dei. » *Pretiosior est sapientia* [2] *cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, non valent huic comparari.*

CAPUT III.

Qua ratione donum sapientiæ a Deo petatur et obtineatur.

Tertio videndum est, qualiter iste pretiosissimus thesaurus doni sapientiæ inveniri et obtineri possit. De hoc notandum, quod sapientia, et est quærenda, et est postulanda a Deo : quærendo invenitur; sed postulando a Deo, possidetur. Invenitur per cognitionem; sed possidetur per dilectionem : per cognitionem videtur; per dilectionem amplexatur et gustatur. Videre pertinet ad intellectum ; sed amplexari et gustare pertinet ad voluntatem et affectum. Unde Richardus dicit [3] : « Sicut Deus per memoriam auditur, per intellectum videtur; ita per affectum amplexatur et gustatur, vel astringitur, et sic tenetur ; et hoc utique est perfectius, quam videre solum. » Quod ostendit Augustinus, *de Trinitate* [4], ubi dicit, quod actus amplexandi, sive tenendi, est proprius actus voluntatis. Non enim sufficit voluntati illud quod est præsens intellectui per modum visi, nisi etiam fiat præsens voluntati per modum amati. Dicit enim idem Augustinus [5], quod quandoque fit quod aliqui cognoscunt Deum, et eum non habent. Exemplum de medico, qui sanitatem alicujus cognoscit, non propter hoc habet. Ibi præscindit Augustinus *cognoscere* ab *habere*. Primo igitur quæramus sapientiam, investigando per cognitionem, donec tandem mereamur eam a Deo recipere per amplexum, et degustationem. Hunc pretiosum thesaurum sapientiæ docet quærere Salomon, dicens [6] : *Si quæsieris sapientiam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis eam, tunc intelliges timorem Domini*, qui est initium sapientiæ. Quæ verba exponens Hieronymus dicit : « Qui thesauros effodit, terram rejicit, foveam in altum fodit, sedulus insistit, donec inveniat quod quærit. Sic qui thesauros sapientiæ invenire desiderat, omne pondus terrenum a se rejiciat, in se fossam humilitatis faciat, nec quiscat donec inveniat. » Hæc ille. *Ipsa* enim [7] *sapientia faciliter videtur ab his qui quærunt eam ; et cogitare de illa, sensus est consummatus.* Est igitur quærenda sapientia, quia, sicut ipsa dicit [8] : *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Sed quomodo cognoscitur inventa sapientia, hoc docet Bernardus [9] in quibusdam dictis suis, ubi dicit sic : « Invenisti plane sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si hujus sæculi desiderabilia parvipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Invenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt prout sunt, ut hæc quidem amara et omnino fugienda; illa quoque velut caduca et transitoria contemnenda; ista vero ut perfecta bona totis desideriis appetenda, quæ intimo quodam animi sapore dijudices et discernas. » Hæc Bernardus. Est igitur etiam hoc pretiosum donum sapientiæ, cum habitus sit supernaturalis, et a Deo animæ infundatur, a Deo fideliter postulandum, ut docet Jacobus in Epistola sua, dicens [10] : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* In his verbis Apostolus innuit, quod in postulante debent esse quatuor, scilicet : 1. indulgentia; unde dicit : *Si quis vestrum indiget sapientia :* certe hac omnes indigent : *Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia habitat.* 2. Impetrandi confidentia ; unde dicit : *Postulet a Deo.* Postulare enim est filiorum; rogare autem, servorum. Unde in Psalmo [12] : *Postula a me*, etc. 3. Postulati largitas; unde dicit : *Qui dat omnibus affluenter.* Unde in libro *Regum* dicitur [13] : *Sed et hæc quæ non postulasti, dedi tibi, divitias et gloriam.* 4. Postulantis stabilitas; unde dicit : *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Fides autem mentem stabilitat. Unde Dionysius dicit [14], quod circa veritatem vere existentem, et non errantem, versatur fides divina, quæ est stabilis collocatio credentium, collocans eos in veritate, et confirmans. Sic igitur patet, qualiter est a Deo sapientia quærenda et invenienda, et qualiter est a Deo postulanda, et possidenda : nobilis enim animæ possessio est.

In postulante quatuor esse debent.

[1] Aug., *de serm. Dom. in Monte*, lib. I, c. IX, ante med. — [2] *Prov.*, III, 15. — [3] Richard., *de Contempl.*, lib. IV, c. V — [4] Aug., *de Trinit.*, lib. IX, c. XII. — [5] Id., *ad Dard.*, epist. LVI, al. CLXXXVII, n. 21. — [6] *Prov.*, II, 4. — [7] *Sap.*, VI, 16. — [8] *Prov.*, VIII, 35. — [9] Bern., in *Sent.* — [10] *Jac.*, I, 5, 6. — [11] *Sap.*, VII, 28. — [12] *Psal.* II, 8. — [13] III *Reg.* III, 13. — [14] Dion., *de Div. Nom.*, c. VII.

CAPUT IV.

Qualiter ex dono sapientiæ dies spiritualis in anima oriatur.

Quarto videndum est, qualiter ex dono sapientiæ in mente humana dies spiritualis oriatur. De quo notandum est, quod cum sapientia sit quasi sol lucens ratione cognitionis, et fervens ratione dilectionis (utrumque enim horum invenitur in sapientia, ut ex prædictis patet); ideo donum sapientiæ causat in anima diem lucentem cognitione, et ferventem dilectione. Quare Alanus [1], *de Planctu Naturæ*, dicebat : « Sapientia est sol per quem lumen mentis diescit in tenebris, cordis oculus, fructus internæ dilectionis, deliciosa animæ paradisus. Hæc in cœlestem terrenum, in immortalem caducum, hominem in Deum, deificæ mutationis auctoritate convertit. » Hanc luminosam sapientiam desideravit, qui dicebat : *Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ* [2], et infra : *Proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius , et venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manum illius.* Sapientia pro luce habenda merito est, quia ipsa totum regnum animæ dirigit, non solum in contemplandis, sed etiam in agendis : quia sapientiæ donum non solum est speculativum, sed etiam practicum. Unde etiam dicit : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, quoniam omnium bonorum mater est.* Tullius, primo *de Legibus*, dicit sic : « Mater omnium bonarum rerum est sapientia, qua nihil uberius, nihil præstantius, quia bonum vitæ datum est. Hæc enim cum cæteras res omnes docuit, tum quod difficillimum est docuit, ut nos nosceremus. » Hæc ille. Sequitur : *Et venit mihi innumerabilis honestas per manus illius, et lætatus sum, quoniam antecebat me ista sapientia.* Nam decor et maturitas honestæ vitæ in luce sapientiæ invenitur ab his, qui in regno animæ et convivio sapientiæ commorantur. Dicit enim Bernardus in sermone quodam super *Cantica* sic [3] : « In sapientia est maturitas : ideo superest, decorem illius quæramus, sine quo nemo Deo placere potest; decor autem iste honestum dicitur. De honesto autem exterior conversatio interrogetur : non quod ex ea honestum procedat, sed per eam exeat foras. Nam in conscientia est habitatio ejus et origo. Siquidem claritas ejus testimonium conscientiæ est. Nihil hac luce clarius, nihil hoc testimonio gloriosius, cum veritas in mente fulget, et mens in veritate se videt, quod in nullo conscientia erubescat præsentiam veritatis, quo cogatur avertere faciem, quasi confusam et repercussam a lumine diei. » Sequitur : « Hic plane illud decorum est, quod super omnia bona animæ divinos oblectat aspectus, hoc diffinimus honestum. » Sequitur : « Cum autem decor hujus claritatis abundantius intima cordis repleverit, prodeat foras tanquam lucerna sub modio lucens, imo lux in tenebris lucens latere nescia. Porro hunc decorem fulgentem vel effulgentem, et veluti quibusdam radiis suis erumpentem mentis simulacrum corpus excipit, et diffundit per membra et sensus, quatenus ibidem omnis reluceat actio, sermo, aspectus, incessus, et cætera omnia hominis. » Hæc Bernardus. In hac igitur die sive lumine sapientiæ, totum regnum animæ illuminatur, tota actio hominis honestatur, et omnis labor laborantium convivantium dulcoratur. Quod etiam ostendit nobis Bernardus, dicens [4] : « Cum jam in his diutius fueris exercitatus, roga [(a)] tibi dari lumen devotionis, sive sapientiæ diem serenissimum, et sabbatum mentis, in quo tanquam emeritus miles, in laboribus vivas absque labore, ut quod prius cum amaritudine et coactione tui spiritus faciebas, de cætero jam cum summa dulcedine peragas et delectatione. Verum quidem ad hanc perfectionem pauci, ni fallor, perveniunt in hac vita. Multi enim tota vita sua ad hoc tendunt, et non pertingunt, qui tamen plene post hanc vitam recipiunt, quod hic dispensative negatum est. *Abjiciamus igitur* [5] *opera tenebrarum, et induamur arma lucis; sicut in die honeste ambulemus.* Hæc dies septimi doni, scilicet sapientiæ, significatur per diem septimam, quæ vesperam non habet. Cujus ratio est, quia, sicut dicit Anselmus [6] in libro *de Similitudinibus*, donum sapientiæ pertinet ad vitam contemplativam, quæ est [7] *optima pars, quam Maria elegit, quæ non auferetur ab ea.* Sed magis in patria perficietur; unde Glossa ibidem dicit sic : « Contemplativa vita hic incipit, et in cœlesti patria perficitur : qui

[1] Alan. de Insulis. — [2] *Sap.*, VII, 7, 10, 11, 12. — [3] Bern., *in Cant.*, serm. LXXXV, post med. — [4] Bern., *de Circumcis. Dom.*, serm. III, post med. — [5] *Rom.*, XIII, 12. — [6] Imo Eadmer., inter Oper., Anselm., *de Similit.*, c. CXXXII. — [7] *Luc.*, X, 42.

(a) *Cæt. edit* rogat.

amor est ignis qui ardere incipit; sed cum ipsum quem amat videbit, amplius in amore ignescet. » Et Gregorius in *Moralibus*, exponens illud verbum, dicit [1] : « Activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ autem vitæ gaudia melius ex fine convalescunt : quare non deficient, sed sine fine manebunt. » Quare secundum Psalmistam [2] : *Melior est dies una in atriis tuis super millia*, quia in illa die septima quietis, quæ nullam vesperam alicujus finis habebit, mens contemplativa per septiformem spiritum æternaliter requiescit, dicens cum Psalmista [3] : *Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.*

CAPUT V.

Quale convivium per donum sapientiæ menti præparetur; et de primo convivio, quod in mente, in corpore humano existente, per donum sapientiæ Spiritus sanctus celebrat.

Quinto videndum est, qualiter Spiritus sanctus per donum sapientiæ in die illius, id est in illuminatione sua, convivium spirituale menti præparet : de quo notandum est, quod sanctus Bernardus in libro *de Diligendo Deo*, ultra medium libri, dicit, quod sapientia triplex celebrat convivium, et ex mera complet charitate, gradatim tamen. Cibat in hac vita laborantes; potat post hanc vitam quiescentes; et inebriat in æterna vita regnantes, scilicet beatos. Primo enim in carne mortali, labores manuum nostrarum manducamus, cum tali quali labore masticando quod glutiendum est. Post mortem vero, in vita spirituali jam bibimus suavissima quadam facilitate, a corpore absoluti (*a*). Tandem in redivivis corporibus, in vita immortali inebriamur mira plenitudine exuberantes. Quare sponsus in *Canticis* dicit [4] : *Comedite, amici mei*, ante mortem; *bibite, carissimi*, post mortem; *et inebriamini, carissimi*, post resurrectionem. Et ibidem dicit Bernardus sic : « Inter istos tamen differentia est. Nam hi qui in carne gravati sunt, et adhuc vivunt, *amici* dicuntur, pro charitate quam habent; qui vero soluti sunt a carnis compedibus, eo sunt *cariores*, quo et promptiores et expeditiores sunt ad amandum. Porro beati merito *carissimi* nominantur, quia et majori charitate inebriantur, et consolantur, ut infra patebit. » Et dicit ibidem Bernardus : « Anima fidelis comedit panem suum, sed, heu! in sudore vultus sui, quia manens in carne, adhuc ambulat per fidem, quæ tamen per dilectionem operatur. » Porro ipsum opus cibus est, dicente Domino [5] : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei.* Nota : multi desiderant charitatem, sed nolunt laborare pro ea. Audi quid Origenes super *Cantica* dicit, quod ad boni operis multiplicationem, dilectio multiplicatur; multiplicatio autem dilectionis est dulcis refectio manentis.

De his tribus conviviis dicendum est. Primo igitur de convivio primo, quod est convivium amicorum, quod Spiritus sanctus per donum sapientiæ celebrat in mente humana, ut existit in corpore. De quo Gregorius in *Moralibus* dicit [6] : « Sapientia in die suo convivium facit, quia mentem de æternorum spe et certitudine reficit. » Cujus ratio est, quia, sicut dicit Gregorius in *Moralibus* [7], « Spes in æternitatem animum erigit, et ideo nulla mala quæ exterius tolerat, sentit, sed magis gaudet et hilarescit. » De quo convivio est notandum, quod Richardus in tractatu suo *de Diversis Affectibus* dicit, quod amor est dulcedo saporis intimi, a quo sapore denominatur sapientia; et quanto quis ardentius amat, tanto suavius gustat. Igitur secundum gradus amoris et sapientialis saporis, possunt distingui gradus convivii spiritualis, quod Spiritus sanctus per donum sapientiæ celebrat in mentibus viventium, et in corpore laborantium. Nam inter viventes in corpore, inquit Bernardus ibidem, quidam sunt chari, quidam cariores, quidam charissimi. Quod Salomon innuit in *Canticis*, dicens : *Comedite, amici mei*, et bibite, et inebriamini, *carissimi*. Illi sunt cari, qui invitantur ad comedendum ; cariores autem invitantur ad bibendum; charissimi autem invitantur ad inebriandum. » Ratio hujus ordinis est, quia secundum mensuram dilectionis, etiam dispensatur et modus manifestationis, et sapidæ degustationis, ut dicit Richardus [8]. Amici autem hic dicuntur, qui tanquam incipientes aliquem gradum charitatis attingunt : quare dicuntur amici Dei. Amicos autem Dei oportet mundum istum sapienter odire. Nam [9] *qui mundum diligit, inimicus Dei constituitur*, quia [10] *non est charitas Patris in eo*, ait Joannes. Ideo tales indigent

De tribus conviviis sapientiæ.

[1] Greg., *Moral.*, lib. VI, c. XVIII. — [2] *Psal.* LXXXIII, 11. — [3] *Psal.* CXXXI, 14. — [4] *Cant.*, V, 1. — [5] *Joan.*, IV, 34. — [6] Greg., *Moral.*, lib. I, c. XVI. — [7] Ibid., lib. VI, c. XIV. — [8] Rich., *de Contempl.*, lib. IV, c. XVI. — [9] *Jac.*, IV, 4.— [10] I *Joan.*, II, 15.

(*a*) *Cæt. edit.* absorpti.

ut a sapientia reficiantur per aliquam degustationem spiritualis consolationis competentem eis, æstum concupiscentiæ refrigerantis, ut a mundo et delectationibus abstrahantur, et pane sapientiali confortentur. Hoc ostendit Hugo, *de Arca Noe* [1], ubi dicit sic: « Postquam enim mens hominis quadam, ut ita dixerim, violentia, a delectatione carnali partim abstracta fuerit, necesse est, ut statim jam aliquid spiritualis gaudii prægustare incipiat, ne si omnino a delectatione aliena remanserit, quasi semen sine humore, ad germen sapientiæ convalescere nequeat. Fit ergo divina gratia aspirante, ut cum animus perfectius a corporeis passionibus, desideriis terrenis exutus fuerit, quadam statim insolita lætitia perfundatur, ut eo amplius amarum esse cognoscat quod deseruit, scilicet mundum, quo magis dulce sentit esse quod invenit, scilicet sapientiam. Illas enim mentes in æternæ dulcedinis desiderium trahit, quas nullus concupiscentiæ carnalis affectus foris religavit. » Hæc ille. Amici igitur dicuntur comedere, quia, tanquam minus perfecti in charitate, cibum spiritualem difficilius sumunt. Unde Richardus, loquens de ista commixtione amicorum, dicit [2]: « Certe qui comedunt, dum sumptum cibum masticant, non sine mora, vel qualicumque labore illud, in quo delectantur, trajiciunt. Nonne illi tibi videntur comedere, qui cum multo studio, et multa meditatione vix possunt ad veritatis delicias pertingere? » Hæc ille. Unde Sapientia vocat prius ad comedendum, dicens [3]: *Venite, comedite panem meum.* Et quis est iste panis alius, ad quem sapientia invitat, nisi ille quem Spiritus sanctus de cœlo præparavit? Quem Spiritus sanctus sapientiæ in utero Virginis formavit, ut dicit Ambrosius; quem omnibus suis donis adornavit, ut legitur in *Isaia* [4]; quem spiritus charitatis in igne passionis pistavit (hoc enim est [5] *sacrificium coctum in clibano, de simila panis absque fermento*); quem spiritus largitatis in sacramento charitatis nobis communicavit; quem quasi [6] *quotidianum* postulamus; quem omni delectamento et saporis suavitate Spiritus sanctus condivit) habet enim in se panis ille [7] *omne delectamentum*); quem nobis manducandum cum angelis in æterna beatitudine conservavit, de quo dicitur [8]: *Beatus qui manducat panem in regno Dei.* Ubi dicit Augustinus in Glossa: « Quis est panis regni Dei, nisi qui dicit [9]: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi?* non cibus corporis, sed cordis: non figurativus, sed verus: non mortuus, sed vivus: non transiens, sed permanens: non deficiens, sed æternaliter reficiens, et dulciter satians. Hunc cibum docet comedere Origenes, exponens illud *Cantici* [10]: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Ubi dicit sic: « Da mihi, Domine, fructum dulcem, fructum vitæ animæ meæ. Altus est, attolle desiderium: benedictus est, sanctifica obsequium: imputribilis est, purifica affectum: suavis est, lætifica animum. » Et Glossa dicit ibidem: « Saturata sum cœlesti dulcedine de corpore suo. » Sunt et alia fercula amicorum, de quibus habes supra in dono scientiæ, quæ ministrantur in mensa sacræ Scripturæ. Sed cum iste cibus, et fructus benedictus, habeat in se *delectamentum omnis suavitatis*; ideo non solum, ut dicit Cantuariensis, est dulcis gutturi; sed et omnibus sensibus interioribus et spiritualibus dulcis est, et eos confortat. Unde iste cibus est dulcis visui, per contemplationem limpidam. *Dulce lumen, et delectabile est oculis* [11], *videre sapientiæ solem*, de quo Propheta [12]: *Solem nube tegam*, id est, corpore. Dulcis est auditui, per inspirationem cœlicam. Unde dicitur [13]: *Bonis amici consiliis anima dulcoratur.* Dulcis est olfactui per suavitatem odoriferam, quia [14] *in odorem unguentorum tuorum currimus* post eum. Dulcis est gustui per masticationem sapidam, ut ait Petrus [15]: *Si tamen gustastis* (*a*), *quoniam dulcis est Dominus.* Dulcis est tactui per tentionem (*b*) amabilissimam, de qua dixit amatrix ejus [16]: *Tenui eum, nec dimittam.* De hoc fructu vel cibo dicit Alexander Nechan ibi, sic: « Isto fructu cives superni recreantur, illo fructu delectantur, illo fructu satiantur. Ideo, o Virgo virginum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui: ora quo et nos reficiamur, licet aliquali labore dulcis masticationis. »

CAPUT VI.

De vino, ad quod potandum sapientia invitat in convivio primo.

Sed quia in convivio spirituali mentis existentium in corpore non sufficit cibus sine potu

[1] Hug., *de Arc. Noe.*, lib. IV, c. II. — [2] Richard., ubi sup. — [3] *Prov.*, IX, 5. — [4] *Isa.*, XI, 1, 2. — [5] *Levit.*, II, 4. — [6] *Luc.*, XI, 3. — [7] *Sap.*, XVI, 20. — [8] *Luc.*, XIV, 15. — [9] *Joan.*, VI, 52. — [10] *Cant.*, II, 3. — [11] *Eccle.*, XI, 7. — [12] *Ezech.*, XXXI, 7. — [13] *Prov.*, XXVII, 9. — [14] *Cant.*, I, 3. — [15] I *Petr.*, II, 3. — [16] *Cant.*, III, 4.

(*a*) Al. *gustatis*. — (*b*) *Ita Edit. Lugd.*, Al. tentationem.

magis diligentibus et dilectis, unde clamant cum Maria[1]: *Vinum non habent*; ideo sapientia, post invitationem amicorum ad comedendum, secundo invitat magis dilectos, in amore exercitatos, ad potandum, dicens: *Et bibite vinum, quod miscui vobis.* Rationem hujus ordinis assignat Origenes ibidem, dicens: « Non est plena refectio, nec omnimoda refectionis delectatio, nisi cum cibo potus jungatur. Et amica jam in amore exercitata, postquam dixit se a dilecto dulcibus refectam fructibus, statim subjunxit, se in cellam vinariam introductam ab eodem, dicens[2]: *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Ubi Origenes dicit: « Sponsa hæc nequaquam gratias egisset de introductione sua in cellam vinariam, nisi ipsa cella vinaria multiplex vinum ex multiplici collectum vinea habuisset. Diversitas enim poculi boni, melioris, et optimi, diversitatem delectationum generat. Hæc cella vinaria, sicut dicit Vercellensis, est Verbum æternum, sapientia Patris, continens omnes theorias, id est revelationes, quæ plenissime continent vinum spiritualis gaudii, et ubertim fundunt in amantes. In hac namque cella vinaria invenitur omne genus vini mentes sanctas reficiens et lætificans, secundum varios gradus amoris, ut ostendit Glossa super illud: *Introduxit me rex in cellam vinariam*, ubi dicit sic: « Quam cito guttur meum dulcedinem gratiæ ejus attingit? Ita me recreavit spiritu, et ab amore terrenorum in superna translatum sentio, ac si in cella vinaria novi meri odore in poculo sim refecta. In hac cella invenit vinum perspicuum, sive purum, vinum ignitum, vinum conditum, et cætera hujusmodi vina, vinum præcipuum appositum, magnificentia regia dignum. Vinum quoque, ut regia magnificentia dignum erat, abundans, et præcipuum ponebatur. Vinum perspicuum sive merum, distributum manu sapientifica, in Psalmo[3]: *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto.* Vinum ignitum, incalescens humana præcordia, in *Esther*, postquam Assuerus vino incaluerat. Psalmista[4]: *Incaluit* (*b*) *cor meum intra me.* Vinum conditum, seu aromaticum, redolens pigmenta fragrantia, in Canticis[5]: *Dabo tibi poculum ex vino condito.* Sed quid hæc diversa vina significant, nisi quosdam gradus charitatis, amatrices animas potantes et reficientes, non tamen adhuc inebriantes, secundum Richardum, qui dicit[6]: « Attende quod ex magnitudine divinæ dilectionis, pendet modus divinæ revelationis? » Quare dicit ibidem[7]: « Dilecti comedunt, chari bibunt, sed charissimi inebriantur. » Cujus rationem infra assignat, dicens: « Quandiu hujusmodi ebrietatem et excessum in nobis non sentimus, quid aliud de nobis sentire debemus, nisi quod minus diligimur, et nisi quia minus diligimus? » Sequitur: « Si enim, quisquis es, plene perfecteque diligeres, forte dilectionis tuæ nimietas, æstuantisque desiderii anxietas, in ejusmodi te raperet ebrietatem et excessus. » Sequitur: « Sane si dilectione plene dignus extitisses, si tanta dignatione idoneum exhiberes, forte tanta luminis te claritate, sive intelligentiæ, oculos tuos irradiaret, tanta intimæ dulcedinis suavitate cordis tui desiderium inebriaret, quæ teipsum supra temetipsum raperet, et per mentis excessum in superna elevaret. Igitur amici comedunt, qui sumptum cibum masticant, non sine mora, vel qualicumque labore illud, in quo delectantur, trajiciunt. Qui vero bibunt ex divinis revelationibus, summa cum facilitate et jucunditate hauriunt, quod intima veritatis suavitate concupiscunt. » Hæc ille. Sed charissimi inebriantur vino fortissimo dulcissimæ charitatis; de quibus modo dicendum est.

CAPUT VII.

Qui sint carissimi in convivio primo, et quæ sit sobria ebrietas illorum.

Igitur tertio videndum est, qui sint charissimi in convivio spirituali existentium in corpore, et quæ sit sobria ebrietas illorum. Primo notandum est, quod Origenes exponens illud *Canticorum*[8]: *Amore langueo*, distinguit inter simplicem ardorem, et languorem, dicens: « Amant incipientes, ardent proficientes, sed languent in amore perfecti. » Languor iste, sicut dicit Vercellensis ibidem, usque ad mortem ducit. Mors autem est plena separatio vitalis spiritus a corpore; et significat plenam separationem vitalis affectus per excessum mentis, et omnimodam unitionem ad Deum. Et Glossa ibidem dicit: « Præ amoris magnitudine, omnia temporalia sunt mihi fastidio. » Qui autem maxime Deum diligunt, maxime ab eo diliguntur, ideo carissimi sunt, quia dicit Dominus[9]: *Ego diligentes me*

Qui amant, qui ardent, et qui languent amore.

[1] *Joan.*, II, 3. — [2] *Cant.*, II, 4. — [3] *Psal.* LXXIV, 9. — [4] *Psal.* XXXVIII, 4. — [5] *Cant.*, VIII, 2. — [6] Richard., *de Contempl.*, lib. IV, c. XVI. — [7] Ibid., lib. V, c. V. — [8] *Cant.*, II, 5. — [9] *Prov.*, VIII, 17.

(*a*) Vulg. *concaluit.*

diligo. Sunt carissimi Deo, qui maxime in Deo delectantur, quia maxime diligunt. Unde in *Canticis* dicit dilectus veræ amatrici suæ [1] : *Quam pulchra es, et quam decora, charissima in deliciis!* Quod exponens Vercellensis dicit : « *Quam pulchra* es fervoribus affectualibus et spiritualibus; *carissima*, propter præcipuam pulchritudinem, et fervidam dilectionem, quia nihil est menti dulcius, nec est aliquid quod mentem Deo cariorem faciat, quam si in ipso intime delectetur, quo nihil delectabilius est. » Hæc ille. Cum hoc concordat Glossa ibidem, quæ dicit : « *Carissima* es Domino tuo, ex hoc quod vacas cœlestibus *deliciis*. Cujus experientiam videtur habuisse, qui loquens de sapientia dixit [2] : *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium, et* [3] *in* (*a*) *amicitia illius delectatio bona.*

Sed nunc videndum est, quid sit illa ebrietas qua *carissimi* in convivio mentali sobrie inebriantur. De qua Dionysius sic dicit [4] : « In nobis siquidem ebrietas in malo, dicitur incommensurabilis adimpletio, et excessus mentis et sensuum. Deo (*b*) autem attribuitur ebrietas in bono, quæ nihil aliud est, nisi superplena omnium bonorum immensuratio, præexistens in ipso secundum causam. » Sequitur : « Dicitur ergo Deus inebriatus, et excessum passus in eo, quod his omnibus supereminet excedendo omnem mensurationem, et est extra omnia, et super omnia. » Et Vercellensis, super *Cantica*, tractans illud : *Inebriamini, carissimi*, dicit : Quæ vera et sancta ebrietas sit, colligitur ex verbis magni Dionysii *ad Titum*; » ubi recitat eadem verba, quæ supra dicta sunt. Exponens illud : *Introduxit me*, dicit ibi : « Assidua theoriarum, id est revelationum varietas, et profectus assidui sponsæ, inducent quasi experimentaliter talem ebrietatem; » ut videatur idem repetere quæ supra dixit; *cellaria* modo dicit *cellam vinariam*, quæ quasi idem sunt. « Non, inquit Vercellensis, intelligitur sponsa aliquando dicta repetere; sed assiduas illuminationes experiri, quod mentibus contemplativis, tam fortiter, quam assidue, ad radium superiorem exercitatis omnino familiare est. Dicit ergo experimentaliter : *introduxit me*, per interiores et profundiores theorias, quam prius; quia in Hieremia dicitur [5] : *Post me ingredi non cessabis in cellam vinariam*, id est, vinum continens omnes theorias, id est revelationes. Et ibidem Vercellensis dicit : « Ad hujus ebrietatis supersubstantialis qualemcumque similitudinem, spirituales viri dicuntur inebriari propter excessivam abundantiam luminum divinorum. « Audi, inquit Richardus [6], hominem hac ebrietate madentem, et quid circa eum agatur omnino ignorantem. *Sive in corpore*, inquit [7], *sive extra corpus, nescio, Deus scit*. Quomodo, putas, inebriatus erat, quomodo mundus ei in oblivionem venerat, qui seipsum nesciebat? » Hæc Richardus. Hæc autem ebrietas spiritualis causatur ex nobilissimo vino fortissimæ charitatis. Unde Richardus dicit [8] « Ecce carissimi inebriantur. Ebrietas autem mentis alienationem efficit, et supernæ quidem revelationis infusio eos duntaxat, qui carissimi sunt, in mentis excessum adducit. Talem Propheta ebrietatem designare voluit, cum dixit [9] : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* » Et sequitur : « Si igitur cupimus hac ebrietate madere, et mentis theoricos excessus frequentare, satagamus Dominum nostrum intime et summe diligere, et omni hora in divinæ contemplationis gaudium cum summo desiderio anhelare. Nam quando mens nostra, intima illa internæ suavitatis abundantia potata, imo plene inebriata fuerit, quid sit, quid fuerit penitus obliviscitur, et in abalienationis excessum tripudii sui nimietate traducitur, et in supermundanum quemdam affectum, sub quodam miræ felicitatis statu raptim transformatur. » Nec mireris, quia, sicut dicit Vercellensis in prologo super *Cantica* : « Tanta est virtus veri amoris, boni et pulchri, quod non solum facit homines et angelos quasi naturam propriam egredi, ut in Deum ascendant; sed etiam Deum facit quasi naturam propriam egredi, ingressibilem tamen a se, ut ad creaturas qnasi infra naturam suam procedendo condescendat. » Et accepit istud verbum a Dionysio, *de Divinis Nominibus*, ubi dicit sic [10] : « Audendum est dicere pro vero, quia ipse Deus omnium tam pulchro et bono amore exit per abundantiam amativæ bonitatis quasi extra seipsum, sic providet omnibus existentibus, et per bonitatem et amorem quasi trahitur, et ad illud quod est in omnibus deducitur, secundum

Quæ sit ebrietas spiritus.

[1] *Cant.*, VII, 6. — [2] *Sap.*, VIII, 16. — [3] Ibid., 18. — [4] Dion., epist. *ad Tit.*, circa fin. — [5] *Jerem.*, III, 19. — [6] Richard., *de Patriarch. sive Benjam. minor.* —

(*a*) Cæt. edit. deest *in*.— (*b*) *Cæt. edit.* Ideo.

[7] II *Cor.*, XII, 2. — [8] Richard., *de Contempl.*, lib. IV, c. XVI. — [9] *Psal.* XXXV, 9. — [10] Dion., *de Div. Nom.*, c. IV, circa fin.

virtutem supersubstantialem facientem ecstasim, sed a seipso ingressibilem, ut adamas ferrum trahit ad se immotus manens. » Ipse enim movet sicut desideratum et amatum, ut dicitur libro *de Cœlo et Mundo* [1].

CAPUT VIII.

De secundo convivio, quod fit animæ a corpore separatæ per donum sapientiæ.

Sed post hæc secundo videndum est de secundo convivio, quod est animæ separatæ a corpore, et secundum Bernardum, ubi supra [2], est convivium quiescentium, et magis dilectorum. Et in hoc convivio Spiritus sanctus, per donum sapientiæ, convivantes potat vino non puro, sed lacte mixto. Unde Bernardus ibidem dicit : « Animæ a carne exutæ, jam pane doloris non cibantur, sed vinum amoris post cibum plenius haurire permittuntur, non tamen purum, sed cum lacte mixtum, ut quælibet illarum possit dicere illud *Canticorum* [3] : *Bibi vinum cum lacte meo.* Vinum enim divini amoris miscet cum dulcedine lactis, id est, naturalis affectionis, quæ resumere corpus suum glorificatum desiderat. » Sequitur : « Æstuat ergo anima nunc sanctæ charitatis vino potata, sed plane nondum usque ad ebrietatem consummata : quia temperat interim ardorem divinæ charitatis permixtio humoris lactis, id est naturalis affectionis. » Idem dicit Bernardus ibidem : « Sic ebrietas corporalis denique solet evertere mentes, atque ideo immemores reddere sui. Sed non ex toto sui oblita est, quæ adhuc et de proprio corpore cogitat resuscitando; propter quod desiderium anima perfecte beata esse non potest; sed post resumptionem corporis sui, cum consummabitur. » Hæc ille. Cum his concordat Augustinus, dicens sic [4] : « Animæ inest quidam appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodam modo, ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quandiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat Non obstante tamen illo desiderio, anima in patria est beata, licet non consummate; et tamen nullum dolorem sentit ex illo naturali appetitu. Sed quid de ista anima a corpore separata, antequam cœlum ingrediatur? numquid illa vino qualicumque potatur aliqualiter, et consolatur quandoque? Respondetur quod sic, nisi per pœnam sensus, vel damni, vel utriusque impediatur. Nam anima [5] *in imagine pertransit* a corpore, ut dicit Psalmista; sed tamen desiderium ejus corporis manet. Imago autem consistit in memoria, intellectu, et voluntate, secundum quas potentias est capax sanctæ Trinitatis, ut dicit Augustinus [6], *de Trinitate*, et per has anima exercet vitam contemplativam, quæ est *optima pars Mariæ, quæ non auferetur ab ea*, ut dicit Dominus. Ubi dicit Glossa : « Vita contemplativa hic incipit, et in cœlesti patria perficitur; quia amor est ignis qui ardere incipit hic; sed cum ipse quem amat videbit, amplius in amore ignescet. Tanto igitur anima a carne separata, vitam contemplativam perfectius exercet, quanto a corpore gravante absolvitur, et dilectum suum vehementius amat, quia sicut dicit Bernardus in libro *de Diligendo Deo* [7], ut supra dictum est : « Animæ quæ sunt absolutæ a compedibus corporis, eo similiter cariores, quo ad amandum sunt expeditiores, et ideo vinum amoris divini plenius haurire permittuntur, non tamen purum, sed adhuc lacte mixtum. » Et Avicenna, VI *Naturalium*, dicit quod anima separata clarius videt et intelligit, quam conjuncta corpori corruptibili. Vita autem contemplativa dulcissimas consolationes animæ contemplativæ administrat, ut supra dictum est. Igitur absolutio animæ a corpore gravante, non est formidanda, sed desideranda. Hanc enim absolutionem a corpore, et desiderabat Apostolus cum dixit [8] : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*, et alibi [9] : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*, quo premor? et movebatur desiderio bono et rationabili, quia, sicut dicit Bernardus in quadam epistola [10] : « Pretiosa est mors sanctorum; pretiosa plane tanquam finis laboris, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua, et perfectæ saturitatis ingressus. Et quidam sanctus dicit : « Mors nihil aliud est quam exitus de carcere, finis exilii, laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis finitio, oneris gravissimi, id est, corporis depositio, de furioso equo, id est carne, descensio, de domo rui-

[1] Arist., *de Cæl. et Mund.*, lib. I, text. 100. — [2] Bern., *de dilig. Deo*, longe post med. — [3] *Cant.*, V, 1. — [4] Aug., *de Gen. ad litt.*, lib. XII, c. XXXV. — [5] *Psal.* XXXVIII, 7. — [6] Aug., *de Trinit.*, lib. XIV, c. VIII. — [7] Bern., *de dilig. Deo*, post med. — [8] *Philip.*, I, 23. — [9] *Rom.*, VII, 24. — [10] Est apud Bernard., serm. *in transitu Malach. episcopi*, circa med.

nosa liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum evasio, omnium malorum consumptio, omnium vinculorum diruptio, debiti naturæ solutio, reditus in patriam, ingressus in gloriam. » Certe evasio tantorum malorum, et adeptio tantorum bonorum, faciunt animæ bonum convivium, ut dicere possit illud Sapientiæ [1] : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, scilicet morte bona. *Beati* enim [2] *mortui qui in Domino moriuntur.* Et si tales animæ amatrices, sive contemplatrices, separatæ a corporibus suis, aliquid secum deferant, quare indigent purgatione; credibile est, quod tales facilius purgantur, et levius patiuntur, et quandoque minime pœna sensus. Cujus ratio est, quia amor pœnas alleviat, et quandoque totaliter annihilat. Unde Augustinus, *de Moribus Ecclesiæ contra Manichæos*, dicit [3] : « Nihil tam durum, atque tam ferreum, quod non amoris igne vincatur. » Et exemplificat in libro *de sancta Viduitate*, ubi dicit sic [4] : « Nullo modo onerosi sunt labores amantium; sed ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, et piscantium, et cæterorum talium. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. » Hæc ille. Item hoc patet exemplo multorum martyrum, qui desiderabant pati pro Christo, et in ipsis passionibus gaudebant, ut apostoli [5] : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Et B. Andreas vehementer desiderabat crucem, et sustinuit gaudenter. Et virgines, ut S. Agatha dixit Quinctiano : « Ego in his pœnis delector, sicut qui multos thesauros invenit, » etc. Unde Bernardus, in libro *de Diligendo Deo* [6], dicit : « Magna vis amoris, quæ martyrum animas ita introrsum rapuerat, quod ita corpora sua foris exposuerant, et tormenta contemnere fecerat. Si igitur in corpore aggravante charitas potuit mitigare pœnas, cur non in spiritu a nullo corpore impedita magis tanquam efficacior potuit pœnas mitigare suo fervore, sicut et suffragia Ecclesiæ faciunt? Credibile est enim quod animæ, sicut quæ fuerunt in limbo, aliquas consolationes receperunt ab his, quæ de novo venerant ad eas, ut angeli vel animæ aliquæ, ut Joannes Baptista, etc., dicentes eis de adventu Salvatoris; sic credibile est, quod angeli visitent animas in purgatorio sibi commissas, et consolentur eas, dicentes eis terminum purgationis suæ, et alia eis consolatoria : sicut haberi potest exemplis sanctorum, quæ ponunt sancti Doctores in libris suis, ut Gregorius in *Dialogis* [7], ubi exemplificat de illo, qui servivit in balneis sacerdoti, et de quodam alio qui dixit : « Bene est mihi modo, » etc., et Augustinus, *de Civitate Dei*; Et Beda, *in historia Anglorum*, et Isidorus, et cæteri Doctores de hoc loquentes.

CAPUT IX.

De tertio convivio sapientiæ, quod est regnantium.

Post hoc videndum est de tertio convivio sapientiæ, quod est regnantium, secundum ordinem quem tradit Bernardus, *de Diligendo Deo* [8], quod sequitur convivium laborantium, et quiescentium, tanquam excellentius ad quod sapientia incarnata suos carissimos invitat, dicens [9] : *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Hic tria sunt notanda : primo, quis hujus convivii regalis, et mensæ regiæ, sit rex et paterfamilias, hic est Christus Filius Dei; secundo, quæ familia Dei et convivantes ad istud regale convivium, et regiam mensam, invitantur, quia angeli et homines; tertio, de hujus convivii et convivantium gloria et beatitudine dicetur.

Primo, quis hujus convivii regalis, et mensæ sit rex, et paterfamilias. Sed quis alius, quam ille qui dicit : Ego sum rex, cui pater constituit regnum æternum, et in cujus femore scriptum est [10] : *Rex regum et Dominus dominantium :* Rex regum, quia vos constituo reges tanquam filios adoptivos, qui sum Filius Patri consubstantialis. Et constituo vos dominos, *non servos, sed amicos*, ut supra mensam meam edatis et bibatis in regno meo, cujus regni non erit finis [11], *ut ubi ego sum, et vos sitis* in æternum. De isto rege Augustinus loquens, *de Civitate Dei*, dicit sic [12] : « Ero illorum Deus, et ipsi mihi erunt populus, et ero illis unde satientur, et ego ero illis quæcumque ab hominibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et virtus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omne bonum. » Sequitur : « Et si recte intelligitur quod ait Apos-

[1] *Sap.*, VII, 11. — [2] *Apoc.*, XIV, 13. — [3] Aug., *de Morib. Eccl.*, c. XXII.— [4] Id., *de Bon. Vidui.*, c. XXI. — [5] *Act.*, V, 41. — [6] Bern., *de dilig. Deo*, longe post med. — [7] Greg., *Dialog.*, lib. IV, c. LV. — [8] Bern., loc. cit. — [9] *Luc.*, XXII, 29. — [10] *Apoc.*, XIX, 16; I *Tim.*, VI, 15. — [11] *Joan.*, XV, 15; XVII, 24. — [12] Aug., *de Civit. Dei*, lib. XXII, c. X.

tolus [1] : *Ut sit Deus omnia in omnibus* : ipse enim est finis nostrorum desideriorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. » Sequitur : « Hoc munus, hic affectus, hic actus proculdubio erit omnibus sicut vita æterna communis. » Hæc ille. Visio illius regis facit esse beatum. Unde Bernardus, in epistola quadam dicit : « Solum verum, et plenum gaudium est, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur : quod cum possederis nemo tollet a te : cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum est. » Quare Chrysostomus, *de Reparatione lapsi*, hoc modo exclamat, dicens [3] : « O si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si et ipsam gehennam parvo tempore tolerare, pro eo quod Christum possemus videre in gloria venientem, et sanctorum ejus numero sociari, nonne erat dignum pati omne quod triste est modo, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? » Clamemus igitur cum Apostolo [4] : *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo*, etc.

CAPUT X.

Quæ familia et qui convivantes ad regnantium convivium invitentur, vel sint jam invitati.

Qui sunt invitati ad convivium beatificum.

Post hoc secundo videndum est, quæ familia et convivantes ad istud regale convivium invitentur, vel sint (*a*) invitati jam. De quo sciendum est, quod non solum homines, sed angeli ad istud gloriosum convivium regni æterni invitantur. Unde Chrysostomus, *de Reparatione lapsi*, dicit sic [5] : « Intuere cœtum non solum ex hominibus, sed etiam ex angelis, thronis et dominationibus, principatibus et potestatibus convocatum. » Sequitur : « De rege autem qui horum medius residet, dicere nulla vox sufficit. Effugit enim omnem sensum humanæ mentis : excedit etiam decus illud, et illa pulchritudo, et illa gloria, et illa magnificentia, et illa majestas omnem sensum humanum. » Cum his concordat Prosper, *de Vita contemplativa*, dicens : « Futura vita, ubi ipsa sanctitas quæ est angelorum et sanctorum omnium congregatione beata, meritis fulgentibus micat, æterna salus exuberat, veritas regnat : ubi nec fallit quisquam, nec fallitur; ubi nullus beatus ejicitur; ubi nullus miser admittitur; ubi est amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, et unus omnium spiritus. » Hæc ille. De hoc etiam Gregorius in homilia [7] : « Si consideremus quæ et quanta nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. » De hac etiam societate dicit Cyprianus in una Epistola sic : « Cur non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, et parentes salutare possimus? Magnus illic carorum numerus nos expectat, et parentum, et fratrum, filiorum, et aliorum adventum copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis erit lætitia! » Hæc ille. Est tamen sciendum, quod sicut hic est distinctio meritorum, ita illic erit distinctio dignitatum. Unde Gregorius, in *Moralibus*, dicit sic [8] : « Sicut in electis in hac vita est discretio operum, ita quoque in alia vita proculdubio discretio erit dignitatum, ut quo hic alius alium superat, illic alius alium in retributione meritorum excedat; ut dignitas eadem non sit, una tamen omnibus vita beatitudinis erit. » Et in *Dialogis* exponens illud Joannis [9] : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, dicit sic : « Si dispar retributio in illa beatitudine non esset, una potius mansio, quam multæ essent. » Sequitur : « Multæ ergo mansiones sunt in quibus et distincti beatorum ordines propter meritorum consortium communiter lætentur, et tamen unum denarium omnes laborantes accipiunt, qui in multis mansionibus distinguuntur, quia et una est beatitudo, quam illic percipiunt, et dispar retributionis qualitas, quam per opera diversa consequuntur. » Hæc ille. Et ideo [10] *sicut differt stella a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum*, ut dicit Paulus. De multitudine istius familiæ cœlestis convivii, quanta sit, nemo scit, sive angelorum, sive hominum, nisi solus Deus. Unde Joannes loquens de angelorum multitudine, dicit, quod erant [11] *millia millium in circuitu throni* : ubi dicit Haymo, quod non posuit numerum certum, cum dicit, *Millia millium* ; quia nume-

[1] I *Cor.*, XV, 28. — [2] Bern., *Epist.* CXIV, statim a princ. — [3] Chrysost., *ad Theod. laps.*, epist. V. — [4] I *Tim.*, I, 17. — [5] Chrysost, loc. cit. — [6] Prosp., *de Vit. contempl.*, lib. I, c. II. — [7] Greg., *in Evang.*, hom. XVII, in princ. — [8] Id., *Moral.*, lib. IV, c. XIII, ante med.; *Dialog.*, lib. IV, c. XXXV, circa fin. — [9] *Joan.*, XIV, 2. — [10] I *Cor.*, XV, 41, 42. — [11] *Apoc.*, V, 11. — (*a*) *Al.* sunt.

rus angelorum nobis est innumerabilis, quamvis Deo sit numerabilis. Et in Job dicitur[1] : *Numquid est numerus militum ejus?* Quod exponens Gregorius in *Moralibus* [2], dicit quod angeli sunt milites Dei, et quod numerus eorum Deo est numerabilis, nobis autem innumerabilis demonstratur. Et idem dicit Dionysius [3], et in Daniele dicitur [4] : *Millia millium ministrabant ei et decies centena millia assistebant ei.* Et similiter familia beatorum hominum innumerabilis nobis est. Unde in *Apocalypsi* ait Joannes post enumerationem multorum [5] : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, id est nullus homo, ait Glossa. Deus enim [6] *numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat*, secundum Psalmistam. Tota ista familia, tam angelorum quam hominum, laudat Deum sine intermissione. Unde Hugo, *super Angelicam Hierarchiam*, dicit sic [7] : « Omnes hierarchiæ tam angelorum, quam hominum, tam supernorum, quam inferiorum, ad laudem divinam ordinatæ sunt et institutæ, ut ab omnibus laudetur Deus, a quo, et per quem sunt omnes, et in (*a*) omnibus omnia. » Et sequitur : « Qui excellentiores sunt, amplius laudant; et qui amplius laudant, sublimius remunerabuntur, ut qui sunt sublimiores in cognitione et ferventiores in amore. » Hæc ille. Sed, sicut dicit Dionysius [8], *de Divinis Nominibus* : « Nullus veritatis amator, quæ est super omnem virtutem, adeo efficax est, ut possit laudare supersubstantialem divinitatem, secundum æternam et superbonam essentiam suam, quibuscumque vocabulis intelligibilibus, sive ut rationem, sive ut veritatem, aut mentem, aut vitam, aut substantiam, aut alio vocabulo quantocumque sublimi : sed oportet laudare eam, sicut excellentem, et segregatam ab omni eo quod mente concipitur, et generaliter ab omnibus existentibus. » Sequitur : « Ne tamen ab ejus laude cessetur, cum ipsa sit essentia ipsius bonitatis, et sic causa omnium existentium, ideo ex omnibus affectibus laudabilis est, sicut docet Scriptura. » Hæc ille.

CAPUT XI.

De tertii convivii, et convivantium beatitudine juxta numerum septem donorum, septem quoque animadversione digna notantur.

Tertio videndum est de hujus convivii et convivantium beatitudine; de quo sunt septem notanda, juxta numerum septem donorum prædictorum, quæ secundum usus et actus suos excellentissimos in hoc convivio ministrant deiformiter, quia non evacuabuntur secundum actus illos, sed manebunt in patria in beatis, ut probat Magister sententiarum [9] per auctoritatem Ambrosii, et communiter tenetur. Primo dicendum est de hujus convivii gloria; secundo, de hujus convivii excellentia, et dignitate, et æternitate; tertio, de hujus convivii abundantia et ubertate; quarto, de hujus convivii lege et charitate; quinto, de hujus convivii gaudio et jucunditate; sexto, de istius convivii mensa et perfecta saturitate; septimo, de ejusdem convivii beata et sobria ebrietate.

Beatitudo est æterna.

Primo igitur de hujus convivii æternitate sciendum est, quod necesse est ipsum esse æternum. Cujus ratio est, quia ipsum convivium celebratur in regno æterno Christi, et in mensa æterna ejus; quare ipse rex æternus regni æterni dicit [10] : *Ego dispono vobis regnum, ut edatis super mensam meam in regno meo* [11], *cujus regni non erit finis.* De hujus regni et convivii æternitate dicit Augustinus : « O vita vitalis, dulcis, et amabilis, et semper memorialis, ubi summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, et beata vita sine fine, et visio atque laudatio Dei ! Ibi affluentia divitiarum, influentia deliciarum, confluentia bonorum. » Et Anselmus dicit sic [12] : « In illo scilicet convivio cœlesti est longa et salubris vita. Ibi enim est sana æternitas, quia æterna sanitas, quia [13] *justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum*, scilicet vita æterna. »

Excellentia beatitudinis.

Secundo videndum est de istius convivii excellentia et dignitate. De hac dignitate dicit Bernardus : « Merces sanctorum et gaudia in illo regno et æterno convivio tam magna sunt, quod non possunt mensurari; tam multa sunt, quod non possunt numerari; tam copiosa sunt, quod non possunt finiri; tam pretiosa sunt, quod non possunt æstimari : imo tam excellentia sunt, quæ præparavit Deus in isto convivio diligentibus se, quod ipse Dominus convivii

[1] *Job*, XXV, 3. — [2] *Moral.*, lib. XVII, c. IX. — [3] Dion., *de Cœl. Hierarch.*, c. XIV. — [4] *Dan.*, VII, 10. — [5] *Apoc.*, VII, 9. — [6] *Psal.* CXLVI, 4. — [7] Hug., *in Cœl. Hier.*, c. II. — [8] Dion., *de Div. Nom.*, c. I. — [9] *Sent.*, lib. III, dist. XXXIV, in princ., ex Ambros., *de Spir. S.*, lib. I, c. XX. — [10] *Luc.*, XXII, 29. — [11] *Symbol. Constantinop.* — [12] Anselm., *Proslog.*, c. XXV. — [13] *Sap.*, V, 16.

(*a*) *Cæt. edit. deest* in.

dicit, quod talia [1] *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Unde nec omnes arithmetici mundi possent ea numerare, nec omnes geometrici possent ea mensurare, nec omnes rhetorici possent ea verbis vel sermonibus explicare, cum nec plene possint excogitari.

Uberlas beatitudinis.

Tertio videndum est de hujus regni et convivii abundantia et ubertate; de quibus Bernardus dicit [2] : « In illo regno, et convivio meridiano, erit candor lucis æstivalis, amœnitas vernalis, abundantia autumnalis, requies hiemalis; imo Deus bonum infinitum communicat se omnibus incolis illius regni, et convivis illius mensæ, quantum quilibet capax est, unde ipse implebit sensus interiores maximis delectationibus. Erit enim Deus speculum visui, cithara auditui, mel gustui, balsamum olfactui, flos delectabilis tactui. » Ibi, sicut dicit Augustinus [3] : « Laudes et carmina non deerunt, præmia non deficient. Ibi nihil quod amabitur, deerit; nihil desiderabitur, quod non adsit. Ibi Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. »

Mutua dilectio beatorum.

Quarto de hujus regni convivii lege et charitate, vel societate, Anselmus dicit sic [4] : « Existentes in regno illo et convivio, diligunt Deum plus quam seipsos, et invicem tanquam seipsos, et Deus diligit illos plus quam illi seipsos, quia illi illum, et se, et invicem per illum, et ille se, et illos per seipsum. Quare omnibus erit una voluntas, quasi nulla esset illis nisi Dei voluntas; ideo erit omnibus plena concordia. Et ideo sicut illi nolunt aliud, quam quod ille, ita ille volet quidquid volunt illi; et ideo filii Dei et dii vocabuntur, et constituet eos Deus super omnia bona sua. Ibi est quidquid desideramus, et quidquid amamus. » Hæc ille. Quare Augustinus, libro *de Corporis et animæ miseria*, exclamat dicens : « O anima mea et caro mea, illam vitam amplecti debuistis, ubi vita est sine morte, ubi juventus sine senectute, ubi lux sine tenebris, ubi gaudium sine tristitia, ubi pax sine discordia, ubi voluntas sine injuria, ubi regnum sine commutatione. » Hæc ille. De hac lege Augustinus [5] *de Spiritu et anima* dicit : « Lex Dei charitas est. Lex data est ut gratia quæratur; gratia data est, ut lex impleretur. » Hæc ille.

Gaudium Beatorum.

Quinto, de hujus regni et convivii gaudiosa jucunditate. De hoc gaudio Anselmus, ubi supra, loquens dicit sic [6] : « Gaudium illud quale aut quantum est bonum? Certe quantum utique quisque diligit alium, tantum de eo gaudebit. » Sequitur : « Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum spirituum, seu angelorum, et hominum, ubi nullus minus diligit alium quam seipsum, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis, quam pro seipso. » Et infra dicit : « In illa perfecta felicitate, unusquisque plus amabit sine comparatione Deum, quam seipsum, et omnes alios secum; ideo et plus gaudebit absque æstimatione de felicitate Dei, quam de sua et omnium aliorum secum. Sed si Deum sic diligunt toto corde, tota mente, et tota anima, ut tamen totum cor, tota mens et tota anima non sufficiant dignitati dilectionis, profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiant plenitudini gaudii. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes. » Sequitur [7] : « Deus verax, peto et accipiam, ut gaudium meum plenum sit. Meditetur interim mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, sermocinetur os meum, esuriat illud anima mea, sitiat caro mea, desideret tota substantia mea, donec intrem in gaudium Domini, qui est trinus et unus Deus benedictus in sæcula. Amen. » Hæc ille.

Sexto, de hujus convivii mensa et satietate beata. Cum Dominus dicat : *Super mensam meam comedetis et bibetis in regno meo*, ideo illud convivium tantum regnantibus et carissimis præparatum est. De quo notandum est, quod Beda ibidem in Glossa dicit sic : « Mensa proposita omnibus sanctis ad fruendum, est gloria cœlestis vitæ, qua qui esuriunt et sitiunt justitiam, saturabuntur, fruendo desiderato gaudio veri boni. Verum autem bonum solum est in quo ratio omnis boni est, quod solus Deus est, qui essentialiter bonus est. Et ideo in illo solo perfecta satietas est. » De hac mensa beata et satietate, Hugo commentator Dionysii loquens in *Angelica Hierarchia*, parum ante finem, et exponens illud : *Divisio alimento repleta*, dicit : « Una est refectio, et unum alimentum. Ergo, inquit Hugo, in mensa Domini non est nisi unum ferculum, quod apponitur. Sed noli contemnere, satietas multa est. *Satiabor*, inquit

[1] I *Cor.*, II, 9. — [2] Bern., *in Cant.*, serm. XXXIII. — [3] August., *de Civit. Dei*, lib. XXII, c. XXX. — [4] Anselm., *Proslog.*, c. XXIV. — [5] Imo auctor, quisquis ille sit, lib. *de Spir. et Anim.* — [6] Anselm., *Proslog.*, c. XXII. — [7] Ibid., c. XVI, circa fin.

Psalmista [1], *cum apparuerit gloria tua.* Unum est enim bonum quod tibi præparavit Deus; sed in illo bono omne bonum est. Unam enim refectionem, unum cibum, unum ferculum, unum panem habentem omnem saporem, et omnem dulcedinem suavitatis, præparavit nobis Deus. Igitur unum est necessarium, quod vere reficit. » Quod ibidem sic probat, dicens : « Multa in hoc mundo sunt, et illa omnia cor hominis satiare non possunt, ut experientia docet. Unum autem est bonum; et hoc solum cum percipitur, satietas invenitur. Non enim in multitudine, sed in unitate satietas est. » Idem verbum Augustinus, *de Verbis Domini*, tractans dicit [2] : « Multa sunt diversa, quia corporalia, quia temporalia sunt : præponitur autem unum multis. Non enim a multis unum, sed multa ab uno sunt. Multa distrahunt, ut Martham; sed unum colligit, ut Mariam, quæ non dilexit multa, sed multum. » Et Richardus in tractatu suo *de Amore violento* dicit [3] : « Unum solum est, in quo mens humana quiescit, et reficitur, et satiatur. » Quod declarat sic : « Perfectus amor omnem alium affectum excludit, quia nihil præter unum diligit, et propter unum. Ideo unum amat, unum diligit, et unum sitit, unum concupiscit, ad unum anhelat, unum suspirat, uno inardescit, et in uno requiescit : illo uno satiatur, quia nihil sapit, nisi hoc uno condiatur. » Hæc ille. De istius convivii satietate Bernardus admirando exclamat, dicens sic [4] : « O felix vere et gloriosa satietas! O sanctum convivium! O desiderabiles epulæ! ubi nimirum nulla anxietas, nullum poterit esse fastidium, sed satietas summa, et cum hoc summum desiderium. » Et idem dicit [5] : « Festinemus igitur ad locum tutiorem, ad agrum uberiorem, ad pastum saniorem, ubi habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio. » Hæc ille.

Vinum beatorum est perfecta charitas.

Septimo et ultimo, quia Dominus non dixit solum : *Ut super mensam meam edatis*, sed addidit : *Et bibatis*; ideo videndum est de hujus mensæ vino dulcissime (*a*) potante, et sobrie inebriante, quod est vinum purissimæ et perfectæ charitatis, quod tantum regnantibus et carissimis propinatur in regno et mensa Christi. De hoc vino immixto purissimæ charitatis, dicit Bernardus, in libro *de Diligendo Deo*, parum post medium, sic : « Cum Scriptura loquatur Deum omnia fecisse propter semetipsum, erit profecto ut factura sese quandoque conformet et concordet auctori suo; et oportet proinde nos in eumdem affectum transire charitatis quandoque : ut quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec nosipsos, nec aliquid fuisse vel esse velimus nisi æque propter ipsum, ob solam ipsius voluntatem, non nostram voluptatem. » Sequitur : « Delectabit sane non tam nostra, vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quam quod ejus in nobis et de nobis voluntas adimpleta videbitur, quod et quotidie in oratione postulamus : *Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra*, etc. Illa igitur est vera et sincera charitas, et omnino [6] *de corde puro, et de conscientia bona, et fide non ficta*, qua Deum sic diligimus, qua et proximi bonum ut nostrum diligimus. Et ibidem Bernardus, hanc charitatem commendando, exclamat dicens : « O amor sanctus et castus! O dulcis et suavis affectio charitatis! O pura et defæcata intentio voluntatis, eo certe defæcatior et purior, quo in ea de proprio nihil mixtum relinquitur; eo suavior, quo totum divinum est quod sentitur! » Sequitur : « Sic affici, deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino puro, a se deficere tota videtur, et saporem vini induit et colorem; et quomodo ferrum candens ignitum simillimum igni fit, pristina propriaque forma exutum; et quo modo solis luce aer perfusus in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus quam ipsum lumen esse videatur, sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo, necesse erit a semetipsa liquefacere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Alioquin quomodo [7] *Deus erit omnia in omnibus*, si in homine aliquid de homine supererit? » Sequitur : « Manet substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliaque potentia. Et quando hoc erit? [8] *quando veniam et apparebo ante faciem Domini?* » Sequitur : « Donec igitur absorpta sit mors in victoria, et undique noctis terminos lux perennis invadat, et occupet usquequaque quatenus in corporibus cœlestis gloria effulgeat, non possunt animæ ex toto seipsas exponere, et transire in Deum. Adepto

[1] *Psal.* XVI, 15. — [2] Aug., *de verb. Dom.*, serm. XXIV et XXVII. — [3] Richard., *de quat. Grad. viol. Charit.*, ante med. — [4] Bern., *de Omn. Sanct.*, serm. I, post med. — [5] Id., *in Cant.*, serm. XXXIII, ante med. — [6] I *Tim.*, I, 5. — [7] I *Cor.*, XV, 28. — [8] *Psal.* XLI, 3.

(*a*) *Cæt. edit.* dulcissimo.

autem corpore, jam quid impedit animam a se ipsa quodam modo abire, et totam in Deum ire, et eo penitus sibi dissimilem fieri, quo Deo simillimam effici se conatur? Tunc demum ad cœnam sapientiæ admissa est, ad illam videlicet, de qua legitur [1]: *Et calix meus inebrians, quam præclarus est!* » Et sequitur post multa : « Quid mirum, si jam inebriatur ab ubertate domus Dei, cum nulla mordente culpa vel cura, de proprio secura, bibit purum et novum vinum illud cum Christo in domo patris ejus? Redivivis igitur corporibus resumptis, in vita immortali inebriantur, mira plenitudine exuberantes post resurrectionem tanquam carissimi. Et merito inebriantur, qui ad nuptias Agni introduci merentur, edentes et bibentes super mensam illius in regno sapientiæ, quando sibi exhibet gloriosam Ecclesiam. Tunc prorsus inebriat carissimos suos; tunc torrente voluptatis suæ potat eos, quando in complexu illo arctissimo sponsi et sponsæ [2], *fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, ut delectentur in lætitia in æternum. » Hæc ille. Tunc sapientia suos carissimos inebriat, et in patria regnare facit et coronat, dicens illud [3] : *Per me reges regnant.* Regnantes autem coronas aureas habent in capitibus, de quibus in *Apocalypsi* : quod exponens Richardus dicit [4] : « Coronas habent in capitibus ob gloriæ decorem, et regni cœlestis infinitatem. » Unde corona illa, de qua dicitur in *Apocalypsi*, quod habuit duodecim stellas, id est universalem perfectionem. Nam secundum Richardum rotunditas coronæ significat illius regni æternitatem, et præclaritas stellarum numero duodenario signat beatorum omnium æterni regni infinitatem. Unde et Bernardus in sermone dicit, quod illæ stellæ duodecim designant plenam perfectionem, quæ beatis in patria debetur. Prima enim stella, inquit Bernardus, est memoria sine oblivione. Secunda stella, est ratio sine omni errore. Tertia stella, est voluntas sine omni perturbatione. Quarta, est impossibilitas moriendi, quia resurget corpus incorruptibile. Quinta, est charitas, quia configuramur claritati Christi corporaliter. Sexta, est agilitas, ut corpus sit agile secundum agilitatem mentis. Septima, est subtilitas, ut corpus nostrum penetret omnia corpora. Octava est, ut quilibet diligat alium sicut seipsum. Nona est, videre quod proximus quilibet diligit ipsum sicut seipsum. Decima est Deum perfecte diligere, et plus quam seipsum. Undecima est diligere seipsum tantummodo propter Deum. Duodecima est videre Deum diligere se, diligentem plus quam ille homo diligat seipsum. » Hæc ille. *Omnium* autem [5] *horum* bonorum *mater est* sapientia, ut dicit Sapiens. De hujus sapientiæ increatæ et incarnatæ mensa dicit Richardus, de Sancto Victore : « O qualis refectio, ubi dapifer Christus, pincerna Spiritus sanctus! Et certe Pater hospes largissimus; Christus ministrat cibum, dum semetipso convivantes reficit et satiat, ut patet in *Joanne.* Spiritus sanctus vero potum propinat, dum suis donis convivantes potat et inebriat, ut patet in *Actis.* Pater vero in utroque seipsum liberalissime exhibet et communicat in Filio ad cognoscendum et habendum, sicut dicit Jesus Philippo. In Spiritu sancto autem, ad amplexandum et degustandum, appropriate loquendo, ut patet per Richardum. De hac mensa amorosæ sapientiæ, exponens illud quod legitur *Regum* tertio, ubi dicitur [6] : *Regina Saba videns omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum et ordines ministrantium, vestesque eorum, pincernasque et holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum*, dicit Richardus [7] : « Regina Austri, illius calidæ regionis, inhabitatrix, succensa, quæ alia intelligi potest, quam illa sancta anima et beata, quæ regnum suum in pace possidet, et verum Salomonem contemplatur? » Unde Gregorius in *Moralibus* dicit [8] : « Testimonio sacræ Scripturæ, reges vocantur, qui prælati sunt cunctis motibus carnis. » Et sicut dicit Isidorus, *de Summo Bono* [9] : « Reges a *recte regendo* vocati sunt : ideo recte agendo, regis nomen obtinent. » Omnes igitur reges et reginæ sunt in illa regia mensa rectitudinis convivantes, qui [10] *veterem hominem* exuentes, et *novum hominem induentes, qui secundum Deum creatus est*, deiformes efficiuntur, ut *dii* secundum Psalmistam appellentur. [11] » Deiformitas enim, ut dicit Linconiensis [12], est renovatio spiritus rationalis, et conformitas ipsius ad Deum, prout possibile est. » Hi sunt reges et reginæ Dei, deiformes effecti, et dii

[1] *Psal.* XXII, 5. — [2] *Psal.* XLV, 5. — [3] *Prov.*, VIII, 15. — [4] Richard., *in Apoc.*, lib. II, c. I. — [5] *Sap.*, VII, 12. — [6] III *Reg.*, X, 5. — [7] Richard., *de Contempl.*, lib. IV, c. XIV; lib. V, c. XII. — [8] Greg., *Moral.*, lib. XI, c. VIII. — [9] Isid., *de Sum. Bon.*, lib. III, c. XLVIII. — [10] *Ephes.*, IV, 24. — [11] *Psal.* LXXXI, 6. — [12] Lincoln., *in Cœl. Hier.*, c. III.

appellati, videntes in mensa sapientiam nostri regis veri Salomonis, *cujus* [1] *sapientiæ non est numerus*, secundum Psalmistam; videntes etiam domum quam ædificavit, id est, naturam assumptam, quam septem columnis, id est, septem donis munivit et adornavit; in qua *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi*; videntes et cibos mensæ ejus, qui sunt quasi infiniti, cum unum tantum sit ferculum, scilicet omne datum optimum, in quo est ratio omnis boni, scilicet in quo et ex quo [3] *est omne donum*, ut dictum est; videntes etiam habitacula servorum, id est, numerum et distinctionem cælicarum mansionum, quæ [4] *multæ sunt* et quasi infinitæ *in domo Patris*, ut dicit Dominus; videntes etiam ordines ministrantium et assistentium angelorum, qui innumerabiles sunt, ut dictum est supra; videntes etiam pincernas, et gradus eorum, id est haurientes de occulto divinitatis lumina gaudiosa, et mentes suscipientium inebriantia, quia [5] superiores hausta communicant inferioribus, ut dicit Dionysius : et Bernardus [6] dicit sic : « Si Cherubim et Seraphim, immediato haustu de fonte vitæ bibentes, inferioribus ordinibus angelorum effundunt de consiliis laci, qui lætificat civitatem Dei, quanto magis, gloriosa Theothocos, occultis Filii in amplexionibus ejus degustata mysteria, et hominibus et angelis copiosius effundis et propinas? » Hæc ille. Videntes septimo et ultimo holocausta sive sacrificia : « Holocaustum enim, ut Papias dicit, est sacrificium quod totaliter igne consumitur, » et signat quod omne opus, sive corporale, sive spirituale, quod offertur Deo, vel offerendum est Deo, igne ardentissimæ sive perfectissimæ charitatis, totaliter consummetur sive perficiatur : quod perfecte faciunt omnes cives cœlestis patriæ, tam angeli, quam homines, ut [7] *in omnibus, et per omnia* laudetur et *honorificetur Deus*, ut, sicut dicitur in *Tobia* [8], *per omnes vicos cantetur alleluia*. De alleluia autem specialis fit mentio, quia, sicut dicit Cassiodorus [9] : « In hac laude, *alleluia* totus honor est. » Quod cum sit in hebræa lingua reconditum, nullo tamen constat alio sermone translatum. Hoc Græcus, hoc Latinus, hoc Chaldæus, hoc Syrus, hoc Persa, hoc Arabs, hoc tenet cuncta terrarum natio, et quidquid est dedicatum divina dignitate, hujus nominis pia devotione et laude veneratur, et in usu habere commonemur. Illis visis et auditis, *regina Saba*, id est anima beata, *ultra non habebat spiritum*, scilicet humanum, sed divinum. Unde Richardus exponens illud verbum, dicit sic [10] : « Cur non recte dicatur spiritus semetipsum non habere, quando incipit a semetipso omnino deficere, et a suo esse, in supermundanum quemdam, et vere plus quam humanum statum, transire, et mirabili transfiguratione spiritus ille ab humano videtur in divinum deficere, ita ut ipse jam non ipse, eo dumtaxat tempore, quo Deo incipit arctius inhærere : quia [11] *qui adhæret Deo, unus spiritus est*; et psallere potest qui ejusmodi est cum Psalmista [12] : *Defecit in* salutare tuum *anima mea?* » Hæc ille. Et idem potest dicere quilibet beatus.

Ad istud igitur convivium solemnissimum, et mensam omnium deliciarum plenissimam, oportet ascendere per gradus donorum, et aliorum habituum gratuitorum prædictorum : quia, sicut dicit Gregorius [13], « nemo infima deserens, repente fit summus, quia ad obtinendum perfectionis meritum, oportet ut mens quotidie in altum quasi quibusdam gradibus ascensionis perveniat. » Unde Psalmista bene dicit [14] : *Ibunt de virtute in virtutem*, donec *videatur Deus deorum in Sion*. Quare Augustinus dona septem Spiritus sancti vocat quosdam gradus ascensionis, dicens [15] : « Primo ante omnia opus est dono (*a*) timoris, quod est infimum donum, conferens ad cognoscendam Dei voluntatem, quid nobis appetendum vel fugiendum præcipiatur, et quod, quasi clavatis carnibus, omnes superbiæ motus (*b*) ligno crucis affigat. Deinde opus est (secundus gradus), ut donum pietatis habeamus, per quod veritas fidei et Scripturæ sane exponatur et firmiter teneatur, etsi non perfecte intelligatur. Tertius gradus est donum scientiæ, per quod docemur, quod Deus ex toto corde diligatur, et ex tota anima, et ex tota mente; proximum vero, ut nosmetipsos, diligamus. Quartus gradus est donum fortitudinis, quo esuritur, et sititur justitia, qua a temporalibus receditur, et ad æter-

[1] *Psal.* CXLVI, 5. — [2] *Coloss.*, II, 3. — [3] *Jac.*, I, 17. — [4] *Joan.*, XIV, 2. — [5] Dion., *de Cœl. Hier.*, c. VII. — [6] Bern., serm. *de Salut. Angel.* — [7] I *Petr.*, IV, 11. — [8] *Tob.*, XIII, 22. — [9] Cassiod., super tit. *Psal.* CXLIX. — [10] Richard., *de Contempl.*, lib. V, c. XII. — [11] I *Cor.*, VI, 17. — [12] *Psal.* LXXXIII, 3. — [13] Greg., *Moral.*, lib. XXII, c. XIV. — [14] *Psal.* LXXXIII, 8. — [15] Aug., *de Doct. Christ.*, lib. II, c. VII, quoad sensum. — (*a*) *Cæt. edit.* donum. — (*b*) *Item* quo, quasi cl. calcibus, omnis superbiæ modus.

nam veritatem et ad æternam Trinitatem convertimur. Quintus gradus est donum consilii, quo anima ab omnibus sordibus lavatur, et usque ad inimici dilectionem, jam spe confortata, et viribus integratis, pervenitur. Sextus gradus est donum intellectus, quo oculus interior purgatur, et homines mundo moriuntur, et inde Deum contemplantur, in ænigmate tamen. Nam in tantum Deum vident, in quantum huic sæculo moriuntur. Et licet in hac vita peregrinemur, conversationem tamen habemus in cœlis. Septimus gradus est donum sapientiæ, quod ultimum, et septimum est, quo animus pacatus et tranquillus Deo sapide perfruitur, quia [1] *initium sapientiæ timor Domini* est, a quo usque ad ipsam sapientiam per hos gradus tenditur, et pervenitur. » In cujus mensa beati perpetuo quiescent, et dulciter reficientur. Quam [2] *qui invenit, inveniet vitam, et qui tenuerit eam, beatus.* Et quia [3] « beneficia non plene recompensari possunt sine gratiarum actione, » dicit Seneca, ideo cum toto corde, qui vocati sumus ad cœnam Agni, dicamus Deo gratias; quia, sicut dicit Augustinus [4], et Hieronymus : « Quid melius et animo geramus, et ore promamus, et calamo explicemus, quam *Deo gratias?* » Hinc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius aliquid potest, quam *Deo gratias.*

[1] *Eccli.*, I, 16. — [2] *Prov.*, III, 18. — [3] Senec., *de Beneficiis*, lib. III, c. I. — [4] Augustinus, *in Psal.* CXXXII.

OPUSCULUM

DE

RESURRECTIONE A PECCATO AD GRATIAM[1]

ARGUMENTUM

(*Ex edit. Vatic.*)

Materiam de gratia, quæ celeberrima est in Theologiæ scientia, non minus docte quam breviter hoc Opusculo S. Bonaventura edisserit. Dividitur autem opusculum in tres partes : in quarum prima divisiones gratiæ juxta quatuor ejus considerationes proponuntur, et singula cujusque divisionis membra explicantur : in secunda vero parte, quæ est de resurrectione hominis a culpa, tria scitu dignissima continentur, scilicet hominem neque a culpa resurgere, neque adversarium vincere, neque tentationibus resistere absque gratia posse. In tertia denique parte, quæ est de resurrectione hominis ad gratiam, tria itidem breviter tractantur : Primo an possit homo sufficienter se disponere ad gratiam gratum facientem absque gratia gratis data ; secundo an voluntas possit in aliquod bonum sine gratia ; tertio, an sine gratia possit homo mandata Dei adimplere. De hac materia videndus est Auctor multis aliis locis, præsertim vero, *II Sent.*, dist. XXIV, XXVI, XXVII et XXIX; *Breviloq.*, p. V, per tot.; *Centiloq.*, p. III, sect. XXXV et XXXVI; *Pharet.*, lib. II, cap. XVI.

Paulus Apostolus videtur firmiter asserere, hominem in hoc sæculo non proprie esse absque gratia, cum inquit[2] : *Gratia Dei sum id quod sum.* Ideo merito de necessitate gratiæ, quantum nobis prodest, dicendum est : et primo de divisione gratiæ; secundo, de resurrectione a peccato; et tertio de resurrectione hominis ad gratiam.

Pro divisione gratiæ est notandum, quod gratia est una et eadem; sed secundum diversas considerationes, ipsa multas sortitur denominationes. Primo, secundum considerationem ad principium a quo; secundo, secundum considerationem ad subjectum in quo; tertio, secundum considerationem ad oppositum suum; quarto, secundum considerationem ad effectus ad quos ordinatur. Unde secundum considerationem ad principium a quo procedit, gratia ipsa dividitur in gratiam prædestinationis, seu præparationis, qua Deus homines prædestinavit; in gratiam vocationis, quam Deus offert vocando; in gratiam justificationis, quam Deus confert; et in gratiam magnificationis, quam Deus complet. Et hæc divisio ponitur in *Epistola ad Romanos*, ubi dicitur[3] : *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum*; et sequitur : *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, hos et magnificavit.*

Sed secundum considerationem vel respectum ad subjectum in quo est, dividitur in gratiam cogitationis, scilicet bonum cogitando ; in gratiam voluntatis, in bono volendo ; et in gratiam perfectionis, in completione operis. Unde

[1] *Cf.* Edit. Vatic., an. 1596, tom. VI, part. I, p. 277; edit. Ven., an. 1611, tom. II; edit. Lugd., an. 1647, tom. I, p. 275; edit. Ven., an. 1754, tom. V, p. 333. — [2] I *Cor.*, XV, 10. — [3] *Rom.*, VIII, 28, 30.

hæc divisio fit secundum triplicem potentiam animæ, in qua est gratia, scilicet secundum intellectivam, affectivam, et operativam.

Secundum vero respectum ad suum oppositum, dividitur in gratiam protectionis, liberationis, et salvationis. Et hæc divisio sumitur secundum quod gratia adjuvat contra triplex malum, scilicet contra malum tentationis sive pugnæ, contra malum persecutionis seu miseriæ, et contra malum culpæ, et malum sequelæ vel pœnæ. Nam a primo protegit, a secundo liberat, a tertio extrahit et salvat. Et hæc divisio sumitur ab illo dicto Isaiæ[1]: *Protegat Dominus exercituum Judæam, et Hierusalem, et protegens et liberans, transiens et salvans.*

Sed secundum comparationem ad effectum ad quem ordinatur, dividitur in gratiam prævenientem seu operantem, et in gratiam subsequentem seu cooperantem. Unde gratia præveniens sive operans dicitur, in quantum ipsam voluntatem facit bonam; et ideo prævenit, quia non est a libero arbitrio, sed infunditur ipsa a Deo. Sed gratia cooperans dicitur, in quantum adjuvat ipsam voluntatem et liberum arbitrium respectu boni operis eliciendi et prosequendi.

Sed notandum est, quod secundum multiplicitatem hujus nominis, *Gratia*, potest dari alia divisio. Nam gratia potest capi uno modo largissime, et sic comprehendit et dona naturalia et gratuita; et sic dividitur in prævenientem gratiam, et subsequentem, ita quod præveniens vocatur dona naturalia, et subsequens dona gratuita. Secundo modo accipitur gratia minus large, et sic dividitur in gratiam gratis datam, et gratiam gratum facientem; et sic dividendo, est divisio in gratiam prævenientem et subsequentem. Tertio modo capitur gratia stricte, et tunc sub se comprehendit vel dividitur in gratiam gratum facientem, et gloriam: et sic dividendo, gratia præveniens dicitur gratia gratum faciens, et gratia subsequens dicitur gloria: quia post gratiam, in homine decedente in gratia, sequitur gloria æterna.

Secundo dicendum est de resurrectione a culpa vel a peccato, et de hoc tria consideranda sunt: primo, quod homo non potest resurgere a culpa absque gratia; secundo, quod non potest adversarium suum vincere absque gratia; et tertio, quod non potest absque gratia tentationibus resistere. Primo igitur dicendum est quod homo absque divino Dei adjutorio, seu gratia, non potest resurgere a peccato vel culpa; et hoc, capiendo gratiam pro habitu ipsius animæ, ut scilicet est quædam qualitas spiritualis in anima existens. Nam nec gratia illa quæ dicitur gratuita Dei voluntas, qua nobis Deus condonat offensam, sufficit; nec gratia illa quæ dicitur liberalis passio Christi, qua mediante fit morbi curatio, et imaginis reformatio: sed requiritur gratia gratum faciens. Et hoc patet per illud Apostoli[2]: *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Et ante: *Ex operibus legis non justificatur omnis caro.* Et alibi[3]: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis Spiritus sancti*, id est, per gratiam, etc. Ideo illi Pelagiani merito sunt censendi hæretici, qui dixerunt, quod ad deletionem culpæ sufficit sola gratuita Dei misericordia cum libero arbitrio, et quod per liberum arbitrium poterat homo se justificare, et velle bonum.

Homo, absque auxilio Dei, non potest resurgere a peccato.

Secundo dicendum est, quod homo non potest vincere adversarium absque gratia. Pro cujus declaratione est notandum, quod differt dicere, aliquem resistere adversario, et aliquem vincere adversarium: nam plus importat victoria, quam resistentia. Resistentia enim consistit in hoc, quod quis non consentit suggestioni diabolicæ. Sed victoria non solum consistit in non consentiendo, sed etiam in assequendo oppositum ejus, quod diabolus intendebat. Nam diabolus intendit hominem reddere inimicum Deo, et facere dignum supplicio æterno. Et tunc vincit homo diabolum, quando sic resistit tentationi, ut efficiatur magis Dei amicus quam ante, et sic faciendo, mereatur vitam æternam: sed hoc non potest facere absque Dei gratia gratum faciente: igitur concludi potest, quod homo non potest vincere adversarium, faciendo se amicum Dei, absque tali gratia. Et hæc conclusio probatur per illud[4]: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Dominum.* Et alibi[5]: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et respondet: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Item super illud Psalmi[6]: *Infirmati sunt, et ceciderunt*, dicit Glossa: « Non potentes vitiis resistere per se. » Sed quis posset objicere: Diabolus vincit hominem absque gratia; ergo si-

[1] *Isa.*, XXXI, 5. — [2] *Rom.*, III, 24, 20. — [3] *Tit.*, III, 5. — [4] I *Cor.*, XV, 57. — [5] *Rom.*, VII, 24, 25. — [6] *Psal.* XXVI, 2.

militer homo potest vincere hominem, vel diabolum, absque gratia. Ad hoc facile respondetur, quod hæc similitudo non valet, quia victoria diaboli consistit in subjugando hominem per peccatum, quæ non requirit gratiam : sed victoria hominis respectu peccati vel (a) diaboli, consistit in promerendo illud, quod diabolus amisit. Item diabolus non vincit hominem nisi volentem; sed diabolus nunquam dicitur volens : ergo, etc. Unde notandum, quod hæreticus qui vincitur, seipsum dejicit; et ideo non est ibi victoria, sed magis defectio.

Pro tertio dicendum est, quod absque aliqua gratia non potest homo tentationibus resistere; quod patet per illud : *Et ne nos inducas in tentationem.* Unde homo propter suam infirmitatem non potest resistere, juxta illud [1] : *Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est.* Item Glossa super illud [2] : *Misericordiæ Domini*, etc., dicit : « Non potest homo diu stare contra insultus diaboli, nisi misericordia Domini adjuvetur. » Nota tamen, quod per gratiam gratis datam potest homo resistere diabolo et tentationi : ergo potest ei non consentire; sed non potest per talem consensum esse amicus Dei, absque gratia gratum faciente : ergo, etc.

Tertio dicendum est de resurrectione ad gratiam; et primo multa sunt terminanda (b): primo, quod homo non potest se disponere sufficienter absque gratia gratis data ad gratiam gratum facientem; secundo, qualiter non potest voluntas absque gratia in aliquod bonum; tertio, quomodo homo possit mandata sine gratia adimplere. Primo ergo dicendum est de præparatione hominis ad gratiam gratum facientem, an scilicet hoc possit facere absque gratia gratis data : pro quo advertendum est, quod per gratiam gratis datam non tantum intelligimus illa, quæ ab Apostolo enumerantur, cum dicit [3] : *Alii enim datur per spiritum*, etc. Sed per gratiam gratis datam intelligimus omne illud, quod superadditum est naturalibus, adjuvans aliquo modo et præparans voluntatem ad habitum vel usum gratiæ, sive tale gratis datum sit habitus, vel timor servilis, sive aliqua vocatio, sive locutio vel prædicatio, mediante qua, incitatur anima ad se præparandum. Et ideo dicendum est, quod nunquam absque tali gratia gratis data potest se disponere homo ad gratiam gratum facientem, quia vix caret homo tali dono. Unde prima præparatio, quæ fit ad gratiam gratum facientem, est cogitatio, vel apprehensio; et illa non potest fieri absque gratia gratis data. Et ratio hujus est, non quia gratia gratum faciens præexigat necessario dispositionem gratiæ gratis datæ; sed quia ipsa est quid divinum et res existens supra liberum arbitrium, et etiam supra naturale judicium. Ideo nunquam liberum arbitrium, vel voluntas libera, assurgit ad ipsam vel petendam, vel cognoscendam, nisi aliquo modo adjuvetur desursum et excitetur, et ideo per additionem gratiæ gratis datæ, quæ tenet medium inter (c) gratiam gratum facientem. Unde ordo liberi arbitrii et gratiæ divinæ ponitur clare ab Augustino [4] in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, et ponit quatuor gradus, cum dicit : « Initium salutis nostræ Deo miserante habemus. Ut acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est. Ut adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris. Ut non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est, et cœlestis pariter adjutorii. » Ex quibus verbis potest clare cognosci, quantum potest liberum arbitrium respectu gratiæ. Nam cum sint in opere salutis ista quatuor, scilicet invitari, acquiescere, adjuvari, et permanere : primum est inspirationis Dei, secundum libertatis arbitrii, tertium muneris divini, et quartum sollicitudinis nostræ, et pariter divini adjutorii. Per hoc patet satis clare solutio quæstionis.

Sed oritur dubium, utrum quis possit detestari culpam virtute propria naturæ. Respondetur, quod detestari culpam, dupliciter potest intelligi : uno modo, quia talis detestatur in quantum est offensiva majestatis et æquitatis divinæ; et isto modo nullus potest absque gratia, quia non potest absque gratia gratis data cognoscere ipsam offensam. Alio modo potest detestari, quia est læsiva propriæ naturæ, verbi gratia, quia quis per naturam suam cognoscit, quod per fornicationem perdidit oculum, vel aliud membrum, vel incurrit aliquem alium morbum : et isto modo potest quis per liberum intellectum cognoscere et detestari culpam propriam. *An possit quis propriis naturæ viribus culpam detestari*

Secundo autem videndum est, qualiter potest voluntas in aliquod bonum. Pro quo notandum est, quod aliquod opus potest dici bonum *Voluntas qualiter possit in aliquod bonum.*

[1] *Thren.*, I, 8. — [2] Ibid., III, 22. — [3] I *Cor.*, XII, 8. — [4] Imo Gennad., *de Eccle. Dogm.*, c. XXI, inter Oper. S. Aug., append. tom. VIII. — *Cœt. edit. deest* vel.— (b) *Leg.* determinanda. — (c) *Suppl.* liberum arbitrium et.

tripliciter : uno modo aliquod opus dicitur bonum simpliciter; et illud dicitur quod est ordinatum in finem optimum; et tale est bonum meritorium; et in istud non potest liberum arbitrium absque gratia gratum faciente. Secundo modo aliquod opus dicitur bonum, et alio modo de congruo disponit ad bonum : et tale est bonum, quod fit extra charitatem, nihilominus tamen facit cum recta intentione : et in tale non potest liberum arbitrium, nisi cum gratia gratis data, per quam illuminatur et dirigitur, ut velit facere quod Deo est placitum, et hoc patet per illud [1] : *Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det.*

Tertio aliquod opus dicitur bonum, quia in finem est ordinabile, et habet aliquam ordinationem intra se, sicut pascere esurientem, etc., sive ex debita circumstantia, sive exigentia temporis, loci, etc. : et ad istud potest liberum arbitrium absque gratia, quamvis ad hoc quod fiat faciliter, requiratur gratia aliqua divina superaddita naturalibus. Et sic patet responsio, quod liberum arbitrium absque gratia superaddita per dona naturalia potest in aliquod bonum morale, licet per illud consequenter non disponatur ad gratiam, nec ad gloriam, et hoc per se, licet quodam modo disponat, quia est ordinabile in ultimum finem. Hoc autem sic suadetur : nam si liberum arbitrium dimitteretur in puris naturalibus, adhuc sibi remaneret aliquod judicium, quo judicaretur parentes esse honorandos : et hoc patet. Quod si haberet tale naturale judicium, scilicet naturaliter parentes esse honorandos, et talem naturalem instinctum de parentibus venerandis, potest illud velle : et sic cum habeat organa exteriora, potest complere illud opus, secundum quod dictat judicium rationis, absque munere gratiæ divinæ superaddito. Sed bene verum est, quod non potest illud facere, nec velle, absque divinæ gratiæ munere, prout tale cogitatum aut velle est ordinatum ad consequendum beatitudinem. Et sic sunt intelligendæ auctoritates Sanctorum, quæ concludunt, quod absque munere divinæ misericordiæ et gratiæ non potest liberum arbitrium in aliquod bonum.

Sed oritur dubium. Nam secundum dona naturalia natura ipsa appetit suam perfectionem : ergo signum est quod tendit ad acquisitionem gratiæ. Ad hoc dicitur, quod duplex est perfectio : quædam est intra limites naturæ, et istam appetit natura; alia est, quæ est supra naturam, et de ista non oportet quod appetat; et si appetat, non tamen appetitu perfecto, qui requirit gratiam; sed magis appetitu confuso et imperfecto, qui non est ordinatus debito modo.

Pro tertio, utrum homo possit mandata Dei implere, notandum est, quod communiter distinguitur, quia contingit mandata impleri dupliciter : uno modo, quantum ad genus operis, vel, secundum alios, quantum ad substantiam mandatorum; alio modo, quantum ad intentionem præcipientis et mandantis. Si loquamur primo modo, potest homo absque gratia gratum faciente illa implere, ut patet de mandato adorationis et venerationis sabbatorum. Sed secundo modo non potest homo implere mandata absque gratia gratum faciente. Et hoc confirmatur per Apostolum dicentem [2] : *Qui diligit proximum, legem implevit.* Et iterum : *Plenitudo legis dilectio.* Item alibi [3] : *Finis præcepti est charitas de corde puro.*

Sed oritur quæstio, cum ita sit, quod quis potest facere quod in se est ad impletionem mandatorum, quare ille non absolvatur, quamvis sit in peccato? Ad hoc respondetur, *quod in se est*, potest dupliciter intelligi : uno modo positive, vel proprie, quia scilicet talis facit circumstantias, et tantum facit quantum potest; et isto modo nullus potest facere quod in se est absque gratia gratum faciente. Alio modo potest intelligi privative vel improprie facere quod in se est, hoc est, facit quod potest, sed non quantum potest, nec aliquid ordinatum ad impletionem mandatorum : et isto modo per liberum arbitrium quis potest facere quantum in se est, sed non absolvitur ab observatione mandatorum. Et sic patet responsio ad quæstionem.

[1] *Sap.*, VIII, 21. — [2] *Rom.*, XIII, 8, 10. — [3] I *Tim.*, I, 5.

FINIS TOMI SEPTIMI.

INDEX MATERIARUM QUÆ IN TOMO SEPTIMO

OPERUM

SANCTI BONAVENTURÆ CONTINENTUR

Præfationis loco, ex prodromo excerpta quædam. v
PHARETRA. Argumentum ex editione Vaticana. 1
Præfatio. 3
LIBER I, in quo de personarum varietate tractatur.
Cap. 1. De Deo. 5
Cap. 2. De Christo. 7
Cap. 3. De Eucharistia. 11
Cap. 4. De cruce. 12
Cap. 5. De B. Maria. 13
Cap. 6. De Angelis. 16
Cap. 7. De Homine. 18
Cap. 8. De Muliere. 20
Cap. 9. De christianis bonis. 21
Cap. 10. De christianis malis. 22
Cap. 11. De prælatis bonis. 22
Cap. 12. De prælatis malis. 25
Cap. 13. De subditis. 26
Cap. 14. De prædicatoribus bonis. 27
Cap. 15. De prædicatoribus malis. 28
Cap. 16. De prædicationem usurpantibus. 29
Cap. 17. De negligentibus prædicationem. 30
Cap. 18. De auditoribus verbi Dei. 30
Cap. 19. De episcopis. 31
Cap. 20. De sacerdotibus bonis. 32
Cap. 21. De sacerdotibus malis. 33
Cap. 22. De clericis. 34
Cap. 23. De beneficiatis. 35
Cap. 24. De ambitiosis. 36
Cap. 25. De studentibus. 38
Cap. 26. De advocatis. 39
Cap. 27. De religiosis bonis. 40
Cap. 28. De religiosis malis. 41
Cap. 29. De novitiis. 42
Cap. 30. De juvenibus. 43
Cap. 31. De monachis bonis. 44
Cap. 32. De monachis malis. 45
Cap. 33. De incipientibus. 47
Cap. 34. De proficientibus. 47
Cap. 35. De perfectis. 48
Cap. 36. De tribus prædictis statibus. 49
Cap. 37. De monialibus. 49
Cap. 38. De virginibus. 51
Cap. 39. De viduis. 53
Cap. 40. De conjugatis. 54
Cap. 41. De tribus statibus prædictis. 56
Cap. 42. De pauperibus. 56
Cap. 43. De divitibus. 57
Cap. 44. De potentibus. 58
Cap. 45. De judicibus. 59
Cap. 46. De nobilibus. 60
Cap. 47. De militibus. 61
Cap. 48. De negotiatoribus. 61
Cap. 49. De fœneratoribus. 62
Cap. 50. De dæmonibus. 63
LIBER II, in quo de principalium vitiorum et virtutum multiplicitate tractatur. 65
Cap. 1. De tentatione. 65
Cap. 2. De cogitatione. Cap. 3. De delectatione. 66
Cap. 4. De consensu. 67
Cap. 5. De peccato. 68
Cap. 6. De superbia. 69
Cap. 7. De vana gloria. 71
Cap. 8. De invidia. 72
Cap. 9. De ira. 73
Cap. 10. De acidia. 74
Cap. 11. De avaritia. 75
Cap. 12. De gula. 76
Cap. 13. De luxuria. 77
Cap. 14. De perplexitate. Cap. 15. De conflictu vitiorum et virtutum. 78
Cap. 16. De gratia. 81
Cap. 17. De pœnitentia. 83
Cap. 18. De contritione. 85
Cap. 19. De confessione. 86
Cap. 20. De satisfactione. 88
Cap. 21. De virtute. 89
Cap. 22. De tribus virtutibus theologicis. Cap. 23. De fide. 90
Cap. 24. De spe. 91
Cap. 25. De charitate. 92
Cap. 26. De quatuor virtutibus cardinalibus. 97
Cap. 27. De prudentia. 98
Cap. 28. De memoria. 99
Cap. 29. De intelligentia. 100
Cap. 30. De providentia. 102
Cap. 31. De fortitudine. 103
Cap. 32. De constantia. 104
Cap. 33. De patientia. 105

Cap. 34. De perseverantia. 106
Cap. 35. De temperantia. 107
Cap. 36. De continentia gustus. 108
Cap. 37. De continentia tactus. 109
Cap. 38. De continentia visus. Cap. 39. De continentia auditus. 111
Cap. 40. De clementia. Cap. 41. De modestia. 112
Cap. 42. De justitia. 113
Cap. 43. De obedientia bona. 114
Cap. 44. De obedientia inaccepta. 116
Cap. 45. De oratione accepta. 117
Cap. 46. De oratione inaccepta. 119
Cap. 47. De donis. 120
Cap. 48. De beatitudine. 121
Cap. 49. De eleemosyna accepta. 122
Cap. 50. De eleemosyna inaccepta. 124
Liber III, in quo de periculosis agitur. Cap. 1. De voluntate. 125
Cap. 2. De remorsu conscientiæ. 126
Cap. 3. De peccatis linguæ. § 1, 2 et 3. De stultiloquio, multiloquio et nugis. 127
§ 4 et 5, de jactantia et excusatione. 128
§ 6 et 7, de accusatione et murmuratione. 129
§ 8, 9, 10 et 11, de contentione, convitiatione, derisione et maledictione. 130
§ 12 et 13, de detractione et adulatione. 131
§ 14, 15 et 16, de suggestione, turpiloquio et mendacio. 132
§ 17 et 18, de juratione et blasphemia. 133
Cap. 4. De occupatione. 134
Cap. 5. De mutabilitate. Cap. 6. De vagatione. 135
Cap. 7. De curiositate. 136
Cap. 8. De negligentia. 137
Cap. 9. De securitate. Cap. 10. De dijudicatione. 138
Cap. 11. De recidivatione. 139
Cap. 12. De consuetudine. 140
Cap. 13. De obstinatione. Cap. 14. De desperatione. 141
Cap. 15. De dilatione. 142
Cap. 16. De voluptate. Cap. 17. De carnalitate. 143
Cap. 18. De prosperitate. 144
Cap. 19. De consolatione. 145
Cap. 20. De ornatu. 146
Cap. 21. De ingratitudine. 147
Cap. 22. De discordia. 148
Cap. 23. De malitia. 149
Cap. 24. De crudelitate. Cap. 25. De simulatione. 150
Cap. 26. De familiaritate. 151
Cap. 27. De propinquitate. 152
Cap. 28. De oblivione. Cap. 29. De ignorantia. 154
Cap. 30. De stultitia. Cap. 31. De credulitate. 156
Cap. 32. De sapientia mala. 157
Cap. 33. De doctrina. 158
Cap. 34. De honore. 159
Cap. 35. De zelo. Cap. 36. De arguitione. 160
Cap. 37. De remissione. 161
Cap. 38. De acceptione personæ. Cap. 39. De scandalo. 162
Cap. 40. De infamia. 163
Cap. 41. De quatuor affectionibus. Cap. 42. De timore. 164
Cap. 43. De dolore. 165
Cap. 44. De confidentia. Cap. 45. De lætitia. 166
Cap. 46. De vita. 167
Cap. 47. De miseria. Cap. 48. De morte. 168
Cap. 49. De judicio. 169
Cap. 50. De damnatione. 171
Liber IV, in quo de gratiosis agitur. Cap. 1. De voluntate. 173
Cap. 2. De tranquillitate. Cap. 3. De taciturnitate. 174
Cap. 4. De exercitio. 175
Cap. 5. De innocentia. 177
Cap. 6. De excusatione. Cap. 7. De discussione. 178
Cap. 8. De mortificatione. 179
Cap. 9. De disciplina. 180
Cap. 10. De cruce spirituali. Cap. 11. De certamine. 181
Cap. 12. De humilitate. 182
Cap. 13. De simplicitate. 185
Cap. 14. De verecundia. 186
Cap. 15. De amicitia. 187
Cap. 16. De concordia. 188
Cap. 17. De renuntiatione. 189
Cap. 18. De solitudine. Cap. 19. De religione. 191
Cap. 20. De sufficientia. Cap. 21. De communitate. 193
Cap. 22. De societate. 195
Cap. 23. De bonitate. 196
Cap. 24. De desiderio. 197
Cap. 25. De fervore. 198
Cap. 26. De meditatione. 199
Cap. 27. De ascensione spirituali. 200
Cap. 28. De contemplatione. 201
Cap. 29. De gustu. 202
Cap. 30. De consolatione. 203
Cap. 31. De regratiatione. 204
Cap. 32. De lectione. 205
Cap. 33. De sapientia. 206
Cap. 34. De doctrina. 208
Cap. 35. De dignitate. 209
Cap. 36. De zelo. 210
Cap. 37. De sollicitudine. Cap. 38. De correptione. 211
Cap. 39. De æquitate. 212
Cap. 40. De quatuor affectionibus. 214
Cap. 41. De timore. Cap. 42. De dolore. 215
Cap. 43. De confidentia. 216
Cap. 44. De lætitia. 217
Cap. 45. De connexione virtutum: § 1, de timore et spe; § 2, de timore et gaudio; § 3, de timore et amore. 218
§ 4, de abstinentia et eleemosyna; § 5, de abstinentia et oratione. 219
§ 6, de misericordia et oratione; § 7, de misericordia et justitia. 220
§ 8, de continentia et abstinentia; § 9, de continentia et verecundia. 221
§ 10, de continentia et charitate. 221
§ 11, de continentia et humilitate; § 12, de actione et contemplatione. 222
§ 13, de scientia et humilitate; § 14, de scientia et charitate. 223
§ 15, de scientia et doctrina; § 16, de vita et doctrina. 224
Cap. 46. De exemplo. Cap. 47. De fama. 225
Cap. 48. De adversitate. 226
Cap. 49. De martyrio. 227
Cap. 50. De gloria. 228
Declaratio terminorum theologiæ. Argumentum ex edit. Vatic. 232
Breviloquium. Argumentum ex edit. Vatic. Proœmium. 240
Prima Pars, in qua de Trinitate personarum et unitate Dei agitur. Cap. 1. De illis septem, de quibus est theologia, in summa. 248
Cap. 2. Quid tenendum de Trinitate personarum et unitate essentiæ. 249
Cap. 3. De istius fidei intelligentia sana. 250

Cap. 4. De istius fidei expressione catholica. 251
Cap. 5. De unitate divina natura in multiformitate apparitionum. 252
Cap. 6. De unitate divinæ naturæ in multiplicitate appropriatorum. 253
Cap. 7. De omnipotentia Dei. 254
Cap. 8. De Dei sapientia, prædestinatione et præscientia. 255
Cap. 9. De voluntate Dei et providentia. 256
Secunda Pars, in qua de creatura mundi agitur. Cap. 1. De productione mundi totalis. 258
Cap. 2. De natura corporali quantum ad fieri. 259
Cap. 3. De natura corporali quantum ad esse. 260
Cap. 4. De natura corporali, quantum ad operari et influere. 261
Cap. 5. De modo describendi prædicta in sacra Scriptura. 262
Cap. 6. De productione supernorum spirituum. 263
Cap. 7. De apostasia dæmonum. 264
Cap. 8. De confirmatione bonorum angelorum. 265
Cap. 9. De productione hominis quantum ad spiritum. 266
Cap. 10. De productione hominis quantum ad corpus. 267
Cap. 11. De productione hominis quantum ad totum conjunctum. 268
Cap. 12. De completione et ordinatione totius mundi consummati. 270
Tertia Pars, in qua de corruptela peccati agitur. Cap. 1. De origine mali in communi. 271
Cap. 2. De primorum parentum tentatione. 272
Cap. 3. De primorum parentum transgressione, Cap. 4, et punitione. 273
Cap. 5. De originalis peccati corruptione. 274
Cap. 6. De originalis peccati transfusione. 275
Cap. 7. De originalis peccati curatione. 276
Cap. 8. De origine peccatorum actualium. 277
Cap. 9. De origine et distinctione capitalium peccatorum. 279
Cap. 10. De origine et qualitate actualium peccatorum. 280
Cap. 11. De origine peccatorum finalium, quæ sunt peccata in Spiritum sanctum. 281
Quarta Pars, in qua de incarnatione Verbi agitur. Cap. 1. De ratione qua decuit Verbum Dei incarnari. 282
Cap. 2. De incarnatione Verbi, quantum ad unionem naturarum. 284
Cap. 3. De incarnatione quantum ad modum. 285
Cap. 4. De incarnatione quantum ad plenitudinem temporum. 286
Cap. 5. De plenitudine gratiæ Christi, quantum ad charismata in affectu. 287
Cap. 6. De plenitudine sapientiæ Christi in intellectu. 289
Cap. 7. De plenitudine meriti Christi in effectu. 290
Cap. 8. De passione Christi quantum ad statum patientis. 291
Cap. 9. De passione Christi quantum ad modum patiendi. 292
Cap. 10. De passione Christi quantum ad exitum passionis. 294
Quinta Pars, in qua de gratia Spiritus sancti agitur. Cap. 1. De gratia, in quantum est donum divinitus datum. 296
Cap. 2. De gratia, in quantum juvat ad bonum meritorium. 297
Cap. 3. De gratia, in quantum est remedium peccati. 299
Cap. 4. De ramificatione gratiæ in habitus virtutum. 300
Cap. 5. De ramificatione gratiæ in habitus donorum. 301
Cap. 6. De ramificatione gratiæ in habitus beatitudinum, et per consequens, fructuum et sensuum. 303
Cap. 7. De exercitio gratiæ respectu credendorum. 305
Cap. 8. De exercitio gratiæ respectu diligendorum. 307
Cap. 9. De exercitio gratiæ respectu agendorum, præceptorum et consiliorum. 308
Cap. 10. De exercitio gratiæ respectu petendorum et orandorum. 309
Sexta pars, in qua de medicina sacramentali agitur. Cap. 1. De sacramentorum origine. 311
Cap. 2. De sacramentorum variatione. 312
Cap. 3. De sacramentorum numero et distinctione. 313
Cap. 4. De sacramentorum institutione. 314
Cap. 5. De sacramentorum dispensatione. 316
Cap. 6. De sacramentorum iteratione. 317
Cap. 7. De integritate baptismi. 318
Cap. 8. De integritate confirmationis. 320
Cap. 9. De integritate eucharistiæ. 321
Cap. 10. De integritate pœnitentiæ. 323
Cap. 11. De integritate unctionis extremæ. 325
Cap. 12. De integritate ordinis. 326
Cap. 13. De integritate matrimonii. 328
Septima pars, in qua de statu finalis judicii tractatur. Cap. 1. De judicio in communi. 330
Cap. 2. De antecedentibus ad judicium, cujusmodi est pœna purgatoria. 331
Cap. 3. De antecedentibus ad judicium, cujusmodi sunt suffragia ecclesiastica. 333
Cap. 4. De concomitantibus judicium, sicut est conflagratio ignium. 334
Cap. 5. De concomitantibus judicium, sicut est resurrectio corporum. 336
Cap. 6. De consequentibus ad judicium, scilicet de igne infernali. 338
Cap. 7. De consequentibus ad judicium, scilicet gloria paradisi. 339
Centiloquium, quod compendium theologiæ dicitur. Argumentum. Procemium. 344
Prima Pars. Sectio 1. De malo culpæ in generali. 345
Sect. 2. De tentatione. 346
Sect. 3. De diffinitione peccati. 347
Sect. 4. De peccato originali. 348
Sect. 5. De peccato actuali. 349
Sect. 6. De peccato veniali, et mortali. 350
Sect. 7. De ignorantia. 351
Sect. 8. De omissione et negligentia. 352
Sect. 9. De commissione. 353
Sect. 10. De errore, pravo judicio, et personarum acceptione. 354
Sect. 11. De peccato consensus, et de peccato contra conscientiam, et de perplexitate. 355
Sect. 12. De mendacio, perjurio et contentione. 356
Sect. 13. De adulatione, maledicto et detractione. 357
Sect. 14. De peccato operis. Sect. 15. De septem vitiis capitalibus in generali. 358
Sect. 16. De differentia inter capitale vitium, initium peccati, et radicem malorum. 359
Sect. 17. De superbia. 360

Sect. 18. De inani gloria. Sect. 19. De invidia. 361
Sect. 20. De ira. 362
Sect. 21. De acidia. 363
Sect. 22. De avaritia. 364
Sect. 23. De gula. Sect. 24. De luxuria. 365
Sect. 25. De peccato ex infirmitate, ex ignorantia et ex industria. 366
Sect. 26. De idololatria et hæresi. Sect. 27. De interdicto, et duabus speciebus excommunicationis. 368
Sect. 28. De duabus regulis generalibus circa excommunicationem. 369
Sect. 29. De divinatione. 370
Sect. 30. De hypocrisi, simonia et sacrilegio. 371
Sect. 31. De rapina, furto, usura, homicidio et scandalo. 372
Sect. 32. De peccato luxuriæ et gulæ. Sect. 33. De passionibus sive proprietatibus peccatorum. 373
Secunda Pars. Sect. 1. De vulneratione naturalium. Sect. 2. De spoliatione gratuitorum. 375
Sect. 3. De pœnis corporalibus. Sect. 4. De locis pœnalibus. 376
Sect. 5. De apertione librorum. 377
Sect. 6. De igne conflagrationis. Sect. 7. De cruciatibus inferorum. 378
Tertia Pars. Sect. 1. De eo, quod est frui, et uti. 379
Sect. 2. Quid de Deo trino et uno credendum est, et intelligendum, et exprimendum. 380
Sect. 3. Qualiter Deus trinus et unus manifestat se in effectibus creaturæ. Sect. 4. De appropriatis Patri. 381
Sect. 5. De appropriatis Filio. Sect. 6. De appropriatis Spiritui sancto. 382
Sect. 7. De quatuor simul creatis, et de mensuris durabilium. Sect. 8. De veritate exprimenda cum exclusione erroris circa productionem mundi. 383
Sect. 9. De triplici differentia creaturæ. Sect. 10. De productione machinæ mundialis. 384
Sect. 11. De consistentia machinæ corporalis.
Sect. 12. De sufficientia cœlorum. 385
Sect. 13. De quatuor attributis angelis, cum conditione sui. Sect. 14. De prævaricatione spirituum malignorum. 386
Sect. 15. De confirmatione spirituum bonorum. 387
Sect. 16. De diffinitionibus angeli, ordinis, et hierarchiæ. 388
Sect. 17. De triplici divisione hierarchiæ. Sect. 18. De custodia hominum per angelos. 389
Sect. 19. De diffinitionibus animæ. 390
Sect. 20. De divisione potentiarum animæ, secundum magistros. Sect. 21. Item, secundum naturales. 391
Sect. 22. De divisione potentiarum secundum naturales et theologos. 392
Sect. 23. De divisione potentiarum secundum Augustinum. 393
Sect. 24. De quo est anima. 394
Sect. 25. De conditione humani corporis. 396
Sect. 26. De toto homine ex corpore et anima constituto. Sect. 27. De unione naturarum in Christo. 397
Sect. 28. De perfectione gratiarum in Christo. Sect. 29. De plenitudine sapientiæ in Christo. 398
Sect. 30. De plenitudine meriti Christi. 399
Sect. 31. De tolerantia passionis Domini nostri Jesu Christi. Sect. 32. De sacra Scriptura, quantum ad duo Testamenta. 400
Sect. 33. De præceptis Decalogi. 401
Sect. 34. De præceptorum summa. 402
Sect. 35. De gratia in se considerata, quoad diffinitionem, divisionem et operationem. 403
Sect. 36. De gratia in comparatione ad habitus gratuitos, ut sunt virtutes in generali. 404
Sect. 37. De fide. 405
Sect. 38. De continentia Symboli quantum ad articulos. 406
Sect. 39. De spe. 408
Sect. 40. De charitate. 409
Sect. 41. De prudentia. Sect. 42. De temperantia. 410
Sect. 43. De fortitudine. 411
Sect. 44. De justitia. 412
Sect. 45. De septem donis Spiritus sancti. 414
Sect. 46. De beatitudinibus, et de vita tum activa cum operibus misericordiæ, tum contemplativa cum oratione; de duodecim fructibus et quinque sensibus. 416
Sect. 47. De sacramentis in generali. 418
Sect. 48. De baptismo. 420
Sect. 49. De confirmatione. Sect. 50. De Eucharistia. 421
Sect. 51. De pœnitentia. 423
Sect. 52. De unctione extrema. 425
Sect. 53. De ordine. 426
Sect. 54. De matrimonio. 427
Sect. 55. De impedimentis matrimonii in generali. 429
Sect. 56. De impedimentis affinitatis et cognationis in speciali; et primo de affinitate. 430
Sect. 57. De cognatione triplici. 431
Quarta Pars. Sect. 1. De triplici differentia præmii. 433
Sect. 2. De expedientia ad præmium. 434
Sect. 3. De sufficientia gaudii. 435
De Ecclesiastica hierarchia. Argumentum ex edit. Vatic. Prima pars. Cap. 1. De nomine angeli, et quod eo varia in Scriptura significentur. 437
Cap. 2. De Seraphim. 445
Cap. 3. De Cherubim. 449
Cap. 4. De Thronis. 452
Secunda Pars. Cap. 1. De Dominationibus. 456
Cap. 2. De Virtutibus. 459
Cap. 3. De Potestatibus. 461
Tertia Pars. Cap. 1. De Principatibus. 464
Cap. 2. De Archangelis. 466
Cap. 3. De Angelis. 469
Quarta Pars. Cap. 1. Cœli nomine varia in Scriptura significari, et quomodo nomine cœli significentur angeli. 472
Cap. 2. Cœlorum nomine quomodo apostoli sancti significentur. 474
Cap. 3. Cœlorum nomine auctoritas judicum et prælatorum designatur. 476
Cap. 4. Cœlorum nomine religiosi et contemplativi significantur. 480
Cap. 5. Cœlorum nomine Doctores sacræ Scripturæ designantur. 486
Cap. 6. Firmamenti nomine Christus significatur. 489
Cap. 7. Cœli natura et proprietas quomodo Beatæ Virgini Mariæ conveniant. 493
De reductione artium ad theologiam, cum argumento ex editione Vaticana prævio. 498
De quatuor virtutibus cardinalibus, cum argumento ex editione Vaticana prævio. 506
De tribus ternariis peccatorum infamibus.

Argumentum ex editione Vaticana. Cap. 1. Quod tres sunt ternarii peccatorum infames, et de primo ternario in genere 510
Cap. 2. De peccato originali, et de quadruplici ejus distinctione ab aliis peccatis. 507
Cap. 3. Quid sit peccatum originale, et de ejus effectibus. 512
Cap. 4. De mortali peccato, et de ejus effectu. 514
Cap. 5. De venialis peccati essentia, efficacia, sufficientia, et indulgentia. 515
Cap. 6. De radice peccatorum, quæ est amor sui. 516
Cap. 7. Quare homo solus ex inferioribus creaturis possit peccare. 517
Cap. 8. Quare peccatum non vitetur, nisi prius cognoscatur. 519
SPECULUM ANIMÆ. Argumentum ex edit. Vatic. Præfatio. 523
Cap. 1. De primo principali ramo, scilicet superbia. 526
Cap. 2. De concupiscentia divitiarum. 535
Cap. 3. Tertius principalis ramus est concupiscentia carnis. 542
Cap. 4. Epilogus prædictorum, ubi arbor describitur. 554
DE MODO CONFITENDI ET DE PURITATE CONCUPISCENTIÆ. Argumentum ex editione Vaticana. Caput 1. Quod plena, pura et integra debeat esse confessio. 559
Cap. 2. De peccatorum circumstantiis. 561
Cap. 3. De motu vanæ gloriæ. 562
Cap. 4. De intentione habita in peccatis. Cap. 5. De peccati occasione. 564
Cap. 6. De occasionibus, quæ dantur aliis in peccando. 566
Cap. 7. De pollutione. Cap. 8. De causis pollutionis. 567
Cap. 9. Qualiter post pollutionem liceat, vel non liceat accedere ad divina. 568
Cap. 10. De fluxu libidinis. 569
Cap. 11. De complacentia habita in memoria peccati. 570
Cap. 12. Qualiter cogitationes inhonestæ sint confitendæ. Cap. 13. De motibus carnis. 572
Cap. 14. De periculo familiaritatis dominarum. 573
Cap. 15. De verbis vitiosis. 576
Cap. 16. Eruditio utilis ad omnia supradicta. 577
Cap. 17. De modo cognoscendi seipsum. 578
Cap. 18. De peccatorum origine. 579
Cap. 19. De peccato in Spiritum sanctum. Cap. 20. Peccati descriptio. 580
Cap. 21. Confessio sive humiliatio sui ipsius. 581
DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI. Argumentum. Part. I. De septem donis Spiritus sancti in genere, cap. 1. Quod Verbum incarnatum misit nobis Spiritum sanctum septem donorum largitorem. 583
Cap. 2. Quod sint septem Spiritus sancti dona, et quare in septenario numero. 585
Cap. 3. Septem Spiritus sancti dona qualiter ab aliis habitibus et donis distinguantur. 587
Cap. 4. Quæ utilitas in septem Spiritus sancti donis conferatur. 590
Cap. 5. Qui et quales donorum Spiritus sancti capaces efficiantur, et qualiter ea obtineantur. 592
Cap. 6. Qualiter dona ascendendo et descendendo ordinantur. 593
PART. II. De septem donis Spiritus sancti in particulari. Sect. 1. De dono timoris. Cap. 1. Quid sit timor, et qualiter secundum inordinatos amores multiplicetur, et ordinetur. 596
Cap. 2. Quis timor a regno animæ per charitatem perfectam expellatur, et quem secum compatiatur. 597
Cap. 3. Qualiter a timore Dei in anima dies clara oriatur. 598
Cap. 4. Qualiter a dono timoris convivium animæ præparetur. 599
Sect. 2. De dono pietatis. Cap. 1. Quid donum pietatis dicatur, et qualiter a pietate naturali et acquisita distinguatur. 602
Cap. 2. Qualiter per donum pietatis dies spiritualis oriatur, proficiat, et perficiatur. 603
Cap 3. Qualiter per donum pietatis menti convivium præparetur. 605
Sect. 3. De dono scientiæ. Cap. 1. Quæ scientia donum Spiritus sancti dicatur. Cap. 2. Qualiter per donum scientiæ dies in anima oriatur. 608
Cap. 3. Quomodo per donum scientiæ menti convivium præparetur. 609
Cap. 4. De mensa divinæ Scripturæ, sive scientiæ, et de ferculis quæ in ea apponuntur. 611
Sect. 4. De dono fortitudinis. Cap. 1. Quæ fortitudo donum Spiritus sancti dicatur. 613
Cap. 2. Qualiter per hoc donum dies spiritualis in anima oriatur. 614
Cap. 3. Quale convivium per hoc donum animæ præparetur. 616
Sect. 5. De dono consilii. Cap. 1. Quid consilium sit, et quid donum consilii dicatur. 617
Cap. 2. Quæ sit doni consilii necessitas. 618
Cap. 3. Quæ differentia inter consilia divina, et ea quæ ex propria voluntate liberi arbitrii oriuntur. 619
Cap. 4. Qualiter ex dono consilii dies spiritualis in anima oriatur. 621
Cap. 5. Qualiter convivium per donum consilii in anima præparetur, et de tribus consiliariis qui dicuntur principales inter convivantes, quæ sunt tres animæ potentiæ. 622
Cap. 6. Convivantes medii, qui sunt vigores animæ naturales, sensus animæ rationales, et virtutes morales, quomodo a superioribus, memoria scilicet, intellectu et voluntate purgentur, illuminentur et perficiantur. 625
Cap. 7. Convivantes inferiores, utpote sensus animales et corporales, tam exteriores quam interiores, quomodo a convivantibus mediis illuminentur, purgentur et perficiantur. 626
Sect. 6. De dono intellectus. Cap. 1. Quare donum intellectus præcedentia dona sequatur. 627
Cap. 2. Quid donum intellectus sit, vel dicatur. Cap. 3. Quæ hujus doni sit necessitas, vel quæ utilitas in eo conferatur. 628
Cap. 4. Veritates divinæ in sacra Scriptura absconditæ manifestantur per donum intellectus. 629
Cap. 5. Veritates divinorum sacramentorum dono intellectus penetrantur. 631
Cap. 6. Quomodo per donum intellectus dies spiritualis in anima oriatur. 632
Sect. 7. De dono sapientiæ. Cap. 1. Quid sit sapientia, et quid donum sapientiæ dicatur. 635
Cap. 2. Quæ sit necessitas et utilitas hujus doni. 637
Cap. 3. Qua ratione donum sapientiæ a Deo petatur et obtineatur. 638
Cap. 4. Qualiter ex dono sapientiæ dies spiritualis in anima oriatur. 639

Cap. 5. Quale convivium per donum sapientiæ menti præparetur; et de primo convivio, quod in mente, in corpore humano existente, per donum sapientiæ Spiritus sanctus celebrat. 640
Cap. 6. De vino ad quod potandum sapientia invitat in convivio primo. 641
Cap. 7. Qui sint carissimi in convivio primo, et quæ sit sobria ebrietas illorum. 642
Cap. 8. De secundo convivio, quod fit animæ a corpore separatæ per donum sapientiæ. 644
Cap. 9. De tertio convivio sapientiæ, quod est regnantium. 645
Cap. 10. Quæ familia et qui convivantes ad regnantium convivium invitentur, vel sint jam invitati. 646
Cap. 2. De tertii convivii, et convivantium beatitudine, juxta numerum septem donorum, septem quoque animadversione digna notantur. 647
De resurrectione a peccato ad gratiam. Argumentum ex editione Vaticana. Textus. 653

FINIS INDICIS TOMI SEPTIMI

VESONTIONE. — EX TYPIS OUTHENIN-CHALANDRE FILII.

